





ANNO



1713

ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI.

SÆCULUM TERTIUM,

Quod eſt à Chriſto nato Octavum,

diviſum in duas partes.

ACTA SANCTORUM ORDINIS S. BENEDICTI IN SÆCULORUM CLASSES DISTRIBUTA.

SÆCULUM III.

QUOD EST AB ANNO CHRISTI DCC AD DCCC.

Collegit Domnus LUCAS D'ACHERY, Congregationis S. Mauri Monachus, ac cum eo edidit D. JOHANNES MABILLON, ejusdem Congregationis, Qui & universum Opus Notis, Observationibus, Indicibúsque necessariis illustravit.

PARS PRIMA.



LUTECIÆ PARISIORUM,
Apud LUDOVICUM BILLAINE, in Palatio Regio.

CIϽ IϽC LXXII.
CUM PRIVIL. REGIS ET SUPERIOR. LICENTIA.


Digitized by Google



AD PIOS ERUDITOSQUE LECTORES

PRÆFATIO.

1. PERITUR nobis, favente Deo, æræ Benedictinæ Sæculum tertium, Christianæ octavum; non minùs alternantium rerum varietate, quàm memorandis factis insigne.

2. Europa siquidem, cujus fere limitibus historia nostra continetur, pæne tota motibus quassa insolitis, novos dominos novámque formam subiit. Fuit in primis Hispaniæ luctuosum fatum, quæ Witizæ & Ruderici pravorum Regum contaminata flagitiis, proditore Juliano Duce in Maurorum potestatem venit. túmque Vesigothorum Imperium, quod trecentis ampliùs annis steterat, ab immani ac feroci gente exstinctum est. Sardinia insula idem infortunium experta: uti & Sicilia miserè ab Saracenis vastata. Paullo felicior exstitit Italia, non tamen à magnis conversionibus immunis. Nimirum Romani Imperii portio, quæ per Exarchos Ravennates administrata diu fuerat, Imperatoribus Græcis erepta, Romanis Pontificibus cessit: & Langobardorum Regnum annis ducentis validum, Francorum demum armis succubuit. Nec etiam Gallia ipsa mutationum expers. Quidquid à Pyrenæis jugis ad Rhodanum usque maritimi soli est, id à Mauris occupatum; sævitúmque persæpe ab illis igni & ferro in finitimas regiones. Quin abjecto Childerico Merovingici generis postremo Francorum Rege, ad

Europæ status.

Majores-domus devolutum est regium nomen, quod ipsum eis solum deerat. nam regia potestate jamdudum gerebant omnia. Pippinus, alterius familiæ caput, rebus fortiter gestis & populi studio thronum conscendit, cúmque postea Carolus ejus filius, re & cognomine Magnus, imperatoria dignitate extulit, Germaniæ provinciis plerisque subactis. Denique Britannia insula per varios Heptarcharum motus jactata, à Danis miserè lacerata vertente sæculo est.

rei litterariæ, 3. In tanto rerum turbine quàm afflicta publica res litteraria fuerit, docent nos illius temporis qualiacumque monumenta, maximè historica, quæ veluti quibusdam pannosæ imperitiæ centonibus à sese divulsis constant. Ex hoc Auctorum sordidorum numero excipiendi sunt viri pro ea ætate summi, Beda Venerabilis, Paulus Warnefridi, Ambrosius Autpertus, Albinus seu Alcuinus Flaccus, & si qui alii, Ordinis nostri lumina. Carolo Magno imperante Musis honos restitui cœpit, rediítque avita celebritas; paullo pòst Nortmannorum tempestate rursus infeliciter violata.

Ecclesiæ, 4. Verùm pro instituto nostro satius fuerit, Christianæ ac monasticæ Reipublicæ faciem considerare: quæ utraque nihilo minùs rerum variarum subiit vices. Dum enim Græcorum Imperatores funestum Imaginibus sacris bellum indicunt, Latinam itidem Ecclesiam istius controversiæ pervadit tumultus. At ex adverso Scotti, agentibus sodalibus nostris, schismate deposito catholicis partibus accedunt. Et eodem fere tempore, quo Christiana Religio in Hispania Sardiniáque propemodum exstincta est; Germania idolorum cultum per Bonifacium nostrum pérque socios ejus abjecit. quasi *diminutio illorum*, ut verbis utar Apostoli, fuerint *divitiæ gentium.*

& Ordinis S. Benedicti. 5. Dum Majores nostri sarciendis Christianis rebus operam & sanguinem impendunt, etiam in populos recèns ad Fidem adductos inferunt Benedictinæ Regulæ cultum, qui bellorum tumultu afflictus in Gallia, per Saracenos eliminatus ex Hispania est. Movit Romanos Pontifices tam ardens & arduum nostrorum studium in rem Christianam: eísque visum operæ pretium est, ut denuo excitaretur primarium illud seminarium, Casinense inquam Monasterium, jamdudum sub ruinis per Langobardos inflictis jacens, quod tam eximiæ propagini originem dederat. Id negotii per Petronacem curâ Gregorii Papæ junioris incœptum, Gregorius tertius promovit, Zacharias porro feliciter absolvit. Túncque factum est, ut ex sacro illo Asceterio Sturmius & Willibaldus in Germaniam, Carolus Magnus in Galliam purioris Religionis disciplinam derivarint.

6. Hæc breviter ob oculos posita, paullo fusiùs explicare juvat, agendúmque in primis de schismate Scottorum: tum de Germaniæ ad Fidem accessione, déque Ecclesiis cathedralibus & litterarum Academiis in ea institutis, ac de cultu soli Germanici per nostros. quibus rebus succedent observationes Ecclesiasticæ, Monasticæ, & Historicæ ex his Actis eruendæ.

§. I.

De Scottorum discidio per Benedictinos sublato. ubi de Tonsura laïcorum, Clericorum, & Monachorum.

7. EA est humanæ societatis indoles ac natura, ut constare nequeat sine quadam æqualitate & convenientia morum. Id luculenter etiam probatur in rebus sacris, in quibus ejusdem Religionis homines alligari necesse est sacramentis ac ritibus certis: quibus neglectis aut violatis, solvi ac dividi Religiones oportet. Hujusce rei experimentum ab ipso pæne Ecclesiæ nascentis exordio patuit in paschalis festi celebratione, quam diversi Christianorum cœtus alii alio die servabant. ac propè factum est, ut unius diei discidium Ecclesiæ corpus unionémque divelleret. Recruduit controversia illa per Brittones & Scottos in Britannia & Hibernia insulis, eóque demum evasit, ut Brittonum pertinacia sanguine mille ducentorum Monachorum frangi aut expiari non potuerit. Cùm enim Augustinus, à Gregorio Magno in Britanniam missus, modis omnibus tentaret, ut Brittones ad rituum Romanorum concordiam revocaret, nec tamen ab susceptis semel institutis recedere vellent; tandem Ethelfridus Rex in eos (uti prædixerat Augustinus) exercitum movens ad civitatem Legionum, cùm videret Sacerdotes eorum qui ad exorandum Deum « pro milite bellum agente convenerant, seorsum in tutiore lo- « co consistere; in hos primùm arma verti jubet: exstinctísque « eorum qui ad orandum pro Brittonibus ex Banchorensi Mo- « nasterio confluxerant viris circiter mille ducentis, postea ce- « teras nefandæ militiæ copias delevit, testante Beda in « historiæ libro secundo, capite secundo. *Dicebat autem eis Augustinus, quòd in multis quidem nostræ consuetudini, immo universalis Ecclesiæ contraria geritis. & tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, ut Pascha suo tempore celebretis; ut ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, juxta morem sanctæ Romanæ & apostolicæ Ecclesiæ compleatis; ut genti Anglorum unà nobiscum verbum Domini prædicetis; cetera quæ agitis, quamvis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus.* Hæc ergo discidii præcipua capita,

Dissensio de Paschate, tonsura, &c.

quæ similiter Scottos in Hibernia degentes ab Romanis dividebant. Accedebat etiam de Tonsura dissensio non levis, quam Brittonibus ac Scottis adversùs Romanos communem fuisse existimo. Eam quæstionem pacis gratiâ dissimulavit Augustinus: quæ tamen aliis haud levis momenti visa est, ut patet tum ex epistola Ceolfridi Abbatis ad Naitonum Nortanhumbrorum Regem, tum ex Pænitentiali Theodori Cantuariensis Episcopi, cujus hæc verba: *Qui ordinati sunt à Scottorum vel Brittonum Episcopis, qui in Pascha, vel tonsura catholica non sunt adunati Ecclesiæ; iterum à catholico Episcopo confirmentur. Similiter & Ecclesiæ quæ ab ipsis ordinantur, aquâ exorcizatâ adspargantur, & aliqua collectione* * *confirmentur.* Immo longè ante eos Patricius: *Si quis est Clericus, cujus capilli non sunt tonsi Romano more, debet excommunicari.* quæ verba leguntur in manu-scripta collectione Canonum Hibernicorum, quæ penes nos est, libri quinti capite septimo. Parva nunc res, & quæ vix seriò agenda videri possit, tunc ingenti certamine insulares illos accendit.

* *id est* collecta

à nostris impugnata.

8. Contra eas Brittonum ac Scottorum ineptias stilum ac zelum exercuêre non pauci. Primus post Augustinum occurrit mihi CUMMIANUS, è Scottorum grege Monachus: qui ad Romanas partes adjunctus, rationem facti sui reddit Segieno Hiiensi Abbati. Exstat ea epistola de controversia paschali inter Hibernicas ab Usserio vulgatas: qua in epistola validè refellit Auctor populares suos consensu Ecclesiæ universalis. *Quid autem pravius*, inquit, *sentiri potest de Ecclesia matre, quàm si dicamus, Roma errat, Hierosolyma errat, Alexandria errat, Antiochia errat, totus mundus errat: soli tantùm Scotti & Brittones rectum sapiunt?* Meminit etiam idem Auctor Synodi in campo *Lenc* à majoribus suis habitæ, ac factæ definitionis, *ut Pascha cum universali Ecclesia in futuro anno celebrarent. Sed non post multum surrexit quidam paries dealbatus, traditionem seniorum servare se simulans, qui utraque non fecit unum; sed divisit, & irritum ex parte fecit quod promissum est.* Cummianus iste mihi videtur non alius esse à Cummeneo Albo, qui librum de vita sancti Columbæ Abbatis à nobis in Sæculo primo editum posteris mandavit circiter annum sexcentesimum trigesimum. Segienus enim seu Segianus Abbas, cui librum de paschali controversia inscribit Cummianus, Hiiensi Monasterio præfuit ab anno sexcentesimo vigesimo secundo ad quinquagesimum secundum, uti ex Annalibus Ultoniensibus probat Usserius.

9. RONANUS dein, natione quidem Scottus, sed qui in » Galliæ vel Italiæ partibus regulam ecclesiasticæ veritatis edo» ctus fuerat, Lindisfarnenses Monachos Scoticorum rituum

sectatores exagitavit, auctore Beda in historiæ libro tertio, capite vigesimo quinto. Is quippe cum Finano Episcopo confligens, multos quidem correxit, nequaquam tamen Finanum emendare potuit. « « «

10. Defuncto Finano, cùm COLMANNUS in Episcopatum successisset, & ipse missus à Scotia; gravior de observatione Paschæ, necnon & de aliis ecclesiasticæ vitæ disciplinis controversia nata est. Mota ergo quæstione de Pascha vel tonsura, vel aliis rebus ecclesiasticis, ob id in Monasterio Streaneshalensi indicta Synodus anno sexcentesimo sexagesimo quarto. Post longam Colmanni & Wilfridi concertationem, auditis utriusque partis suffragiis, Oswius Rex in gratiam Wilfridi sententiam tulit. Erat tum Wilfridus Sacerdos in Monasterio HRipensi, ex quo paullo antè ejecti Scotti, *qui data sibi optione magis loco cedere, quàm suam mutare consuetudinem volebant.* Quorum exemplo *Colmannus videns spretam suam doctrinam sectámque esse despectam, adsumtis his qui se sequi voluerunt, id est qui Pascha catholicum & tonsuram coronæ (nam & de hoc quæstio non minima erat) recipere nolebant, Scotiam,* id est Hiberniam *regressus est.* Monachi Romani seu Benedictini agente Wilfrido in locum eorum inducti. Hic finis Synodi ac disputationis, quam Beda fusiùs commemorat in libri tertii capitibus vigesimo quinto ac sequenti. « « « « «

11. Quarto loco per ADAMNANUM Presbyterum & Abbatem Hiiensium Monachorum, qui legationis gratiâ missus in Angliam Romanos illic mores didicerat, *plurima pars Scottorum in Hibernia, & nonnulla etiam de Brittonibus in Britannia, ecclesiasticum paschalis observantiæ tempus suscepit,* inquit Beda in libri quinti capite septimo-decimo. *Attamen suos qui erant in insula Hii, quive erant subditi Monasterio, ad veritatis callem perducere non valuit.* Id factum paullo post annum sexcentesimum nonagesimum probat caput sextum-decimum ejusdem libri.

12. Secuta est dehinc ejusdem quæstionis agitatio auctore ALDHELMO tum Abbate Maldunensi, qui jubente Synodo incerti loci epistolam adversus errores Brittonum scripsit, eam scilicet quæ exstat inter Bonifacianas ordine centesima vigesima nona.

13. Sexto loco memorandus venit CEOLFRIDUS Abbas Girwensis & Wiremuthensis: cujus eruditam epistolam ad Naitonum Pictorum Regem commemorat Beda in capite vigesimo secundo libri quinti. cujus lectione epistolæ effectum est, ut *Rex surgens de medio Optimatum suorum consessu genua flecteret in terram, Deo gratias agens, quòd tale munusculum de terra*

Anglorum mereretur accipere: voluitque perpetuò Paschæ tempus observare cum universa gente sua, & accipere tonsuram, quam plenam esse rationis audierat.

14. Postremò anno insequente, uti Beda proximo capite addit, *illi quoque qui insulam Hii incolebant Monachi Scoticæ nationis, cum his quæ sibi erant subdita Monasteriis ad ritum Paschæ ac tonsuræ canonicum perducti sunt*, operâ scilicet EGBERTI Monachi Angli, qui in Hibernia peregrinus degebat. Hunc tandem exitum habuit diutina illa altercatio. tametsi aliquas inolitæ superstitionis reliquias in Cambria penes Brittones perseverasse, auctor est Usserius in historia de antiquitatibus Britannicis, patétque tum ex Bedæ libro quinto, capite vigesimo quarto, tum ex Bonifaciana epistola centesima vigesima nona. Sic unius diei quæstio Ecclesiam detinuit per annos fere sexcentos: & tria minimùm sæcula vix fuerunt satis componendæ hominum rixosorum coronæ.

15. His ego gratiora dictis alia esse scio: sed in rebus istis, etsi minutioribus, diligentiam religioni tribuere præstat, quàm voluptati: maximè cùm videam id argumenti, quod incidit in propositum nostrum, à nemine hactenus satis explicatum esse. Porro in ea controversia mirari subit naturam ingenii humani: cujus præjudicia, ubi per speciem religionis in animum irrepserint, modum pati nesciunt, dum accedit fervor disputationis & victoriæ ambitio. fitque plerumque, ut ritibus ab humano sensu profectis cedant sanctiores leges caritatis & necessitudinis Christianæ. In his verò casibus, sicut ab Ecclesiæ catholicæ sententia recedere nemini licet; ita convenit Ecclesiæ Pastores sic moderari auctoritatem suam, ut nec imbecilles animos, propriis sensibus nimiùm addictos, incautè provocent ad secessionem, nec in levibus causis pariant grande malum. Certè quod Brittones ac Scottos ab Ecclesia catholica sejunxit, si res magni momenti non fuit, non tamen minùs commendat operam sodalium nostrorum, quâ effectum est, utrique ut populi à Romana Ecclesia jamdudum aversi, ad pacem & concordiam revocarentur.

Regula S. Benedicti à Scottis recepta.

16. Postquàm Scotti ac Brittones Romanis cæremoniis adsueverunt, accessêre etiam Monachi utriusque gentis ad Benedictinæ Regulæ instituta, quæ sanctus Augustinus in Britanniam intulerat. Id non obscurè significat Beda in historiæ libro quarto, capite itidem quarto, ubi agit de duobus Monasteriis à Colmanno in Hibernia exstructis, *quorum unum Mageo vocatum, usque hodie*, inquit, *ab Anglis tenetur incolis: & conversis jamdudum ad meliora instituta omnibus egregium examen*

continet Monachorum, qui de provincia Anglorum ibidem collecti, ad exemplum venerabilium Patrum sub Regula & Abbate canonico in magna continentia & sinceritate proprio labore manuum vivunt. Quibus verbis significat Beda, eamdem tum Monachis Hibernicis fuisse Regulam quàm Anglicanis, qui ab Augustino Regulam sancti Benedicti acceperant. Certè quotquot postea in Galliam trajecere Monachi Scotti, (accesserunt verò quamplurimi) admittebantur omnes in Monasteria nostra: aut si qua condebant ipsi, ea Benedictinis institutis conformabant. Testes sunt eam in rem S. Findanus Reclusus & Eusebius in Monasterio S. Galli, Marcus Episcopus qui in Suessionico sancti Medardi Cœnobio ætatem exegit, sæculo nono. S. Forannanus auctor Monasterii Valciodorensis, & Fingenius Abbas Mettensis, sæculo decimo. Marianus Scottus & alii innumeri, sæculo undecimo. Hinc Monasteria permulta Ordinis S. Benedicti in gratiam Scottorum ædificata, S. Martini Coloniense, Ratisponense, Erfordense, S. Jacobi Wirtziburgense, & alia non pauca in Germania. Huc etiam spectat id quod refertur in libro de vita Bernardi Abbatis Tironensis de Roberto quodam nobilissimo viro, *qui in litore maris Hibernici juxta Teni fluvium, priùs quidem cellam, postea verò duodecim cum Abbate impetratis è Tironio Monachis Cœnobium composuit.* Idipsum David Scottorum Rex in Regno suo magnificentiùs exsecutus est. Lege Vitam sancti Malachiæ Archiepiscopi Hibernici auctore Bernardo Clarevallensi Abbate.

Tonsura laïcorū.

17. Occasione Scoticæ tonsuræ visum est hoc loco quædam observare de Tonsura, quæ tum à laïcis, tum à Clericis Monachísve eo tempore usurpabatur. Laïcorum tonsura penes Europæos, alia puerorum erat, alia adultorum. Pueri capillum intonsum aliquamdiu gerebant; postea cincinnos à capite eorum demetebat Episcopus, aut certè is qui *Pater spiritalis* ob hoc dicebatur. Sic Constantinus Imperator, cognomento Pogonatus, *mallones capillorum* Justiniani & Heraclii filiorum direxit ad Benedictum Papam secundum. sic *Carolus Princeps Francorum, Pippinum suum filium ad Liudprandum* Langobardorum Regem *direxit, ut ejus juxta morem capillum susciperet: qui ejus cæsariem incidens, ei Pater effectus est*, inquit Paulus Warnefridi in libro sexto de gestis Langobardorum, capite quinquagesimo tertio. Ab eo, ut puto, tempore Reges Francorum capillos in orbem compositos gestarunt. nam antea, teste Agathia, sol« lemne erat Francorum Regibus intonsam habere comam à « pueris, involitantibus utrimque in humeros capillorum cirris, « anterioribus capillis à fronte discriminatis. Quippe in cereis «

Regum Carolovingorum iconibus, quas vidi bene multas, capilli in orbem æquati ad humeros usque apparent. Ritus ille tondendi pueros profectus videtur à paganis, qui plerique primum puerorum capillum alicui deorum suorum decisum offerebant. Apud Græcos in more positum erat, teste Plutarcho in Theseo, ut ex ephebis qui excesserant, profecti Delphos comæ primitias Apollini sacrarent. Apud Judæos ex voto etiam comam promittebant Nazaræi, ac finito voti tempore, in ignem sacrificii pacificorum Hierosolymis detonsam eam ponere jubebantur. quamquam votum istud adultis potiùs competebat, ut patet exemplo Pauli, qui cùm esset Cenchris, crinem totondisse ex voto perhibetur. An mos iste in pueris ab initio Christianæ Religionis frequentatus sit, non facilè dixerim: cùm nulla fere istius rei exempla legantur ante sæculum octavum, quo id *ex more* factum dicitur. Exstant in Ordine Romano plures orationes *ad capillaturam incidendam* & *ad puerum tonsurandum*, aliæ ab eis quæ *ad Clericum faciendum* adsignantur. Priores videntur usurpatæ fuisse in sollemni isto ritu, quo pueri primùm tondebantur extra ordinem Clericorum, qui à pueris illis coronâ secernebantur. Ut pueris primam comam, sic adultis barbæ primitias resecabant Patres spiritales. Nimirum Paulus Warnefridi in libro quarto de gestis Langobardorum, capite quadragesimo, auctor est, Gregorium Patricium Romanorum malo animo promisisse Tasoni Gisulfi Forojuliensis Ducis filio & heredi, *ut ei barbam, sicut moris est, incideret, eúmque sibi filium faceret.* Denique Anastasius vulgatus in Vita Hadriani Papæ scribit, Langobardos complures, postquam à Carolo Magno subacti sunt, facto ad beatum Petrum confugio, Hadriano Papæ sese tradidisse, *&* *more Romanorum tonsuratos fuisse.* Erat ergo alia Romanorum, quàm Langobardorum tonsura. Locum hunc illustrat Herkempertus in Epitome, ubi Carolus Beneventanis Ducem Grimoaldum concessisse fertur eo pacto, *ut Langobardorum mentum tonderi faceret, chartas quoque nummósque sui nominis characteribus superscribi semper juberet.* Witichindus in fine libri secundi de gestis Saxonicis notat Henricum Imperatorem, quòd fuerit ei *prolixior barba, & hæc contra morem antiquum.* Hanc menti detonsionem probro semper habuêre Græci, qui puerorum crines paullo post baptismum in figuram crucis tondere soliti sunt, & segmenta in sacrario reponunt, uti legitur in Euchologio & apud Symeonem Thessalonicensem. Lege Notas eruditas Caroli Fresnii Cangii domini in Joinvillæum.

18. Erat etiam tum Clericorum Tonsura triplex, Romana, Græca-

Græcanica, & Scotica. Romanorum tonsuram eo tempore usitatam describit canon quadragesimus Concilii quarti Toletani, ut scilicet *omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant*: qualem certè sodales nostri retinuerunt. Græci Sacerdotes & Monachi penitus detonsi erant rasisque similes, uti apud nos symphoniaci pueri, ad imitationem quidem (ut putabant) sancti Jacobi fratris Domini & Pauli Apostoli ceterorúmque. Ita enim existimabat Germanus Patriarcha in Theoria sua. Ratramnus in libro quarto contra Græcos, capite quarto idem adfirmat de Clericis Græcis, quibus *mos inest barbam quidem non tondere, caput verò crine totum nudare*. Hinc est, quòd Theodorus Græcus ac Græco more tonsus, à Vitaliano Papa in Britanniam missus, *exspectavit quatuor menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset*. At verò Scottis mos erat, anteriorem capitis partem capillis nudare ab aure ad aurem, posteriori intonsa. Unde Simoniaca eorum tonsura dicebatur, qualis scilicet Simoni mago aliísque hominibus calvis sponte nascitur. qualis erat etiam Abantibus populis apud Homerum, quos propterea ὀπιθεκόμους appellat.

19. Tonsura clericalis ad sæculum usque decimum conferebatur non solùm ab Episcopis, sed etiam ab Monasteriorum Præfectis & à Presbyteris. Concilii Cabilonensis secundi Patres capite septimo decernunt pœnitentiam canonicam in Episcopos & Abbates, *qui non in fructum animarum, sed in avaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumveniendo totonderint*; itidémque *in ministros eorum, qui hoc fecisse convicti essent*. Ratherius, medio sæculo decimo Veronensis Episcopus, in sermone synodico Presbyteros suos alloquens; *Clericum*, inquit, *nemo vestrûm sine licentia faciat nostra*. Quod argumento est, Presbyteris eo etiam tempore licuisse Clericum facere tonsurâ impositâ. Id ampliùs elucescit ex epistola Gilleberti Lunicensis Episcopi ad Prælatos Hiberniæ scripta circiter annum nonagesimum supra millesimum, in qua de Presbyteri agens potestate hæc dicit: *In absentia Episcopi potest benedicere coronam Clerici & velum viduæ*. Ergo usque ad id tempus rasilem coronam Presbyteri conferebant absente Episcopo. Immo etiam sæculo nono laïci, quod antiquitus passim usurpaverant, id sibi arrogabant nonnumquam. Nam Letaldus Monachus in libro de miraculis S. Maximini Abbatis laudat Simonem quemdam Mitiacensem Monachum, Reliquias sacras in collo portare jussum adversus eos, qui Monasterii colonis molestiam facessebant. *Cui ministerio*, ait Letaldus, *præfuit*

à quibus collata.

venerabilis Simon nomine, à laïco quidem tonsuratus, sed modestiæ & gravitatis moribus non improbabiliter adornatus. Quibus verbis satis intelligitur, jam tum improbari cœptam tonsuram à laïcis collatam; sed tamen non omnino rejectam fuisse. Et quidem Gerardus Auriliacensis Comes eo tempore, barbam, id est cæsariem sibi *in modum coronæ* rasit, quam *tiarâ* vertici impositâ dissimulabat. Quæ si huic rei probandæ minùs apposita & clara videntur, saltem constat tonsuram à laïcis collatam valuisse ad Clericum faciendum sæculo septimo, quo peregrini quidam Judocum adhuc laïcum totondisse & Clericum fecisse perhibentur. Ceterùm non adsentior Johanni Morino doctissimo Oratorii Presbytero, qui in Exercitatione quinta-decima de sacris Ordinationibus, capite tertio existimat, tonsuram clericalem nonnisi cum Ordine Lectoratûs aut Ostiariatûs conferri solitam, nec seorsum dari cœptam esse ante sæculum septimum. Rem aliter persuadet factum Pauli Emeritensis Episcopi sæculo sexto, qui FIDELEM puerum, sororis suæ filium, primùm quidem *tonderi præcepit:* deinde *per singulos gradus* eum perducens, Diaconum ordinavit, uti Paulus alter Emeritensis Diaconus scribit in libro de Patribus Emeritensibus, capite quinto. Enimvero etsi vetum sit, tonsuram non raro cum extremo Ordine collatam ante istud tempus fuisse; tamen ævo Gregorii Turonici Episcopi, qui sub finem sæculi sexti decessit, idem erat tonderi ac Clericum fieri, ut pluribus locis demonstravi in Præfatione Sæculi nostri secundi. Unde & Monachi ob tonsuram Abbatum manibus traditam Clerici censebantur.

Tonsura Monachorum.

20. Procedente nihilo minùs tempore, quisquis attondebatur in Monachum, non continuò Clericus dicebatur: sed ii soli qui præter decurtatos capillos etiam rasilem coronam gerebant. Id apparet ex Vita sancti Wlmari Abbatis hoc in Sæculo edita, qui primò factus Monachus, non tamen Clericus, eo quòd illiteratus erat; postea eruditione accedente factus est *Clericus.* Duravit discrimen istud inter Monachos ad sæculum usque duodecimum, ut patet ex libro de gestis Bernardi Abbatis Tironensis, ubi fit mentio cujusdam non Sacerdotis, qui tamen in sæculo exsistens, *sacerdotali usurpaverat fungi officio.* Is *ad Bernardum veniens, habitum monachalem suscepit.* tandem *ad extrema veniens, benedictionem coronæ, quam necdum acceperat; cum Viatico accepit, & obiit.* Qui sine corona monasticum suscipiebant habitum, ii *Monachi laïci* dicebantur.

21. Quocirca observare juvat, olim in unoquoque Ordinis nostri Cœnobio non unum fuisse Monachorum genus. Erant

enim alii pueri *Oblati*, ex voto parentum Deo consecrati, quibus sæculum repetere non licebat. Erant & *Conversi*, aliis *Novitii* & *Pulsantes* appellati, ii scilicet qui in adulta ætate à moribus sæculi ad monastica instituta convertebantur, testante in primis Fructuoso Bracarensi Episcopo in Regula Monachorum; diversi omnino ab his, quos modò Conversos appellamus. Nam Conversi illi choro addicti erant, & ad Ordines sacros, quum poscebat res, promovebantur: cùm recentiores Conversi externis tantùm officiis inserviant, sacrorum ministeriorum expertes. Ab his etiam distincti erant Monachi *Laïci*, dicti etiam aliquando *Conversi*: qui etsi primò exterioribus curis occupabantur, (unde & *Ministeriales* à Smaragdo vocantur in Regulæ caput trigesimum quintum) postea tamen ad clericalem statum faciebant gradum, quum id moribus suis promerebantur. Eo in ordine vixêre sanctus Wlmarus superiùs laudatus, qui deinde Monachus Clericus & Abbas factus est; Gingurianus & Gulstanus Ruïenses Monachi piissimi, quorum gesta in Vita sancti Gildæ Abbatis Sæculo primo perstringuntur, & alii quamplures. Utrique Monachi, Conversi videlicet ac Laïci, post annuam probationem depositâ comâ exuebant sæcularem habitum, & religiosum suscipiebant. Ejus rei argumentum habemus in Regula Magistri, capite nonagesimo, ubi præcipit reservare *vestes sæculares*, quibus exuti fuerint tam Laïci, quàm Conversi *firmati*, id est admissi. Et tamen Laïcorum Monachorum vestis (ut quidem existimo) aliquantum ab aliis diversa erat, uti etiam nunc apud Cartusianos. Præter istos erant & *Monachi ad succurrendum*, qui scilicet urgente mortis periculo monastica insignia pænitentiæ publicæ animo expetebant, eóque pacto saluti suæ optimè consultum ac succursum iri persuasum habebant. Talis fuit Lotharius Augustus, Ludovici Pii filius, qui æger Prumiæ Monachus factus est, ac paullo pòst obiit anno octingentesimo quinquagesimo quinto, ut Annales Bertiniani & Mettenses cum Reginone docent. De his agit Udalricus in libro secundo Consuetudinum Cluniacensium capite vigesimo octavo, ubi postquam dixit, Novitios tribus à professione diebus capite operto summum tenere silentium, hæc subdit: *Si quis infirmus & (ut aiunt) ad succurrendum benedictionem acceperit, & pro infirmitate silentium tenere non potuit, cum aliis qui benedicuntur capita contegentibus ipse quoque contegit, & omnia quæ illi faciunt, eo triduo similiter facit, ut quod priùs omissum erat suppleatur.* Eo in numero haberi voluit Goslenus, auctor Monasterii Josaphatensis prope Carnutas: *quem cùm Abbas & Monachi votivo favore recepissent, Gosleno Episcopo*

jubente & præsente prædictus Abbas Girardus jura monachatûs, sicut mos est, ad succurrendum in eo complevit. qui monachali habitu vestitus, brevi postea tempore transacto vitam exuit. Exstat in libro cæremoniarum ejusdem Cœnobii *Ordo ad visitandum infirmum ad succurrendum*, in quo plures orationes ad postulandam ægroti sanitatem referuntur. Qui suscepto hoc modo habitu monastico postea convalescebant, iis sæculum repetere nefas erat. Secus si fecissent, apostatæ censebantur & à recto tramite prolapsi. qua de re legenda est Præfatio in Sæculum primum. Alii fuisse mihi videntur *Fratres ad succurrendum*, ii nempe qui suffragiorum participes facti inscribebantur Monasteriorum tabulis, ob id *Fratres conscripti* appellati. Sic Johannes Comnenus Græcorum Imperator in Necrologio Abbatiæ Martinianæ apud Laudunum locum habet in hæc verba : XV *Kal. Maii, commemoratio Johannis Imperatoris hujus Ecclesiæ Fratris ad succurrendum*, in Appendice ad Guibertum. Et erant etiam in virorum Monasteriis *Monachæ ad succurrendum*, & in puellarum Cœnobiis *Monachæ Laïcæ*. In litteris primariis de institutione Vallis-Scholarium, quas litteras Acherius noster in Spicilegii tomo octavo publici juris fecit, hæc leguntur : *Mulieres ad habitum suum non recipient nisi in extremis, & quæ forte apud eos sibi elegerint sepulturam, & tunc* * *ad præsentationem sui plebani.* In Necrologio Argentogilensi, quod ex vetusto Dionysiano exceptum est, memoratur *quinto Kalendas Februarii Feliciana Monacha ad succurrendum.* De Monachabus Laïcis unum sufficit testimonium ex libro secundo de miraculis sancti Dionysii hîc editis, in capite vigesimo quinto, ubi duæ Sanctimoniales Argentogilensis Parthenonis à sacro igne in mammillis sanatæ dicuntur, *quarum altera Deo sacrata, altera Laïca fuit.* Monachæ Deo sacratæ velo suscepto, Laïcæ solo habitu religioso ac modesto castitatem profitebantur. Monachis Laïcis successerunt Conversi recentiores, apud Cistercienses primùm admissi; dein apud quosvis alios, Religiosos & Sanctimoniales propagati: quos *illiteratos* vocat Petrus venerabilis Abbas Cluniacensis in libri quarti epistola octava-decima, & in Statuto vigesimo quarto *Conversos barbatos.* Denique erant in utrisque Cœnobiis *Reclusi* ac *Reclusæ*, de quibus aliàs erit dicendi locus. Qualem inter se ordinem servarent omnes, docet Lanfrancus in Decretorum capite quarto, ubi ita pompam sacram Dominicâ Palmarum fieri solitam instruit, ut post Cruciferos *sequantur duo Subdiaconi portantes duos textus Evangeliorum. post quos Laïci Monachi, deinde infantes cum magistris : post quos ceteri Fratres præcedentes Abbatem, qui ultimus procedit.*

* *f.* hanc

22. Ergo, ut exponere cœperam, Monachi Clerici cum Monachis Laïcis conveniebant in detonsione capillorum; ab eis secernebantur discrimine coronæ, quæ Monachis tantùm Clericis ac litteratis concedebatur. Omnibus verò ab inita professione tondebatur non solùm coma, sed etiam barba. Sic enim in Vita sancti Willelmi ex Comite Monachi Gellonensis legitur: *Vvillelmus Comes auro textis depositis vestibus, per Dei gratiam sollemniter benedicitur. totus ille in eo sacer ordo perficitur; coma nobili, barba venerabili deposita & Deo consecrata, veste apostolica instar crucis induitur.* Quid sit Deo consecrare præsegmina capillitii & barbæ, docet nos sanctus Aurelianus Arelatensis Episcopus, ita scribens in Regulæ suæ capite quarto: *Si quis laïcus tonsurandus est, de capillis illius in confessionem,* hoc est in locum sacrum sub altari, *mittatur, quæ ei in testimonio sit.* Coronam insuper Abbas Monachis litteratis benedicebat, id est conferebat in ipsa professione: quæ corona clericalis censebatur etiam apud Græcos. Id tamen ita definiunt Patres Concilii septimi, ut qui tonsuram à pueris acceperant, ante acceptam Episcopi manuum impositionem, in suggestu Lectoris officium, quod erat Clerici munus, non exercerent etiam apud Monachos: *Lectoris autem manuum impositionem liceret in proprio Monasterio etiam soli unicuique Abbati facere, si ipsi Abbati scilicet ab Episcopo manus fuisset imposita,* ipséque Abbas fuisset *Presbyter,* ex canone quinto-decimo. Valuit pro tonsura clericali benedictio coronæ per Abbates Monachis collata adusque sæculum duodecimum, ut superiùs vidimus ex Actis Bernardi Abbatis Tironensis, patétque etiam tum ex Theodoro Balsamone in canonem sextum Synodi Carthaginiensis, tum ex libro secundo consuetudinum Cluniacensium capite primo in hæc verba: *Ad majorem Missam finitâ letaniâ ducendus est Laïcus in chorum, & sellâ contra altare majus positâ sedere jussus, & abscisâ comâ coronatur, barbâque detonsâ tirocinio Christi insignitur.* Ubi etiam vides non solùm detonsam à Prælato comam, sed etiam barbam. quo in negotio nonnumquam alii cooperabantur Abbati, uti beato Mauro in Floro tondendo Rex Theodebertus, qui *primus post eum de coma capitis Flori totondisse* perhibetur. Ab eo tempore, nimirum à sæculo duodecimo, Clericos tondendi officium Episcopis reservatum videtur. Certè Petrus ex Cellensi Abbas Remigianus factus, ad Petrum Cardinalem sancti Chrysogoni mittit Crispinum quemdam ad suscipiendam ab eo coronam, scriptâ epistolâ sextâ-decimâ libri septimi, cujus hæc verba: *Magister Crispinus Clericus & amicus noster est: æquè desiderat esse vester. Ecce Parisius ad scholas vadit, sed*

& ubique nomen vestrum super se invocari postulat. . . . . Præ ceteris hoc unum ad præsens postulat, ut de manu vestra primitias Clericatûs, id est coronam accipiat. & epistola octava-decima de eodem ad eumdem : *Habeat itaque vos dominum, & signo Clericatûs à vobis suscepto patronum & auctorem hujus ordinis habeat.* In summa, secundùm Romanos Clerici & Monachi attondebantur in orbem, alii toto fere capite in coronam, alii summo vertice ad cutem raso, & brevi circulo ibi designato, non (uti modò fit à Clericis) in occipitio. Et quidem Monachi ante annos octingentos alii majorem coronam, minorem alii præferebant. quod adverti in pluribus picturis eo tempore factis, quales sunt eæ quas exhibuit Browerus in libro secundo Fuldensium antiquitatum, capite sexto-decimo. De Tonsura plura qui volet, adeat Salmasium in prolixa epistola de coma & cæsarie, in qua id argumenti copiosè & eruditè pertractavit. tametsi in nonnullis non bene divinavit. Nam quod ait antiquos Monachos tonsos non fuisse, vel eo solo refellitur, quòd Julianus, Apostata dictus, antequam Cæsar à Constantio Augusto fratre patrueli fieret, ad cutem usque tonsus monasticam vitam simulavit, ἐν χρῷ τε κειράμενος τὸν τῶν μοναχῶν ὑπεκρίνετο βίον, testante Sozomeno in historiæ libro tertio, capite primo. Et Pachomius in Regulæ suæ capite nonagesimo sexto admittit tonsuram. siquidem præcipit *ut nullus attondeat caput absque majoris imperio.* nimirum ut non quovis tempore pro libito, sed statis intervallis tonsionem renovarent. quod etiam hodie in Cœnobiis statutum viget.

§. II.

De Germania per nostros ad Christianam Religionem adducta, déque Monasteriis in ea institutis.

23. QUATUOR potissimùm beneficia Ordini nostro Germania referre debet accepta. nempe conversionem gentis ad Religionem Christianam, Ecclesiarum cathedralium institutionem, scientiarum disciplinam, soli cultum & ornatum. de singulis agendum paucis.

Germanorum accessio ad Ecclesiam,

24. Gemebat rigebátque sub veterno superstitionum indurata Germania: cujus populi per omnes Europæ plagas effusi, nihil nisi arma noverant. Inde Gothi, Vandalíque, Rugi, Heruli, atque Turcilingi, necnon etiam aliæ feroces & barbaræ nationes prodierunt; tantum à ceterarum gentium [illegible] ac natura dissentientes, ut quæ ceteræ pro religionibus

suis, istæ contra omnium religiones bella susciperent. Istius gentis conversio tentata non semel: at innata indigenarum feritate semper impedita usque ad sæculum octavum, si fortè Rheni accolas excipias, Bajoariósque, quos Theodorici Chlodovei Magni filii principatu Christianæ Religioni accessisse legimus. Id porro majoribus nostris reservatum, qui sudoribus ac sanguine proprio ingentem Christo regionem comparaverunt. Rem in primis aggressus est sanctus Kilianus, Franciæ orientalis vocatus ob id Apostolus. dein Egbertus Presbyter & Monachus Anglus, sed nutu divino in proprium solum ab Oceano rejectus. Missi ab eo qui negotii periculum facerent, Suidbertus & ipse Monachus Anglicanus cum sociis duodecim: quorum operâ Boructuarii ad Fidem adducti, uti & Frisiones, adjutoribus Willibrordo & Wlframno. His subsidiarius accessit Bonifacius cum suis, qui Turingiam, Hassiam, Buchoniam, Sueviam, aliásque provincias Christi legibus imbuit, verè Germaniæ Apostolus nuncupatus: nec alius quis in id opus plus laboris impendit, nemo unus plus gloriæ inde retulit. *Primus omnium*, inquit Adamus Bremensis, *qui australes Germaniæ partes idolorum cultui deditas ad cognitionem divinæ ac Christianæ Religionis adduxit, erat Vvinfridus natione Anglus, verus Christi Philosophus, cui postea cognomentum ex virtute erat Bonifacius. Et quamvis alii scriptorum vel Gallum in Alemannia, vel Heimerammum in Bavaria, sive Kilianum in Franconia, seu certè Vvillibrordum in Fresia priores adserant verbum Dei prædicasse: hic tamen omnes alios, uti Paulus Apostolus, studio & labore prædicationis antevertit.* Agnovit tantum beneficium Germania quondam omnis, quum quatuor Ecclesiæ episcopales à Bonifacio erectæ suam quæque symbolam contulêre Fuldensi Monasterio, in monumentum acceptæ per Bonifacium Fidei Christianæ, uti legitur apud Browerum in libro tertio Fuldensium antiquitatum, capite undecimo. Hîc numerandi essent Bonifacii discipuli & adjutores, Lullus, Burchardus, Willibaldus, & Wnebaldus Episcopi; Wigbertus Abbas cum sociis; feminæ sanctæ ac piæ Thecla, Lioba, aliæque Sanctimoniales. Addendi etiam Rudbertus Bajoariæ, Virgilius Carinthiæ Apostoli dicti, quorum Acta hîc consulenda. Quid dicam de sancto Willehado Saxonum doctore? quid de Sanctis Anschario, Remberto, aliísque septemtrionalium populorum prædicatoribus? Hoc verò quantum est, quòd tantus virorum apostolicorum numerus uno fere tempore ex uno Ordine nostro prodiit!

25. Dum Germaniæ populos ad Christianas partes adducere

ad Ordinem S. Benedicti.

satagebant homines illi sanctissimi, etiam monasticæ rei curam gerebant non minimam, Cœnobia non pauca ædificantes, quasi arces munitissimas, quæ & sibi perfugia essent, & nascenti Religioni incunabula. Hinc Suidbertus Werdense, Willibrordus Esternacense, Bonifacius Fritislariense, Fuldense, aliáque virorum; Bischofheimense virginum; alii alia Monasteria construxerunt. Iis in locis instituta est disciplina purior & sanctior, qualis certè apostolicos viros decebat. Bonifacius siquidem *locum silvaticum in eremo vastissimæ solitudinis, in medio nationum prædicationis suæ* elegit, *in quo Monasterium construxit Monachósque constituit sub Regula sancti Patris* BENEDICTI *viventes, viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino, absque sicera & servis, proprio manuum suarum labore contentos.* Sic Fuldensis Monasterii primarium statum describit Bonifacius ipse in epistola ad Zachariam Papam. Hanc eamdem sine dubio vivendi normam etiam alia servabant Cœnobia ab ipso instituta, non solùm virorum, sed etiam puellarum: quæ quanta cum integritate viverent in Parthenone Biscofheimensi, docet nos Rodulfus in Vita sanctæ Liobæ Abbatissæ. Nec in his solis viguit severum illud vivendi genus, sed traductum ad posteros est, etsi cum aliquo temperamento, non tamen sine magno fœnore gratiarum. Quamvis enim vini usum Pippinus Rex Monachis Fuldensibus concesserit, cetera tamen illibatus mansit disciplinæ vigor per multos annos; etiam in alia Monasteria, Hirsaugiam in primis propagatus. Abstinuere à cæna per totum annum iidem ad ætatem usque Marcwardi Abbatis, id est ad medium sæculum duodecimum: nec ante quartum-decimum feminas in Ecclesiam suam admiserunt. Longum esset per singula discurrere Cœnobia, Gallense, Augiense, Corbeïense, ceteráque permulta: in quibus non magis abundavit bonorum copia, quàm sanctitas religionis. At postquam ex copia otióve lasciviêre animi, cœpítque religio magnificè magis coli quàm piè; tum demum sæcularium cupiditas involavit in bona Monasteriorum, quæ priùs tota in cultum versa Numinis violari ducebant nefas. Successit inde tempestas hæreseos Lutheranæ, quæ pleraque Cœnobia nefariè protrivit, & reliquias exposuit in prædam alienorum. Sola fere, quæ tunc vigebat, huic cladi superstes fuit congregatio Bursfeldensis, quæ avitam majorum parsimoniam revocare studebat. ut intelligas, nullum esse validius præsidium ad tuenda Monasteria, quàm sanctioris disciplinæ custodiam. Porro ex hoc superiorum temporum conspectu revincitur excusatio molliorum quorumdam hominum,

qui

qui ſolo patrio nimiùm indulgentes, putant illo in cælo, in illa corporum conditione tolerari non poſſe temperatum moderatúmque vitæ monaſticæ inſtitutum. Quam ſanè miſerabilem excuſationem refellit multorum experientia temporum, & ſanctiſſimorum Germanicæ gentis hominum eximia frugalitas.

§. III.

De cathedralibus Eccleſiis in Germania per Benedictinos erectis & ordinatis. ubi agitur de Epiſcopis Abbatibus, ſeu de Epiſcopis Monaſteriorum.

26. NON ſatis erat religioſioribus viris ædes in Germania ſtatuiſſe, niſi etiam Epiſcopos & majores Eccleſias novellis Chriſtianis viri illi apoſtolici providerent. Hinc Willibrordus Trajecti ad Rhenum, Rudbertus Saltzburgi, Corbinianus Friſingæ cathedras epiſcopales inſtituerunt. & Bonifacius facta ſibi à Pontifice Romano poteſtate alias ſedes conſtituit Witziburgi, Buriburgi, Erpeſfurti, & Eiſteti; Willehadus verò aliam Bremæ.

27. In Eccleſiis illis Monachi ab initio pro Canonicis inſtituti. Nec diffitetur Gretſerus Preſbyter Societatis JESU in libro primo Obſervationum in Vitæ ſancti Willibaldi caput ſeptimum-decimum, dum ait certum eſſe, Germanicum nomen «
Munſter, quo multis in locis Eccleſiæ cathedrales appellan- «
tur, à Monaſterio deſcendere: quia primi illi Canonici vitam «
monaſticam profitebantur. Id etiam de Britanniæ inſulæ baſi- «
licis majoribus obſervavit Mareshamus in Præfatione ad Monaſticon Anglicanum. Et quidem in Germania epiſcopales Eccleſiæ minimùm ſeptem paruêre Monachis, in Anglia novem.

28. Nimirum Germanicum Imperium Benedictinos habuit aliquando in primariis templis Friſingenſi, Saltzburgenſi, Trajectenſi ad Rhenum, Eiſtetenſi, Wirtziburgenſi, Bremenſi & Ratiſponenſi. Ne ſim nimius, id probavi de ſex prioribus in Actis Corbiniani, Rudberti, Gregorii, Willibaldi, Burchardi & Willehadi hîc editis. de Ratiſponenſi demonſtrandum hoc loco. Arnolfus ex-Comite Monachus Cœnobii ſancti Emmerammi in ſuburbio Ratiſponenſi, de Monaſterio ſuo ita ſcribit in libro ſecundo de ſancto Emmerammo. *Eſt quoque alia cauſa*, inquit, *propter quam non ſunt conſtituti Abbates in prænominato Monaſterio. Ex eo quippe tempore quo primùm à beato Bonifacio apoſtolicæ Sedis Vicario juxta decreta canonum in Bajoaria ordinabantur Epiſcopi; viciſſim ſibi ſuccedebant in hujus Epiſcopatu Monachi atque Canonici: ita ut ſi anteceſſor eſſet Canonicus, fieret ſucceſſor*

Eccleſiæ cathedrales in Germania,

Monachus, *&* *iterum huic antecessori succederet Canonicus. Hæc consuetudo usque ad nostra permansit tempora. Episcopalis vero sedes erat apud sanctum Emmerammum usque ad tempora Caroli Principis, qui hanc restituit in civitatem, ubi prius erat*, nempe *in Ecclesiam beati Petri Apostoli*, & quidem *sub Simperto Episcopo*, uti idem Auctor tradit in libri primi capite quinto. Qualis fuerit tum Monasterii sancti Emmerammi disciplina, describit Arnolfus ipse in dialogo libri secundi. *Quod autem percontatus es, sub cujus Regula degerent, paucis absolvam. In primis ergo promissionem faciebant secundum Regulam sancti* BENEDICTI *coram Episcopo Abbatis vices agente. Dein licentiam dedit eis Episcopus dandi & accipiendi propter inopiam loci. Lineis camisiis utebantur seniores qui eas habere potuerunt; ceteri laneis utebantur, ob penuriam scilicet cilicinarum vestium. Præpositus & Decanus Monasterium regebant post Episcopum. Qui majoris erant ætatis, habebant cellas seu caminatas, junioribus inter se divisis propter custodiam. Communiter pauperem annonam habebant. volatilia manducabant. cetera faciebant secundum consuetudines, quæ in Monasteriis regalibus ad id temporis fuerunt.* Hæc Auctor ille gravis, qui sæculo undecimo floruit.

29. Prædictis Ecclesiis adjungenda est Magadaburgensis, quæ principio Monachos habuit, ut constat tum ex Chronico Ditmari Merseburgensis Episcopi, qui ibidem Monachus fuit; tum ex Magadaburgensi seu Saxonico, tum etiam ex litteris Ottonis Imperatoris à Meibomio relatis post Witichindi Annales. qua de re fusiùs agam, Deo dante, in Actis sancti Adalberti Magadaburgensis Pontificis primi in Benedictino Sæculo quinto. Denique adnumerandam iis etiam puto primariam sedem Mimigardefordensem, quam beatus Liudgerus à Carolo Magno designatus Episcopus instituit *in loco, cujus vocabulum Mimigerneford: ubi Domino ipse honestum construxit Monasterium sub Regula canonica Christo famulantium*, inquit Altfridus Episcopus in Liudgeri Actis, referendis Sæculo insequenti, ubi id accuratiùs expendendum. Sanè *Regulæ canonicæ* nomine nonnumquam Benedictina significatur; & in Synodo quæ sancti Leodegarii seu Augustodunensis vocabulum præfert, *Ordo canonicus & Regula sancti* BENEDICTI pro eodem usurpantur. & porro *Monachi canonici* appellantur ii, quos Gregorius Papa quartus in Ecclesia sancti Callisti trans Tiberim collocavit. Lege Observationes in Acta sanctorum Gregorii Abbatis Trajectensis & Willehadi Episcopi Bremensis, ubi de misto monasticæ & canonicæ vitæ genere agendum.

in Anglia,

30. In Britannia insula Ecclesias principales ab ipsis receptæ Fidei primordiis etiam Monachis nostris addictas fuisse

conſtat. *Auguſtinus enim & Laurentius*, inquit Ordericus Vitalis in hiſtoriæ libro quarto, *aliique primi prædicatores Anglorum Monachi fuerunt, & in Epiſcopiis ſuis vice Canonicorum (quod vix in aliis terris invenitur) Monachos piè conſtituerunt.* Id certum de Eccleſia Cantuarienſi, cujus poſtea formam æmulatæ aliæ, Eboracenſis, Lindisfarnenſis, tum Haguſtaldenſis & Dunelmenſis, Wintonienſis, Norwicenſis, Roffenſis, & Elienſis. de quibus aliàs dicendum erit uberiùs. Quod autem Ordericus dicit, vix in aliis terris extra Britanniam inveniri Eccleſias cathedrales à Monachis occupatas; id ait certè habita ratione ſui temporis, quo pleræque Anglorum Eccleſiæ à Monachis regebantur: quum Germanicæ jam ad Canonicos migraverant. necdum enim (ſi non fallor) noſtros admiſerant Eccleſiæ Gallicanæ ante Johannis vigeſimi ſecundi Papæ pontificatum. Eòdem ſpectat Robertus Abbas de Monte in Appendice ad Sigebertum, cujus hæc verba ad annum centeſimum quinquageſimum primum ſupra milleſimum: *Sunt hodie in Gualia quatuor Epiſcopatus, in Anglia ſeptemdecim. In octo eorum ſunt Monachi in epiſcopalibus ſedibus. Hoc in aliis provinciis aut nuſquam, aut rarò invenies. Sed ideo in Anglia hoc reperitur, quia primi prædicatores Anglorum, ſcilicet Auguſtinus, Mellitus, Juſtus & Laurentius, Monachi fuerunt. In aliis octo epiſcopalibus ſedibus Canonici ſæculares, in una Canonici regulares.*

31. Nihil verò magis honorificum magnificúmque ad decus & honorem Ordinis noſtri eſt, quàm quòd in ipſo univerſarum Eccleſiarum capite, Romanis dico Eccleſiis primariis, ſodales noſtri quondam ſedem habuerunt. nimirum in Lateranenſi, in qua conſtituti Caſinates Monachi poſt cladem Monaſterio ſuo à Langobardis illatam, ubi etiam exſiſtebant tempore Innocentii Papæ ſecundi, ut Baronius probat. & in ipſa ſancti Petri Eccleſia, jubente Gregorio tertio, Monachi trium Eccleſiarum Romæ vigilias celebrabant. ut interim ſileam de Eccleſia ſancti Pauli, quæ ab annorum longa ſerie Benedictinos habuit, habétque ad noſtram uſque ætatem. Romæ.

32. Huic quod præ manibus verſatur argumento adfine eſt aliud de Abbatibus Monachiſve nonnullis, qui in Cœnobiis inſignioribus Epiſcopi nomen & officium geſſerunt: quales fuère in Monaſteriis ſancti Martini Turonis, ſancti Dionyſii prope Pariſios, Laubienſi in Belgio, & Hohenovienſi in Alſatia. Quid de iſtorum Epiſcoporum dignitate & officio ſtatuendum ſit, eruditi quærunt. Ego verò hac de re quod legendo adſequi potui, hîc ſcribo. Epiſcopi Monaſteriorum.

33. In eo quod tractamus ſæculo Epiſcopi nomen traductum

eſt ad Epiſcopos regionarios ſeu errantes, ad Monaſteriales, ad Chorepiſcopos, ad prædicatores divini verbi.

34. Epiſcopi regionarii, qui & vagantes & vacantes, Græcis σχολάζοντες & σχολαζόμενοι in Conciliis, Scotti plurimùm erant ex Hibernia oriundi, quibus innata peregrinandi facilitas. Iſti quòd paſſivam ubique licentiam uſurparent ordinandi miniſtros ſacros, coerciti non ſemel, nec ſic tamen omnino quieverunt. Eorum ordinationes irritas pronuntiant Patres Concilii Cabilonenſis ſecundi capite quadrageſimo tertio. quod ipſum antea ſtatuerat Synodus Vermerienſis capite quarto-decimo *de Epiſcopis ambulantibus*, & poſt annos tres Vernenſis capite tertio-decimo *de Epiſcopis vagantibus* inſcriptum. Immo in Britannia inſula prohibebantur Scotti à ſacris faciendis: *quia incertum eſt nobis*, inquiunt Patres Concilii Celichitenſis capite quinto, *unde & an ab aliquo ordinentur.* Fatendum eſt tamen ejuſmodi Epiſcopos plurimùm Eccleſiæ tum Gallicanæ, tum Germanicæ profuiſſe: tametſi nonnulli (ut fit) per ſpeciem Evangelii prædicandi, & nomine, & officio abuſi ſunt ſuo.

35. Erat & aliud genus Epiſcoporum in Monaſteriis exemtis ab ordine communi aliquibus. Cùm enim Monaſteriis illis cellæ (ut vocant) Eccleſiæque plures ſubjectæ eſſent, nec facilè reperirentur Epiſcopi, qui munia ſacra ab Epiſcopis gerenda iis in locis exercerent; proviſum eò eſt, ut ex Monachis unus aliquis ordinaretur Epiſcopus ad id præſtandum. Eam inſtitutionis iſtius cauſam adſignant Stephanus & Hadrianus Pontifices Romani in litteris hac de re conceſſis pro Monaſteriis ſancti Martini Turonis, & ſancti Dionyſii in agro Pariſiaco. Exſtant eæ Stephani litteræ primariæ in Archivo Dionyſiano, quales editæ à nobis ſunt in Elogio Fulradi Abbatis. in quibus hoc in loco notanda hæc verba: *Et quoniam ad preces* CHLUDOVII *filii Dagoberti Regis domnus* LANDERICUS, *Pariſiacæ urbis Epiſcopus, à ſua & omnium ſucceſſorum ſuorum poteſtate deinceps, cum conſilio ſuorum Canonicorum & Fratrum ſuorum Coepiſcoporum regionis illius, Cœnobium veſtrum & omnes ad eum ſervientes Clericos quorumcumque ordinum in procinctu veſtri Monaſterii abſolvit; nos etiam idem, & habere vobis Epiſcopum per ſingulare privilegium concedimus, qui de vobis ab Abbate vel à Fratribus in Monaſterio veſtro electus, & à Fratribus noſtris Epiſcopis de illa regione conſecratus, illa veſtra Monaſteria à vobis ædificata provideat, & vice noſtri nominis ubi & ubi fuerint regat, & prædicationi tam in ipſo veſtro Monaſterio, quàm in ſibi ſubjacentibus deſerviat.* Jacobus Sirmondus in tomo ſecundo Conciliorum Galliæ alias edidit Hadriani Papæ litteras, quibus Pontifex ratum habet

privilegium ab Stephano Papa tertio concessum, *ut penitus liceat ibidem habere Episcopum, sicut à priscis temporibus & usque hactenus fuit: per cujus prædicationem populus qui à diversis regionibus devota mente quotidie ad sancta ejusdem Martyris Christi Monasterii limina concurrit, remedium consequi mereatur animarum.* Eadem fere verba leguntur in privilegio, quod Hadrianus ipse Cœnobio Martiniano concessit: quale editum est apud Radulfum Monsnierium in Defensione jurium Ecclesiæ sancti Martini, capite secundo, emendatius eo quod à Papirio Massono vulgatum est in libro de Pontificibus Romanis, ubi de Sergio Papa. Viguit aliquamdiu in utroque isto Cœnobio usus propriorum Episcoporum; diutiùs quidem in Martiniano quàm in Dionysiano, nimirum ad Pontificatum usque Urbani Papæ secundi, qui Turonos ad limina sancti Martini profectus, sublato proprio Episcopo Martinianam basilicam jussit *Romano specialiter adhærere Pontifici, anno dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo sexto, pontificatûs nono*, ad componendas scilicet querelas Episcoporum Gallicanorum, præcipuè verò Legatorum Ecclesiæ Romanæ, quos Martiniani Canonici debito cum honore suscipere recusabant. Legesis has litteras apud Monsnierium in capite tertio. At verò in Dionysiano Monasterio peculiares illi Episcopi non videntur perseverasse ultra imperium Ludovici Augusti, ut ex iis quæ postea referam intelligitur. Porro Episcopi illi aliquando ipsi Abbates erant Monasterii, aliquando alii ab Abbate, prout vota & suffragia Monachorum ferebant. Ne quis autem hæc incassum prolata suspicetur, res tota exemplis confirmanda est. De proprio Dionysianæ Ecclesiæ Episcopo insignis est locus veterrimi Auctoris qui libros de miraculis beati Dionysii duos à nobis hîc editos scripsit principatu Caroli cognomento Calvi. Is in libri primi capite sexto agens de quodam rustico ad sepulcrum sancti Dionysii à furcilla liberato; *Postera die*, inquit, *accessit ad* HERBERTUM *Episcopum, (Moris quippe ei fuit Ecclesiæ aliquamdiu Episcopos habere.) eique peccata sua confessus est. Jubet Episcopus furcillam utrimque præcidi, evocatisque Fratribus ut pro eo Dominum precarentur obtinet. Sic unà cryptam beati Dionysii ingredientes, pro eo cùm Fratres devotè orarent, Sanctorum meritis sparsis digitis resoluta manus amissum plenè recepit officium.* Id miraculi accidit Fulrado Abbate, cui Stephanus Papa concesserat privilegium habendi proprium Episcopum, quem mox eidem Ecclesiæ ordinatum fuisse constat ex hoc loco, & peregrinantium confessiones (ut Pontifex statuerat) excepisse. Hinc conjicere licet, GOTHOFREDUM *Episcopum* in rotulo (ut vocant) Monachorum Dionysianorum memo-

ratum tomo quarto Spicilegii, ibidem etiam Episcopum fuisse. Ex his porro anonymi verbis intelligimus, jam ipsius tempore desiisse *morem* illum habendi Episcopum loci proprium, ut verba Auctoris expendenti conspicuum fiet. Longè plures in Martiniana basilica fuêre proprii Episcopi. Monsnierius omnino decem enumerat in capite secundo, AMARALDUM scilicet, NICETIUM, PATERNUM sæculo octavo; BENIGNUM, DESIDERIUM, WICHARDUM sæculo nono; MAXIMUM, JULIANUM sæculo insequenti; PHILIPPUM & LUCIANUM tempore incerto. Primæ classi duos adjungo, WICTERBUM & ANDEGARIUM, quorum obitus adnotatur in Francorum Annalibus ex codice Masciacensi vulgatis à Labbeo in tomo secundo Bibliothecæ novæ. Annales illi veterrimi, qui annum septingentesimum nonagesimum sextum non excedunt, de Wicterbo ista habent: *Anno septingentesimo quinquagesimo sexto, anno quinto regnante Pippino Rege, obiit* WICTERBUS *Episcopus & Abba sancti Martini. Fuit autem* BAUGOARIUS, *genere Heilolvingus,* (id est Bajoarius de gente seu familia Agilolfinga, ex qua fuêre Duces Bajoariorum veteres) *senex & plusquam octogenarius usque ad id tempus sedebat, propria manu scribens libros.* De Andegario sic: *Anno septingentesimo nonagesimo* ANDEGARIUS *Episcopus Monasterii sancti Martini obiit quinto-decimo Kalendas Februarii. Fuit autem ex genere Anglorum: sed pater ejus Botto nomine, negotiator fuit in urbe Massilia. Fuit autem magnæ humilitatis. unde omnibus gratissimus habebatur.* Tam aperta scriptorum antiquorum testimonia sufficiunt ad illustrandam propriorum Episcoporum notitiam: qui aliquando (ut dixi) iidem ipsi Abbates erant, ut Wicterbus; aliquando alii ab Abbate, ut Andegarius, qui Alcuino Abbate fuit Episcopus Martinianus.

36. Eo in numero censendos existimo Abbates nonnullos Hohenoviæ infra Strateburgum seu Argentoratum, BENEDICTUM scilicet, TUBANUM, THOMAM, & STEPHANUM, qui modò Abbates, modò Episcopi; nunc utroque vocabulo appellantur: seu quòd antea episcopali dignitate perfuncti, id quod de Benedicto constanter adfirmant codices manu exarati; seu quòd Episcopi regionarii, nullis certis addicti sedibus; seu quòd Argentoratensis Episcopi vicarii ac Chorepiscopi fuerint, uti conjicit Jodocus Coccius in libro de Dagoberto, capite quarto-decimo. Certè non adsentior iis Auctoribus, quos Franciscus Guilimannus in libro primo de Argentinensibus Episcopis, capite sexto ait adserere, duos quondam fuisse Episcopatus, alterum Argentorati cis Rhenum, alterum Hohenoviæ ultra. Veri similius est primos Abbates istius

Monasterii fuisse adjutores seu Chorepiscopos Pontificis Argentoratensis. Nonnumquam enim Chorepiscopi sedem fixam habebant. qualis fuisse videtur Episcopus ille Ecclesiæ sancti Martini Cantuariæ *in suburbio civitatis in parte orientali, ubi sedes episcopalis erat* ad pontificatum usque Lanfranci : qui GODWINO *Episcopo Ecclesiæ sancti Martini mortuo successorem subrogare noluit, dicens quòd in una civitate duo Episcopi minimè esse deberent, minùs cautè considerans, quòd ille in civitate sedem episcopalem non habebat*, inquit Auctor anonymus in tomo primo Monastici Anglicani, pagina vigesima sexta. Sic HERLEBERTUS Alberici Lingonensis Episcopi *Coepiscopus*, Abbas erat Monasterii Benigniani apud Divionem ; uti & BERTILO, qui *Coepiscopus & Abbas* ibidem fuisse perhibetur : cui tamen postea *Isaac Episcopus Saronem Abbatem ad regimen & curam animarum socium constituit*, testante Anonymo in Chronico Benigniano. Denique Cœnobii Laubiensis Abbates primi URSMARUS, ERMINO, & THEODULFUS *Abbates & Episcopi* dicuntur. Cujus rei rationem in Ursmaro investigans Fulcuinus, in Chronico Laubiensi ita scribit : *Varia de hoc est seniorum nostrorum relatio, dicentibus quibusdam quòd prædicandi gratiâ, ut competebat tunc rudimentis novellæ Fidei, ad compescendos superfluos ritus gentis barbaricæ Episcopus fuerit ordinatus. quod factum quoque de sancto Amando legimus. Quibusdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinionémque suam ratione quadam tuentibus : quòd videlicet locus regius, regiâ munificentiâ constructus, regio palatio contiguus, scilicet Liptinis, nulli committeretur, nisi priùs ordinatus esset Episcopus. quam dignitatem & in plerisque successorum ejus durasse in subsequentibus dicemus. Quid horum verum sit, lectoris arbitrio committimus.* Sic ille rectè & genuinè.

37. Alii denique dicebantur Episcopi, cùm tamen Episcopi non essent, ob munus scilicet evangelicæ prædicationis. Certè Anscharius in Vita sancti Willehadi Bremensis Episcopi hoc in Sæculo exhibita observat, eum septennio prius quàm Episcopus esset, vocatum Episcopum fuisse. *Septem annis*, inquit, *priùs in eadem Presbyter est demoratus parochia, vocatus tamen Episcopus, & secundùm quod poterat cuncta potestate præsidentis ordinans.* Nec aliam ob causam Gregorius Presbyter & Abbas Trajecti ad Rhenum dictus est à nonnullis Episcopus, quàm quòd post Bonifacii Martyris necem eam Ecclesiam administravit. Hinc conjecturam capio, plures ob eamdem causam Episcopi nomine donatos fuisse. Sic sanctus Richarius Abbas & auctor Cœnobii Centulensis, in Martyrologio Notkeri sexto Kalendas Maii ; & Wlmarus Abbas Silviniacensis, apud Adonem quinto-decimo Kalendas Julii appellantur Episcopi, eo quòd partes Episcopi in

diſſeminando Evangelio expleverint. Exiſtimo etiam id nominis ea fortè de cauſa traductum ad eos, qui Synodo Ingilheimenſi in cauſa Ebbonis Remorum Epiſcopi ſubſcripſiſſe inveniuntur hoc modo: *Ratoldus Preſbyter vocatus Epiſcopus, Amalricus vocatus Epiſcopus*, apud Frodoardum in libro ſecundo hiſtoriæ Remenſis, capite vigeſimo. His per opportunum excurſum pro modulo expoſitis, ad ordinem revertor.

§. IV.

De litterarum ſtudiis per Benedictinos inſtitutis in Germania.

38. POST adnuntiatam receptámque in Germania Religionem Chriſtianam, poſt inſtitutas Eccleſias cathedrales, proximum erat ut Scholæ publicæ in ea conſtituerentur, in quibus inculta & efferata gens paullatim duros mores deponeret, & manſuetioribus ſanctioribúſque exculta diſciplinis humaniùs ſaperet. Non ignorabat ſanctus Bonifacius, quantum id novitiæ Fidei intereſſet. eò curas ſuas direxit, & in Fritiſlarienſi primùm Aſceterio, poſtea in Fuldenſi, tum Trajecti ad Rhenum, aliíſque in locis publicas aperuit ſcholas. Atque ne id genus exercitii eo mortuo inſuper haberetur, ſcripſit epiſtolam ad Fulradum, magnæ tunc in Regno Francorum auctoritatis, in hæc verba: *Deprecor celſitudinem Regis noſtri pro nomine Chriſti filii Dei, ut mihi nunc viventi indicare & mandare dignetur circa diſcipulos meos, qualem mercedem poſtea de illis facere voluerit. Sunt enim pæne omnes peregrini, quidam Preſbyteri, per multa loca ad miniſterium Eccleſiæ & populorum conſtituti. quidam ſunt Monachi per cellulas noſtras, & infantes ad legentes* * *litteras ordinati ſunt. & aliqui ſeniores, qui longo tempore mecum viventes laboraverunt, & me adjuvabant. De his omnibus ſollicitus ſum, ut poſt obitum meum non diſperdantur.* Hinc mortuo Wigberto Fritiſlarienſis Monaſterii Abbate præcipit, *ut Vvigbertus Preſbyter & Megingodus Diaconus Regulam inſinuent, & magiſtri ſint infantium, & prædicent verbum Dei Fratribus.* Floruêre deinde ſtudia litterarum in Cœnobiis, quantum æruginoſa illa ferebant tempora: ut non magis eſſent aſceteria virtutis, quàm ſcientiarum. Quia verò huc devenimus, juvat ab origine repetere, quæ fuerint in Ordine noſtro ſtudiorum initia & incrementa, quæ diſciplina: tum percurrere inſigniora quædam loca, in quibus ampliùs ea floruerunt.

* *f.* infantibus ad legendas

Studiorũ origo in Ordine noſtro.

39. Non priùs Ordinis ſui apud Sublacum fundamenta jecit ſanctus Benedictus, quàm puerorum inſtitutionem in ſe ſuſcepit. Teſtes Maurus & Placidus ſenatorii generis pueri, aliíque quos

quos à tenerioribus annis educavit, & pietatis litterarúmque studiis informavit. Id exinde frequentatum aliis in locis in gratiam eorum puerorum, qui Deo in Monasteriis oblati à parentibus erant. sed postea quàm ea res probari cœpit experientiâ utilitatis communis, placuit ut ejusmodi institutio ad exteros etiam derivaretur: quod nescio an Germania prima susceperit.

40. Quia verò pueris Deo consecratis non conveniebat, ut sæcularium collegio commiscerentur; alii ab aliis divisi sunt in duas turmas, & *scholæ interiores & exteriores* constitutæ. Certè Abbates nostri in Concilio Aquisgranensi anno octingentesimo septimo-decimo statuerunt capite quadragesimo quinto, *ut schola in Monasterio non habeatur nisi eorum qui oblati sunt.* non quò pueri sæculares ab scholis nostris excluderentur; sed quò diversi ordinis pueri divisis in scholis non unos audirent præceptores. Quo magis mirari subit securitatem cujusdam recentioris Scriptoris, qui eo capite existimat Monachos ab docendis externis pueris removeri jussu & auctoritate Principis: cùm statutum istud ab ipsis Ordinis nostri Præfectis conditum sit eo animo, ut ne pueri Monachi sæcularia cum pueris sæcularibus discerent. eâ scilicet animi sententiâ, quâ vetuerant capite quadragesimo secundo, *ut nullus plebeius seu Clericus sæcularis in Monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri Monachus.* Erant ergo, ut dixi, in Cœnobiis nostris scholæ *interiores* seu *claustrales* pro Monachis; *exteriores* seu *canonicæ* pro sæcularibus. Hujus discriminis auctorem habemus in primis Ekkehardum in Vita sancti Notkeri, capite septimo. *Traduntur post breve tempus Marcello scholæ claustri cum beato Notkero Balbulo & ceteris monachici habitûs pueris: exteriores verò, id est canonicæ, Isoni cum Salomone & ejus comparibus.* Iis in scholis quantâ diligentiâ instituerentur pueri in Monasteriis, testis est Udalricus in libro tertio Consuetudinum Cluniacensium capite octavo, ubi commemoratis omnibus quæ in eorum educatione observabantur, concludit, difficilè fieri posse, *ut ullus Regis filius majore diligentia nutriatur in palatio, quàm puer quilibet minimus in Cluniaco.* Et quidem Regum filios quamplures in Monasteriis nostris eductos legimus, Lotharium Caroli Calvi filium Autisiodori in Cœnobio sancti Germani, Theodoricum tertium Kalæ; Ludovicum sextum, aliósque in Monasterio Dionysiano: quibus adjungendi Pippinus Caroli Magni parens, & Rotbertus tertiæ stirpis Rex secundus.

Scholæ interiores & exteriores.

Puerorū institutio.

41. Postea verò quàm tepescente religione datus est locus parentum cupiditati, qui levandæ familiæ causâ, non devotionis, si quos gibbosos, deformes, stupidos & sæculo ineptos

cur dimissa.

haberent filios, Monasteriis includebant; res in monasticæ disciplinæ versa dispendium, aboleri dein cœpit. Unde sanctus Udalricus in prologo libri præcitati gratulatur Willelmo Hirsaugiensi Abbati, quòd pestem hanc sustulisset è medio, lege lata ne pueri in Monasterium suum admitterentur, *ut opus sit præfatis sæcularibus alium sibi nidum providere, ubi reponant pullos suos abortivos velut exheredatos. De qua re*, inquit Udalricus, *sentiat quisque quod voluerit. ego autem certus sum, illam te radicem funditus exstirpasse, ex qua præcipuè omnia sunt Monasteria destructa quæ destructa sunt, vel in Teutonica, vel in Romana lingua.* Petrus Damiani etiam probat in Opusculi trigesimi sexti capite sexto-decimo, puerorum scholas quos *rigorem sanctitatis sæpe enervasse* dicit, suo tempore in monte Casino desiisse. Id cùm animadvertissent Cartusiensis Ordinis primi institutores, peculiare hac de re statutum condiderunt, Guigone Cartusiæ majoris Priore in hæc verba referente: *Pueros sive adolescentes non recipimus, quia per eos Monasteriis multa contigisse dolemus, & magna spiritalia simul & corporalia pericula formidantes.* Præter eos Guibertus Abbas de Novigento in libro primo de vita sua, capite octavo agens de causis remissionis disciplinæ regularis in Cœnobiis nostris, observat inter alias causas id factum, quia in Monasteriis *perpauci reperiri poterant, qui peccati fastidio sæculum respuissent: sed ab illis potissimùm detinebantur Ecclesiæ, qui in eisdem parentum devotione contraditi, ab ineunte nutriebantur ætate. qui quanto minorem super suis quæ nulla sibi videbantur egisse malis metum habebant, tanto intra Cœnobiorum septa remissiore studio victitabant.* Denique Petrus Mauricius venerabilis, Abbas Monasterii Cluniacensis, puerorum susceptionem in Ordine suo prohibuit, edito hac de re statuto trigesimo sexto: quod postea Hugo Abbas eo nomine quintus confirmavit. Sic paullatim puerorum susceptio oblatióve in Monasteriis in desuetudinem abiit, donec tandem Ecclesiæ decreto in Concilio Tridentino vetita est ea, quæ ex Regulæ præscripto reatum perpetui voti inducebat.

Disciplinæ quæ præcipuè traditæ.

42. In Scholis nostris docebantur disciplinæ omnes. præcipuè tamen vigebat studium Scripturæ sacræ ac sanctorum Patrum, quæ una erat Theologia illius ætatis. Eò cetera omnia studia referebantur, eò viam faciebant humaniores litteræ artésque liberales, ut probant Bedæ Venerabilis libri de arte metrica, de schematis Scripturæ, de indigitatione; & HRabani opusculum de institutione Clericorum. Etsi verò bellorum atrocitas identidem silentium imponebat politioribus musis, eas tamen serenatis rebus pax continuò revocabat. Nam veteres illæ nostrorum Academiæ, eædem & rectè faciendi & bene

dicendi scholæ erant : neque disjuncti, (quod alicubi Cicero improbat) sed iidem erant vivendi præceptores atque dicendi. Absurdum quippe est discidium illud quasi linguæ atque cordis, ut alii nos sapere, alii dicere doceant. Erat ergo, inquam, in scholis nostris, ut virtutis studium, ita & humaniorum litterarum frequens usus : quibus addiscendis etiam profanorum Auctorum, eorum qui ab omni obscenitate abhorrent, lectio adhibebatur. Hinc Anselmus in libri primi epistola quinquagesima quinta Mauricio Monacho, suo quondam, tum Arnulfi auditori præcipit, ut quantum possit, legere satagat *de Virgilio & aliis Auctoribus, exceptis his, in quibus aliqua turpitudo sonat.* Scio quid Paulinus in carmine ad Ausonium scribat, *Camœnis* scilicet *nec Apollini patêre debere dicata Christo pectora.* scio & Gregorii Magni effatum ad Desiderium Cadurcorum Antistitem, *quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiant.* nec ignoro, quòd Petrus Damiani in Opusculo tertio-decimo reprehendit Monachos, *qui Grammaticorum vulgus adeunt. qui relictis spiritalibus studiis, addiscere terrenæ artis ineptias concupiscunt. parvipendentes scilicet Regulam* BENEDICTI, *regulis gaudent vacare Donati.* Verùm aliud est quod instituendæ juventutis gratiâ ex necessitate à pueris discitur; aliud quod ab Episcopis, à viris ad sanctiora tendentibus exigitur. aliud quod ad usum discitur; aliud quod ad voluptatem & officium. Omnes « enim artes, inquit Orator, aliter ab iis tractantur, qui eas ad « usum transferunt; aliter ab iis qui ipsarum artium tractatu de- « lectati, nihil in vita sunt aliud acturi. Hi scilicet id unum medi- « tantur, id unum agunt: illi iis utuntur quum est commodum, quum postulat tempus & ratio honesta. Rectè hanc in rem Lanfrancus, cùm de quibusdam profanis quæstionibus pulsaretur, ita scribit ad Domnoaldum epistolâ trigesimâ tertiâ : *Quæstiones sæcularium litterarum nobis solvendas misistis. sed episcopale propositum non decet operam dare ejusmodi studiis. Olim quidem juvenilem ætatem in his detrivimus : sed accedentes ad pastoralem curam abrenuntiandum eis decrevimus.* Certè à primis temporibus, tamquam ex inolita quadam consuetudine, Ecclesiarum doctores Græcorum disciplinis se se exercuerunt, ut disertè probat Socrates in historiæ libro tertio, capite sexto-decimo : ídque constat de Gregorio Nazianzeno, de Basilio, aliísque viris religiosissimis, quos gentilium libros lectitasse & commendasse novimus. Hæc dixerim occasione eorum, qui humaniorum litterarum expertes, in aliis ejuscemodi studia plus æquo reprehendunt. quæ si debito modo ac tempore adsumantur, judicium informant, animum perpoliunt & exornant, atque ad vir-

Profanorũ lectio necessaria ad informandos adolescentes.

tutis ſtudium docilem aptúmque efficiunt. Lege Fileſaci tractatum hac de re ſingularem.

Provectioribus poſthabenda.

43. Atqui ut conſentaneum eſt, pueros ſeu adoleſcentes humanioribus ſtudiis occupare animum; ita ex adverſo indecorum eſt Monachos jam adultæ ætatis, niſi exigat alios docendi neceſſitas, libris gentilium lectitandis meliorem dare operam. Hinc Patres Concilii Cloveshovienſis in Anglia sæculo octavo celebrati decernunt capite vigeſimo, *ut provideant vigilanti perſpectione Epiſcopi, ut ſint Monaſteria juxta vocabulum nominis ſui, id eſt honeſta ſilentium, quietorum, atque pro Deo laborantium habitacula: & non ſint artium ludicrarum receptacula, hoc eſt poëtarum, cithariſtarum, muſicorum, ſcurrarum; ſed orantium, legentium, Deúmque laudantium habitationes.* Appoſitè quidem. Non enim congruit eos qui omnia Deo adhærendi gratiâ reliquerunt, fabulis & inanibus ludicris detineri: cùm poſſent deberéntque animos lectione Scripturæ ſacræ, Patrum, Conciliorum, & hiſtoriæ eccleſiaſticæ imbuere more majorum; aliàs verò artes nonniſi per ſpeciem relaxandi animi paullulum attingere. *Nam dictu dolendum eſt*, inquiunt Patres ejuſdem Concilii capite ſeptimo, *quòd his temporibus perpauci inveniantur, qui ex intimo corde ſacræ ſcientiæ rapiantur amore, & vix aliquid elaborare in diſcendo voluerint. quin potiùs à juvenili ætate vanitatibus diverſis & inanis gloriæ cupiditatibus occupantur, atque præſentis vitæ inſtabilitatem plus quàm ſacrarum Scripturarum aſſiduitatem vagabunda mente ſequuntur. Proinde*, aiunt, *coërceantur, & exerceantur in ſcholis pueri ad dilectionem ſacræ Scripturæ: ut per hoc bene eruditi inveniri poſſint ad omnimodam Eccleſiæ Dei utilitatem.* Omnino verò egregia eſt ea de re epiſtola Caroli Magni ad Baugulfum Abbatem Fuldenſem, digna certè quæ hîc integra exhiberetur. Monet ſiquidem Rex ille piiſſimus, *utile eſſe, ut Epiſcopia & Monaſteria præter regularis vitæ ordinem atque ſanctæ religionis converſationem, etiam in litterarum meditationibus ſecundùm uniuſcujuſque capacitatem docendi ſtudium debeant impendere: qualiter ſicut regularis norma honeſtatem morum; ita quoque docendi & diſcendi inſtantia ordinet & ornet ſeriem verborum: ut qui Deo placere appetunt rectè vivendo, ei etiam placere non negligant rectè loquendo. Quamobrem hortamur vos*, inquit, *litterarum ſtudia non ſolùm non negligere, verùm etiam humillima & Deo placita intentione ad hoc certatim diſcere, ut faciliùs & certiùs divinarum Scripturarum myſteria valeatis penetrare.*

Antiquariorum labor.

44. Magnam etiam diligentiam adhibuêre Majores noſtri in ſtudia hiſtoriæ ſacræ & civilis, tranſmittendo ad poſteros tum monumenta antiquorum, tum memoriam rerum ſuo tempore geſtarum. In priori genere Henricus Meibomius in

præfatione ad tertiam Witichindi editionem celebrat in primis Monasterium Corbeïense in Saxonia, quòd nobis non tantùm « Witichindum historicum, verùm multos Archiepiscopos, Epi- « scopos, Archimandritas & viros insigniter doctos dedit; adeó- « que primaria utriusque Saxoniæ schola aliquot sæculis fuit: im- « mo rempublicam litterariam insigni omníque prædicatione « digno beneficio affecit, conservatis quinque prioribus Anna- « lium Cornelii Taciti libris. Corbeïæ Saxonicæ, si non præfe- « renda, certè conjungenda hac in laude Corbeïa Gallica, alterius parens, quæ tot viros illustres protulit, tot monumenta litteraria orbi Christiano servavit, ut quotidie probant homines eruditi. Meibomii testimonio adjungenda est haud exigui hoc in loco momenti auctoritas Joachimi Vadiani hæretici, in libro primo de Collegiis Monasteriisque Germaniæ confitentis, curam aliquam studiorum illis sæculis fuisse in Monasteriis. id « quod testantur Bibliothecæ plures, præcipuè Fuldensis & Lau- « resheimensis, Hirsaugiensis & Cæsariensis prope Nordlingam, « aliæque non paucæ in Germania: quas inter & ea quæ sancti « Galli est, meritò censetur, optimis quondam libris & selectis « referta. De illa antiquariorum opera, cui Majores nostri in « omnibus æquè Cœnobiis per multa sæcula insudavêre, legenda est Observatio decima Præfationis ad Sæculum primum. In posteriori studii genere illud memoriâ dignum, quod legitur in præfatione Matthæo Parisio præfixa ex Scoti Chronico. nimirum statutum fuisse in Anglia quondam, ut in unoquoque « regali Monasterio unus aliquis designaretur scriba doctus ac « diligens, qui Regis aliorúmque facta ac Regni eventus notaret: « quæ post Regis cujusque obitum ad proximum generale Capi- « tulum deferrentur examinanda, postea redigenda in Chroni- « con accuratè, in Archivis adservandum ad documentum po- « sterorum. Hinc Johannes Marshamus in Προπυλαίῳ Monastici « Anglicani scribit, Monachatum olim maximam fuisse partem « gentis ecclesiasticæ, & parietes cœnobiales diu sanctitatis & « melioris litteraturæ fuisse sæpes. ex illo seminario prodiisse in- « gentia illa Christiani orbis lumina, Bedam, Alcuinum, Wille- « brordum, Bonifacium atque alios, ob doctrinam & propagatam « Fidem impensè colendos. Denique, quod ad præsentem locum « facit, *absque Monachis*, inquit, *nos sanè in historia patria semper essemus pueri.* Quid Bedæ nostro, quid Ingulfo & Turgoto, quid Willelmo Malmesburiensi, quid Matthæis ambobus, Westmonasteriensi & Parisio Monachis, aliísque pluribus debeat Britannia insula. quid Adoni Viennensi Archiepiscopo, quid Willelmo Gemeticensi, & Orderico Uticensi Cœnobitis,

Historiæ studium.

quid utrique Aimoino & Hugoni Abbati Flaviniacensi Gallia. quid Paulo Diacono, Erkemperto, Leoni Marsicano, & Petro Diacono Italia. quid Germania Reginoni Prumiensi Abbati, quid Witichindo & Lamberto Scafnaburgensi, quid Ditmaro & Hermanno Contracto, ceterisque debeat, etiam me tacente judicabunt rerum historicarum periti.

In quibus præcipuè Monasteriis.

45. Neque verò in his solùm, sed in omni studiorum genere maximè floruêre pleraque Germaniæ, uti etiam Galliæ, Britanniæ, Hispaniæ & Italiæ Monasteria nostra. Legendus hoc de argumento Johannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, quæ optima est hujus Auctoris historia, ubi Cœnobia litterarum cultu celebriora enumerat Fuldense, sancti Galli, Augiense, Hersfeldense, Hirsaugiense, sancti Albani Moguntinense, Corbeïense utrumque, Prumiense, Medelocense seu Mediolacense, sancti Dionysii Parisiense, sancti Maximini Trevirense, Remense, Autisiodorense sancti Germani, Turonense sancti Martini, Stabulense, & Weissenburgense: *in quibus omnibus*, inquit, *erant Monachi & multi valde studiosi, e quorum collegio in singulis Cœnobiis unus ceteris in scientia Scripturarum excellentior, Scholasticus ponebatur.* Ekkehardus *Magistros scholæ* appellat. Istorum Cœnobiorum numero addenda sunt Parisiense sancti Germani, Floriacense, Saltzburgense, (hactenus Universitas) Gorziense, Bremense, Cluniacense, aliàque permulta: de quibus Deo dante aliàs uberiùs disserendi erit locus. Interim, si lubet, lege Paulum Langium, Christophori Broweri Antiquitates Fuldenses, & Matthæi Weissii Lyceum Benedictinum. Ex his porro Scholis etiam laïci adolescentes instructi promovebantur ad infulas pontificales: quales fuerunt Adalbero Remorum, & Octhardus Camaracensium Episcopi sæculo decimo, *qui in Scholis Gorgiensis Monasterii pariter condiscipuli exstiterant*, referente Balderico in Chronici Camaracensis libro primo, capite primo supra centesimum. & Ekkehardus junior in capite sexto de Monasterio sancti Galli: *Erant*, inquit, *disciplinæ loci, ut semper, & tunc severæ, non modò in claustro, sed & in Scholis externis. Unde etiam præter Clericos qui apud nos sæpe nutriti sunt, clarissimos Ecclesiis variis multoties dedimus & Episcopos.* Nempe, ut ab adversariis nostris testimonium repetam, in Præsule, inquit Joachimus Vadianus, duæ res potissimùm spectabantur, pietas & eruditio. Pietatem à vitæ innocentia & divini cultus amore metiebantur: eruditionem autem à judicio & à doctrinæ præstantia. quam quia paullo rariorem habebant illa sæcula, persæpe accidit, ut & Monachi doctrinæ famâ commendati, & quòd omnis studiorum facultas eo tempore præcipuè in Monasteriis regnabat, in Episcopos electi, & sum-

Inde educti Episcopi, &c.

mis sedibus præfecti fuerint. Hæc ille initio libri primi jam citati. «

46. Nec solùm in Monasteriis Majores nostri litteras docebant: sed etiam non rarò ex illis Præceptores Ecclesiarum episcopalium Scholis præficiebantur. Exstat hac de re Frodoardi testimonium in Historiæ Remensis libro quarto, capite nono scribentis, Fulconem Præsulem duas Scholas Remis, Canonicorum scilicet loci atque ruralium Clericorum, pæne delapsas « restituisse, & *evocato* REMIGIO *Autisiodorensi Magistro* libera- « lium artium studiis adolescentes Clericos exerceri fecisse, ip- « súmque cum eis lectioni ac meditationi sapientiæ dedisse ope- « ram. Sed & HUCBALDUM *sancti Amandi Monachum, virum* « *quoque disciplinis sophisticis nobiliter eruditum* arcessisse; sicque *Ec-* « *clesiam Remensem præclaris illustrasse doctrinis.* quod ibidem postea « præstitit Gerbertus, Monachus tum Auriliacensis. Quin etiam « Remigium jam dictum Luteciæ Parisiorum scholas tenuisse, ac docuisse Dialecticam ceterásque artes liberales, prodit Johannes Monachus in Vita sancti Odonis Abbatis Cluniacensis, qui Odo Remigium præceptorem habuit. Denique, ut alios prætercam, Sigebertus Cœnobita Gemmelacensis in Mettensi Cœnobio sancti Vincentii litteras publicè professus est, & factus est *fons patens non solùm Monachis, sed & Clericis ad se undique confluentibus*, testante Chronographo Gemmelacensi ejus discipulo, qui & præclara scribit de Olberto præceptore Burchardi Episcopi Wormaticnsis. In his officiis si quid munificentiæ à discipulis accipiebant Præceptores, id in usus pios expendere solebant. Sic Sigebertus ipse *multa contulit ad usum & ornatum Ecclesiæ* Gemmelacensis, *quæ adquisierat voluntaria eorum quos instruxerat liberalitate.* E recentioribus porro non omittendus Genebrardus noster, qui litteras Hebraïcas in Parisiensi Academia est interpretatus.

Præceptores Ecclesiarum cathedralium Academiarúmque.

47. Pæne oblitus eram singulare Ordinis nostri decus, Sanctimonialium scilicet Benedictinarum studium quondam ardens in litteris excolendis. quæ laus etiam Bonifacio auctori tribuenda est. Is quippe in Britannia cùm degeret, non tantùm viros disciplinis imbuit, verùm etiam Monachas, quæ tantæ sapientiæ virum, ut scribit Willibaldus, Præceptorem expetierunt. quo præceptore *paginarum transcurrentes seriem, cælesti instanter scrutinio inhærebant, & sacramentorum arcana mysteriorúmque abdita jugiter meditabantur.* In Germaniam ipse profectus, religiosas feminas è Britannia illud advocavit, ex quibus CHUNIHILT & *filia ejus* BERATHGIT *valde eruditæ in liberali scientia, in Turingorum regione constituebantur Magistræ*, ex Othloni libro primo, capite vigesimo quinto. Præter eas Lieba Bischofheimensi Parthenoni à Bonifacio præfecta, *lectionis studio tantâ diligentiâ*

Sanctimonialiũ studia.

incumbebat, ut nisi orationi vacaret, numquam divina pagina de manibus ejus absçederet. Nàm cùm ab ipsis infantiæ rudimentis Grammaticâ & reliquis liberalium artium studiis esset instituta, tantâ meditationis instantiâ spiritalis scientiæ perfectionem conabatur adsequi, ut consentiente cum ingenio lectione, duplicato naturæ & industriæ bono, eruditissima redderetur. Atque ut meliùs scias, quibus potissimùm studiis animum informaret, audi Rudolfum ipsius Vitæ scriptorem hoc modo prosequentem: *Sed & dicta sanctorum Patrum, & decreta canonum, totiúsque ecclesiastici ordinis jura plenitudini perfectionis adjecit.* Eo in Parthenone *non parvus ancillarum Dei numerus collectus est, quæ ad exemplum beatæ Magistræ cælestis disciplinæ studiis instituebantur, & in tantum doctrinâ ejus proficiebant, ut plures ex illis postmodum Magistræ fierent aliarum: ita ut nulla, aut etiam rara in illis regionibus essent Monasteria feminarum, quæ non discipularum ejus magisteria desiderarent.* Non hîc stetit piarum virginum conatus, sed etiam processit in communem rei publicæ utilitatem. Ut enim Monachi libris tum exscribendis, tum componendis meliorem impendebant operam: sic illæ laudabili æmulatione adductæ, utrumque laboris genus experiri studuerunt. Quas inter maximè celebrandæ sunt Monachæ Eikenses in Belgio, quæ tum legendo & meditando, tum scribendo atque pingendo vacare solebant. in primis verò Harlindis & Renildis Abbatissæ, teste Auctore anonymo qui earum Acta litteris mandavit, » præter textilia opera, quatuor Evangelia, Psalterium in- » tegrum, aliósque plures divinæ Scripturæ libros conscripsisse, » ac liquido auro gemmis, margaritísque exornasse memorantur. Præcesserat istius facti exemplum in Cæsaria Abbatissa Are- » latensi, cujus sodales inter psalmos atque jejunia, vigilias quo- » que & lectiones, libros divinos pulcrè scriptitabant, ipsam magistram habentes, referente Cypriano in Vita sancti Cæsarii Episcopi, Cæsariæ germani. Earum porro Sanctimonialium è nostris, quæ proprii ingenii monumenta protulerunt in lucem, numerum inire non est hujus loci. Exemplo sint HRoswita Gandersheimensis Monacha, nobilis pro tempore Poëtria, quæ res gestas Ottonis primi Imperatoris carmine cecinit; Hildegardis, Gertrudis, & aliæ, quæ maximè in Germania floruerunt.

§. V.

De cultu soli Germanici per Benedictinos.

48. DUO in Germania præstitère Majores nostri in reipublicæ Christianæ utilitatem, nimirum conversionem gentis

gentis, & Ecclesiarum episcopalium institutionem; studia verò in Clericorum & sæcularium commune emolumentum: quartum in habitatorum commoditatem, nempe ipsius soli Germanici propè deserti cultum & ornamentum. Primo loco occurrit Buchonia, solitudo quondam ingens, in Franciæ orientalis & Turingiæ confinio. At postquam eo in saltu Bonifacius Monasterium Fuldense construxit, ex horrore illo emersit urbs & regio non ingrata. Testis hujus rei Liudgerus in Actis sancti Gregorii Abbatis in hæc verba: *Sturmi venerabilis Abbas, unus ex numero illo Electorum Dei, qui ex sancti Bonifacii disciplina profecti; quantum profecerit in eremo, Bocauna silva in testimonio est, quæ propè omnimodis inculta erat ac deserta. nunc * autem ab Oriente usque ad Occidentem, à Septemtrione usque ad Meridiem, Ecclesiis Dei & electis palmitibus Monachorum impleverunt.* Inde nomen à fago Buchoniæ relictum, auctore Candido in Vita sancti Eigilis. Idem præstitit Bonifacius variis in locis, tam per se, quàm per suos; aliique è nostris post eum. Quid enim quondam Corbeïa, quid Brema, modò urbes in Saxonia? quid Fritislaria, quid Hersfeldum, opida in Turingia? quid Saltzburgum, Frisinga, Eistetum, urbes episcopales in Bajoaria? quid opida sancti Galli & Campidona apud Helvetios? quid numerosa alia opida in tota Germania? horridæ quondam solitudines & latibula ferarum: nunc hominum amœnissima diversoria, postquam ea nostri labore & industriâ suâ excoluerunt. Facile esset id etiam de aliis provinciis ac Regnis demonstrare. sed ista in exemplum sufficiunt, ut intelligant omnes, ex Benedictinæ familiæ propagatione quid emolumenti & ornamenti Regnis Christianis accesserit.

*f. hanc

49. Quippe nostrorum labor & parsimonia rem familiarem auxit, pietas & religio traxit hominum frequentiam, à quibus concessa Monachis prædia & multa servitiorum capita. His commissi agri ad excolendum, exstructæ casæ circum Monasteria, villæ ad incolendum impositæ. tum casæ & villæ in opida & vicos conversæ. Crevit etiam Monasteriorum res familiaris, non solùm ex donatione Regum ac Principum aliorúmque conditorum; sed maximè ex opibus eorum, qui vitam monasticam profitebantur. Quantum contulerit Monachorum labor & industria, lubet uno declarare exemplo Cœnobii Gravensis in Aquitania. Stephanus Abbas Monasterii sancti Rigaldi & Ermenaldus Prior ejusdem loci turbam declinare cupientes, in insulam Corda sese receperunt post medium sæculum undecimum. Adjunctus est ad eos quidam Cluniacensis Monachus, nomine Willelmus, *vir ingeniosus, laboriosus, piscandi & adquirendi*

sollertissimus. Ipso retia componente, piscarias construente, Monachi qui eatenus rebus destituti fuerant, eò demum excreverunt, ut Monasterium construxerint *haud procul ab ipsa insula, in loco qui dicitur Grava.* quod Monasterium AMATUS *Romanæ sedis Legatus, idémque Burdegalensis Archiepiscopus*, adsistente Petro ejusdem Ecclesiæ Decano consecravit. Quæ omnia legi in litteris Stephani Abbatis & Ermenaldi, quibus istud Monasterium Hugoni Abbati Cluniacensi subjiciunt.

50. Ex istis ergo fontibus derivata est Ordinis nostri amplitudo, quæ in reipublicæ etiam commoda redundavit. Hinc colligere licet, quid sacro debeat Ordini Germania. quæ utinam ita se nunc gratam exhiberet, ut aliàs quondam: & non magis alienis traderet sancti Benedicti patrimonium. Magnam partem jam hæresis devoravit, rapuítque aliena manus. reliquiis non parcent avidi comedones, nisi obsistat Monachorum religio ac pietas: quod optimum ac fere unicum est grassantis mali remedium. Jam imperatoria majestas Benedictinis Cœnobiis temperari jussit. reliquum est, ut sibi ipsi consulant sodales nostri; & majorum suorum memores, relictam ab iis hereditatem servent iis modis, quibus eam illi comparârunt. Illud enim maximè nobis cavendum est, ne, ut majoribus nostris pulcherrimum fuit tantam nobis Ordinis nostri gloriam & amplitudinem relinquere; sic nobis turpissimum sit, illud quod accepimus tueri & conservari non posse: maximè cùm exemplis suis utriusquè rei nobis auctores esse possint, si eorum religionem velimus imitari.

§. VI.

OBSERVATIONES ECCLESIASTICÆ.

51. TAMETSI in Præfatione Sæculi superioris adnotata sunt non pauca de Missa quotidiana, de Reliquiis Sanctorum, aliísque de rebus; juvat tamen quædam huic loco opportuna retractare.

OBSERVATIO I. Statutum de Missa quotidiana.

52. Missæ quotidianæ celebratio jam inde à sæculo sexto frequentata Sacerdotibus piis, circiter octavum sæculum ampliùs commendari cœpit. Statutum hac de re nullum invenio ante annum octingentesimum quinquagesimum quintum, quo Synodus Ticinensis ita decrevit capite secundo: *Statuimus, ut non tantùm dominicis diebus & præcipuis festivitatibus Episcopi Missas celebrent: sed cùm possibile fuerit, cotidiana quoque sacrificia frequentent.* In Gallia etiam idem statutum obtinere cœpit eo tempore, ut

probat Riculfi Suessionici Episcopi capitulum tertium, ita Presbyteros alloquentis: *Habete, quæsumus, studium in Psalmos cantando, in divinos libros legendo, in canonicas horas constituendo, id est Primam, Tertiam, Sextam; Missarum quoque cotidiana celebratione.* Quæ statuta potiùs exhortationis, quàm legis aut præcepti vim habuisse constat. Paullo ante id tempus Monachi Fuldenses Carolo Magno porrexerunt supplicem libellum, in quo præter alia Imperatori suggerebant, *ut Presbyteris concederetur Missas sæpius celebrare: & ut spatia ad hoc eis darentur, sicut à Majoribus dabantur.* Nimirum eo tempore Ratgarius Fuldensis Abbas Monachos suos ita urgebat ad laborem, ut nec Presbyteris liceret operari sacris cùm vellent; nec in diebus festis, quos ipse Abbas sustulerat, interspirare. Quam ob rem postulant Monachi, *ut Sanctorum honor & festivitas non detestetur, sed in vigiliis & Missis eorum digna commemoratio fiat: & quòd in his festivitatibus, quibus major veneratio convenit, Fratribus ab opere ad lectionem & psalmodiam vacare liceat.* Non una erat in Monasteriis celebrandæ ab unoquoque Missæ disciplina, ut probat exemplum Ratperti Monachi ac litterarum Præfecti in Monasterio sancti Galli apud Ekkehardum juniorem, capite tertio.

53. Panis sacrificio adhibitus eo tempore, non erat panis cibarius & usitatus: sed formulæ quædam instar Oblatarum, quibus modò in sacris utimur. Huc notanda sunt verba Isonis Monachi sancti-Gallensis in libro primo de miraculis sancti Otmari capite tertio, ubi agens de translatione corporis ejusdem Sancti circiter medium sæculum nonum facta, ita scribit: *Sub capite autem & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgò Oblatæ dicuntur, ita illæsæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Episcopo* Salomone *inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem vel speciem sui amittentes, adspicientium oculis infra spatium ipsius hebdomadæ videantur esse confectæ.* Nempe moris erat antiquis, ut Sacerdotes cum iis ornamentis instrumentísque sepelirentur, quibus in re sacra uti solebant. Meminit istius ritûs anonymus Auctor in libro quarto de vita sancti Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis, qui *toto corpore lavato, capite sudario circumdato, Oblatis super sanctum pectus positis, vestimenta sacerdotalia indutus, in obviam Christo calceamentis suis præparatis, in sindone cerata curatus* sepultúsque est.

OBSERV. II. Panis sacrificii.

54. Oblatarum nomen variis in locis invenio, ubique forma eadem, tametsi usus diversus. Aliæ quippe ad usum sacrum, aliæ ad communem erant. Primam acceptionem in multis exprimit Ordo Romanus his verbis: *Archidiaconus accipiens Oblatas, ponit tantas super altare, quantæ possunt populo sufficere.* &

OBSERV. III. Oblatæ duplices.

Gaufredus Prior Vosiensis in fine sui Chronici: *Sunt qui depravant eulogias, quas vocamus Oblias seu hostias, nimirum dicentes: Magnum bonum Missa, sed nullus idoneus ad hoc.* Aliam designat Burchardus in libro de casibus Monasterii sancti Galli capite sexto, agens de Norperto Abbate, qui *in hebdomada paschali, in meridie vinum & Oblatas dari constituit.* Quo sensu Udalricus in libro primo Consuetudinum Cluniacensium, capite quadragesimo nono ait, *in Quinquagesima solere apponi ea quæ in ferramento characterato de conspersione farinæ tenuissimæ fiunt, & ab hominibus Romanæ linguæ Nebulæ, à nostratibus appellantur Oblatæ.*

OBSERV. IV. quo ritu factæ. 55. Quo ritu fierent Oblatæ illæ, docet nos anonymus sæculi noni Monachus in libro de miraculis sancti Wandregisili Abbatis, capite vigesimo nono. *Tempestate quadam cùm vigilia adesset Nativitatis dominicæ, & sodales suas Sanctimoniales feminas multimoda prece rogitaret*, femina scilicet à Wandregisilo sanata, modò ne ad ignem accederet, *ut Oblatas quas oblatura Domino in crastinum erat formarent, ignique cui appropinquare non audebat decoquerent, & minimè impetraret; accessit ad ignem, ferróque quo imprimendæ ac decoquendæ erant Oblatæ arrepto, mox nervi manûs ejus dextræ contracti sunt, ac Oblatorium quod sponte susceperat, invita vi agente divina retinuit.* Ergo Oblatæ jam tum coquendæ ferro comprimebantur imprimebantúrve, quum id accidit, hoc est *anno octingentesimo nonagesimo quinto.* Quo etiam anno puella quædam ex familia Monasterii Campidunensis, nomine Guntrada, in Parthenone Mouheimensi Oblatas à se confectas, & *nitidè coctas atque in buxula repositas*, sanctæ Walpurgi obtulisse fertur in libro tertio de vita & miraculis sanctæ Walpurgis, capite primo. Utrumque locum egregiè illustrat Udalricus in libri tertii capite tertio-decimo. Primò tempus notat quo fiebant Oblatæ. *Quotiescumque fieri hostias necesse fuerit, præcipuè tamen ante Domini Natalem vel sanctæ Resurrectionis diem fieri solent.* Sic suprà mulier illa componebat Oblatas in vigilia Nativitatis dominicæ. Secundò postquam *frumentum granatim electum*, magna cum reverentia molitum est, farina cribratur & *conspergitur cum aqua frigida*, quia inde fiunt *hostiæ candidiores.* Tertiò *ferramentum in quo sunt coquendæ characteratum tenet Conversus, manúsque induit chirothecis. In ferramento* verò *possunt simul hostiæ sex poni.* En ferramentum, quod Oblatorium suprà dictum ab Anonymo est. Eadem ferè religione hostiæ fiebant sæculo undecimo, non solùm in Monasteriis, sed etiam in aliis Ecclesiis. Quippe, teste Humberto Cardinali in libro contra Græcorum calumnias, *Diaconi cum Subdiaconis, seu ipsi Sacerdotes sacris amicti vestibus, cum melodia psalmorum azyma * conspersum & in ferro paratum ex secretario proferebant.*

* l. azymū

56. Jam verò longè ante ea tempora panis sacrificio deputatus religiosis quibusdam ritibus conficiebatur. Pachomius siquidem, uti in ejus Vita legitur à Dionysio Exiguo latinè versa, capite quadragesimo, *præceperat Fratribus qui in pistoria arte laborabant, ut si quando facerent Oblationes, nihil loquerentur supervacuum: sed apud semetipsos salutaria meditarentur eloquia.* Cur Pachomius silentium pistoribus signanter indixerit dum Oblationes conficerent, non alia videtur causa, quàm ut res ad usum sacrum destinatæ cum reverentia tractarentur. Idipsum servabant Cluniacenses, quum Oblatas faciebant. Pachomius quidem in Regulæ capite centesimo sexto-decimo universim præcipit Fratribus, ut *quando farinam conspergunt aquâ, & massam subigunt, nullus loquatur alteri.* at severius sine dubio silentium imposuerat iis, qui Oblationibus faciendis operam dabant. Certè Oblationis nomine Pachomius Oblationes sacras in Missa fieri solitas intelligit in Regulæ capitibus septimo-decimo & nono-decimo. & sanctus Odo Abbas Cluniacensis in Collationum libro secundo, capite vigesimo octavo superiorem Pachomianæ Regulæ versum de Oblationibus sacris interpretatur. Eadem religione Radegundis, auctore Fortunato, *more sancti Germani totâ Quadragesimâ, in quantum quatriduana refectio postulavit, sua manu commolebat:* & exinde *Oblationes suis manibus faciens, locis venerabilibus incessanter dispensabat.* quod etiam præstabat materfamilias illa, cujus mentio in Vita Gregorii Magni. Eas præcesserat Candida uxor Trajani Magistri militum, quæ totas noctes molebat, & panem oblationis propriis manibus faciebat, teste Palladio in historiæ Lausiacæ capite septuagesimo nono editionis Meursianæ, cujus hæc verba: Ταύτην τὴν γυναῖκα οἶδα ἐγὼ διὰ πάσης τῆς νυκτὸς κοπιῶσαν, καὶ ἀλήθουσαν, ταῖς ἰδίαις χερσὶν ποιοῦσαν τὸν ἄρτον τῆς προσκομιδῆς. Ex eo verò quòd panem rei sacræ adhibendum, molitâ priùs à se farinâ, manibus suis conficiebant matronæ tam nobiles, satis intelligitur, non fuisse tum panem cibarium & usitatum, qui à meritoriis operis confici solet: sed alium, longè majori diligentia & religione paratum.

qua religione.

57. Id etiam colligitur ex colore ultra morem candido, qualem insinuat Beda in historiæ libro secundo, capite quinto. Nam eo loci de tribus idololatris filiis Seberti Christiani Regis orientalium Saxonum scribit in hunc modum: *Cùm viderent Pontificem* Mellitum *celebratis in Ecclesia Missarum sollemniis Eucharistiam populo dare, dicebant (ut vulgò fertur) ad eum barbarâ inflati stultitiâ: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro Saba dabas?* Quibus verbis satis innuunt illi, panem eucharisticum ultra solitum fuisse nitidum candidúmque.

Observ. V. candidi coloris.

aliæ à pane communi.

58. Verùm panem illum, & album supra ceteros, & alium ab usitato & communi fuisse, omnino evincit Concilium sextum-decimum Toletanum, anno sexcentesimo nonagesimo tertio celebratum, canone sexto. *Ad conventûs nostri agnitionem delatum est, quòd in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum, non panes mundos & studio præparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant: sed de panibus suis usibus præparatis crustulam in rotunditatem auferant, eúmque super altare cum vino & aqua pro sacro libamine offerant. Quod factum nequaquam in sacræ auctoritatis historia gestum perpenditur. Unde id unanimitatis nostræ elegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus: neque grande aliquid, sed modica tantùm Oblata, secundùm quod ecclesiastica consuetudo retentat.* In hoc canone multa observatione digna occurrunt. Primum, *panem nitidum* opponi usitato & communi, ut superiorem Bedæ locum interpretabar. Alterum, panem, eo tempore offerri solitum, *rotundum* fuisse. siquidem Presbyteri illi, de quibus agit Concilium, *crustulam in rotunditatem* è pane suo usitato detrahebant, quò scilicet formam Oblatarum sacrarum, quæ tum in usu erant, exprimerent. Certè Epiphanius in Ancorato eas στρογγυλοειδεῖς, id est rotundæ formæ vocat. & Iso suprà *rotulas* eas, quòd instar rotæ rotundæ essent, appellat. Deinde rem fuisse ubique *ecclesiastica consuetudine* receptam, ut non panis communis & cibarius, sed *nitidus & studio præparatus; non grande aliquid, sed modica tantùm Oblata* sacrificio adhiberetur. Præterea *in sacræ auctoritatis historia* nihil exstitisse consuetudini tum receptæ contrarium, quod favere posset Presbyteris illis, panem *suis usibus præparatum* in rem sacram usurpantibus. Denique panem illum, non *grandem*, sed *modicum;* nec tamen fractum, sed *integrum* fuisse. Quibus omnibus pæne ob oculos ponitur species & forma Oblationum nostrarum. quam formam respexisse videtur Concilium Arelatense quintum, medio sæculo sexto celebratum, cujus caput primum decernit, *ut Oblatæ quæ in sacrificio offeruntur altario, à comprovincialibus Episcopis ad formam Arelatensis offerantur Ecclesiæ.* His adfine est Concilii Calchutensis, labente sæculo octavo in Anglia convocati, capitulum decimum in hæc verba: *Oblationes etiam Fidelium tales sint, ut panis sit, non crusta.* Ex quo intelligitur, Anglis nonnullis, uti & Hispanis, subrepsisse id quod Humbertus Cardinalis reprehendit in Græcis, qui *coronulam panis*, communis scilicet & usualis, in rem sacram *ferro levare* soliti sunt: uti hoc compendio declinarent morosam in præparando sacro pane diligentiam Latinorum; immo etiam Ecclesiæ Hierosolymitanæ,

quæ *tenues Oblatas ex simila præparatas, integras & sanas antiquitus* adhibuisse perhibetur in libro præcitato Humberti Cardinalis. Hinc mihi persuasum est, Patres Concilii Toletani nomine panis modici & integri significare tenues hasce Oblatas, quales hoc loco designat Humbertus, in ferro scilicet characterato coctas. Certè ante nonum sæculum frequens in Ecclesia usus erat patenarum vitrearum ad continendas Oblatas: quæ si non fuissent tenuissimæ, plures (ut necesse erat) in fragili instrumento cautè offerri deferríque non potuissent.

59. Tenues itaque erant Oblatæ & graciles; paullulo tamen forsan ampliores quàm nostræ, sive quæ ad Sacerdotum, sive quæ ad laïcorum communionem fiebant. Oblata quippe seu hostia Sacerdotis dividebatur in novem portiones ex præscripto Missalis Mozarabum ab Isidoro Hispalensi Episcopo ordinati. & una Oblata laïcorum in communionem pluribus sufficiebat frangebatúrque nonnumquam. *Tenues Oblatas*, inquit Humbertus, *ex simila præparatas & sanas sacris altaribus nos quoque superponimus, & ex ipsis post consecrationem fractis cum populo communicamus.* Et mos erat ad sæculum usque undecimum in Gallia frequentatus, ut Clericus ad Sacerdotium promotus, *hostiam de manu Episcopi susciperet*, quam *usque ad quadragesimum diem usu quotidiano consumebat.* cujus rei fidem facit Fulberti Episcopi Carnutensis, aut potiùs alterius Fulberti Monachi epistola secunda ad Einardum, in editis mendosè Finardum. Denique Cartusiani ante annos quadringentos unam tantùm hostiam in Viaticum infirmorum reservabant in pyxide, quam hostiam frangebant, ut ex ea particulam infirmo porrigerent. Sic enim habet Statutorum antiquorum prima pars in capite quadragesimo tertio: *Infra hebdomadam non mutatur hostia quæ est in capsula. si tamen propter infirmum fracta fuerit, mutare licebit.* Alius mos erat penes Cluniacenses nostros, qui quatuor hostias consecratas in Viaticum adservabant, teste Udalrico in libro primo Consuetudinum Cluniacensium, capite octavo. *Ipsæ autem hostiæ*, inquit, *cùm fuerint consecratæ, mutantur quatuor cum illis quæ in pyxide & in aurea columba super altare pendente jugiter servantur maximè propter infirmos, ut quidquid de eis eveniat, Viaticum sit in promtu.* Qui verò in Missa communicaturi erant, singuli singulas offerebant hostias, ut postea videbimus. Diaconus tamen ex eadem qua Sacerdos hostia communicabat, ex libri secundi capite trigesimo. Ex quibus conjicere licet, etiam sæculo undecimo variasse Ecclesias Gallicanas in quantitate seu magnitudine hostiarum. Alii quippe integras (ut ita dicam) formulas, quales scilicet in ferro characterato compositæ fuerant, consecrabant: alii

OBSERV. VI. tenues & graciles.

ſingulas formulas in plures hoſtias dividebant, & quidem Cluniacenſes in ſex, ut ex Udalrico ſuperiùs vidimus. Specimen Oblatarum antiquarum exhibet codex manu deſcriptus ante annos quingentos, in Bibliotheca noſtra Germanenſi adſervatus: in quo delineatus inter altaria duo ſtat Sacerdos, quorum in altero Judaïci ritûs ſunt victimæ, aries & hircus; in altero Chriſtianorum ſacrificium denotant calix & Oblatæ crucis titulo inſignes. tum penſiles utrimque hoſtiarum ſuprà capſulæ. Quæ omnia æneis typis repræſentavit Sirmondus in Diſquiſitione de Azymo.

OBSERV. VII. quo ritu oblatæ à Fidelibus.

60. In Miſſa offerebant panem & vinum qui aderant, maximè qui communicaturi erant. Id quo ritu fieret, quóve tempore deſierit, paucis explicare juvat. Jam inde à primis Eccleſiæ temporibus Chriſtiani ſuam quiſque hoſtiam offerebant. Notior res, quàm ut probatione indigeat. Varia hac de re ſtatuta poſtea confecta ſunt in eos qui ſecus agerent. In his Concilii ſecundi Matiſconenſis Patres anno quingenteſimo octogeſimo quinto decreverunt capite quarto, *ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini: ut per has immolationes & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel vel ceteris Juſtis offerentibus promereantur eſſe conſortes.* Id tum aliis decretis, tum exemplis manifeſtare facilè poſſem, ſi res poſtularet. Inſignem tamen locum Gregorii Turonici Epiſcopi hîc prætermittere non lubet. Is in libro de gloria Confeſſorum, capite quinto ſupra ſexageſimum commemorat, duos in urbe Lugduno fuiſſe conjuges ſenatorii generis, qui abſque liberis matrimonio defuncti, heredem Eccleſiam reliquerunt. Viro mortuo uxor ſuperſtes, *per annum integrum aſſiduè orationi vacabat, celebrans quotidie Miſſarum ſollemnia, & offerens oblationem pro memoria viri, non diffiſa de Domini miſericordia, quòd haberet defunctus requiem in die, qua Domino oblationem pro ejus anima delibaſſet. Semper ſextarium Gazeti vini præbuit in ſacrificium baſilicæ ſanctæ. ſed Subdiaconus nequam reſervans gulæ Gazetum, acetum vehementiſſimum offerebat in calice, muliere non ſemper ad communicandi gratiam accedente.* Matrona facti à viro admonita in ſomnis, *ad Matutinum ſecundùm conſuetudinem ſurrexit. quibus expletis celebratiſque Miſſis, accedit ad poculum ſalutare. quæ tam fervens acetum hauſit ex calice, ut putaret ſibi dentes excuti.* Hoc in exemplo multa notatu digna. uſus calicis eo tempore in communione, perſuaſio de refrigerio animæ defunctorum ex virtute ſacrificii, oblatio vini in calice etiam eo die quo mulier non communicabat; in calice, inquam, haud dubiè alio à calice Sacerdotis. aliàs certè æquè Sacerdos ac mulier fraudem Subdiaconi deprehendiſſet,

nec

nec tulisset ipse aceti acrimoniam. Quo in loco venit in mentem responsio Gregorii Papæ secundi ad Bonifacium Episcopum, congruum scilicet non esse, *duos vel tres calices in altario ponere, quum Missarum sollemnia celebrantur.* Ex quo intelligimus, id in more positum his in partibus fuisse. Ejusmodi calices Anastasio *ministeriales* dicuntur non semel, aliis *offertorii.* Quid verò inde fiebat, quum mulier illa non communicabat? Illud porrò præcipuè advertendum est, matronam illam per annum integrum quotidie sextarium vini in sacrificium obtulisse. Id quo tempore fiebat, docet Hincmarus in Capitularis primi capite sexto-decimo. *Qui candelam offerre voluerit, sive specialiter, sive generaliter; aut ante Missam, aut inter Missam antequam Evangelium legatur, ad altare deferat. Ad Oblationem autem, unam tantummodo Oblatam & offertorium pro se suisque omnibus conjunctis & familiaribus offerat. Si plus de vino voluerit, in buticula vel canna, aut plures Oblatas; aut ante Missam, aut post Missam Presbytero vel ministro illius tribuat, unde populus in eleemosyna & benedictione illius eulogias accipiat, vel Presbyter supplementum aliquod habeat.* Cluniacenses etiam post Evangelium oblationes panis & vini faciebant, ut patet ex libro primo Udalrici, capite trigesimo. Ritus describitur in libri secundi capite duodecimo. *In privatis diebus ad Missam matutinalem quia cuncti offerunt, curat hebdomadarius ut inter calices mediocres ad hoc solum factos, & inter ampullas cum vino, habeat quinque & totidem patenas cum hostiis, quas ordinatim ponit forinsecus prope chorum, super tabulam desuper coopertam & panno intrinsecus amictam: ut inde Fratres eas accipiant cum offertoriis oblaturi. Ad majorem Missam, quia non offertur nisi ab uno choro, tantùm tres calices seu ampullæ præparantur, & hebdomadarius stat in choro sinistro, tenens in manu auream patenam & ampliorem hostiis refertam: quas cum aureo cochleari offerentibus distribuit singillatim.* Ex hoc loco etiam patet ritum illum perseveraſse adusque sæculum duodecimum, cujus initio vivebat adhuc Udalricus. Non immoror aliis testimoniis referendis. Grimlaicus Presbyter sæculi noni, in Regula Solitariorum præcipit, *ut Reclusi Oratorium sit Ecclesiæ contiguum, quatenus idem Solitarius per fenestram ejusdem Oratorii possit ad Missas per manus Sacerdotum oblationes offerre.* Existimo tamen sæculo octavo desinere cœpisse oblationum laïcarum usum, ut postea exponam.

61. Ex oblationibus pars in materiam sacrificii adsumebatur, ea scilicet quæ post lectum Evangelium à Fidelibus offerebatur, ex Hincmaro suprà; pars benedicebatur in eulogias. quæ verò in usus ministrorum pauperúmve cedebat, alterius conditionis erat, panis scilicet usitatus cum ceteris rebus. Panem Eulogiæ.

communem à Fidelibus offerri solitum ab Oblatis consecrandis disertè distinguit Concilium Namnetense, statuens capite nono, *ut de oblationibus quæ offeruntur à populo & consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt Fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido: ut post Missarum sollemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die dominico & in diebus festis exinde accipiant.* Hincmarus idem statuit in Capitularis primi capite septimo. Exstat istius ritus præclarum vestigium apud Udalricum in libri secundi capite trigesimo. *In privatis diebus hostiæ non consecratæ portantur in refectorio, ut his qui eo die non communicaverunt, per manus Sacerdotis distribuantur,* nempe ante alios cibos ex capite vigesimo tertio. *quod hoc ordine fieri solet, ut primùm tribuat de ipsis hostiis domno Abbati; postea cùm sint mensæ tres, utrimque ad dexteram domni Abbatis ad unam mensam; postea ad omnes in alia parte: & sic iterum redit ad dexteram, & tribuentis manus à singulis osculatur.* Fluxerat iste ritus ex antiquo Majorum nostrorum exemplo. Nam Monachi Fuldenses in libello supplici ad Carolum Magnum postulant, *ut communicationem fracti panis ante cibum quotidie sumere non respuatur, secundùm exempla præcedentium Patrum.* Abbates verò in Synodo Aquisgranensi congregati anno octingentesimo septimo-decimo, statuerant capite octavo supra sexagesimum, *ut eulogiæ Fratribus à Presbyteris in refectorio dentur.* Petrus Damiani in libro de vita eremitica, capite quinto meminit cujusdam Martini, qui cùm aliis diebus non acciperet cibum nisi post solis occasum; diebus tamen dominicis, circa sextam horam, *unam ex his quæ pro sacramentis fiunt oblatiunculam percipiebat*, & sic jejunium solvebat. Sic ergo reliqua pars Oblatarum expendebatur in eulogias, aut certè panis communis, qui à precatione Sacerdotis dictus est benedictus. Memini me aliquando vidisse priscarum eulogiarum usum in quibusdam parœciis diœcesis Remensis. siquidem die festo Paschæ Presbyter seu Rector Ecclesiæ benedicit Oblatarum formulas integras, quæ postea jejunis pueris, quibus præ ætate communicare non licet, distribuuntur. Id in sua diœcesi prohibuit Guillelmus Major Episcopus Andecavensis in Statutis ab se conditis anno millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, *ne ex ejusmodi* hostiarum *ministratione seu receptione erubescentiam evitare videantur parochiani*, qui scilicet à perceptione corporis Domini ob sua peccata removebantur. sic enim hunc locum interpretandum existimo. Nam quia eadem est hostiæ consecratæ & non consecratæ species exterior, facilè in mentem veniebat, idem utrubique esse sacramentum. Quo errore deceptus fuisse videtur Theodorus

Balſamon, dum ad caput quartum-decimum Synodi Laodicenæ arguit Latinos, quòd in feſto Paſchæ diſtribuerent laïcis « azyma, poſtquam ſanctificata ſeu conſecrata fuerint, perinde « ac communia. «

61. Oblationi panis & vini, à laïcis antiquitus fieri ſolitæ, ſucceſſit eleemoſyna pecuniaria Presbytero facta, quam *ſtipendium* vocant. Id fieri cœptum, ut videtur, ſæculo octavo, ſaltem in Miſſis privatis; non tamen ubique paſſim ante ſæculum duodecimum. Pecuniariam eleemoſynam ſatis apertè deſignat Chrodegangus Mettenſis Epiſcopus in Regulæ ſuæ capite quadrageſimo ſecundo. *Si aliquis uni Sacerdoti pro Miſſa ſua vel pro confeſſione; aut Clerico pro pſalmis & hymnis, ſeu pro ſeipſo vel pro quolibet caro ſuo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemoſyna dare voluerit; hoc Sacerdos vel Clericus à tribuente accipiat, & exinde quod voluerit faciat.* Hinc factum, ut laïci ob modicam ſtipem ſingulas quiſque Miſſas ſibi arrogarent. Hunc uſum introduci cœptum reprehendere videtur Eugenius Papa ſecundus in Concilio Romano anno octingenteſimo trigeſimo ſeptimo. ſic enim ait capite ſeptimo-decimo: *Presbyteri nullius blandiantur aut ſuadeantur ſermonibus, ut non omnium ad ſe concurrentium in quibuſlibet ſacris locis oblationes ad Miſſarum ſollemnitates recipiant. quia cùm mediatores Dei hominúmque exſiſtant, in exercendis votis relaxandíſque peccatis largiſſimam debent orationem peragere.* Idipſum repetit Leo Papa quartus in Synodo Romana. Eodem tempore Walafridus Strabus naſcentem ejuſmodi morem erroris arguit in libro de rebus eccleſiaſticis, capite vigeſimo ſecundo. *Sed & in hoc error non modicus videtur, quòd quidam ſe non poſſe aliter plenam commemorationem eorum facere pro quibus offerunt, niſi ſingulas oblationes pro ſingulis offerant: vel pro vivis & defunctis non ſimul æſtimant immolandum. cùm verè ſciamus unum pro omnibus mortuum, & unum panem eſſe & ſanguinem, quem univerſalis tenet Eccleſia. Quod ſi cui placet pro ſingulis ſingulatim offerre, pro ſolius devotionis amplitudine & orationum augendarum devotione id faciat, non autem pro ſtulta opinione, quâ putet, unum Dei ſacramentum non eſſe generale medicamentum.* Nunc autem eò devenit res, ut niſi Sacerdos pro modica ſtipe ſingulas perſolvat Miſſas, graviſſimum crimen commiſiſſe judicetur à recentioribus caſuum arbitris. Meum non eſt hac de re ferre judicium: ſed ſimpliciter exponere variam temporum diſciplinam. Optimum eſt decretum ſacroſancti Concilii Tridentini in Seſſione vigeſima ſecunda, prohibentis *cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, necnon importunas atque illiberales eleemoſynarum exactiones, quæ à ſimoniaca labe non longè abſunt.* Sed tamen cuperent boni omnes, ut aliqua facili

OBSERV. VIII. Pecuniarum eleemoſyna pro Miſſis.

via consuleretur & inopiæ Sacerdotum, & scrupulo ministrorum seu æditurorum, & necessitati seu devotioni Fidelium, quibus dum sua cuique Missa persolvitur, suffragia in longum tempus differri necesse est, urgente quantumvis necessitate. quod maximè evenire solet in frequentioribus locis. Hæc per excessum dixerim.

Donationes prædiorum pro materia sacrificii.

63. Ab eo ergo tempore, quo frequentari cœpit pecuniaria merces in usum Sacerdotis, cœpit etiam paullatim aboleri mos Oblationum sacrarum. Argumento sunt donationes quædam eo tempore factæ prædiorum atque villarum, ad comparandam materiam sacrificii. Carolus Francorum Rex, cognomento Calvus, *villam Scindelicias in pago Parisiacensi sitam* concedit Monachis Dionysianis, ut oblationes pro se suáque conjuge Domino offerant, *& de vino quod in vineis prædictæ villæ natum fuerit, decem modia in sacrario Fratres mittant, quod mixtum fiat vino in sacrificio deputato.* Dicet forsan aliquis, vinum istud ex annuo reditu proveniens, oblatum postea fuisse à Monachis eo modo, quo apud Cluniacenses fieri mos erat. & sanctum Remigium Remorum Episcopum longè ante id tempus vineas quasdam testamento reliquisse eo pacto, *ut diebus festis & omnibus Dominicis sacris altaribus* sua *offerretur oblatio.* quo tamen tempore morem offerendi penes Fideles perseverasse constat. Nec repugnarem, nisi legerem apud Fulcuinum Abbatem Chronici Laubiensis auctorem, qui post medium sæculum decimum floruit, *solitum pendere vas cum vino juxta altare* in sacrificium sacrosanctum. quod manifestè probat jam desitum offerri vinum à Monachis laïcísve in Cœnobio Laubiensi. Sæculo insequenti Gulbertus de Huglevilla, nobilis Neustrasius, *unum modium vini ad celebrandas Missas* Monachis Alfagiensibus concessisse memoratur apud Ordericum Vitalem in historiæ ecclesiasticæ libro sexto. Et ne fortè quis reponat, id in Cœnobiis actitatum secus quàm in parœcialibus Ecclesiis; invenio paullo quidem seriùs, nimirum circiter annum millesimum centesimum octogesimum, Philippum Flandriæ Comitem *in eleemosynam perpetuam adsignasse Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Longovillari unam marcam argenti singulis annis, ad emendum panem & vinum in sacrificio altaris*, ut legi in Chartulario Bertiniano, quod Antonius Vion Herovallius, litteratorum omnium patronus, mihi communicavit. Eodem etiam ævo fieri cœptæ donationes ad Missas instituendas. Plura ejus rei exempla exstant in majori Chartario Brivatensi, quod itidem ab eodem humanissimo viro nobis commodatum est. In his Airaudus quidam Ecclesiæ sancti Juliani, cui Bernardus Comes tum præerat, res suas in villa

Buciaco sitas tradit in stipendia Fratrum seu Canonicorum, *vel ad sacrificium Deo offerendum, anno sexto regnante Karolo Rege Aquitanorum, filio Karoli Regis Francorum*, id est Karoli cognomento Calvi. Item Joseph & uxor ejus res suas in villa Rosariis cedunt eidem Ecclesiæ, *ut illi servientes*, inquiunt, *propter nos sacrificium & orationes offerant*, anno vigesimo sexto regni Karoli Calvi. Denique ejusdem anno trigesimo quinto, quo tempore Frotarius Abbas idemque Archiepiscopus Bituricensis locum regebat, Dado quidam res quas possidebat in villa Ardallo, concedit ad sacrificium pro se offerendum. Ex quibus manifestum efficitur, jam sæculo nono ejusmodi donationes in more fuisse.

64. Ex his quæ hactenus retuli, multa sunt quæ persuadent, antiquorum Oblatas sacrificio deputatas, non modò ejusdem fere formæ ac figuræ cum nostris; sed etiam azymas seu infermentatas fuisse. Nam & tenues rotulæ erant, non spissæ ac densæ; nec proinde fermento inflatæ: & factæ ex simila diluta in aqua frigida, & coctæ intra ferrum characteratum. quo in genere fermentum numquam adhiberi solet. Verùm quia Jacobus Sirmondus, vir non magis pietate, quàm eruditione ac sinceri studio venerabilis, in Disquisitione sua de Azymo primus adseruit, azymorum usum nonnisi in illo intervallo, quod à schismate Photii tempore Nicolai Papæ primi, ad turbas Michaëlis Cerularii pontificatu Leonis noni, hoc est ab anno fere octingentesimo sexagesimo tertio ad millesimum quinquagesimum effluxit, in Ecclesia Latina obtinuisse; non ab re erit quædam huc argumenta conferre pro recepta jamdudum sententia de antiquiori usu azymorum; tum paucis diluere Sirmondi objecta. OBSERV. IX. Panis azymus.

65. Antequam hanc in rem argumenta proferam, expendendum est (quod sanè magni momenti esse debet) silentium sanctorum Patrum, non Latinorum modò, sed etiam Græcorum, Photii ætate superiorum: qui Eucharistiæ institutionem ineunte vespera azymorum, ac proinde in azymis celebratam fuisse probant. Qui cùm Christi Domini facto inhærendum esse in istius Sacramenti confectione dicant, atque in nonnullis ritibus, sicubi obvenit mutatio, rationes factæ mutationis inquirant; nullam tamen de mutato azymo quæstionem movent. Sic Augustinus in epistola ad Bonifacium, & post eum Isidorus Hispalensis Episcopus in libro primo de officiis ecclesiasticis, Paschasius Radbertus in libro de corpore & sanguine Domini, Haimo Halberstatensis Antistes in epistolam ad Corinthios & alii, causam indagant, cur à jejunis Eucharistia percipiatur in Ecclesia, cùm ab cænatis Apostolis percepta sit. à nullo verò proditum est, Ecclesiam aliquando relictis azymis prætulisse fermentatum: quod tamen magis ad rem Sacramenti accedit, quàm jejunium aut cænatio percipientis. Sanè quum video Cyprianum in epistola ad Cæcilium, aliósque post eum, tanta cum religione admistionem aquæ in calicem tueri tùm Ecclesiæ traditione, tum etiam facto Domini; vix in animum inducere possum, eos minùs curasse de fermento, quod abfuisse à dominica cæna persuasum habuêre. Nec valet dicere, Patres antiquiores non meminisse azymi, ubi de Eucharistiæ materia tractant. Satis enim est, ut exemplum Domini proposuerint: nec admodum de re trita & familiari loqui solent, nisi aut controversiæ, aut morum necessitas id exigat.

cus, ubi commemoratur Dominum per Moysen filiis Israël ita præcepis-
» *se: Omnis, inquit, oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiat,*
» *nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini. Credimus ergo & panem illum, quem primum Dominus in cæna mystica in mysterium * corporis sui consecravit, infermentatum esse.* & paullo superiùs ita concluserat: *Ergo panem infermentatum & vinum aquâ mixtum in sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet.* Ita HRabanus, cùm in editis, tum in manu-scriptis codicibus, ut fidem faciunt duo exemplaria Bibliothecæ regiæ, quorum unum est annorum fere sexcentorum, alter octingentorum. Hic verò locus, quo nihil luculentius ad præsentem controversiam adduci potest, vel unus adstruit omnino usum azymorum initio sæculi noni, iis quidem verbis, ut non alicujus Ecclesiæ, sed Latinæ universæ communem, antiquum, ac necessarium morem fuisse appareat. Idem etiam non obscurè insinuat Paschasius Radbertus Abbas Corbeïensis, HRabani æqualis, sed quinque annis mortuus ante ipsum, nimirum anno quinquagesimo primo supra octingentesimum, septennio ante ambitum Photii: dum sacrificii partes, immo & azymum trahit ad mores in libro de corpore & sanguine Domini capite vigesimo. *Hæc igitur consperſio de multis granis fecit unum corpus, corpus, inquam sinceritatis & veritatis: si tamen sumus azymi, id est absque fermento malitiæ & nequitiæ, ut dignè panem de hac aqua conspersum accipere possimus.... Idcirco, ô homo, serva conspersionem gratiæ: quia licèt triticum sis, nisi doctrinâ & virtute Spiritus-sancti ad hanc unitatem & conspersionem fueris bene in farinam attenuatus; deinde conspersus gratiâ, & igne caritatis excoctus, non poteris ad soliditatem fidei firmari.* Hîc attinebat meminisse, non tantùm farinæ, aquæ, & coctionis; sed etiam fermenti, si tum panis sacrificii azymus non fuisset. At, quod rem evincit, Paschasius ad designandum eucharisticum panem utitur vocabulo *conspersionis.* porro *conspersum* seu *conspersionem* idem esse atque infermentatum, docet nos Haimo Halberstatensis Episcopus in caput quintum epistolæ primæ ad Corinthios, dum scribit, filios Israël egressos de Ægypto non detulisse inde *fermentatam farinam, sed tantummodo conspersam.* & Johannes Genuensis in Catholico: *Conspersio* inquit, *est farina per aquam conglutinata sine fermento.* Ex quibus nullus de Paschasii mente superest ambigendi locus.

* mss. ministerium

69. His argumentis adde ea quæ superiùs retulimus de Oblatis rotulísve super Cuthberti mortui pectus atque Othmari positis ante sæculum nonum: quæ sine dubio ferro characterato impressæ, ac proinde infermentatæ erant, uti & Oblatæ illæ, quæ à duabus feminis Germanicis confectæ sunt anno octin-

octingentesimo nonagesimo quinto, ex dictis. Illud verò in Udalrici auctoritate dignum consideratione est, quòd ritus Cluniacenses non fluxerint ab institutione Monasterii Cluniacensis: sed longè antè Euticius vir religiosus, Cœnobii Balmensis (ut creditur) Abbas principatu Ludovici Augusti, consuetudines illas desumserit *ex institutionibus & regulis diversorum Patrum, unóque volumine conligaverit*, testante Johanne Monacho in libro de vita sancti Odonis Abbatis Cluniacensis. Ex quo inferre licet, religiosos illos ritus, quos Cluniacenses in conficiendis hostiis azymis servabant, profectos esse ex superiorum Patrum exemplo; cujus vestigia quædam in Candida nobili matrona & in sancta Radegunde suprà observavimus.

70. Hæc sufficere videntur ad probandum azymorum usum apud Latinos ante Photii secessionem. Scio quid sentiant sanctus Thomas Aquinas & Durandus, qui usum hunc ab Ecclesiæ quidem exordio receptum, sed ob hæresim Ebionitarum interruptum aiunt: quod factum Alexandro primo Pontifice censet Calvinus cum Barlaamo Hieracensi Episcopo. Nec me fugit, quid super hac re Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis scripserit in tractatu primo de Communione sub utraque specie. Ast harum observationum brevitas non sinit his immorari. Restat ut ad Sirmondi objecta respondeam, postquam loca duo, Leonis Pontificis Romani & Humberti Cardinalis, retulero. Leo Papa nonus in epistola sexta ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, cognomento Cerularium, tamquam indubitatam rem supponit, ab ipsis Christianæ Religionis principiis azymos panes in Ecclesia Latina usitatos fuisse. nec sanè uspiam, quod sciam, id novitatis nomine impugnavêre Orientales sæculo undecimo. Leonis Papæ verba hîc adscribam. *Illud autem quis non stupeat, quòd post tot sanctos & orthodoxos Patres, per mille & viginti à passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur sacramentorum ex azymis?* Nemo non videt, invalidum, immo nullum esse Leonis argumentum, nisi supponat uti exploratum, Ecclesiam Latinam perpetuò usam azymis fuisse. Unde mirari subit, quid his verbis intellexerit Sirmondus, qui in Disquisitionis suæ capite tertio negat, Leonem vel Humbertum, cùm azymorum caussam agerent, istâ se perpetui moris præscriptione defendisse: recusátque ob id adsentiri vel Hugoni Tusco, qui Ecclesiam Latinam in azymis perpetuò immolasse; vel Ruperto Tuitiensi, qui Ecclesiam Romanam censet fermentum in sacrificio numquam admisisse. Sanè Humbertus in Responsione

ad Nicetam Pectoratum, ex actis nescio quibus sextæ Synodi universalis refert Legatorum Romanorum responsum ad Con-
» stantinum Imperatorem: à quo interrogati, qualiter Romana
» Ecclesia de sacrificio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu-
» Christi ordinem teneret, respondisse feruntur, in calice of-
» ferendum vinum aquâ mistum: oblationem verò panis nul-
» lam commistionem aut corruptionem fermenti habere debere. *Tunc*, addit Humbertus, *placuit piissimo Principi Constantino hæc traditio apostolicæ sedis.* Ex quo intelligitur, Humberti, uti & Leonis, mentem fuisse, ex Ecclesiæ Romanæ traditione perpetua descendere usum azymorum. Jam Sirmondi momenta pro fermento consideremus.

71. Primum est in capite primo Disquisitionis, quòd ex populi oblationibus sacrificium consecraretur. Quo igitur argu-
» mento, inquit Sirmondus, doceri clariùs poterat, Latinos
» tunc azymis in altari usos non esse, quàm unde constet obla-
» tum à populo panem consecrasse, quem minimè dubium erat
» usitatum sibi ac fermento de more temperatum obtulisse? Immo verò non usitatum, id est communem & cibarium, sed studio præparatum panem à populo fuisse oblatum constat ex dictis. nec quidquam vetat, Fideles ante Photii turbas azymos panes obtulisse ex Ecclesiæ præscripto: cùm post Photium id præstiterint Cluniacenses & alii, præsténtque hactenus Armoricanæ matronæ teste ipso Sirmondo. Quanquam non negaverim, oblatum aliquando panem communem à laïcis: at quidem ante vel post sacrificium, qui non in sacrificii materiam cederet, sed in usus ministrorum & pauperum, ut superiùs dictum est.

72. In capite secundo plura congeruntur argumenta. Unde-
» nam, inquit Disquisitor, Latinis de azymo venisset in mentem,
» qui ab Oriente, unde illis sacrorum origo, non didicerant? Ad quod ego: Non constat, Latini an Græci variaverint panis materiam. Quippe Jacobus à Vitriaco Cardinalis in historiæ occidentalis capite trigesimo octavo censet, Romanam Ecclesiam accepisse usum azymorum à beatis Apostolis Petro & Paulo: Græcos verò mutasse hunc ritum post suam ab Latinis discessionem, ne Romanam Ecclesiam imitari viderentur. Quòd si id non facilè persuaderi potest, eo quòd Græci antiquæ disciplinæ retinentissimi fuerint; saltem illud certum est, Ecclesiam Romanam ab ipsis primordiis cum Orientali non consensisse in nonnullis, putà in jejunio sabbati & in modo servandæ Quadragesimæ, ut ex Ambrosio & Augustino, ex Socratis historia ecclesiastica, aliísque auctoribus manifestum est. Quid mirum si etiam in azymis?

73. Tertium Sirmondi argumentum est, notatos ab Orientalibus Ebionæos fuisse, quod δι' ἀζύμων, panibus azymis, ut Epiphanius refert, mysteria celebrarent. Verùm legenti integrum Epiphanii locum res omnino contraria apparet. Epiphanii textus is est: Μυστήρια δὲ δῆθεν τελοῦσι κατὰ μίμησιν τῶν ἁγίων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπὸ ἐνιαυτοῦ εἰς ἐνιαυτὸν διὰ ἀζύμων, καὶ τὸ ἄλλο μέρος τοῦ μυστηρίου δι' ὕδατος μόνου. Ad verbum: Mysteria verò scilicet per- « ficiunt ex imitatione Sanctorum Ecclesiæ quotannis in azy- « mis, alteram autem mysterii partem in aqua sola. Ex quo sic « argumentari licet: Ebionæi Catholicos in celebrando sacrificio imitabantur in eo, quòd adhibebant azyma: discrepabant verò in eo, quòd ad alteram sacrificii partem adhibebant meram aquam. Ergo Catholici primis illis Ecclesiæ temporibus azymo pane in sacrificio utebantur. Quæ consecutio exinde confirmatur, quòd Epiphanius azymorum usum (uti errores solet) improbat nusquam: at meræ aquæ patronos itidem Encratitas refutat in Hæresi quadragesima sexta editionis Petavianæ, in qua hæresis Ebionitarum trigesima est. Sanè Epiphanius referens alium errorem Ebionæorum, qui carnium usum repudiabant, eos confutat exemplo Christi, qui in extrema Paschatis celebratione carnes agni manducavit & azyma. Quî ergo Epiphanio in mentem venire potuit, ut hæreseωs insimularet Ebionæos in eo, quod Christum Dominum exemplo suo docuisse ipse probat?

74. Reliqua Sirmondi objecta vel satis refutata manent ex dictis, vel minoris momenti sunt. Nam quod opponit Ambrosii locum ex libro quarto de Sacramentis, ubi panis sacrificii *usitatus* dicitur; facilè dissolvitur, si consideres eo in loco panem vocari usitatum, quòd ejusdem materiæ sit cum pane communi: opponíque usitatum pani supercælesti seu carni Christi. Ceterùm etsi Photius, Romanæ seu Latinæ Ecclesiæ infensissimus hostis, nullam de azymis objectionem movit, non inde tamen consequitur, azymorum usum apud Latinos in re sacra non viguisse. Id enim sine dubio dissimulandum esse judicavit, propterea quòd azymum ex facto Christi Domini haberet auctoritatem. Hanc enim ob causam saniores & doctiores quique ex Græcis graviter indignati sunt adversus suos, ut probat Allatius in libro de perpetuo consensu utriusque Ecclesiæ, quòd ea de re Latinis moverent litem. & Latini ipsi, quantumvis disputationis fervore abrepti, nusquam tamen Græcis fermentum suum tamquam illicitum exprobraverunt. Et quidem Photium, immo Ecclesiam orientalem cum Chrysostomo, in ea tum fuisse persuasione, Servatorem nostrum vespere azymorum celebrasse Pascha, ac proinde in azymis Eu-

chariſtiam inſtituiſſe, declarat Photius ipſe in ſuæ Bibliothecæ capite centeſimo ſexto-decimo, dum refert incerti Auctoris librum de ſacro Paſchæ feſto, dicentis, Chriſtum aliis quidem annis peregiſſe Paſcha legale, id eſt ſecundùm legis præſcriptum: minimè verò eo anno quo traditus eſt. Id quod Photius » animadverſione dignum judicavit. Nam Chryſoſtomus, inquit, & Eccleſia docent, Chriſtum ante cænam celebraſſe Paſcha legale. καὶ σκόπειν χρή. ὁ γὰρ Χρυσόστομος καὶ Ἐκκλησία ποτὲ φησὶν, αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. Non ergo mirum ſi Photius Romanis non obtrectavit uſum azymorum: cùm ipſe agnoverit cum tota ſui temporis Eccleſia orientali, Chriſtum in eo quod extremum celebravit Paſchate azymis uſum fuiſſe. Præterea id genus alia diſſimulavit Photius, in quibus Latini à Græcis diſcrepabant. Quantas turbas excitaverit Scotica tonſura inter Romanos & Scottos, ſuperiùs vidimus. Diſſimilis erat inter Græcos Latinóſque tonſura capitis: nec tamen Photius Latinis id vitio tribuit, ſed ſolam menti detonſionem. Ampliùs. ſollemne tempus conferendi baptiſmi obſervabant Græci in Epiphania: interdicebant Latini, prohibente in primis Leone Magno in epiſtola octogeſima. Ad hæc, in Confirmationis ſacramento ſolam chriſmationem adhibebant illi: hi chriſmationi addebant manuum impoſitionem. Ea non ignoravit Photius, nec tamen objecit. Nimirum ejus mentem facta hæc non pulſavêre, quemadmodum alia ab ipſo objecta. Non enim omnium animi iiſdem rebus moventur feriuntúrve. Denique agnoſcit Photius differentiam & diſſimilitudinem in myſticis ſacrificiis per varias Eccleſias, διαφορὰν καὶ ἀνομοιότητα ἐν ταῖς μυστικαῖς θυσίαις. nec tamen inde reprehenſionem peti ſuſtinet in epiſtola ſexageſima quarta. Quid ſi in illa differentia repoſuit azymum? Addunt nonnulli, Photium Latinorum rituum non ita callentem fuiſſe, ut qui Latinis capita quædam ſuppoſiticia meráſque calumnias impoſuerit, de agni conſecratione, de ordinatione Diaconorum in Epiſcopos per ſaltum, & de chriſmatis confectione ex aqua fluminis. Sicut ergo ex ejus objectis falsò quis inferat, hæc ita, uti ipſe objicit, ſe tum habuiſſe apud Latinos: ſic ex ejus ſilentio non rectè deduci azymum tum abfuiſſe à ſacrificio Latinorum. Verùm etſi Ratramnus tria hæc capita Latinis per calumniam objici cauſatur, nihilo minùs Æneas Pariſiorum Epiſcopus ſecundum admittit. & Walafridus Strabus, utroque ſuperior, in libro de rebus eccleſiaſticis capite octavo-decimo disertè tradit, morem offerendi & conſecrandi agni *de Judaïcarum ſuperſtitionum ſeminario natum, quorumdam ſimplicium errore* ad ſua uſque tempora fuiſſe propagatum.

Qua in re Walafrido potior fides, quàm Æneæ aut Ratramno, qui id ut commenticium in Photium rejiciunt. Ex quo intelligitur, Photium Latinorum rituum non ita ignorantem fuisse. Quidquid id est, argumentum ex Photii silentio deductum contra usum azymorum, omnino diluitur certis Auctorum superiorum testimoniis quæ adduxi. De Azymo hactenus.

75. Oblationem sequitur Communio sacra, quam laïci etiam octavo sæculo manu recipiebant, & sub utraque specie frequentabant. Utrumque colligitur ex Actis sanctæ Odiliæ Abbatissæ, quæ morti proxima, *cùm calicem in quo dominicum corpus & sanguis habebatur, sibi adferri præcepisset, propriis manibus eum accipiendo sancta communione participata, omnibus cernentibus animam reddidit.* Usum calicis sacri in Viaticum egregiè signat factum religiosæ feminæ, nomine Fridburgæ, in Vita sancti Anscharii Bremensis Archiepiscopi, Sæculo insequenti referenda. Ea quippe cùm jam appropinquaret dies mortis suæ, & nullus tunc adesset Sacerdos eo in loco ubi residebat; *ipsa amore sacrificii, quod audierat Viaticum esse Christianorum, de vino aliquantulum in quodam fecit reservari vasculo: & filiæ suæ in fide commendans, ut siquando ei ultimum tempus instaret, de ipso vino, quia sacrificium non habebat, ei in os distillaretur, ut vel sic Domini gratiæ exitum suum commendaret.* quod *vinum tribus fere annis apud eam conservatum est.* Hoc exemplum apertè demonstrat calicis usum, etiam ad Viaticum, sæculo nono. Quamquam in alio exemplo ex Actis sanctæ Odiliæ repetito, non sanguinem solum ac separatum, sed panem sanguine intinctum significari conjicio eum ad modum, quo statuitur in cujusdam Concilii Turonensis capite quarto apud Burchardum: *Ut omnis Presbyter habeat pyxidem aut vas tanto Sacramento dignum, ubi corpus dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus ab hoc sæculo. Quæ tamen oblatio intincta esse debet in sanguine Christi, ut veraciter Presbyter possit dicere infirmo: Corpus & sanguis Domini proficiat tibi,* &c. Idipsum etiam apud Cluniacenses observatum fuisse constat ex libro secundo Consuetudinum, capite trigesimo: tametsi Concilium Bracarense tertium canone primo longè antè prohibuerat, *Eucharistiam vino madidam populis pro complemento communionis porrigi.* Ad istam prohibitionem respexisse videtur Guillelmus de Campellis, Catalaunensis Episcopus, Bernardi Abbatis Clarevallensis præcipuus amicus, is cujus lucubrationes passim citantur in opusculo quodam, quod Pancrisis inscribitur. Locum integrum ex membraneo codice Cheminionensi descripsi in hunc modum: *De perceptione Eucharistiæ diversi quidem usus sunt secundùm aliquas causas: sed res eadem. Quòd enim panis intinctus prohibitus est accipi, ex frivo-*

Observ. X. Communio laïcorum sub utraque specie.

la causa fuit, scilicet pro buccella intincta, quam Dominus Judæ ad distinctionem porrexit. tamen cum fide bonum est. Item quòd utraque species per se accipitur, eo fit, ut memoria corporis quod in cruce visibiliter pependit, & memoria sanguinis qui cum aqua de latere fluxit, artiùs teneatur, & quasi præsentetur. Tamen sciendum, quòd qui alteram speciem accipit, totum Christum accipit. Non enim accipitur Christus membratim vel paullatim: sed totus vel in utraque specie, vel in altera. Unde & infantulis mox baptizatis solus calix datur, quia pane uti non possunt, & in calice totum Christum accipiunt. Dandus autem est calix eis: quia sicut non potest ad vitam quis ingredi sine baptismo; ita nec sine hoc vitali Viatico. Et post quosdam versus: *Quod ergo dicitur utramque speciem oportere accipi, hæresis planè est. Quamvis enim utraque sacramenta ibi sint secundùm fractionem & odorem, & calorem & saporem: tamen in utraque specie totus est Christus, qui post resurrectionem quidem ex toto est invisibilis, impassibilis, indivisibilis: ita ut nec sanguis sine carne, nec caro sine sanguine, nec utrumque sine anima humana, nec tota humana natura sine Verbo Dei sibi personaliter counito. Et ideo licèt in alterutra specie totus sumatur; tamen pro causa prædicta sacramentum utriusque speciei ab Ecclesia immutabiliter retinetur. Sunt enim in Ecclesia sacramenta quæ mutari licet, sunt quæ non licet: ut de aqua baptismi, de his speciebus, de oleo consecrationis.* Hæc fusiùs retuli, tum quòd ea non cuivis obvia esse possint, tum quòd inde manifestum sit, Communionem sub utraque specie duravisse ad sæculum usque duodecimum. Siquidem Guillelmus de Campellis obiit anno centesimo vigesimo primo supra millesimum. quo etiam tempore panis intinctus vulgò communicantibus porrigebatur. id quod item patet ex epistola quadam Arnulfi Roffensis Episcopi, edita in tomo secundo Spicilegii, & ex alia Hildeberti Episcopi Cenomannensis id improbantis. Non tamen calicis usum tum fuisse abolitum, certum est non solùm ex hoc loco, sed etiam ex pluribus aliis. Petrus Damiani in Opusculo quarto-decimo de Ordine Fontis-Avellanæ: *Calices duos argenteos*, inquit, *hac vobis ratione providimus, ut cùm sacra dominici corporis & sanguinis mysteria vultis accipere, stannum vel vilius quodcumque metallum vestris labiis nequaquam necesse sit adhibere.* Id etiam clarè docet Udalricus in libri secundi capite trigesimo. Exstat post Gerberti epistolam nonagesimam *distichon in calice*, quod an de pane intincto, an de utraque specie seorsum adservata intelligendum sit, Lectoris erit judicium.

Hinc sitis atque fames fugiunt. properate Fideles:
Dividit in populos has Præsul Adalbero gazas.

Verùm disertè omnino Petrus Damiani calicis usum penes laïcos etiam infirmos adstruit in Opusculi quadragesimi septimi

capite secundo, agens de quodam Presbytero, qui *aliquando dum sacri muneris Eucharistiam detulisset ægroto, ut erat utique deses ac negligens, aliquantulum dominici sanguinis remansit in calice. Quod cùm ille ad Ecclesiam rediens comperisset, sed fastidio præpeditus noluisset accipere; mox calicem lavit, & in labrum marmoreum, in quo erat aqua sanctificata, projecit. Et, ô magnum divinæ virtutis indicium! illam labri partem quam id quod effusum est de calice contigit, in sanguineum ruborem repentè convertit, ubi scilicet duæ majores guttæ exprimuntur.* Sanè per id tempus, hoc est medio sæculo undecimo; panis intincti usum paucis in locis apud Latinos usurpatum fuisse, intelligitur ex Humberto Cardinali, qui morem hunc in Græcis carpit, & calicis usum seorsum à pane penes Latinos frequentatum adfirmat. Denique ex dictis manifestum est, etiam sæculo duodecimo sanguinem Christi Domini infantibus statim à baptismo præbitum fuisse. Huc accedit auctoritas Magistri Roberti Paululi in libro primo de ecclesiasticis officiis, capite vigesimo, ubi notat ignorantiam quorumdam sui temporis Presbyterorum, qui ecclesiasticæ institutionis formam retinentes, non rem ipsam, pueris dabant vinum loco sanguinis. Istud opusculum editum est sub nomine Hugonis à sancto Victore: verùm in optimæ notæ apographo Corbeïensi tribuitur Magistro Roberto Paululo, qui in Chartario Corbeïensi nonnullis instrumentis subscripsisse invenitur annis supra millesimum centesimo septuagesimo quarto, nono, & octogesimo quarto, *Magister Robertus Paululus, minister Episcopi Ambianensis.* Hæc indicare opportunum visum est ad illustrandum Auctorem hactenus ignotum.

76. Eucharistiam in manus etiam à feminis acceptam octavo sæculo fuisse, superiùs ex Actis sanctæ Odiliæ vidimus. Quamquam Synodus Autisiodorensis sub Aunachario congregata sub finem sæculi sexti, id feminis interdicit canone trigesimo sexto, & *Dominicale* manibus teneri præcipit canone quadragesimo secundo. Viris autem, & fortassis etiam Virginibus sacris, licebat Eucharistiam manibus excipere ad sæculum octavum. Cædmon Monachus, non tamen Presbyter, ad extrema deveniens, rogavit Eucharistiam sibi adferri. *quâ accepta in manu*, inquit Beda in historiæ ecclesiasticæ libro quarto, capite vigesimo quarto, *interrogavit, si omnes placidum erga se animum haberent.* Adeo verò neque id etiam feminis tunc temporis negatum, ut etiam Eucharistiam aliis tradere præsumerent sæculo nono. Eam temeritatem in viris feminísque laïcis refellunt damnántque Concilia, Parisiense anno octingentesimo vigesimo nono in partis primæ capite quadragesimo; Remense relatum ab Reginone in libro primo de ecclesiasticis disciplinis

OBSERV. XI. Eucharistia manu recepta.

capite vigesimo supra centesimum, & à Burchardo & Gratiano; Hincmarus etiam in Capitularis secundi capite decimo. Huic malo in dies gliscenti ut obviaret Concilium Rotomagense, statuit, ut ne quis ampliùs Eucharistiam acciperet manu, sed Sacerdos communicaturis eam porrigeret. Concilii hæc verba sunt capite secundo: *Dictum est nobis, quòd quidam Presbyteri celebratâ Missâ detractantes ipsi sumere divina mysteria quæ consecrarunt, calicem Domini mulierculis quæ ad Missas offerunt tradant, vel quibusdam laïcis qui dijudicare corpus Domini nesciunt, id est discernere inter cibum spiritualem atque carnalem. Quod quantum sit omni ecclesiasticæ religioni contrarium, pectus Fidelium novit. Unde omnibus Presbyteris interdicimus, ut nullus in posterum hoc facere præsumat: sed ipse cum reverentia sumat, & Diacono aut Subdiacono qui ministri sunt altaris, colligenda tradat. Illud etiam attendat, ut eos propria manu communicet. Nulli autem laïco aut feminæ Eucharistiam in manibus ponat: sed tantùm in os ejus cum his verbis ponat: Corpus Domini & sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum & ad vitam æternam. Si quis hæc transgressus fuerit, quia Deum omnipotentem contemnit & quantum in ipso est inhonorat, ab altari removeatur.* Istud Concilium, quod necdum editum est præter hoc caput quod refertur ab Ivone, in manu-scripto exemplari constat capitulis sexdecim, inscribitúrque SYNODUS GENERALIS RODOMI REGNANTE HLUDOVIO GLORIOSO REGE, id est (ut quidem conjicio) Ludovico secundo cognomento Balbo, aut certè ejus filio cognomine ac successore, circiter annum octingentesimum octogesimum. quo ex tempore abrogari cœpit mos ille recipiendi in manus Eucharistiam, reservatâ nihilo minùs Diacono & Subdiacono tractandi corporis dominici facultate. Apud Udalricum in libro secundo Consuetudinum Cluniacensium capite trigesimo, Diaconus *hostias frangere & dividere* in aliorum communionem dicitur; & Subdiaconus *portiunculam dominici corporis quam sumturus est, de patena accipere cum duobus mediis digitis sinistræ manus.* Et in antiquis Statutis Cartusiensium anno millesimo ducentesimo quinquagesimo nono conditis præcipitur, Diaconum singulis dominicis de hostia adservata seipsum communicare. Guillelmus Major Andecavorum Episcopus in Synodo habita in festo sancti Lucæ anni supra millesimum ducentesimi septuagesimi tertii, arguit Rectores seu Curiones nonnullos, permittentes, ut Diaconi quos secum habebant, *sine necessitatis articulo* confessiones audirent & absolverent: corpúsque dominicum infirmis deferrent & ministrarent. id quod non nisi *in necessitatis articulo* fieri vetat sub interminatione suspensionis.

Observ. XII. Altaria plura in una ecclesia.

77. Huc pertinet consideratio de altaribus sacris, de quibus ut aliquid admoneam, movet me Auctor historiæ eucharisticæ, dum ait, altare unicum in unaquaque ecclesia ante sæculum octavum fuisse; & altaria portatilia seu tabulas altaris, quas *itinerarias* vocat Ordo Romanus, in usu non fuisse ante sæculum undecimum. Utrumque examinandum hoc loco est. Altare unicum in qualibet Ecclesia primis Religionis Christianæ sæculis fuisse constat, tum quia unus Sacerdos uni Ecclesiæ præficiebatur, seu (ut aiunt) incardinabatur; tum quia rari erant Sacerdotes etiam in Monasteriis, Sacerdotum collegia nulla. Crescente numero Fidelium, crevit & numerus ministrorum sacrorum Ecclesiarúmque. Optatus Milevitanus in libro secundo, Romæ quadraginta & ampliùs fuisse testatur basilicas sub tempore persecutionis Diocletiani. & Cornelius Papa in epistola ad Fabium, ab Eusebio relata in historiæ libro sexto, capite quadragesimo tertio, ait Romæ tum fuisse Presbyteros quatuor & quadraginta, pro numero videlicet Ecclesiarum; septem autem Diaconos, totidémque Subdiaconos; Acoluthos duos & quadraginta; Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos, viduas denique cum infirmis & egentibus plusquam mille & quingentas. En qualis erat tum Romani Cleri status. Vix alia erat in Monasteriis disciplina. & si in Monasterio Nitriæ erant Presbyteri octo; unus tamen, is scilicet qui primus erat, quoad viveret, offerebat, judicabat, concionabatúrque, teste Palladio, ceteris nihil ejusmodi præsumentibus. Verùm de numero Presbyterorum in Monasteriis inferiùs oratio recurret. Sæculo sexto unius basilicæ unus titulus erat. testis ea de re Gregorius Turonicus Episcopus in libris de gloria Martyrum. Ecclesiæ plures in uno Monasterio constructæ, sua cuique ara. Hinc sanctus Pater Benedictus in monte Casino duplex Oratorium, sanctus Maurus Glannafolii quadruplex erexit. Paullo pòst Sacerdotum numerus augeri, mysteria sacra frequentari ampliùs; & aræ plures una in Ecclesia construi cœptæ. Quippe in sepulcri dominici Ecclesia, referente Arculfo Episcopo Gallo, qui loca sacra invisit sæculo septimo, altaria erant quinque. immo sæculo sexto Burdigalæ in basilica sancti Petri altare duplex erat, uti nos docet Gregorius Turonensis Episcopus in libro primo de gloria Martyrum, capite trigesimo tertio. Sæculo dein octavo numerus altarium auctus. adeo ut Carolus Magnus in Capitulari edito anno octingentesimo quarto ad Theodonis-villam mandaverit *de altaribus, ut non superabundent in Ecclesia.* Certè in primaria Romæ basilica sancti Petri, præter majorem aram, Paulus Papa *mensam illam* quam Pippinus Rex Ste-

phano Pontifici direxerat, *infra aulam ipsius Principis Apostolorum introduxit, & super corpus ejusdem* positam *chrismate unctionis sanctificavit*, & in ea *sacrificium obtulit*, ut testatur epistola quarta-decima codicis Carolini. Etsi verò unius Ecclesiæ quondam unum erat altare, plures tamen in eo Missas unoquoque die celebrari fas erat, contra quàm multi opinantur. Ea enim quæ hac de re leguntur interdicta, non de diversis Sacerdotibus, sed de uno eodémque explicanda sunt. Id ex Concilii Autisiodorensis, quod anno quingentesimo septuagesimo octavo celebratum est, capite decimo planum fiet. *Non licet super uno altario in una die duas Missas dicere; nec in altario ubi Episcopus Missas dixerit, ut Presbyter in illa die Missas dicat.* Quibus sanè verbis prærogativa quædam Episcopo supra ceteros Presbyteros tribuitur, ut scilicet in illo altari, in quo Missam dixisset, Presbytero non liceret ea die sacrificium offerre. Ergo Presbyteris licebat, aliis post alios, Missas in eodem altari celebrare. aliàs frustranea esset Concilii additio de Episcopis. Hoc illustratur facto Gregorii Turonici Episcopi, qui cùm ab æmulis apud Chilpericum esset accusatus maledicentiæ in Fredegundem, *apud Brennacum villam restitit ad hoc causa, ut dictis Missis in tribus altaribus se de his verbis exueret sacramento. Et licèt canonibus essent contraria, pro causa tamen Regis impleta sunt.* Ad quid enim non in uno, sed in tribus altaribus Gregorius celebravit Missas tres, nisi quia uni Sacerdoti id in uno altari non licebat?

OBSERV. XIII. Altaria mobilia.

78. Altaria mobilia seu portatilia in usu fuisse longè ante sæculum undecimum, patet ex Vita sancti Wlframni Episcopi Senonensis, in qua Wlframnus in navi Oceanum trajiciens, sacrum fecisse super altare portatile dicitur. Consentit Beda in historiæ libro quinto, capite undecimo, agens de duobus Ewaldis, qui *cotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula & tabulam altaris vice dedicatam.* & Hincmarus in Capitulari tertio præcipit, *ut nullus Missam celebret in altari non consecrato, vel sine tabula ab Episcopo consecrata*, quæ sit *de marmore vel nigra petra, aut litro honestissimo.* Nec alium fuisse usum sæculo quinto, ut putat Auctor historiæ eucharisticæ in Addendis, probat exemplum Theodoriti, qui Diaconorum manibus vice altaris usus est ad sacrificium. Quamvis enim tabellæ ejusmodi in usu essent ævo Theodori Cantuariensis Episcopi, tamen ipse in Pænitentiali suo libro ait licere Presbytero *Missam in campo dicere, si Diaconus, vel Presbyter, vel ipse calicem & oblationem manibus tenuerit.* Quin immo Theodoriti factum innuit, non licuisse uti mensâ profanâ in sacrificium: ut necesse fuerit adhibere manus ministri sacri vice altaris. Formam ejusmodi tabu-

larum repræsentat nobis codex manu exaratus Cœnobii Dionysiani prope Luteciam Parisiorum: quo in codice Carolus Calvus prædicto Monasterio multa donaria contulisse dicitur, in his *altare portatile de marmore porphyretico per quadrum auro incluso, quatuor pedes habente. in quo in anteriori parte posuit brachium sancti Jacobi Apostoli, qui dictus est frater Domini; ad dexteram verò ejusdem altaris partem brachii pretiosissimi protomartyris Stephani; ad sinistram verò ejusdem altaris brachium sancti Vincentii Martyris auro optimo inclusit.*

79. Porro edita fuisse ab initio altaria constat ex facto Alexandri Constantinopolitani Episcopi apud Socratem in historiæ ecclesiasticæ libro primo, capite trigesimo sexto, & ex facto Gainæ apud Sozomenum in libri octavi capite septimo, qui uterque subtus aram Deo preces fudisse perhibentur. Ejusdem erant formæ altaria in Occidente sæculis octavo & nono. Nam teste Adelhelmo Sagiensi Episcopo in libro de miraculis sanctæ Opportunæ, numero nono, miles quidam Bosonis Regis, cæcitate à Deo percussus, *subtus altare jacens* visum Monciaci recepisse perhibetur. & in libello de translatione & miraculis sancti Gorgonii Martyris hîc, capite quarto-decimo, mutus quidam permissus est in Ecclesia *jacere sub gradibus, quibus ad altare adscenditur.* quod de crypta subterranea intelligendum non puto. Utrumque locum illustrat Gregorius Turonensis Episcopus in libro primo de gloria Martyrum, capite trigesimo tertio, ubi aram, qualis suo tempore Burdigalæ in basilica sancti Petri Apostoli cernebatur, describit in hunc modum. *Hujus altare positis in altum pulpitis locatum habetur: cujus pars inferior in modum cryptæ ostio clauditur, habens nihilo minùs & ipsa cum Sanctorum pignoribus altare suum.* Neque solùm edito in loco sita erant altaria: erant etiam cava, ut patet ex libro Ardonis de vita Benedicti Anianæ Abbatis, ubi Auctor de altari Salvatoris apud Anianam constructo scribit in hæc verba: *Altare illud forinsecus est solidum, abintus autem cavum, retrorsum habens ostiolum, quo privatis diebus inclusæ tenentur capsæ cum diversis Reliquiis Patrum.* Ergo diebus dominicis & festis inde producebantur Reliquiæ, Fidelium oculis & cultui exhibendæ. Simile etiam erat altare illud aureum, quod Angilbertus Mediolanensis Episcopus in æde Ambrosiana, ubi tum degebant sodales nostri, fieri curavit ante medium sæculum nonum: quódque ex Purisello describens Ughellus in Italiæ sacræ tomo quarto, notat in posteriori altaris parte binas fuisse fores peranguistas, per quas ostiolum patebat in partem altaris interiorem, ubi repositæ Reliquiæ. Quin etiam mobilia erant quandoque altaria majora. Ejus rei auctorem habemus Chro-

OBSERV. XIV. Altaria edita & cava.

„ nographum Laureshamensem scribentem, Helmericum Abba-
„ tem tumbam sancti Nazarii auro argentóque decorasse, altare
„ etiam simili impensa & opera mirificasse, *quod postea ad Ecclesiam sancti Petri, quæ dicitur Altenmunster, translatum est.* & in loco ubi Christus Dominus natus est, præter altare quod erat in Ecclesia super speluncam ædificata, erat etiam altare minus, quod transferebatur in speluncam ab iis qui Missas ibi celebrare volebant, teste Sanctimoniali in Vita sancti Willibaldi Episcopi Eistetensis.

OBSERV. XV. Confessio Communioni præmissa.

80. Post Eucharistiæ considerationem agendum videtur de Confessione & Pænitentia, prout nobis occasionem præbent Acta hîc edita: in quibus CONFESSORUM vocabulum usurpatum non semel, & CONFESSIO frequens inculcata. sic enim in libello de gestis Bertilæ Abbatissæ Kalensis scribit Auctor anonymus ejus æqualis: *Familiam quoque Monasterii sive vicinos propinquos per sanctam Communionem attrahebat, ut datis Confessionibus pænitentiam pro peccatis suis agerent.* Ex his verbis satis apparet, eam fuisse tum temporis persuasionem, ut qui ad Communionem sanctam accedere vellent, conscientiam prævia Confessione repurgarent. siquidem Bertila *per Communionem* suos attrahebat ad Confessionem & pænitentiam: indéque refelli Johannem Dallæum, è Novatoribus sanè eruditum, qui in libro quarto de Confessione, capite quarto adserit, ne nono quidem sæculo, hoc à Fidelibus communicaturis postulasse Patres, ut apud Sacerdotem Confessione arcana pectus purgarent, antequam ad Domini mensam accederent. Ab eo errore longè aberat Alcuinus, dum in Confessionis formula, quam exhibet in secunda parte de Psalmorum usu, pænitentem ita loquentem inducit: *Corpus & sanguinem Domini, polluto corde & corpore, sine Confessione & pænitentia, scienter indignè accepi, nec judicium Dei super me venturum exterritus timui, ut timere debui.* Qui ergo Eucharistiam polluto corde & corpore suscipiebat, nisi confessionem & pænitentiam præmisisset, judicium incurrere censebatur.

Confessionis necessitas.

81. Ne verò Dallæus, ut solet, hos aliósque locos detorqueat ad Confessionem peccatorum, quæ publicâ pænitentiâ expiari prævia Confessione oportebat; demonstrandum est istud Alcuini totiúsque Ecclesiæ dogma eo tempore fuisse receptum, peccata letalia, etiam interna, sine Confessione remitti non posse, ubi adesset copia Sacerdotis. Exorta per id tempus est prava secta quorumdam laïcorum *in provincia Gothorum*, id est (ut quidem existimo) in Gallia Narbonensi, qui peccata sua Sacerdotibus confiteri recusabant. Exstat ea de re Alcuini epistola septuagesima prima editionis Chesnianæ, in-

ſcripta *dilectiſſimis Fratribus & Patribus in provincia Gothorum*, malè Caniſio (apud quem vigeſima ſexta eſt) *in provincia Scotorum*, qua in epiſtola ſic Alcuinus loquitur : *Dicitur verò neminem ex laïcis ſuam velle Confeſſionem Sacerdotibus dare, quos à Domino Chriſto cum ſanctis Apoſtolis ligandi ſolvendíque poteſtatem accepiſſe credimus.* Tum variis argumentis & neceſſitatem Confeſſionis in peccatore, & facultatem abſolvendi in Sacerdote probat. Poſtea ex comparatione trium mortuorum quos Dominus ſuſcitavit, tria diſtinguit peccantium genera, *quæ modò quotidie divina confitentibus ſuſcitare ſolet gratia.* Alii quippe in corde peccant, alii opere, alii ex conſuetudine. Demum ita concludit : *Hæc cogitate, cariſſimi Fratres, & in qualicumque harum trium mortium genere ſi quis jaceat, citiùs ad Confeſſionis probatiſſima medicamenta confugiat, ſalutifero pænitentiæ ſe abluat medicamine, ut non ad judicium damnationis, ſed ad ſalutem ſanctificationis communicet corpore & ſanguine Domini noſtri* Jesu-Christi. Ex quibus manifeſtum eſt Alcuini hanc fuiſſe ſententiam, non minùs eos qui in corde, id eſt ſolo interno animi conſenſu, quàm eos qui opere ipſo externo peccaverant, Confeſſionis remedio ac legi obnoxios eſſe, ut non ad judicium, ſed ad ſalutem Euchariſtiam acciperent. Id verò etiam ampliùs declarat his verbis, quibus aliter ſentientes revocat ad ſaniorem mentem. *Sequimini veſtigia ſanctorum Patrum, & nolite in catholicæ Fidei Religionem novas inducere ſectas. Cavete vobis venenoſum erraticæ invectionis fermentum : ſed in ſinceritate & veritate mundiſſimos ſacræ Fidei panes comedite.* Quid nomine *ſectæ* intelligat, non uno in loco explicat Alcuinus in libris adverſus Elipandum. Eo enim vocabulo deſignat hæreſim in tribus verſibus epiſtolæ iſtis libris præfixæ. Ergo in negotio Religionis Chriſtianæ non ſequitur *veſtigia ſanctorum Patrum*, ſed *ſectam*, id eſt hæreſim, & *erraticæ invectionis fermentum* inducit, quiſquis negat, peccata etiam interna Sacerdotibus non eſſe revelanda, & prætermiſſo Confeſſionis remedio expiari poſſe ſolo animi pænitentis dolore. Nec alienum ab hoc loco eſt id quod in Actione prima Concilii Romani ſub Zacharia Pontifice legitur de præſumtione quadam Aldeberti hæretici, cujus hoc *maximum ſcelus & blaſphemia contra Deum* commemoratur, quòd *venienti populo & proſtrato ante pedes ejus & cupienti confiteri peccata ſua, dicebat : Scio omnia peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt occulta veſtra : ideóque non opus eſt confiteri ea. Securi ergo & abſoluti de peccatis veſtris præteritis, revertimini ad domos veſtras cum pace.* Hoc in textu duo potiſſimùm obſervanda. alterum, moris tunc temporis fuiſſe, ut qui Sacerdotibus peccata ſua in aurem revelare volebant, proſtrati ante pedes Confeſſarii id præſtarent.

alterum, Aldebertum Sacerdotem fuisse, & proinde non ob aliam causam à Patribus hoc in facto damnatum, quàm quòd dicebat, *opus non esse* confiteri sibi peccata sua, ut quis *securus & absolutus* à peccatis redderetur. Ex his item refellitur Dallæus, dum in libri quarti capite undecimo audacter adseverat, nullos ante hæc quinque ultima sæcula homines Catholicis de sacramentali Confessione fecisse controversiam.

etiam in extremis. 82. De necessitate Confessionis in extremis eadem erat hominum illius ævi persuasio. Id quod probat in primis Auctor anonymus ac subpar in libello de vita sancti Filiberti Abbatis Gemeticensis. Quippe *cùm unus Monachus venisset ad extremum mortis, mutus effectus est labiis. Ingressus Dei Sacerdos ad illum, blandè suadere cœpit, ut si haberet occultum facinus, unde pænitentiam non egisset, manum ejus stringeret. Cúmque ille ita fecisset, ingressus vir Dei Ecclesiam sanctæ Mariæ, cœpit Dominum exorare, ut ægro dignaretur linguam reddere, ne adversarius animam pro absconso crimine valeret submergere in barathrum inferni. Cúmque Sanctus de oratione consurgeret, ei Frater alius nuntiavit, quòd æger loqui valeret, & confessionem ei dare satageret. Quod ita factum est. nam confessione data & receptâ pænitentiâ reddidit animam Domino: ut nec Sanctus de Domino diffideret, nec æger in desperationem transiret.* Hîc vides existimasse Filibertum, Monachi sui facinus, tametsi *occultum*, etiam amisso vocis officio sine Confessione remitti non posse. quod tamen aliter de illis moribundis à Leone Magno doceri, observavi in Sæculo nostro secundo, ubi hæc Vita edita est. Necessitatem Confessionis in extremis agnoscunt etiam Patres Concilii Calchutensis in Anglia celebrati anno septingentesimo octogesimo septimo, in capite vigesimo. *Si quis (quod absit) sine pænitentia aut confessione de hac vita discessit, pro eo minimè orandum est. Nullus enim sine peccato est.* Et Jonas Aurelianensis Episcopus in libro primo de institutione laïcorum, capite quarto-decimo: *Si ergo infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis. Neque enim sine confessione emendationis (* lege *& proposito emendationis) peccata queunt dimitti.* Quid signantius ad catholicum dogma confirmandum adferri potest? Huc multa alia conjici possent testimonia & exempla. qualis est auctoritas Concilii Parisiensis sexti, vetantis Presbyteros seu Rectores Ecclesiarum per diversa mitti, quòd *eorum absentiâ homines sine confessione plerumque moriantur.* qualia sunt exempla apud Bedam in libri quarti capite vigesimo quinto, & quinti quarto-decimo, & apud Bonifacium Maguntinum Antistitem in epistola nona-decima ad Ethelbaldum de Ceolredo Rege, *qui sine pænitentia & Confessione*

de hac luce ad tormenta inferni migrasse perhibetur. Verùm hæc fusiùs persequi non sinunt observationis leges.

83. Confessionis integritatem commendant Concilia, Cabilonense secundum capite trigesimo secundo, & Ticinense capite sexto. Theodulfus etiam Aurelianensis Episcopus in Capitularis articulo trigesimo primo: quibus in locis præcipitur ut Confessio *plena* fiat, tam de peccatis quæ *animi motu* sive *cogitatione*, quàm de his quæ *carnis fragilitate* seu *opere* perpetrantur: & publica quidem *publicè*, occulta verò *occultè* expientur. Legendus etiam Jonas in libro primo de institutione laïcali, capite octavo-decimo.

OBSERV. XVI. Confessionis integritas.

84. Generalis Confessionis exempla quædam hoc loco expendenda sunt, unum ex septimo, alterum ex nono sæculo. Eligius teste Audoëno in Vitæ libro primo, capite septimo, *cùm jam virilem ageret ætatem, cupiens se vas Deo exhibere sanctificatum, ac metuens ne aliqua suum delicta pectus frustrarent, omnia ab adolescentia sua coram Sacerdote confessus est acta. sicque sibi austeram imponens pænitentiam*, &c. En egregium Confessionis generalis exemplum in homine piissimo, ab Auctore æquè sancto ejúsque æquali & amico relatum. Aliud non minùs insigne exstat in libello, qui inscribitur Consilium Hincmari Archiepiscopi de pænitentia Pippini junioris, olim Regis Aquitaniæ, apud Sirmondum in Analectis ad Capitula Caroli Calvi. *Exhortandus est Pippinus, ut puram confessionem de omnibus peccatis suis, quæ ab ineunte ætate perpetravit, secretè faciat. quia fortè talia fecit, quæ turpe est etiam in publicum dicere.* Hæc de occultis. de publicis autem criminibus, nempe *de hoc quòd suum habitum*, monasticum scilicet, *dimisit & se perjuravit, & quia cum paganis se junxit, & quia sua conjunctione multa mala sunt perpetrata, coram Ecclesia inter publicè pænitentes se lacrymabiliter accuset.* De Monachorum seu Novitiorum generali Confessione infrà.

OBSERV. XVII. Confessio generalis.

85. Aliud genus Confessionis generalis, quâ scilicet scripto aut verbis generatim conceptis sese peccatores profitebantur, in usu per ea tempora erat. Eo animo Rotbertus Cenomannensis Episcopus epistolam scripsit, *quam in ægritudine valida positus direxit Episcopis circa muros Andegavis cum Carolo Principe in obsidionem Nortmannorum residentibus, petens ab eis absolvi.* Exstat ea epistola in tomo tertio Conciliorum Galliæ, cum subjecta *epistola absolutionis, quam ei remiserunt iidem venerabiles Consacerdotes.* Memoratur & altera Hildeboldi Suessionensis Episcopi ad Hincmarum, *cum exhortatoria Hincmari Metropolitani ad ipsum Hildeboldum corporea infirmitate detentum: in qua juxta petitionem litterarum confessionis illius, sua auctoritate eum per absentiam corporalem*

OBSERV. XVIII.

reconciliando absolvit. Quid Episcopi illi Coepiscopis suis revelaverint, qualémve ab illis absolutionem retulerint, non facile fuerit divinare. In litteris Confessionis generatim se peccatores esse protestantur. sed forsan seriem peccatorum suorum seorsum exponebant in aliis schedulis, quas perlectas incunctanter lacerari par erat. Crediderim hac generali professione postulasse eos indulgentiam seu remissionem pœnæ peccatis suis debitæ. Id suadet epistola Johannis Papæ decimi noni ad Hugonem, cognomento Cabilonensem, Autisiodorensem Episcopum: qui *scrupulo tactus peccatorum ad Johannem pergens, acriter se pœnitere clamavit, indignum se vociferans curæ pastoralis ac pontificalis dignitatis.* Is à Pontifice absolutionis litteras impetravit, in quibus notanda hæc verba: *Proinde Fratri nostro Hugoni Autisiodorensi Præsuli, Deo & nobis sua peccata confitenti; seseque culpabilem reddenti, plenariam à Deo pollicente promittimus consequi indulgentiæ veniam.* uti legitur in libro de gestis Episcoporum Autisiodorensium, capite quadragesimo nono. His præiverat Alcuinus, qui in epistola sexagesima tertia Hadriano Papæ sese offert *peccatorum maculis sanandum*, postulátque *ut jubeat se salutiferæ pietatis verbo à peccatorum vinculis esse solutum.* Idem flagitat à Leone Papa epistolâ septuagesimâ secundâ. Quo demissionis ac confessionis, tametsi generatim expressæ, genere aliquid relaxamenti auctoritate ecclesiastica sibi contingere persuasum habebant homines illi religiosi.

OBSERV. XIX. Confessarii proprii.

86. Auditores Confessionum ab eo primùm octavo sæculo certis personis addictos invenio. Bertinus Sithivensis Abbas Walberto Comiti *Pater confessionum* fuisse dicitur. & Martinus Corbeiensis Monachus, Caroli Principis cognomine Martelli *Capellanus, cui Carolus confitebatur peccata sua.* Humbertus seu Bertus, Offæ Regis Merciorum Capellanus, *conscius* ejusdem *secretorum & Confessor* appellatur apud Spelmannum in Conciliorum Angliæ tomo primo. Donatus Scottus, Fesulanæ Ecclesiæ Episcopus, Ludovico & Lothario Imperatoribus à confessionibus fuisse perhibetur in tomo tertio Italiæ sacræ. Postea res trita cœpit esse. Nam Dunstanus regii palatii Presbyter, ac *Cancellario Turketulo à secretis familiarissimus, & confessionum suarum communicator confidentissimus* dicitur apud Ingulfum. Othalricus seu Udalricus Augustanus Episcopus Ottonis primi Imperatoris, teste Ditmaro in Chronici libro secundo; Stephanus, qui postea hæreticus fuit, Constantiæ Reginæ, uxoris Rotberti Francorum Regis *Confessor* in Actis Concilii Aurelianensis, tomo secundo Spicilegii. Theodoricus Abbas Cœnobii sancti Petri apud Carnutas, *Confessor* Richardi Nortmannorum Comitis seu Ducis; Avicius Prior Monasterii Eoveshami, *Confessor* Comitis Leofrici

apud

apud Ingulfum; uti & Lanfrancus Comitis Waldeni, appellantur. De Confessoribus propriis vulgarium hominum exstat locus insignis in Dialogo Egberti Eboracensis Archiepiscopi, inferius commemorandus.

87. Confessores nonnumquam plures unius hominis peccata maximè in extremis audiebant, & simul pænitentem absolvebant. Theodardus Narbonensis Archiepiscopus, morti proximus *vocavit ad se Abbatem* Cœnobii sancti Martini apud Cadurcos, *& qui sub ejus cura degebant omnes reliquos Sacerdotes monastico utentes officio, & confessionis suæ professionem eorum quæ patraverat delictorum evidenter cum luctu & gemitu exposuit*, uti legitur in quodam fragmento apud Labbeum, tomo secundo Bibliothecæ novæ. Ebbo Remorum Antistes, læsæ majestatis postulatus, *Confessoribus suis Aiulfo & Nothoni Archiepiscopis, Badarado, Modoino, Achardo & Theoderico Episcopis crimina sua confessus est.* Quam tamen confessionem *secretam* ipse vocat in Apologetico suo, quod exstat in tomo secundo Spicilegii: idémque attestantur Patres Concilii Trecensis in epistola ad Nicolaum Papam. Plura id genus exempla mihi inter legendum occurrerunt. in primis Taginonis Magadaburgensis Episcopi, qui anno millesimo duodecimo infirmatus, *accersito Sigefrido Abbate, fratre Thietmari Episcopi Mersburgensis, & Erico Havelbergensi Episcopo, peccatorum confessionem his fecit*, ut legitur in manu-scripto Chronico Magadaburgensi. quod etiam tradit ipse Thietmarus seu Ditmarus in Chronici libro sexto. Idem Auctor in octavo libro laudat Bernarium Episcopum, qui ipsum ad cujusdam Ecclesiæ ab se constructæ consecrationem invitavit. *Ante cujus consecrationem*, inquit, *volumen longum facinoribus suis inscriptum, ac priùs* CETERIS CONFESSORIBUS SUIS *ostensum, mihi aperuit, & coram me gemens legit, & à me supplex indulgentiam postulavit.* Addit postea quædam non omittenda hoc loco, tametsi paullo extra propositum. *Hanc epistolam sumsi, & absolutionem commisi divina potestate huic feci. Cúmque eodem die, id est sexto decimo Kalendas Aprilis, quia tunc erat annua dies sui patris, prædictam consecrarem Ecclesiam, supra pyxidem Sanctorum reliquiis refertam prænominatum posui breviarium, ut eorum assiduo interventu vera flebiliter confitenti remissio fieret & diu optata abolitio. Hoc numquam vidi aliquem fecisse aut audivi: sed quia infirmitatem meam huic nil prodesse timui, ad Sanctos intercessores confugi.* Simile factum lege in Actis sanctæ Segolenæ Abbatissæ in hujus Sæculi tomo posteriori. Ad hæc, Goffridus Autissiodorensis Episcopus instante morte deferri voluit in Monasterium Caritatis super Ligerim, convocavítque Hugonem Episcopum Nivernensem nepotem suum, & Gerardum Priorem

OBSERV. XX Confessarii plures unius hominis.

jam dicti loci: *ut inter sanctas illorum manus facta confessione delictorum, Redemtori Christo spiritum redderet*, in libro de gestis Episcoporum Autissiodorensium, capite quinquagesimo primo. Henricus item primus Anglorum Rex, extrema ægritudine decumbens, *Capellanis suis reatus suos confessus est, & peracta confessione absolutionem & pænitentiam à Sacerdotibus accepit, oleique sacri unctione delinitus, & Eucharistiâ refectus Deo se commendavit*, apud Ordericum in historiæ libro tertio-decimo. Id quod Hugo Rotomagensis, Archiepiscopus, qui aderat, declarat in epistola sua apud Willelmum Malmesburiensem Monachum in libro primo Historiæ novellæ, his verbis: *Venimus ad ipsum, & cum ipso plenum mæroribus confecimus triduum. Prout ei dicebamus, ipse ore proprio sua fatebatur peccata, & manu propria pectus suum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei & nostro & Episcoporum, emendationem vitæ suæ observaturum sese promittebat. sub ista promissione pro nostro officio tertiò eum & per triduum absolvimus.* Huc spectat Petrus de Honestis in Regulæ Clericorum libro secundo, capite vigesimo secundo, dum ista de ægrotantibus præscribit. *Hi ergo si febrem continuari vel languorem increscere persenserint, tunc advocato Priore seu Præposito & Presbyteris ad hoc officium deputatis, plenam de peccatis suis confessionem faciant. Sicque promissa de præteritis culpis secundùm Prioris jussum satisfactione & in futuro sui emendatione, susceptáque ab omni conventu benedictione & peccatorum absolutione, fideliter per eos quibus injunctum est custodiantur, ut eos in cunctis necessitatibus suis ministros aptissimos habeant. Qui semel saltem in die convisitantibus se Fratribus confessionem faciant, atque orationis benedictionem ab eis exquirant.* Cur enim, quæso, si uni Presbytero fiebat confessio, convocantur Presbyteri omnes, omnes absolutionem dant? nonne evidens est argumentum, ab iisdem absolutionem datam, quibus facta confessio? Ex eodem ritu profectum est, ut unctionem infirmis adhiberent Presbyteri plures, uti Menardus observavit in librum Sacramentorum. Confer Morinum in libro secundo de Pænitentia, capite undecimo.

OBSERV. XXI. Confessio Sacerdotum,

88. Confessio Presbyterorum cuilibet Sacerdoti, Monachorum Priori & Confessario Monasterii, Sanctimonialium Presbytero & Abbatissæ nonnumquam fiebat. Hæc paucis explicanda. De Presbyterorum confessionibus præter id quod habetur in Responsis Zachariæ ad Pippinum, interdicentis reconciliationem Presbyteris per manuum impositionem, hoc est per pænitentiam publicam; & in Concilii Parisiensis sexti parte prima, capite sexto supra quadragesimum; nihil invenio ante sæculum quartum-decimum, quo definitum non semel, ut Presbyteri cuivis Sacerdoti confiteri possint. nempe in Concilio Waurensi

anno millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, capite octogesimo primo; & postea in Narbonensi, capite octavo-decimo collectionis Baluzianæ. Idem eodem fere tempore permittit Synodus Bajocensis. *Præcipitur quòd Sacerdotes Episcopo vel Pænitentialibus suis*, id est Episcoporum, *semel in anno confiteantur. Permittit autem Episcopus, quod interim possint, quoties opus fuerit, aliis Sacerdotibus confiteri.* Quæ Synodus etiam Cenomannensis aliis dicitur.

89. De Monachorum confessione ita scribit Chrodegangus Mettensis Episcopus in Regulæ capite trigesimo secundo: *Monachi in unoquoque sabbato confessionem faciant cum bona voluntate Episcopo aut Priori suo.* Hunc locum forsan non viderat Petrus Blesensis, dum ait in epistola quadam ad W. Abbatem: *Sæpe videmus aliquos hujus vestri Ordinis Episcopis confiteri, vel illis quos pro se delegant Episcopi. quod quidem scimus esse contra constitutiones Patrum & honestati contrarium.* Erat in Monasteriis præter Abbatem Prioremve Presbyter Monachus, audiendis confessionibus deputatus. Presbyteri octo erant in Monasterio Nitriæ, ut superiùs vidimus: sed unus judicabat, id est sententiam ferebat de aliorum peccatis. Theganmarus Confessarius erat Fratrum in Monasterio Augiensi, à Walafrido Strabo laudatus in carmine de visione Vertini Monachi in hæc verba: OBSERV. XXII. Mona-chorum,

cui longa senectus
Contulit æterno venerandos munere canos.
Confessor Fratrum, gnarus conferre medellam.

Idem officium in Cœnobio Cluniacensi gessit sæculo undecimo sanctus Udalricus, uti suo loco videbimus. De Monachorum confessione plura inferiùs.

90. Confessiones Sanctimonialium sub conscientia Abbatissæ Presbytero fieri probat sanctus Basilius in Regulæ suæ capite undeducentesimo, ubi interrogatus, *si oportet quum aliqua Soror confitetur quodcumque delictum suum Presbytero, etiam Matrem Monasterii adesse;* respondet: *Honestius mihi videtur esse & religiosius, ut per seniorem Matrem Presbyter si quid illud sibi videtur statuat, & modum vel tempus pænitentiæ imponat ad emendationem ejus, quæ corrigi desiderat à peccato.* Hinc videtur illustrari posse id quod legitur, tum apud Jonam in libello de rebus gestis in Cœnobio Eboriacensi tempore Burgundofaræ Abbatissæ, capitibus octavo (malè decimo in editis nostris) & tertio-decimo; tum in Regula cujusdam (ut vocant) capitibus sexto & decimo sexto: in quibus mentio fit confessionis Abbatissæ vel Præpositis factæ etiam de gravioribus delictis, & quidem in extremis apud Jonam. Id verò statutum eo animo fuerat, sive quòd Presbyter à OBSERV. XXIII. & Sancti-monialiū.

Sanctimonialibus per Abbatissam faciliùs confessionem exprimeret earum maximè rerum, quæ verecundiæ speciem habent; sive quòd rectiùs cum ea pænitentiæ modum præscriberet; seu denique ut ea præsente confessio fieret eum ad modum, quo plures Sacerdotes unius ejusdémque hominis confessionem excepisse dictum est. Quamquam nescio an quibusdam in locis sibi hoc in negotio nimium sumserint Abbatissæ, quæ per speciem removendi homines à conspectu Monacharum, in subditarum conscientias plus auctoritatis, quàm liceret, usurpare tentaverint. Certè Theodorus Balsamon in Juris Græco-Romani libri quinto, interrogatione trigesima quarta, notat quasdam Cœnobiorum Præfectas, quæ Episcopi licentiam requisierunt, „ ut Monacharum sibi subditarum confessiones exciperent. Re„ spondet Antiochenus Patriarcha, eam potestatem solis Sacerdo„ tibus concessam esse. Lege Acta sanctæ Segolenæ Abbatissæ, quæ omnia vitæ suæ errata, quantumvis levissima, Monacho Presbytero confessa est. tametsi eo tempore, quo necdum venialium culparum frequens erat confessio sacramentalis, Sanctimoniales rariùs forsan Presbyteris quàm Abbatissis conscientias suas denudabant.

OBSERV. XXIV. 91. Jam superest ut exponam, quo tempore, quáve occasione quondam solita sit fieri confessio. nempe in præcipuis anni festis, & ante Quadragesimam; ante Confirmationem, & peregrinationes; ante Professionem monasticam, & militum initiationem; ante pugnam, & in extremis.

Confessio in festis præcipuis. 92. In præcipuis sollemnitatibus. Luculentum hac de re testimonium exstat in fine Dialogi Egberti Eboracensis Episcopi in hæc verba: *Quartum jejunium mense Novembrio à veteribus colebatur juxta præceptum Domini ad Hieremiam dicentis: Tolle volumen libri, &c. Hac ergo auctoritate divinarum scripturarum Ecclesia catholica morem obtinet, & jejunium atque observationem mense celebrat decimo, sabbato quarto, propter advenientem venerabilem sollemnitatem Domini nostri* JESU-CHRISTI: *ubi ante plures dies & continentia carnis, & jejunia exhibenda sunt, ut unusquisque Fidelis præparet se ad communionem corporis & sanguinis Christi cum devotione sumendam.* Eam ob rem jejunia exercebant, secedebant in Monasteria, ad Confessores denique suos accedebant. Sic enim continenter subdit Egbertus: *Quod & gens Anglorum semper in plena hebdomada ante Natale Domini consuevit, non solùm quartâ & sextâ feriâ & sabbato, sed & juges duodecim dies in jejuniis, & vigiliis, & orationibus, & eleemosynarum largitionibus, & in Monasteriis & in plebibus, ante Natale Domini quasi legitimum jejunium exercuisse perhibetur. Nam hæc, Deo gratias, à temporibus Vitaliani Papæ & Theodori*

Dorobernensis Archiepiscopi inolevit in Ecclesia Anglorum consuetudo, & quasi legitima tenebatur, ut non solùm Clerici in Monasteriis, sed etiam laïci cum conjugibus & familiis suis ad Confessores suos pervenirent, & se fletibus à carnalis concupiscentiæ consortio his duodecim diebus cum eleemosynarum largitione mundarent: quatenus puriores dominicæ communionis perceptionem in Natale Domini perciperent. Hunc locum integrum referre visum est, ut appareret contra Dallæi item erratum in libri quarti capite octavo, jam septimo sæculo, id est à tempore Vitaliani Papæ, mentionem factam confessionis ante Natale Domini, (ad quid enim aliud laïci ad *Confessores suos* accedebant?) & quidem confessionem communioni uti dispositionem cum jejunio præmissam. Confessio item fiebat ante Quadragesimam ob festi paschalis religionem. Chrodegangus Mettensis Episcopus in Regulæ capite trigesimo secundo id probat de tribus Quadragesimis, quæ servabantur ante Pascha, ante Natale sancti Johannis Baptistæ, & Christi Domini. *Hæc est*, inquit, *ratio pœnitentiæ & confessionis nostræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus à nobis pariter agendæ sunt, id est in unoquoque anno tribus vicibus, id est in tribus Quadragesimis populus Fidelis suam confessionem faciat: & qui plus fecerit, melius facit.* Theodulfus Aurelianensis Episcopus in Capitularis articulo trigesimo sexto. *Hebdomada una ante initium Quadragesimæ confessiones Sacerdotibus dandæ sunt.* Hinc Adelardus Abbas Corbeïensis in Statutorum libro primo, capite secundo, Monasterii operis concedit laboris manualis remissionem *primo die jejuniorum Quadragesimæ, ideo ut spatium habeant confessiones suas renovare.* Et ne quis hæc interpretetur de confessione ordinata ob pœnitentiam publicam, occurrit Regino Prumiensis Abbas, duplicem distinguens confessionem in Collectionis * canonum libro primo, capite octogesimo octavo supra ducentesimum. *Presbyteri debent admonere plebem sibi subjectam, ut omnis qui se sentit mortifero peccati vulnere sauciatum, feriâ quartâ ante Quadragesimam cum omni festinatione recurrat ad vivificantem matrem Ecclesiam: ubi quod malè commisit, cum omni humilitate & contritione cordis simpliciter confessus, recipiat remedium pœnitentiæ (publicæ) secundum modum canonicis auctoritatibus præfixum, tradatùrque satanæ in interitu carnis, ut spiritus salvus sit in nomine * Domini.* Hæc ille de confessione facienda ob publicam pœnitentiam. sic verò de privata: *Non solùm autem ille qui mortale aliquod commisit, sed etiam omnis homo, quicumque se recognoscit immaculatam Christi tunicam quam in baptismo accepit, peccati maculâ polluisse, ad proprium Sacerdotem venire festinet, & cum purificatione mentis omnes transgressiones omniáque peccata, quibus Dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteatur.* Adeo verò hoc in legem

* *Ea recèns edita est à V. C. Stephano Baluzio.*

* *l.* in die

evaserat, ut idem Auctor in libri secundi capite quinto referat id inter ea, de quibus Episcopus in Synodo interrogare debet, nempe *si aliquis ad confessionem non veniat vel una vice in anno, id est in capite Quadragesimæ, & pænitentiam pro peccatis suis suscipiat.* Non ergo Innocentius tertius (ut Dallæus fallit) istius legis auctor, sed approbator censendus est. His accedit Gislebertus Lunicensis Episcopus in epistola quadam de statu Ecclesiæ: *Absolvit Præsul populum de venialibus in capite jejunii, de criminalibus in Cæna Domini.* Quibus in locis, tam apud Reginonem quàm apud Gislebertum, *venialium peccatorum* nomine intelligenda sunt leviora peccata mortalia, quæ pænitentiæ publicæ subjecta non erant, tametsi *tunicam in baptismo acceptam maculâ* sua *polluebant:* non verò peccata illa levissima, quæ recentiores appellant venialia. De his enim per ea tempora passim non fiebat confessio Sacerdoti, ut postea dicendum erit.

ante Confirmationem.

93. Ante Confirmationem. de qua ita Herardus Turonensis Archiepiscopus in capitulo septuagesimo quinto: *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur Confessiones dare priùs, ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere.*

ante peregrinationem.

94. Ante peregrinationem. Ahito seu Hetto ex-Monacho Augiensi Basiliensis Episcopus, in Capitularis articulo octavodecimo, *omnibus Fidelibus denuntiandum* jubet, *ut qui causâ orationis ad limina beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata sua; & sic proficiscantur: quia à proprio Episcopo suo aut Sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab extraneo.* Neque adversatur Leo Papa nonus, dum Monachis Besuensibus concedit facultatem audiendi adventantium peregrinorum confessiones. quod & ipsum aliis ab aliis Pontificibus indultum.

ante vitæ monasticæ initiú.

95. Ante monasticæ vitæ tirocinium Novitii Confessionem edebant, eámque ut plurimùm generalem. Johannes Climacus in Scalæ gradu quarto: πρὸ πάντων ἐξομολογησώμεθα τῷ καλῷ ἡμῶν δικαστῇ, καὶ μόνῳ, εἰ δὲ κελεύει, καὶ πᾶσι. id est, Primum omnium
» confiteamur bono Judici nostro, vel soli, vel, si imperet ille,
» omnibus. Sic Confessarii Sacerdotis officium judicandi nomine exprimit Palladius, ubi de Monasterio Nitriæ agit. Patrem spiritalem vulgò Græci, uti & Latini appellant. Idem statutum de Novitiis legitur apud Udalricum in libri tertii capite vigesimo sexto: *In vita quoque sæculari quæque extra salutem animæ suæ commiserunt, omnia domno Abbati ad confessionem manifestant.* Quod apud Cluniacenses, id etiam vigebat apud Cartusienses, uti legitur in secunda parte Statutorum antiquorum, capite undecimo. *Consulimus & monemus, ut tam Clerici quàm laïci universaliter confiteantur ad minus, quum ad Ordinem veniunt, & quando Prior*

mutatur. Jam Monachi facti confessionem venialium sibi invicem plerumque faciebant, quod etiam observabant homines religiosiores. Beda in commentario in caput quintum epistolæ sancti Jacobi Apostoli, exponens hunc versum, *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra; In hac sententia*, inquit, *illa debet esse discretio, ut cotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur*, &c. Jonas Aurelianensis Episcopus in libro primo de institutione laïcali, capite sexto-decimo: *Moris est Ecclesiæ de gravioribus peccatis Sacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, confessionem facere; de cotidianis verò & levibus quibuscumque perrari sunt qui invicem confessionem faciant, exceptis Monachis, qui id cotidie faciunt*, nempe æqualibus, ut inferiùs probat adductis Bedæ aliorúmque Patrum testimoniis. ex quibus ita concludit: *His documentis colligi potest, quòd sicut cotidie in multis offendimus; ita cotidie de admissis confessionem alterutrum facere, & orationibus & eleemosynis, & humilitate & contritione cordis & corporis ea debemus purgare.* Alia tamen videtur fuisse sententia Chrodegangi Mettensis Episcopi superiùs adducta, qui *in unoquoque sabbato* à Monachis confessionem fieri non æqualibus modò, sed *Episcopo aut Priori* monet. Quod intelligendum puto non de singulis Monachis, sed de iis quibus aut conscientia, aut scrupulus culpæ gravioris inerat. Certè in primariis Statutis Cartusiensium apud Guigonem hæc leguntur in capite septimo: *Et quia tota hebdomada in cellis silentium tenemus, peccata nostra Priori vel quibus ab eo injunctum est confitemur*, nempe in sabbato. Id quod non de sacramentali, sed de communi culparum accusatione explicat tertia compilatio Statutorum in partis secundæ capite undecimo. ubi relatis Guigonis verbis, explicationis gratiâ ista subduntur: *Occurrente autem Capituli festo in sabbato, die præcedenti quæ sine tali festo occurrit, confitemur. Semper autem confitemur in vigilia Natalis Domini, nisi eadem vigilia occurrat in Dominica vel in feria secunda: in quo casu confitemur in sabbato sequenti. Providendum est enim, ut semper in qualibet hebdomada faciamus confessiones communes. . . Quandocumque in Capitulo confitemur, prolixitatem caveamus: in cella autem diffusiùs possumus confiteri. Pro privata confessione quæ in cella fit vel alibi, non dimittitur generalis quæ fit in sabbato.* Hinc manifestum est, Guigonis statutum superiùs memoratum non esse de confessione sacramentali, cujus ille (si bene recolo) in toto Statutorum suorum libello non meminit. quasi innueret, Cartusiensium mores ac vitam ita comparatam esse debere, ut sicut nullus erat locus peccatis gravioribus; sic nullum tempus confessioni sacramentali adsignari necesse esset. Et tamen Guigonis ævo peccata venialia in aurem Sacerdotum Monachi revelare solebant,

Confessio venialium.

maximè in dubiis caufis, ubi culpæ gravioris latebat fufpicio. qua de re intelligendum videtur Regulæ fancti Benedicti caput quadragefimum fextum, ubi errata communia coram omnibus exponi Abbati præcipit: *fi verò peccati caufa latens fuerit, tantùm Abbati aut fpiritalibus fenioribus patefieri.* ubi *Patres fpiritales*, Confeffarios appellare videtur more veterum Græcorum Latinorúmque recentiorum. Vigebat etiam initio fæculi quinti-decimi mos ille revelandi æqualibus peccata venialia, ut conftat ex fermone quodam Radulfi Ardentis in Litania majore. tametfi jamdudum facramentalis confeffio venialium inducta erat, faltem apud Monachos. De hac confeffione interpretandi funt Petrus Damiani, Petrus de Honeftis, Guillelmus Abbas Monafterii S. Theoderici, uti & fanctus Bonaventura, quorum teftimonia hoc loco expendenda. Petrus Damiani in Opufculo quinto-decimo de fuæ Congregationis inftitutis, capite quarto & vigefimo, Eremitam monet, ut *fi aliquando confiftens in cellula, illicitum aliquod cogitando, vel etiam operando peccaverit, unde fe quantumlibet confcientia pavefacta remordeat, non ftatim confeffionis gratiâ prodat, vel propofiti rigorem frangat:* fed *Deo interim confiteatur, & futuræ jam confeffionis velut quafdam illi arras in hunc modum tradat: Domine* JESU-CHRISTE, &c. ubi Petrus non videtur loqui de letalibus culpis, quarum fine dubio confeffionem religioni filentii prætuliffet, homo purioris difciplinæ amantiffimus. Petrus de Honeftis in libro fecundo de Regula Clericorum, capite fexto-decimo præcipit, ut in feftorum pervigilio *fiat omnium exceffuum patens confeffio. Si quis tamen aliquid privatè confiteri voluerit, confiteatur Priori five Presbyteris per Priorem ad hoc officium deputatis*, nempe etiam de levioribus noxis. quarum confeffionem clariùs exprimit Guillelmus Abbas in libro primo de vita fancti Bernardi Abbatis Clarevallenfis capite fexto, ita loquens de difcipulis ejus piiffimis: *Sed viri verè religiofi & piè prudentes, & in prædicatione fermonum ejus venerabantur etiam quæ non capiebant, & in confeffionibus fuis licèt ad novum ftuperent auditum, eo quòd feminarium quoddam defperationis præferre videretur infirmis: tamen juxta fententiam fancti Job nefas putabant contradicere fermonibus Sancti.* Nempe ita leviora peccata, quæ fibi confitebantur difcipuli, Bernardus exaggerabat verbis, ut illi pæne defperatione fracti, fpem confectandæ perfectionis abjicerent. Omnium verò clariffimè Bonaventura facramentalem venialium peccatorum confeffionem fuo tempore in ufu fuiffe docet in librum quartum fententiarum, diftinctione feptima-decima, parte tertia, articulo fecundo, quæftione prima. *Quamvis*, inquit, *de ratione fui generis non fit ea confiteri neceffarium; tamen ea confiteri*

congruum

congruum est, maximè viris perfectis : quia utile est multùm, & pœna illis debita minuitur ex vi clavium. In Actis sanctæ Segolenæ Abbatissæ hîc editis exstat longè vetustius exemplum confessionis venialium erratorum. Segolena quippe cuidam Monacho, qui & ipse Sacerdos erat, omnia *parva minimáque peccata, sine quibus esse non possumus, cùm gravia deessent, lacrymans confessa* est, uti legitur in capite vigesimo tertio. Ex his patet, jam ante longa tempora homines purioris vitæ studiosos de venialibus fecisse confessionem, uti & modò, maximè ad serenandam conscientiam in dubiis causis. Verùm illud interest, quòd Majores nostri stata ejusmodi confessionibus intervalla non definiebant, sed suæ quemque conscientiæ permittebant.

96. Ut ante Monachorum, sic ante militum initiationem confessio quondam præmittebatur. Nempe *Anglorum erat consuetudo*, teste Ingulfo Abbate Crulandensi, *quòd qui militiæ legitimè consecrandus esset, vespere præcedente diem consecrationis suæ, ad Episcopum, vel Abbatem, vel Monachum, vel Sacerdotem aliquem contritus & compunctus de omnibus peccatis suis confessionem faceret; & absolutus, orationibus & devotionibus & afflictionibus deditus in Ecclesia pernoctaret. in crastino quoque Missam auditurus gladium super altare offerret, & post Evangelium Sacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret, & communicatus ad eamdem Missam sacris Christi mysteriis, denuo miles legitimus permaneret.* Ita Ingulfus, qui ait eum modum initiandi militis odiosum Nortmannis fuisse. Et tamen ipsi Regum filii hoc ritu initiabantur milites, ut colligimus ex Orderico Vitali, qui in historiæ libro quinto observat, Ricardum Guillelmi Anglorum Regis filium occubuisse, antequam *militiæ cingulum acciperet.* Idem etiam factum in Gallia docet Chronicon Dionysianum, in quo Philippus filius Philippi Regis, cognomento Pulcher, *factus miles in festo Adsumtionis* beatæ Virginis perhibetur. idémque tres filios suos Ludovicum, Philippum, & Karolum, in festo Pentecostes *novos milites* ordinasse, & ipsi filii Regis *alios milites novos numero ampliùs quadringentos* accinxisse referuntur in Chronico Rotomagensi apud Labbeum, tomo primo Bibliothecæ novæ. ubi etiam Philippus sextus Johannem filium suum primogenitum accinxisse, & quadringentos novos milites ordinasse memoratur anno millesimo trecentesimo trigesimo secundo, in octavis post festum sancti Michaëlis: sub cujus nomine & auspiciis Ordo militum ab Ludovico undecimo postea institutus est.

ante militum initiationem.

97. Ante pugnam etiam milites peccata sua Presbyteris revelabant, auctore Alcuino in epistola quadragesima sexta ad Damœtam. *Valde sollicitus sum de itinere profectionis in hostem : quia*

ante pugnam.

plurima solent in talibus evenire pericula rebus. Tu verò iter tuum confessione confirmare; eleemosynis roborare memento. Audomarenses opidani à Nortmannis obsessi, *compuncti se mutua confessione rebaptizaverunt, ac humili perceptione mysterii corporis & sanguinis se munierunt*, ait Auctor æqualis ejus temporis, in libro secundo de miraculis sancti Bertini capite septimo. Rex Arnulfus in obsidione Romana, *sollemnitate Missarum celebrata, exercitum unanimiter interrogavit, quid facto opus sit. Conveniunt omnes cum lacrymis fidem promittentes, confessionem coram Sacerdotibus publicè agentes*, in Annalibus Fuldensibus ad annum octingentesimum nonagesimum quintum. Willelmus Malmesburiensis Monachus in libro tertio de gestis Anglorum, capite quinto-decimo laudat milites Nortmannos, quòd *tota nocte confessioni peccatorum vacantes, mane dominico corpore communicaverint*, antequam pugnam cum Anglis inirent. Denique Dux Conradus anno quinto & quinquagesimo supra nongentesimum pugnaturus contra Hungaros, *post Missæ celebrationem sacrámque communionem ab egregio porrectam Odelrico Confessore suo, processit adversus hostes*, ut legitur in Chronico Magadaburgensi. Hinc Synodus Germanica Liptinis confirmata permittit capite secundo, ut *in castris Princeps habeat unum vel duos Episcopos cum Capellanis vel Presbyteris eorum, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pænitentiam possit.* quod decretum Carolus Magnus in capitula ecclesiastica postea transtulit anno octingentesimo.

in extremis. 98. In extremis denique peccata Sacerdoti confiteri præceptum erat, ut superiùs probatum est. Qua in re illud animadversione dignum, obtinuisse aliquando hunc morem, ut reis capitis damnatis spatium confitendi negaretur. Argumento est Dacco, Dagarici quondam filius, qui cùm à Chilperico Francorum Rege *vinctus detineretur, & cerneret se penitus non evasurum, à Presbytero Rege nesciente pænitentiam petiit. quâ acceptâ interfectus est.* Hunc locum Gregorii Turonici Episcopi ex libri quinti capite vigesimo quinto, ita reddidit Aimoinus in libri tertii capite vigesimo nono: *Dacco confessus cuidam Presbytero peccata sua, pænitentiam Rege nesciente petiit. quâ acceptâ interfectus est.* Et certè pænitentiæ vocabulum apud Gregorium de confessione secreta interpretari cogit ipse contextus, non verò de pænitentia publica. Quid enim juvisset Dacconem, accipere pænitentiam publicam à Presbytero, quam persolvere temporis angustia non patiebatur? aut quid demum remedii consequebatur accipiendo, non obeundo pænitentiam? Rectè verò *pænitentiam*, hoc est sacramentum pænitentiæ peccata confitendo

petiit & accepit. Ex hoc uno loco refellitur Dallæi commentum duplex. unum, dum ait in libri quarti capite quinto, nullum extare exemplum confessionis factæ ab homine posito in extremis adusque sæculum nonum inclusivè. alterum in capite quadragesimo ejusdem libri, pænitentiam simpliciter dictam ad octavum usque sæculum de pænitentia publica, non de confessione intelligi. Porro etiam ex hoc Gregorii testimonio intelligitur, reis capitis damnatis pænitentiam seu confessionem negari solitam, ut Dacco *Rege nesciente* clam à Presbytero eam postulare coactus sit. Exemplum aliud nobis suppeditat Ordericus Vitalis in historiæ suæ libro octavo de Conano quodam, qui cùm Rotomagum Guillelmo Rufo prodere tentasset, captus tandem à Rotberto Duce, *pro amore Dei confessionem sibi permitti* postulavit, nec obtinuit. Severam hanc legem primi in Anglia sæculo nono sustulerunt Alfredus seu Aluredus Anglorum, & Guthurnus Anglo-Danorum Reges, sancientes in Legum ecclesiasticarum capite octavo, ut *si quis reus mortis profiteri desideret Sacerdoti, numquam negetur ei.* quam remissionem approbavit Edwardus Rex Aluredi filius in Legum ab se & Guthurno conditarum capite quinto, in hæc verba: *Si quis rei capitalis damnatus sua ingenuè Sacerdoti peccata confiteri cupiverit, id ei conceditor.* Seriùs in Gallia id permissum, nimirum anno trecentesimo nonagesimo sexto supra millesimum, quo Carolus sextus Francorum Rex multorum Procerum ecclesiasticorum & laïcorum precibus persuasus hunc morem abrogavit, cujus rei edictum integrum Fontano refert in tomo primo Edictorum. Profectus erat mos iste ex antiqua disciplina, quæ facinorosis excommunicatis pænitentiam denegabat, si tantùm in exitu eam petebant, ut Morinus observavit in libro primo de pænitentia, capite primo.

99. Nunc locus & occasio postularet, ut de pænitentiæ publicæ disciplina, qualis scilicet per octavum ac subsequentia sæcula tenebat, aliquas observationes proponerem. Nimirum octavo sæculo Patres Concilii Cloveshoviensis graviter conquesti sunt de pænitentiæ publicæ redemtione per eleemosynas & Missas. dein Patres Cabilonensis ac Remensis Synodorum de ejus remissione, ac redemtione item per laborem peregrinationum *Romam Turonúmve & alia quædam loca sub prætextu orationis*, ut loquuntur Patres Cabilonenses. tametsi Nicolaus Papa primus ob peregrinationem Romanam nonnihil relaxamenti concessit Wimaro, aliísque nonnullis publicæ pænitentiæ addictis. Verùm quia Morinus modò laudatus & alii plures nostro ævo copiosè & eruditè hoc argumentum tractaverunt, ei supersedeo.

OBSERV. XXV. Pænitentia publica.

Tantùm obſervo verum non eſſe id quod Dallæus adfirmat non ſemel, pænitentiam publicam ab ineunte ſæculo tertio-decimo ſeu ab Innocentii tertii pontificatu exſtinctam penitus eſſe. Nam in præceptis conditis in Synodo Rotomagenſi anno ducenteſimo quadrageſimo quinto ſupra milleſimum iſtud legitur, *ut Preſbyteri parochianos ſuos ſollemniter pænitentes faciant venire in capite jejunii ad cathedralem Eccleſiam, ut per Archiepiſcopum ſollemniter ab Eccleſia ejiciantur, & ſimiliter in die Jovis proxima ante Paſcha per Archiepiſcopum Eccleſiæ reconcilientur.* quod argumento eſt, etiam tum viguiſſe publicam pænitentiam: cujus aliqua veſtigia in Eccleſia Romana ſuo remanſiſſe tempore auctor eſt Deſiderius Eraſmus in Exomologeſi.

OBSERV. XXVI. Societates pro ſuffragiis.

100. Eodem octavo ſæculo mutuæ SOCIETATES in commendationem vivorum, & præcipuè mortuorum; & ANNIVERSARIA perpetua frequentari cœpta. De ejuſmodi Societatibus exſtat inſignis locus apud venerabilem Bedam, qui in mercedem Vitæ ſancti Cuthberti ab ſe conſcriptæ, hæc rogat in Prologo ad Eadfridum Epiſcopum & Monachum Lindisfarnenſem: *Me defuncto pro redemtione animæ meæ, quaſi pro familiaris ac vernaculi veſtri, orare & Miſſas facere, & nomen meum inter veſtra ſcribere dignemini. Nam & tu, ſanctiſſime Antiſtes, hoc te mihi promiſiſſe jam retines: in cujus etiam teſtimonium futuræ conſcriptionis religioſo Fratri noſtro Godfrido manſionario præcepiſti, ut in albo veſtræ ſanctæ congregationis meum nunc quoque nomen appareret.* Plures ea de re leguntur ſancti Bonifacii Epiſcopi Maguntini & Martyris epiſtolæ, in his epiſtola centeſima ſexta ad Optatum Abbatem, ſcilicet Caſinenſem. *Diligenter quoque deprecamur, ut familiaritas fraternæ caritatis inter nos ſit, & pro viventibus oratio communis, & pro migrantibus de hoc ſæculo & orationes & Miſſarum ſollemnia celebrentur, quum alternatim nomina defunctorum inter nos mittentur.* & epiſtola nonageſima quinta Cudberti Abbatis Wiremuthenſis ad Lullum Epiſcopum Bonifacii ſucceſſorem: *Nomina Fratrum quæ ad nos miſiſti, cum nominibus hujus Monaſterii Fratrum dormientium in Chriſto ſcripta continentur, ita ut pro illis nonaginta & eo ampliùs Miſſas facere præceperim.* Iſtiuſmodi Societas non tantùm in gratiam Monachorum, ſed etiam amicorum & familiarium ejuſdem Monaſterii fiebat. Hinc Dodo Abbas Hornbacenſis in Bonifaciana epiſtola octogeſima quarta ad Lullum: *Cum ſalutationis,* inquit, *officiis humili prece depoſcimus, ut iſtam familiam Chriſti & ſancti Petri in veſtra commemoratione ſemper habeatis, & ipſi pro omnibus amicis noſtris, tam Epiſcopis & eorum Clero, quàm Abbatibus & eorum Monachis, ſeu & Abbatiſſis vel Deo dicatis, in iſta congregatione ſancti Petri oratores veſtros tam*

vivos quàm defunctos in vestra mercede commemorare faciatis, ut in sacris orationibus illorum eam assiduè memorare debeant. quatenus per illorum suffragia olim optatam adire mereamur januam paradisi. Deinde addit: *Similiter vos deprecamur, ut omnium amicorum vestrorum nomina, tam vivorum quàm defunctorum, per præsentem Fratrem nostrum Saganaldum per Breve ad nos dirigere faciatis.* Brevia seu Breves isti erant indiculi nominum eorum, qui in suffragiorum societatem admittendi seu admissi erant, quales exstant in Bonifacianis epistolis centesimis octava, nona, & undecima: quales item memorat Udalricus in libro tertio Consuetudinum Cluniacensium, capitibus trigesimo, sequenti, & ultimo. Quippe moris erat, ut prima quaque occasione quotannis, seu statim post mortem alicujus Abbatis aut spectatæ personæ, mitteretur ad socios Monachos epistola encyclica, in qua describebantur potiora gesta defuncti Abbatis, & Rotulus seu nomina defunctorum eo anno; ex parte verò sociorum remitteretur Carmen lugubre super morte Abbatis spectatæve personæ (Titulum appellabant) cum Rotulo seu indiculo suorum etiam mortuorum: qui ab utrisque in Necrologiis inscribebantur. Neque mansit penes solos Monachos iste ritus; sed ad Clericos etiam & laïcos permanavit. In Synodo Francofurtensi sub finem octavi sæculi celebrato Carolus Rex commonuit Patres, *ut Alcuinum ipsa sancta Synodus in suo consortio sive in orationibus recipere dignaretur, eo quòd esset vir de ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque Synodus secundùm admonitionem domini Regis consensit, & eum in eorum consortio sive in orationibus receperunt.* & in Concilio apud Saponarias post medium sæculum nonum Episcopi statuerunt, *ut pro se invicem omnes dum adviverent, preces hujusmodi frequentarent, scilicet ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas feriâ quartâ Missam celebrarent. post vocationem autem cujuslibet eorum superstites obtinerent, ut pro eo qui decesserit, in sedibus septenæ Missæ totidémque vigiliæ Domino persolverentur: à Presbyteris autem Monasteriorum sive villarum tres Missæ totidémque vigiliæ dependerentur. Exitus autem uniuscujusque vicissim piis currentibus litteris innotescat.* Qui in ejusmodi societatem adlecti erant, *Fratres conscripti* appellabantur, apud Goldastum de Monasterio sancti Galli. Varia fuêre in ejusmodi Societatibus officia, septenaria, tricenaria; annona seu portio quotidiana Monachi, pauperibus expensa in dies triginta. Porro Societates illæ non ex operum fiducia, quâ Monachi inflati essent, ut Joachimus Vadianus calumniatur; sed ex Fidelium persuasione profectæ sunt, quâ in animum induxerant suum, piorum hominum suffragia ob communionem Religionis Christianæ plurimùm valere ad Dei gratiam conciliandam.

OBSERV. XXVII. Anniversaria.

101. Societatibus istis accessère ANNIVERSARIA perpetua per idem fere tempus. A primis Ecclesiæ sæculis defunctorum extremum diem anniversariis precibus cultum fuisse testis est Tertullianus in libro de Corona militis, & Cassianus in Collationis primæ capite nono-decimo: ídque aliis argumentis probavit Gazæus in eum Cassiani locum. An verò anniversaria illa officia semel tantùm, an perpetuò recurrerent, non ausim adfirmare. Certè Candidus Monachus in Vita sancti Eigilis Abbatis Fuldensis, qui anniversariam memoriam Fratrum defunctorum instituerat, satis innuit rem tum vulgatam non fuisse, ut proinde eam tueri & approbare necessarium judicaverit his verbis: *Simili consilio atque devotione idem (Eigil) bonæ voluntatis vir anniversariam Sturmis primi Abbatis, fundatoris Monasterii Fuldæ, & memoriam omnium Fratrum de hac luce defunctorum in natale sancti Ignatii Martyris Christi, qui paullo inferiùs ab hac anniversaria numeratur, propter intercessionem tanti Patroni in Missarum celebratione, psalmodiis, & oratione sancta celebrari sancivit. Hujus rei siquidem constitutio dum cunctæ congregationi perlecta esset, ac deinde si placeret interrogatum fuisset; respondebatur ab omnibus, Placet. Sed ne cui fortasse hæc celebratio superstitiosa & cassa esse videatur, legat Collationes sanctorum Patrum, & ibi reperiet hujus festivitatis exemplum.* Hinc patet, rem istam his in partibus haud usitatam fuisse, cui, ne superstitiosa videretur, exempli auctoritas præstruenda fuerit. Quamquam nonnulla exstant Anniversaria Regum aliarúmque illustrium personarum ante illud tempus instituta in Gallia, Chlodovei Magni scilicet in Ecclesia sancti Petri, nunc sanctæ Genovefæ; Childeberti ejus filii in Monasterio sancti Vincentii seu S. Germani de Pratis; Dagoberti in basilica Dionysiana, apud Luteciam Parisiorum: quæ Anniversaria in prædictis locis hactenus recoluntur, at quo tempore cœperint, ignoratur. Neque tamen putes ea recentiorum commenta fuisse. siquidem Carolus Calvus in diplomate concesso Monachis Germanensibus rogatu Gozlini Abbatis anno trigesimo tertio regni sui approbat *refectionem* Monachis parari solitam *in Anniversario Childeberti Regis.* Synodus verò Pistensis anno octingentesimo sexagesimo secundo ratas habet refectiones, quas *Hilduinus Abba ordinaverat atque constituerat* Dionysianis in nonnullis festis, *atque in Anniversario Dagoberti Regis.* Rigobertus quoque Remorum Antistes, auctore Frodoardo in historiæ Remensis libro secundo capite undecimo, Ecclesiam sancti Hilarii cum suburbio ad eam pertinente concessit Canonicis Ecclesiæ suæ, *ut in annua transitûs sui die sufficiens eis inde refectio pararetur.* In Anglia Ethelredus Rex Merciorum sub finem sæculi septimi donationes

fratris ac sororum suarum Cœnobio Medehamstedensi factas confirmavit, *ut in Anniversariis suis eas haberent pro anima sua*, uti legitur in calce decretalis epistolæ Agathonis Papæ apud Spelmannum. Quidam huc trahunt locum ex Bedæ libro tertio, capite secundo, pro Anniversario Regis Oswaldi. sed perperam. Quas enim vigilias Fratres Hagustaldenses quotannis celebrabant, id eo vivente *pro salute ejus* præstabant *pridie, quàm postea idem Osvvaldus occisus est.* Anastasius vulgatus in Leone secundo meminit *Anniversitatis.* quo nomine nescio an intelligat Anniversarium perpetuum. At relata testimonia sufficiunt ad probandum, jam id genus Anniversaria quædam præcessisse Eigilis Abbatis institutionem : à cujus tempore factum est, ut res haud vulgaris à Regibus illustrioribúsque viris ad alios inferioris ordinis homines traduceretur. Primum hac de re statutum post Eigilem invenio in Synodo Abbatum Aquisgrani coacta anno septimo-decimo supra octingentesimum : *ut pro Abbate defuncto Anniversarium fiat officium*, forsan pro uno dumtaxat anno. Nortpertus Abbas Sancti-Gallensis, qui anno millesimo septuagesimo secundo mortuus est, *primus* inter Abbates ejusdem Monasterii *Anniversarium suum instituisse* dicitur in Necrologio, quarto Nonas Septembris. Porro Goldastus observat, à diebus Manegoldi Decani anniversarios dies cœptos in Alamannia ab omnibus utriusque sexûs celebrari circa annum ducentesimum sexagesimum secundum supra millesimum. At ritum istum jam in morem sæculo nono transiisse satis indicat Amalarius, cujus hæc verba in libro tertio de divinis officiis capite quadragesimo quarto : *Anniversaria dies ideo repetitur, quia nescimus qualiter eorum causa habeatur in alia vita.* In majori Chartario Brivatensi plura legi Anniversaria privatorum hominum nono sæculo instituta. & sæculo insequenti Adalbero Mettensis Episcopus *Anniversaria priorum Pontificum* magno sumtu magnísque eleemosynis celebrasse perhibetur. Præclarus hujus argumenti locus est apud Ordericum Vitalem in historiæ libro tertio, ubi Osbernus Abbas Uticensis dicitur constituisse *generale Anniversarium* singulis annis sexto Kalendas Julii fieri pro patribus & matribus, pro fratribus & sororibus omnium Monachorum Cœnobii Uticensis. *In rotulo quidem longissimo omnium Fratrum, dum vocante Deo ad Ordinem veniunt, nomina scribuntur. deinde patrum & matrum eorum, fratrúmque ac sororum vocabula subscribuntur. qui rotulus penes aram toto anno servatur, & sedula commemoratio inscriptorum in conspectu Domini agitur, dum ei à Sacerdote in celebratione dicitur, "Animas famulorum famularúmque tuarum, quorum nomina ante sanctum "altare tuum scripta adesse videntur, Electorum tuorum jungere digneris "*

consortio. Anniversarium verò de quo loquimur, sexto Kalendas Julii sic agitur. Omnia signa serò & mane ad officium defunctorum diu pulsantur, volumen mortuorum super altare dissolutum palam expanditur: & deprecatio priùs pro defunctis, postea pro vivis parentibus & benefactoribus cunctis Fidelibus Deo offertur. Missa verò matutinalis ab Abbate celebriter canitur: ab Eleemosynario autem tot pauperes, quot Monachi sunt, ipsa die in Cœnobio colliguntur, &c. Plura id genus exempla ex sæculo nono mihi occurrerunt, Ludovici Augusti cognomento Pii in Statutis Corbeïensibus Adelardi Abbatis; Witlasii Regis Merciorum apud Ingulfum; Heccardi Comitis apud Perardum in Monumentis Burgundicis. At originem rei investigasse sufficiat.

OBSERV. XXVIII. Signa pulsata in extremis.

102. Et quoniam de mortuis agi cœptum, notare juvat olim SIGNA seu campanas Ecclesiæ pulsari solitas pro iis qui in agone mortis constituti erant. Locus est hanc in rem fere singularis in Vita sancti Sturmii Abbatis Fuldensis hoc in Sæculo edita, qui morti proximus, *currere citiùs ad Ecclesiam jussit, omnes gloggas pariter moveri imperavit, & Fratribus congregatis obitum suum citò adfuturum nuntiare præcepit, & pro se enixiùs orare postulavit.* In Britannia tamen post extremos halitus emissámque animam signa pulsabantur, teste Beda in historiæ libro quarto, capite vigesimo tertio, ubi agit de obitu Hildæ Abbatissæ: quâ mortuâ *Begu Sanctimonialis femina* alîus Monasterii, *audivit notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel convocari solebant, cùm quis de hoc sæculo fuisset evocatus.* Concilium verò Calchutense capite decimo præcipit, mortuo Episcopo *ut pulsato signo omnis famulorum Dei cœtus ad basilicam conveniat.* Quamquam veri simile est, aliis in locis campanas etiam olim pulsatas in agone morientium, ut extrema vitæ periodus Domino precibus commendaretur. Certè apud Remos lugubris ille tinnitus, quo mortuorum obitus modò significari solet, corrupto vulgi more appellatur *l'Abbé mort*, quasi diceres agonem mortis seu morientis, *l'Abboy de la mort.* inde tracta forsan appellatione, quod olim signum illud in agone pulsari soleret.

OBSERV. XXIX. Reliquiæ super altare.

103. Observatu dignum est, id quod in Actis sanctæ Walpurgis Abbatissæ refero ex sancto Odone in libro secundo Collationum, capite vigesimo octavo. nimirum desiisse miracula ipsius Sanctæ, *quia ejus Reliquiæ erant super altare Domini, ubi majestas divini mysterii solummodo debet celebrari.* & sanctus Bercharius Abbas Dervensis Monachum quemdam graviter corripuisse visus est, quòd ipsius Reliquias *super altare* deposuisset. Huc etiam spectant verba cujusdam Anonymi in libro de vita sancti Servatii Tungrorum Episcopi, cujus Reliquiæ cùm jussu Caroli Magni per Wilgisum

sum Episcopum levatæ è tumulo fuissent, *ante altare positæ sunt. Necdum enim*, ait Auctor, *præsumi fas erat, ut quidquam super altare poneretur præter sacrificium: quia mensa est Domini exercituum.* Alius mos inductus procedente sæculo nono. siquidem Reliquiæ sanctæ Walpurgis *super altare* locatæ sunt anno octingentesimo nonagesimo tertio. & post annos fere octoginta, sancti Swithuni Wintoniensis Episcopi arca itidem super altare posita est. tum sub finem sæculi noni Concilium Remense ineditum, cujus plura capitula citantur ab Reginone, Burcardo & Ivone, observari jubet, *ut mensa Christi, id est altare, ubi corpus dominicum consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, ubi sanctorum Reliquiæ reconduntur; cum omni veneratione honoretur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum Reliquiis & quatuor Evangelia.* denique Ratherius Veronensis Episcopus in Oratione synodica: *Super altare nihil ponatur, nisi capsæ aut Reliquiæ, aut fortè quatuor Evangelia, & buxida cum corpore Domini ad Viaticum pro infirmis.* Quamquam ne tum quidem Reliquiæ passim super altare perpetuò expositæ consistebant, sed festis tantùm sollemnibúsque diebus: aliis reconditæ jacebant in concavo altaris loco, ut superiùs vidimus in quarta-decima Observatione. Plura de adservandis Sanctorum Reliquiis dicta sunt in Præfatione Sæculi secundi.

104. Inter octavi sæculi novas res, Romani ritus in Ecclesia Gallicana Anglicanáque recepti; Organa Musica in Galliam invecta. Galli siquidem *ab initio receptæ Fidei*, ut loquitur Hilduinus Abbas in epistola Areopagiticis præfixa, alium *Missæ ordinem* servabant, *usquequo tenorem quo nunc utitur Romanum susceperunt.* quod factum putat Hilduinus hortatu Innocentii, Gelasii, & Gregorii Magni Pontificum Romanorum: quorum epistolas ad Episcopos Galliarum *de more Romano in cunctis ecclesiasticæ auctoritatis muniis imitando* laudat Hilduinus. At seriùs depositum esse Missæ ordinem Gallicanum, constat ex responsis Gregorii Magni ad Augustinum: in quibus eo tempore *altera consuetudo Missarum in Romana Ecclesia, atque altera in Gallia* fuisse perhibetur. Dissidebat etiam Gallicana Ecclesia in cantu & in psalmorum tum ordine, tum versione ab Romana. Cantum Romanum in Gallias Pippinus sublato Gallicano induxit *ob unanimitatem apostolicæ Sedis & sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam*, testante Carolo Magno in Capitularis Aquisgranensis capite octogesimo. Hinc Remigius Rotomagensis Antistes, Pippini frater, Monachos Romam direxit ad discendum cantum Ecclesiæ Romanæ. dein Carolus Magnus animadvertens cantûs modos in diversis Galliæ Ecclesiis discordare, duos Clericos Leoni Papæ direxit in schola Romana instruendos: quorum alterum apud

XXX. Romani ritus in Ecclesia Gallicana recepti.

se postea retinuisse, alterum Drogoni Mettensi Episcopo concessisse memoratur in libro primo Monachi Sancti-Gallensis. Romanos tamen aliquid de Gallicano cantu retinuisse auctor est Walafridus Strabus in libro de rebus ecclesiasticis capite vigesimo quinto. Quo in loco hic Auctor de versione psalmorum, quæ tum in usu erat apud Gallos & Germanos, ita scribit: *Psalmos autem cùm secundùm septuaginta interpretes Romani adhuc habeant; Galli & Germanorum aliqui secundùm emendationem, quam Hieronymus Pater de septuaginta editione composuit, psalterium cantant: quam Gregorius Turonensis Episcopus à partibus Romanis mutuatam, in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse.* Anglicana Ecclesia paullo ante Gallicanam recepit cantum ritúsque Romanos. & cantum quidem per Johannem Abbatem, Romanæ sancti Petri Ecclesiæ Archicantorem, teste Beda in historiæ libro

& in aliis. quarto, capite octavo-decimo: ritus autem Romanos anno septingentesimo quadragesimo septimo in Concilio Cloveshoviensi, cujus exstat hac de re canon tertius-decimus. Porro Alfonsus sextus Hispaniarum Rex *dignissimum Romanæ institutionis officium* in Regno suo *celebrari* præcepit sæculo undecimo. quod ipse testatur in suo ipsius diplomate relato apud Yepezium in Chronici Benedictini tomo tertio.

Observ. XXXI. Organa in Gallia.

105. Organa in Galliam invecta esse anno septingentesimo quinquagesimo septimo, Eginhardus in primis memoriæ prodidit his verbis: *Constantinus Imperator Pippino Regi multa misit munera, inter quæ & Organa, quæ ad eum in Compendio villa pervenerunt.* Organa ærea ante id tempus apud nostrates fuisse in usu, nullo constat argumento. Venantius quidem Fortunatus in carmine decimo libri secundi testatur, in Ecclesia Parisiaca *cymbalicas voces calamis misceri acutis* solitas. At ejus verba de Organis æreis intelligi necesse non est: sed hæc figuratè dicta de varietate vocum, diversa instrumenta musica imitantium. Quin ex Walafrido Strabo intelligimus, Græcorum hoc inventum esse, & ab eis ad Gallos transiisse. Sic enim ille canit in versibus Aquisgrani editis anno sexto-decimo Ludovici Imperatoris de templi Aquisgranensis apparatu.

Ast alia de parte nitens fulgore corusco
Auratus discurrit eques, comitante pedestri
Agmine: tintinnum quidam, quidam Organa pulsant.
Dulce melos tantùm vanas deludere mentes
Cœpit, ut una suis decedens sensibus, ipsam
Femina perdiderit vocum dulcedine vitam.
Cedant magna tui superest figmenta colossi,
Roma: velit Cæsar magnus; migrabit ad arces

Francorum, quodcumque miser conflaverit orbis.
En queis præcipuè jactabat Græcia sese,
Organa Rex magnus non inter maxima ponit.

Idem etiam prodit Monachus Gallensis anonymus in libro secundo de vita Caroli Magni capite decimo. *Adduxerunt etiam iidem Missi,* Constantini scilicet Imperatoris, *omne genus Organorum, sed & variarum rerum secum. quæ cuncta ab opificibus sagacissimi Caroli quasi dissimulanter adspecta, accuratissimè sunt in opus conversa: & præcipuè illud Musicorum Organum præstantissimum, quod doliis ex ære conflatis, follibúsque taurinis per fistulas æreas mirè perflantibus, rugitu quidem tonitrui boatum, garrulitatem verò liræ vel cymbali dulcedine coæquabat. Quod ubi positum fuerit, quamdiúque duraverit, & quo modo inter alia rei publicæ damna perierit, non est hujus loci vel temporis enarrare.* Nempe id periit, ut puto, in direptione Aquisgranensis basilicæ per Nortmannos. Ad hæc Johannes Papa octavus Annoni Episcopo Frisingensi de Organis ita scribit: *Precamur autem, ut optimum Organum cum artifice qui hoc moderari & facere ad omnem modulationis efficaciam possit, ad instructionem musicæ disciplinæ nobis aut deferas, aut cum eisdem redditibus mittas.* Wolstanus Monachus Ventanus in Prologo ad Vitam metricam sancti Swithuni, laudat Elfegum Ventanum Episcopum ob Organa in Ventano Monasterio constructa, his versibus:

Talia & auxistis hîc Organa, qualia nusquam
Cernuntur, gemino constabilita sono.
Bisseni suprà sociantur in ordine folles,
Inferiúsque jacent quattuor atque decem.
Flatibus alternis spiracula maxima reddunt,
Quos agitant validi septuaginta viri:
Brachia versantes, multo & sudore madentes,
Certatímque suos quisque monet socios,
Viribus ut totis impellant flamina sursum,
*Et rugiat * pleno kapsa referta sinu.* * *l.* Rugiat &
Sola quadringentas quæ sustinet ordine musas,
Quas manus organici temperat ingenii.

Pluribus hæc mirifica Organa describit Wolstanus: cujus lucubrationem aliásque permultas ex Anglia accepimus beneficio & munificentiâ clarissimi ac nobilissimi viri domini Josephi Williamsonis, Regi Britanniæ ab archivis Status & à secretis intimis, qui non minùs litteratos amat fovétque, quàm litteras. Ex his porro manifestum est, Organa non solùm in Gallia, sed & in Anglia fuisse in usu sæculo decimo. De Italia verò testatur Gerbertus in epistola nonagesima prima ad Raimondum Aureliacensem Abbatem, in qua dicit non habere se quod scribat

ſuper Organis in Italia poſitis, ac Monacho dirigendo qui ea conducat. Jam ergo uſus Organorum penes Monachos erat. id quod de Fiſcamnenſi Monaſterio adfirmat Baldricus Dolenſis Archiepiſcopus in epiſtola ad Fiſcamnenſes. *Illa in Eccleſia*, inquit, *unùm erat quod mihi non mediocriter complacuit, quod ad Deum laudandum & excitandum David canticis ſuis inſeruit: Laudate, inquit, Dominum in chordis & organo. Ibi ſiquidem inſtrumentum vidi muſicum, fiſtulis æreis compactum, quod follibus excitum fabrilibus, ſuavem reddebat melodiam. . . Organa illud vocant, certiſque temporibus excitabant.* Quibus verbis ſatis quidem innuit Baldricus, rariora id genus inſtrumenta fuiſſe, & maximè in Monaſteriis; addítque non omnibus probari. *Non tamen ignoro, quia ſunt multi, qui tale quid in ſuis non habentes Eccleſiis, eos qui habent murmurando dilapidant. quos nos obloquentes & detrahentes audemus nuncupare, qui quòd Organa nobis innuant, neſciunt exponere.* Sic multa ille in hunc modum. Quamquam non deſunt etiam noſtro ævo, qui Organorum uſum in Eccleſiis, maximè verò cœnobiticis improbant. alii mediâ incedentes viâ tolerant ea ubi ſunt; inducenda eſſe ubi non ſunt pernegant.

OBSERV. XXXII. Canonici in Eccleſiis cathedralibus.

106. Sunt qui etiam ſæculo octavo collegia Canonicorum in Eccleſiis cathedralibus primùm cœpiſſe exiſtimant. Et quidem ante iſtud tempus rariora fuiſſe ejuſmodi collegia conſtat, non tamen nulla. Quippe ſæculo ſeptimo Paulus Epiſcopus Veroduni, Tetricus Autiſiodori, Rigobertus Remis Canonicos inſtituiſſe, an reſtituiſſe feruntur. Attamen jam ante ea tempora numeroſum Clericorum cœtum in nonnullis fuiſſe Eccleſiis certum eſt ex Venantio Fortunato, qui Clerum Eccleſiæ Pariſiacæ celebrat in libri ſecundi carmine decimo in hunc modum:

Celſa Pariſiaci Cleri reverentia pollens,
Eccleſiæ genium, gloria, munus, honor:
Carmine Davidico divina poëmata pangens,
Curſibus aſſiduis dulce revolvit opus.
Inde Sacerdotes, Leviticus hinc micat ordo:
Illos canities, hos ſtola pulcra tegit.
In medio Germanus adeſt Antiſtes honore,
Qui regit hinc juvenes, ſubrigit inde ſenes.

Hinc etiam patet, pſallendi morem aſſiduum ſeu quotidianum in iſta Eccleſia tum obtinuiſſe, & in aliis indubiè permultis, contra quàm nonnulli opinantur. Canonici etiam erant ſæculo ſeptimo in majori Eccleſia Namnetenſi, utpote qui dedicationi baſilicæ Antrenſis interfuiſſe dicuntur in Actis ſancti Hermenlandi Abbatis.

§. VII.

Observationes Monasticæ.

107. AD res monasticas quod attinet, adverto per istud sæculum octavum fuisse Abbates nonnullos, qui solùm Diaconi erant, non Sacerdotes. quales fuêre Benignus Abbas Fontanellensis in Gallia, Sigfridus Girwensis in Britannia insula. immo Johannes Abbas à Paulo Papa missus ad Pippinum Regem, Subdiaconus dumtaxat appellatur in pontificiis litteris octava-decima & vigesima codicis Carolini. Certè in primordiis Ordinis nostri, tametsi Sacerdotio initiati erant Abbates plerique, non tamen omnes. nam sanctum Maurum Abbatem, sancti Patris Benedicti discipulum, Magistri carissimi hortatu an etiam exemplo, Levitici tantùm Ordinis fuisse constat. Quid sequioribus sæculis, nono scilicet & subsequentibus, hac in re contigerit, paucis considerare juvat. Anno septimo-decimo supra octingentesimum Abbates in Synodo Aquisgrani congregati statuerunt capite sexagesimo secundo, *ut Abbas, Præpositus, vel Decanus, quamvis Presbyteri non sint, Lectoribus benedictionem tribuant.* Quod sanè consentaneum Regulæ in capite sexagesimo, ubi sanctus Benedictus agens de Sacerdote, qui voluerit in Monasterio habitare; *Concedatur ei*, ait, *post Abbatem stare & benedicere.* Post Abbatem, inquit, etiamsi Abbas Presbyter non sit, uti explicant Patres Synodi Aquisgranensis: quorum ævo proinde Abbates quidam Sacerdotii expertes erant. Et in Regula Magistri Abbas Presbyter non erat: nec Sacerdotes tamen quidquam agendi supra ceteros potestatem habebant, ex capite octogesimo tertio. Paullo post Synodum Aquisgranensem Eugenius Papa primus in Concilio Romano, HLudovici Augusti anno tertio-decimo, de Abbatibus ita decernit canone vigesimo septimo: *Sacerdotalem quoque honorem sint adepti, ut peccantium sibi subjectorum Fratrum valeant omnimodis refrenare & amputare commissa.* Et tamen anno tertio post mortem Ludovici Pii Abbas Fontanellensis erat Herembertus Diaconus: itidémque Nicolaus de Nortmannia Cœnobii sancti Audoëni apud Rotomagum Abbas, teste Orderico Vitale, anno millesimo nonagesimo secundo. Goffridus Abbas Vindocinensis, nonnisi post adeptam Cardinalatûs dignitatem Presbyter ordinatus est. Denique, ut uno saltu alia sæcula concludam, Christophorus Abbas Stabulensis obiit Diaconus anno septuagesimo sexto sæculi proximè elapsi.

Observ. XXXIII. Abbates Diaconi.

Observ. XXXIV. Sacerdotum numerus in Monasteriis.

108. Hæc verò Abbatum Diaconorum electio haudquaquam fiebat ob penuriam Sacerdotum in Monasteriis: sed quòd suffragiorum major pars in Diaconum prævaleret. Quod ut palam fiat, lubet quibusdam exemplis demonstrare, quot nonnullis in Monasteriis Presbyteri fuerint per tempora mediæ ætatis. Angilbertus Abbas in Cœnobio Centulensi Monachos trecentos, pueróſque centum instituit, ac divisit in turmas tres, statuítque, *ut si non plus, vel triginta à Fratribus diversorum chororum per diversa altaria Missæ quotidie agerentur, exceptis illis duabus de conventu, quæ mane & meridie sollemnissimè celebrantur*, auctore Hariulfo in Chronico Centulensi. Quem locum paullo subobscurum ita interpretor, ut ex singulis turmis, quæ centum Monachis constabant, Presbyteri minimùm triginta Missas totidem celebrarent, in summa nonaginta singulis diebus. quod Caroli Magni principatu contigit. Non multo pòst in Monasterio sancti Galli *sub Salomone Abbate fuerunt simul Presbyteri quadraginta duo, Diaconi quatuor & viginti, Subdiaconi quindecim, pueri viginti*, testante Ekkehardo. & in brevi indiculo Monachorum Dionysianorum recensentur Sacerdotes triginta tres, Diaconi septemdecim, Subdiaconi quatuor & viginti, Acolythi septem, Monachi quadraginta unus, omnes centum viginti duo, in Spicilegii tomo quarto. Ex triginta Monachis Crulandensibus, quos Ingulfus scribit fugisse rabiem Nortmannorum anno octingentesimo septuagesimo, *decem erant Sacerdotes, ceteri inferiorum graduum exstiterant.* In Chronico Piscariensi anno millesimo quadragesimo sexto electioni Dominici Abbatis subscribunt Presbyteri minimùm viginti ex Monachis triginta duobus. Ex quibus intelligitur, paullo minorem, quàm modò, Presbyterorum in Cœnobiis nostris numerum per ea tempora exstitisse.

Observ. XXXV. Interdictus feminis ingressus in Ecclesias Monachorum.

109. De interdicto feminis ingressu in Ecclesias nostras, quædam observavimus in Præfatione Sæculi secundi. hîc nonnulla rursus animadversione digna recurrunt ex his Actis repetenda. Viguit ejuscemodi lex in Cœnobiis Sithivensi & Fuldensi usque ad sæculum decimum quartum. Una Flandriæ Comitissa, nomine Adala, sæculo decimo, gratiâ postulandæ à sancto Bertino sanitatis, id obtinere potuit ex consensu Episcoporum Tarvennensis & Camaracensis, qui *acceptâ etiam à Monachis licentiâ anno nativitatis Domini nongentesimo trigesimo octavo, annóque quinto Ludovici Regis, feriâ secundâ Paschæ, introduxerunt eam præfati Episcopi in eodem Monasterio*, id est in Ecclesiam Monasterii, *non sine tremore maximo: quoniam hoc illa prima facere præsumserat, quod antea Reginarum nulla concupiscere audebat*, ex libro secundo de miraculis

sancti Bertini. Nec deinceps id permissum ad sæculum usque decimum quartum, ut constat ex Johanne Iperio. Eadem lex tanta etiam religione in Fuldensi Monasterio servata est, (quod maximè constat ex Actis sanctæ Liobæ Abbatissæ, cui uni licuit basilicam Fuldensem ingredi ex concessione sancti Bonifacii popularis & consanguinei sui) ut Fridericus Imperator, cognomento Ænobarbus, ingressu basilicæ Monachorum Fuldensium abstinuerit, *quia Regina in comitatu ejus erat.* Idem refert de Albrata Comitissa Christophorus Browerus in libro primo Fuldensium antiquitatum capite octavo, ubi observat, Fuldense templum fulmine de cælo tactum conflagrasse anno millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, septima die mensis Junii, id est triduo pòst quàm sancti Bonifacii festa luce feminis in basilicam & Monasterii septa tunc primùm ingressus datus, ex concessione videlicet Bonifacii Papæ noni, qui rogatu Johannis Merlavii Abbatis, pristini interdicti rigorem emollierat diplomate dato ante annos duos. Quid Principatu Pippini cuidam feminæ Anglæ vocabulo acciderit ob violatam basilicæ Besuensis religionem, memorat Johannes Monachus in Chronico Monasterii sui. Eamdem disciplinam à Columbano sibi traditam Luxovienses Cœnobitæ servaverant ad medium usque sæculum nonum, quo *Hucbertus Clericus, Bosonis filius, Monasterium in commemoratione beati Petri Apostoli Luxovio constitutum, cujus claustri aditus mulieribus numquam patuerat, hostili modo ingressus cum illicitis mulieribus per aliquot dies remorari non trepidavit.* qua de re eum arguit Benedictus Papa tertius in epistola ad Episcopos in Regno Caroli constitutos. Quin Turonici Canonici basilicæ Martinianæ, eam quam à Monachis acceperant disciplinam aliquamdiu etiam abjectis monasticis institutis retinuerunt, uti apparet ex epistola Leonis Papæ septimi ad Hugonem Abbatem, quæ exstat in tomo secundo Spicilegii. & sanctus Odo Abbas Cluniacensis in libro de combustione Ecclesiæ sancti Martini conqueritur, quòd sanctus ille locus pristina religione relicta *commune diversorium* esse permittatur. Utinam nunc saltem chorus modulantium Ecclesiæ ministrorum secretus esset à conspectu & concursu promiscui vulgi! utinam religioni haberentur sacri altaris gradus, ad quos non rarò mulierculæ obrepunt impunè!

OBSERV. XXXVI. Miraculorũ frequentia piis suspecta Monachis.

HO. Huc etiam pertinet consideratio de religione Majorum nostrorum, qui miracula, siquando per Sanctos factitabantur in basilicis suis, aut occultare, aut cohibere pro virili studebant. Insigne est eam in rem factum Medianensium Monachorum in Actis sancti Hildulfi ex Episcopo Trevirensi Abbatis

Medianensis primi. Hi nimirum cùm ob frequentia sancti Spinuli miracula paterentur hominum turbas eò confluentium; ne *à regia via* disciplinæ regularis his incommodis avocarentur, *ex obedientia* sancto Spinulo etsi mortuo præceperunt, ut à patrandis miraculis cessaret. quod incunctanter consecutum fuisse tradit Richerius Monachus Senoniensis. Idem etiam præstitêre quondam in sanctum Gibrianum Remigiani nostri, & Clarevallenses in sanctum Bernardum. Eòdem spectat exemplum Sarlatensium Monachorum, qui cùm sancti Pardulfi Abbatis corpus è Garactensi Monasterio acceptum juxta loculum sancti Sacerdotis Lemovicensis Episcopi collocassent, fieréntque in dies miracula, quibus illuc frequens populus invitabatur; sanctum *Abbatem à Pontifice separantes, in Ecclesiam sancti Johannis extra Monasterium transtulerunt*, ut turbam miraculorum sequacem eò removerent. Nec prætereundum hoc loco est id, quod Rodulfus Abbas Trudonianus de Guntramno Abbate commemorat in Chronici Trudonensis libro primo. *Hujus vitæ ultimis annis*, inquit, *domini nostri Trudonis sepulcrum frequentissimè cœpit coruscare miraculis, quæ ille studiosissimè satagebat occultare.* Cujus facti rationem hanc reddit: *Sagaci enim pectore concipiens quod futurum erat, signa data esse infidelibus, non fidelibus dicebat. quod non longè post illum nonnulli de nostris experti sunt, qui inter ipsa quoque miracula Deum offendere non timuerunt.* Nimirum, ut Rodulfus ipse observat initio libri secundi, succedente Adelardo secundo Abbate, *cœperunt haberi miracula & virtutes sepulcri sancti Trudonis, non tam* TIMORI ET REVERENTIÆ, *quàm* OSTENTUI ET POPULARI GLORIÆ. Concurrentibus eò peregrinorum turbis, *Oratorium, chorus, templum, claustrum, pratum nocte diéque non inveniebatur à multitudine vacuum. quarum perstrepentium continua inquietatio magnæ fiebat molestiæ & Ordinis impedimento: senioribus solitis & volentibus Deo servire in quiete & silentio; juniores verò quibus tædio erat religio, & disciplina odio, gratulabantur priùs occultè hac quasi necessitate se magistræ Regulæ mandata præterire.* Hinc labefactata disciplina regularis, violatæ silentii leges, spreta Majorum imperia, in proprios usus conversæ res, uti genuinè ac patheticòs rem describit Rodulfus, magno sanè posterorum documento. demúmque ita concludit: *Quanto longiùs ferebatur relatione peregrinorum gloriosa celebritas miraculorum sancti Trudonis, tanto & nostrorum reprehendebatur sæcularitas ex levitate morum & abusione indisciplinationis. Erat enim summa opportunitas quibusque nostri Ordinis perire volentibus ex peregrina (ut dixi) veniente & abeunte multitudine, tum ex confracti Monasterii vasta reparandáque amplitudine.* Audiant hæc qui turbas populorum amant, illi nempe, quibus nulla san-

ſanctior feſtivitas, quàm quæ celebratur in frequentia tumultuantis vulgi: ubi ſcilicet bellè fervet pietas, dum multitudo vagos rapit oculos, nec mentem ſinit rebus divinis, ut par eſt, occupari.

III. Eodem fere octavo ſæculo inducti ſunt Abbates ſæculares, & Advocati Monaſteriorum. Ab ipſis Ordinis noſtri primordiis Monachi liberam habebant eligendi Abbatis facultatem. Eam primò ad ſe traducere moliti Epiſcopi, tum etiam Clerici: qui per ſpeciem eccleſiaſtici muneris in Monaſteriis exercendi captabant regimen abbatiale. Exſtant plures adverſùs ejuſmodi Clericos epiſtolæ Gregorii Magni, citatæ ab Johanne Diacono in libro ſecundo Vitæ Gregorianæ, capite quinquageſimo quarto. Ut verò ab ejuſmodi ambitu removerentur ſæculares, Privilegia ſubinde ab ſummis Pontificibus, Epiſcopis & Regibus petita obtentáque ſunt, maximè ſæculo ſeptimo. Dein Carolus Princeps, cognomento Tudes, variis bellorum tumultibus impeditus & exhauſtus, Abbatias, immo & ſedes epiſcopales laïcis hominibus conceſſit, & pleraque Eccleſiarum prædia in beneficium attribuit: aut certè eo bellis occupato ſæculares ipſi res Eccleſiæ invadebant impune, atque alii aliis pro libito tradebant. Qua de re conqueſtus eſt Bonifacius apoſtolicæ ſedis Legatus in epiſtola trigeſima ſecunda ad Zachariam Papam his verbis: *Modò maxima parte per civitates, epiſcopales ſedes traditæ ſunt laïcis cupidis ad poſſidendum, vel adulteris Clericis, ſcortatoribus, & publicanis ſæculariter ad perfruendum.* eóque tandem proceſſit mali labes, ut etiam Abbatiæ ſeu virorum Monaſteria feminis in beneficium traderentur. Sic Remigius, Pippini Regis frater, Anglæ cuidam Theodardi uxori Beſuenſe; ſic Lotharius Waldradæ pellici Lutrenſe; alii alia Monaſteria commiſerunt. Hinc fugati tum vi, tum inopiâ Monachi: Cœnobia in ſolitudinem redacta: prædia in precarium quibuſlibet conceſſa: denique periit Ordo fere omnis. Iſtius temporis calamitatem egregiè deſcribit Fontanellenſis Chronographus, agens de Teutſindo Abbate: qui locum regiminis adeptus anno ſeptingenteſimo trigeſimo quarto, *mox rebus ablatis in maximam paupertatem hoc quondam glorioſum Cœnobium redegit. Nam pæne tertiam facultatum partem abſtulit, ſuiſque propinquis ac regiis hominibus ad poſſidendum contradidit. Nempe melius eſſet,* addit paullò pòſt, *ea die quando præfatæ res de iſto Cœnobio fuerunt ſublatæ, ut ignis ibi accenderetur, qui univerſa ædificia funditus conſumſiſſet: quoniam decies antea quiviſſet reædificari, quàm tales res adquirere. Nam unde milites Chriſti alimoniam conſequebantur, inde nunc paſtus exhibetur canibus: & unde lumen ante aram Chriſti in Eccleſia lucere ſolebat, inde armillæ,*

OBSERV. XXXVI. Abbates ſæculares.

baltei, & calcares fabricantur, necnon sellæ equinæ auro argentóque decorantur . . . Tales quippe Rectores nequiores sunt paganis : quoniam si pagani locum ipsum cremaverint, terram tamen secum non tollunt. Nec laudabilioris vitæ fuit Wido Teutsindi successor. *Hic propinquus Caroli Principis fuit, qui etiam Monasterium sancti Vedasti, quod est in Atrebatensi civitate, jure regiminis tenuit anno uno, sicut & istud. Erat autem de sæcularibus Clericis, gladióque, quem semispiacium* (rectiùs *semispathium*) *vocant, semper accinctus, sagóque pro cappa utebatur, parúmque ecclesiasticæ disciplinæ imperiis parebat. Nam copiam canum multiplicem semper habebat*, &c. Is erat Monasteriorum in Gallia fere omnium miserabilis status. cui malo jam altas radices agenti remedium adhibere conati sunt optimi quique Principes, Carolomannus, Pippinus, Carolus & Ludovicus Augusti, itidémque Carolus Calvus : eísque collaboraverunt Episcopi Gallicani in Conciliis, Suessionensi anno septingentesimo quadragesimo quarto, in capite tertio ; Vernensi anno octingentesimo quadragesimo quarto, in capite itidem tertio ; Meldensi anno insequenti, in capite decimo ; & Troslejano anno nongentesimo nono, in capite tertio : quibus in Conciliis luctuosus rerum status patheticôs describitur, maximè in Troslejano, cujus hæc fuit sententia, non posse restitui deformatum Ordinem monasticum, nisi per Abbates regulares. sic enim loquuntur Patres : *Quomodo igitur aurum sine aurifice in pristinum & optimum non potest reformari colorem : sic & monastica vita sine regularis Abbatis providentia ad pristinum atque optimum vivendi nequit reformari ordinem. . . Censemus igitur, ut status Monasteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionem & canonum constituta servetur : & ut Abbates sint religiosæ personæ, & quæ regularem noverint disciplinam.* Huc etiam Romani Pontifices auctoritatem suam adhibuerunt. in quibus Nicolaus Papa primus in privilegio quod concessit Trasulfo Abbati Corbeïensi, vetat præfici Monasterio *Abbatem canonicum, aut laïcum, aut alterius Monasterii Monachum : quoniam monachico Ordini præficere vel laïcum, vel canonicum, non est servare Ordinis professionem, sed evertere. quòd unusquisque Præpositus cujus est Ordinis, ejus quoque erit & propagator : nec bene disponet aliquando cujuscumque militiæ vitam, cujus non fuerit ipse qui disponit æmulator.* Dein Reges monet his verbis : *Non decet neque justum videri poterit, ut sibi militantibus de Ecclesiæ Christi possessionibus mercedem restituant : & quod de Republica sua retribuere debent, id reddere velint de his quæ collata sunt Deo.* Tandem Hugo tertiæ stirpis regiæ nunc feliciter imperantis caput, integram Ecclesiis eligendorum Præfectorum libertatem restituit. Lege Dadini librum primum de Ducibus & Comitibus in capite decimo tertio. qui etiam capite

ſexto agit de Advocatis Monaſteriorum, de quibus pauca hîc obſervanda.

112. Quod in Eccleſia Romana & Orientali præſtitêre Defenſores, id ut in Monaſteriis agerent inſtituti Advocati ſunt. Id muneris primò quidem ſuppleverunt Reges plerique, qui loca Deo ſacra in ſuam (ut vocabant) mundeburdem ſeu tutelam ac defenſionem ſuſcipiebant. Poſtea verò quàm multiplicatis Monaſteriis regia cura ſingulis defendendis ſufficere viſa non eſt, ſubrogati ſunt homines præpotentes, Duces ac Comites, qui auctoritatis ſuæ præſidium Cœnobitis accommodarent. Obſtitêre primò Epiſcopi nonnulli, quos inter Synodi Cabilonenſis Patres circiter medium ſæculum ſeptimum præcipiunt capite quinto-decimo: *ut Abbates & Monachi aut Agentes Monaſteriorum patrocinio ſæculari penitus non utantur, nec ad Principis præſentiam ſine Epiſcopi ſui permiſſu ambulare audeant.* Attamen vicit ipſa rei neceſſitas, ut ſcilicet hominum ſæcularium eccleſiaſticis rebus inhiantium cupiditas reprimeretur. Quippe Chlotharius, Chlodovei Junioris filius, *inluſtrem virum Gengulfum* Beſuenſibus Monachis *Advocatum* conceſſit *anno decimo regni ſui*: nimirum *ut omnes cauſas ipſius Monaſterii proſequeretur, & ablata reſtitueret.* Poſtea Carolus Magnus in capitulis eccleſiaſticis, quæ exſtant apud Sirmondum ad annum octingenteſimum primum, ſtatuit capite trigeſimo quarto, *ut Epiſcopi & Abbates Advocatos haberent, & ipſi* (Advocati) *haberent in illo Comitatu propriam hereditatem; & ut ipſi recti & boni eſſent, & haberent voluntatem rectè & juſtè cauſas perficere.* Hanc provinciam ſuſcepêre plerique Monaſteriorum conditores, ipſorúmque poſteri, ſiquidem ſatis virium habebant & auctoritatis: ſin minùs, alii Optimates à Monachis electi, & approbati à Rege. Hinc Albertus Bremenſis Archiepiſcopus cùm Goreceníe Monaſterium erexiſſet, decernit, *ut quiſquis in ſtirpe noſtra,* inquit, *laïcus ceteris ætate provectior fuerit, hic noſtra conſtitutione huic loco Advocatus conſtituatur. Si verò evenerit, ut talis de ſtirpe noſtra deficiat, quemcumque Abbas cum conſilio Fratrum ad defenſionem & utilitatem loci expetierit, hunc Archiepiſcopus Bremenſis Advocatum conſtituet.* Ita legitur in fragmento Chronici Gorecenſis poſt Witichindi librum de geſtis Saxonicis. Monaſterium ſancti Galli, propterea quòd *non ex regalibus donariis, ſed ex privatorum traditiunculis accreverat, cùm nullum privilegium aliorum Monaſteriorum, neminem ſuî defenſorem vel Advocatum reperire potuiſſet,* Ludovicus Auguſtus tuendum accepit, teſte Monacho ſancti-Gallenſi in libro primo de vita Caroli Magni, capite quinto. Atque ut Advocati adverſariis ſeſe validiùs opponerent, ſtipendium ac merces conſtituta eis eſt: ipſique adeo

Observ. XXXVII. Advocati Monaſteriorum.

Monasteriorum lites omnes prosequebantur, immo & duella (si necesse erat) suscipiebant, & ad castra pergebant cum militibus seu cum vassis & hominibus Monasteriorum, quæ Regi militiam debebant. Stipendium istud erat annuus census tertiave pars emendarum: quo nomine pecuniarias multas appellabant. Theodericus Flandrensis Comes in generali privilegio Monachis Bertinianis concesso anno centesimo quadragesimo septimo supra millesimum, statuit, *ut quicumque Advocatus fuerit ejusdem Ecclesiæ, juxta institutum Balduini Insulani, iturus in regalem expeditionem semel in anno, unum baconem & unam pensam caseorum, & unum summarium; vel pro his unam marcam argenti ab Abbate accipiat, & singulis annis de unaquaque terra villæ de Archas dimidiam firtalam avenæ habeat, eo pacto, ut nihil umquam de eadem villa qualicumque causa exigat aut accipiat, & ut Ecclesiæ opportunum suæ defensionis auxilium non subtrahat.* Advocatus Monasterii Senoniensis in Vosago, *tertiam partem emendarum, illorum scilicet placitorum ad quæ ab Abbate vocatus erat, accipiebat; ad cetera manus non extendebat*, ut legitur in Chronici Senoniensis libro secundo, capite quinto. Duellorum ab Advocatis susceptorum in causis Monasterii sui exempla exstant non pauca. unum in libro de miraculis sancti Benedicti auctore Adrevaldo, capite vigesimo quinto & sequenti. aliud in libro secundo de miraculis sancti Bertini capite quinto-decimo, notatu dignum. tertium in Notis ad Guibertum. Ad finiendam litem Advocati etiam actionem omnem prosequi debebant, & juramentum (si quando exigebat res) præstabant. Exemplo est lis inter Archiepiscopum Trevirensem Abbatémque Prumiensem ventilata coram Carolo Magno pro cella sancti Goaris, apud Wandalbertum in libro de miraculis ipsius Sancti: ubi Prumiensis Cœnobii Advocatum Ratbertum nomine appellat *Causidicum Monasterii.* Officium istud in dignitatem evasit, quæ unà cum annuo stipendio transibat ad heredes Advocatorum. Tempore procedente, qui Monasteriorum defensores esse debuerant, eorum deprædatores ac direptores exstiterunt: ac demum Advocatiæ pretio Monasteriis vindicatæ, sæculo quarto-decimo penitus exstinctæ sunt. Theodericus Abbas Gemeticensis à Drogone Ambianensi Comite annuos census, quos is pro jure Advocati exigebat in Genestevilla, redemit *offerendo sexaginta & duas libras Rotomagensis monetæ, necnon & sex equos permagni pretii*, ut legitur in charta hac de re condita anno millesimo trigesimo, quam habes in calce hujus Sæculi. Idem pactum fecerunt Monachi Senonienses cum Simone Lotharingiæ Duce anno millesimo ducentesimo sexagesimo. Porro antequam munus inirent Advocati,

Abbati Monachísque præstabant sacramentum, cujus hæc forma in manu-scripto codice Monasterii sancti Walarici.

Vos juratis per Deum & omnes Sanctos, quorum Reliquiæ hîc sunt & alibi, quòd vos ab hac hora & deinceps benivolentiam & fidelitatem habebitis & portabitis huic Ecclesiæ sancti Vualarici & omnibus membris: & etiam possessiones omnes & omnia jura istius Ecclesiæ bona fide juvabitis ad defendendum & custodiendum de omni injuria seu violentia adversus omnes secundùm vestram possibilitatem, quotiescumque super his fueritis requisitus? Concludat Abbas: Ita vos juvet Dominus.

Istud juramentum ibi præstitit Rotbertus Drocarum Comes anno trecentesimo vigesimo primo supra millesimum. quo fere sæculo Advocatorum munus ac nomen desiit in Monasteriis.

113. Nomine, non officio differebant Conservatores, in quibusdam Monasteriis instituti. qualis fuit in Cœnobio sancti Salvatoris in Vosago, ex Chronici Senoniensis libro secundo capite sexto-decimo. Et erant Subadvocati aliquando plures in singulis Monasteriis, qui vice Advocatorum res Monasterii curabant. Hinc Otto Imperator in litteris, quibus Lantbertum Comitem Lovaniensem creat Advocatum Cœnobii Gemmelacensis, statuit, *ut Comes, numquam præter unum Subadvocatum habeat. potro Subadvocatus in villis ad Abbatiam pertinentibus nihil aliud juris habeat, nisi per singulos annos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, avenæ sextarium unum.* quæ litteræ datæ sunt anno quadragesimo octavo supra nongentesimum, exstántque in Chronico Gemmelacensi, tomo sexto Spicilegii. Hinc manifestè colligitur, plures aliquando Subadvocatos Monasteriis impositos fuisse. Ea de re graviter conqueritur Fulcardus Abbas Laubiensis in epistola ad Henricum Imperatorem eo nomine quartum. *Modò*, inquit, *habentur in villis sancti Petri multi Advocati, immo raptores in aliquibus quinque, in aliis quatuor, in aliquibus tres, in aliquibus etiam septem: qui præter tres principales generales placitos, quandocumque volunt, ibi singillatim placitant.* Edita est hæc epistola in Continuatione libelli de gestis Abbatum Laubiensium tomo sexto Spicilegii, lectu sanè digna hoc in argumento. sed mihi ad finem jam properanti locum indicasse satis est.

Conservatores & Subadvocati.

114. His Observationibus ecclesiasticis monasticísque succedere debebant aliæ quædam ad historiam & ad nonnulla controversiarum capita pertinentes. Verùm quia Præfatio hæc jam excedit modum, præstat eas remittere in tomum secundum hujus Sæculi, quod in duas partes distinguere necessarium fuit.



HUNC *Fratribus librum magnopere perlegere curate, ut agnita fideli vita sublimium Christianorum & Monachorum, sciant quòd Salvator noster* JESUS-CHRISTUS *glorificantes se glorificat, & servientibus sibimet non tantùm regna cælorum, sed etiam hìc in ipsis montium secretis latêre cupientibus, famæ tribuit nobilitatem: scilicet ut & ipsi fruantur laude meritorum, & ceteri eorum provocentur exemplis.* Athanasius in fine Vitæ S. Antonii.

CHRONOLOGIA BREVIS
AD PRIMAM PARTEM
SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

SUMMI PONTIFICES.

Anno	
DCLXXXVII	Sergius I sedit annos tredecim, menses octo, dies viginti tres Anastasio, Baronio quatuordecim
DCCI	Johannes VI ann. 3, mens. 2, dies 12.
DCCV	Johannes VII ann. 2, mens. 7, dies 17.
DCCVIII	Sisinnius dies 20.
DCCVIII	Constantinus Anastasio ann. 7, Baronio 6, dies 15.
DCCXIV	Gregorius II Junior dictus, ann. 16, mens. 8, dies 20.
DCCXXXI	Gregorius III ann. 10, mens. 8, dies 20. Baronio mens. 9, dies 12.
DCCXLII	Zacharias, ann. 10, mens. 3, dies 14. Baronio 10.
DCCLII	Stephanus II aliis III, ann. 5, dies 28.

FRANCORUM REGES.

Anno	
DCXCV	Childebertus III Regnum adeptus, decessit anno DCCXI, & quidem XVIII Kal. Maii, ex Chronico Sancti-Medardensi, sepultus Cauciaci prope Compendium.
DCCXI	Dagobertus III Childeberti filius, Regnum capessit in annos quinque, mortuus XIIII Kal. Februarii ex Chronico Monasterii S. Petri Vivi. anno proinde DCCXVI, habita ratione calculi recentioris annum ab Januario inchoantis.
DCCXVI	Chilpericus II, antea Daniel vocatus, Childerici secundi filius, regnavit annis sex, uti legitur in continuatione Fredegarii, mortuus anno DCCXX desinente, uno anno post obitum Chlotharii, quem Carolus Princeps post pugnam Vinciacensem Regem Chilperico opposuerat.
DCCXXI	Theodoricus Dagoberti III filius, in Kala Virginum Cœnobio nutritus, ob id Kalensis dictus, obiit anno DCCXXXVII. Interregnum quinque annorum, quibus Carolus Princeps, cognomento Tudes seu Martellus, mortuo Theodorico regnavit, cùm antea Regnum administrasset à pugna Vinciacensi anni DCCXVII. mortuus anno DCCXLI, Idib. Octob. sepultus in Monasterio Dionysiano.
DCCXLII	Childericus, qui in Chronico Fontanellensi perantiquo cap. 8 Theoderici filius appellatur, mortuo Carolo Principe Regis nomen obtinet, deferentibus Carolomanno & Pippino qui Regnum procurabant, hic Neustriæ, ille Austriæ, Majores-domus vocati.
DCCLI	Pippinus, tonso Childerico & in Sithiense Monasterium retruso, unctus & coronatus Rex est à Bonifacio Romanæ sedis Legato: anno DCCLIV iterum ab Stephano Papa II coronatus unà cum filiis Carolo & Carolomanno, moritur anno DCCLVIII, VII Kal. Octob.

BAJOARIORUM DUCES.

Theodo filio Theodberto partem Ducatûs tradit anno DCCV, mortuus anno DCCXVII. quo superstite etiam Grimoaldus filius ejus alter aliquam Bajoaricæ ditionis portionem administravit. Hucbertus Theodonis filius Ducatum in solidum habebat anno DCCXXV. Otilo verò ante annum DCCXXXVII. porro Tassilo II anno DCCXLVII. Hæc ex Elogio S. Rudberti Episcopi Saltzburgensis & Tassilonis Ducis constant.

ITALIÆ REGES LANGOBARDI.

Anno	
DCCI	Luitpertus post Cunipertum regnat mens. 8, post quos Ragumbertus Regnum invadit.
DCCV	Ragumberto succedit Aripertus II in annos 7.
DCCXII	Asprandus post tres menses Regni heredem relinquit Liutprandum ad annum
DCCXLIII,	quo Hildebrandus ejus nepos Regnum obtinet, dejectus anno sequenti.
DCCXLIV	Ratchisus, anno DCCL Casini Monachus factus.
DCCL	Aistulfus Ratchisi frater in annum DCCLVI.

HISPANIÆ REGES VESIGOTHI.

ANNO

DCCI VVITISA Egicæ ſuccedit, Rex flagitioſiſſimus, uti & ſucceſſor.

DCCXI RUDERICUS criminibus ſuis provocat Maurorum adventum, qui deinceps in Hiſpania regnarunt ab anno DCC XIV.

BRITANNIÆ INSULÆ REGES.

ANNO

DCCIV ALDFRIDUS, in Chronologiâ Saxonica EALDFERTHUS Rex Nortanhumbrorum obit anno regni ſui vigeſimo: cui ſuccedens OSREDUS filius puer octo circiter annorum, regnavit annis XI. Beda in lib. 5 cap. 19. Anno DCC XVI Oſredo ſuccedit COENREDUS, ex cap. 23. Anno DCC XVIII OSRICUS in annos XI, ex Chronologia Saxonica. quibus exactis CEOLVVLFUM habuit ſucceſſorem per annos 8, dein Monachum. Anno DCC XXXVIII EADBERTUS Regnum Nortanhumbrorum capeſſit, quod viginti annos & unum tenuit.

Merciorum Rex ETHILREDUS poſtquam triginta annos genti Merciorum præfuit, Monachus factus COENREDO Regnum dedit. Anno DCC IX Coenredus Rex Merciorum poſtquam ſex annos regnavit, Romam pergit, ubi & Monachus factus eſt. CEOLREDUS ſucceſſor anno DCC XVI defunctus, ex Bedæ Epitome. ETHELBALDUS poſtea Regnum annos quadraginta & unum tenuit. Epitome Saxonica.

Vveſt-Saxonum Rex INA ab anno DC LXXXIX in annos triginta & ſeptem, dein Monachus ſanctus. ETHELHARDUS ſuccedit anno DCC XXVIII in annos XIV. Anno DCC XLII CUTHREDUS Regnum obtinet in annos XIV. cui ſuccedit SIGEBERTUS anno DCC LIV.

Cantuariorum Regnum VVITHREDUS ſuſcepit anno DC XCII, tenuitque annos tres & triginta. Anno DCC XXV ſuccedit EADBERTUS, mortuus anno DCC XLVIII, quo ETHELBERUS Vvihtredi filius Regnum obtinuit, defunctus anno DCC LX. De Regibus Eaſtanglorum, Orientalium, & Auſtralium Saxonum nihil attinet dicere.

SANCTI ET MONASTERIORUM ORIGINES.

ANNO

DCC SANCTUS BOTULFUS Abbas Ikanhoenſis in Anglia primus unà cum ejus fratre Adulfo.

S. MEDERICUS Abbas Æduenſis in Gallia.

DCCII S. BELLENDIS ſeu Berlendis Virgo Merbeccæ in Belgio.

S. BERTILA Virgo & Abbatiſſa Kalenſis in agro Pariſiaco.

DCCIV S. AUSTREBERTA Virgo & Abbatiſſa Pauſiacenſis in Caletis, in agro Rotomagenſi.

DCCV S. BERTULFUS Abbas Renticenſis in Belgio.

S. HEDDA Epiſcopus Dorciceſtrenſis apud Vveſt-Saxones in Anglia.

DCCVIII S. LANDEBERTUS Epiſcopus Trajecti ad Moſam.

Apparitio S. MICHAELIS Archangeli in Monte-Tumba.

DCCIX S. BONITUS Epiſcopus Arvernenſis in Gallia.

S. TETRICUS Epiſcopus Autiſiodorenſis in Gallia.

S. BERTINUS Abbas Sithienſis Monaſterii in Belgio, circiter annum DC LX ædificati.

S. VVILFRIDUS Epiſcopus Eboracenſis in Anglia.

S. ALDHELMUS Epiſcopus Schireburnenſis in Anglia.

DCCX S. RICHMIRUS Abbas apud Cenomannos in Gallia.

S. VVLMARUS Abbas Silviacenſis apud Morinos.

DCCXIII S. SUIDBERTUS Epiſcopus, Friſonum & Boructuariorum Apoſtolus.

S. URSMARUS Abbas Laubienſis & Epiſcopus in Belgio.

DCCXIV S. GUTHLACUS Preſbyter & Anachoreta Crulandæ in Anglia.

DCCXV S. THOMAS Abbas Farfenſis in Italia.

DCCXVI CEOLFRIDUS Abbas Vviremuthenſis in Anglia.

DCCXVII S. SILVINUS Epiſcopus apud Morinos.

S. HILDELITA Abbatiſſa Berkingenſis in Anglia.

S. VVINNOCUS Abbas Vvoromholtenſis in Belgio.

S. EGVVINUS Epiſcopus Vvigornienſis in Anglia.

DCCXVIII S. RUDBERTUS Epiſcopus Saltzburgenſis apud Bajoarios.

S. ERENDRUDIS Virgo & Abbatiſſa Nunbergenſis Saltzburgi.

DCCXX S. VVLFRAMNUS Epiſcopus Senonenſis in Gallia.

S. HERMENLANDUS Abbas Antrenſis Cœnobii in Armorica, conditi circiter annum DC XCVI.

S. MENELEUS Abbas Menatenſis apud Arvernos.

S. PALDO Abbas Monaſterii S. Vincentii ad Vulturnum exſtructi anno DCC VII.

DCCXXI S. JOHANNES Epiſcopus Eboracenſis in Anglia.

DCCXXII Tranſlatio Reliquiarum S. AUGUSTINI Epiſcopi Hipponenſis in Ticinenſe Monaſterium S. Petri, Cælum-aureum dictum.

DCCXXIII S. BENIGNUS Abbas Fontanellenſis, & cum eo MILO & BAGGA Monachi.

DCCXXIV S. MILBURGA Virgo Vvenlochii in Anglia.
S. CUTHBURGA Regina & Abbatissa Vvinburnensis in Anglia, ubi de COENBURGA, EADBURGA, & TETTA Abbatissis.
DCCXXV S. BERTA vidua & Abbatissa Blangiacensis Monasterii apud Morinos conditi circiter annum DCLXXXV.
DCCXXVI S. MARTINUS Monachus Corbeiensis, Caroli Principis Capellanus.
S. PATERNUS Monachus Cœnobii S. Petri Vivi apud Senonas.
DCCXXVIII S. HADULFUS Episcopus Atrabatensis in Gallia.
S. BAINUS Episcopus Tarvennensis in Morinis.
S. THEOFREDUS Abbas Calmeliacensis apud Velavos.
S. SIVIARDUS Abbas Anisolensis apud Cenomannos.
DCCXXIX S. EGBERTUS Presbyter & Monachus in Hibernia.
DCCXXX S. INA Rex Vvest-Saxonum & Monachus Romæ.
S. HUGO Episcopus Rotomagensis in Gallia, ubi de aliis Hugonibus.
S. CORBINIANUS Episcopus Frisingensis in Bajoaria.
S. MODERAMNUS seu Moderandus Episcopus Redonensis, dein Abbas Bercetensis in Italia.
DCCXXXI S. GREGORIUS Papa II, ubi de Zacharia, & Stephanis duobus.
S. PORCARIUS Abbas Lerinensis. ubi de SS. ALTIGIANO & HILARINO Monachis Sequanensibus.
DCCXXXII S. BERTVVALDUS Episcopus Cantuariensis, & aliquot ejus successores.
S. RIGOBERTUS Episcopus Remensis & Abbas Orbacensis.
DCCXXXIV S. ADELA Abbatissa Palatioli apud Treviros, ubi de Ada, Vvarentrude, & Rothilde Abbatissis.
DCCXXXV S. BEDA Venerabilis, Monachus Girvvensis, in Anglia.
S. FRIDESVVIDA Virgo Oxonii in Anglia.
DCCXXXVII S. ERMINO Episcopus & Abbas Laubiensis in Belgio. ubi de aliis Sanctis Laubiensibus sæculi octavi.
S. PARDULFUS Abbas Vvaractensis in Lemovicibus.
DCCXXXVIII S. LEUTFREDUS Abbas Madriacensis in Neustria.
S. EUCHERIUS Episcopus Aurelianensis in Gallia.
DCCXXXIX S. VVILLIBRORDUS Episcopus Trajecti ad Rhenum.
DCCXL ADALBERTUS Diaconus Egmundensis.
DCCXLII S. EBBO Episcopus Senonensis in Gallia.
DCCXLIII S. VVITBURGA Virgo Derhamensis apud Estanglos.
DCCXLV SS. HARLINDIS & REINULA Virgines & Abbatissæ Eikenses in Belgio.
DCCXLVI Translatio S. ARSACII Episcopi in Monasterium Ilminense, & S. QUIRINI Martyris in Tegersense apud Bajoarios.
DCCXLVII S. VVIGBERTUS Abbas Fritislariensis Monasterii in Hassia conditi circiter annum DCCXXXIV.
DCCXLVIII S. VVIDRADUS Abbas Flaviniacensis Monasterii in Burgundia exstructi anno (ut videtur) DCCXX.
DCCL S. PETRONAX Abbas & instaurator Monasterii Casinensis ab anno DCCXX.
DCCLI S. BURCHARDUS Episcopus Vvirtziburgensis in Francia orientali.
DCCLIII S. HUCBERTUS Monachus Brittaniacensis in Gallia.

INDEX SANCTORUM
PRIMÆ PARTIS
SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

A

KALENDARIUM SANCTORUM,

quorum Acta in prima parte Sæculi tertii Benedictini exhibentur.

Ianuarius.

4. Remis Januarius Rigoberti Episcopi, *pag.* 529
5. Cantuariæ S. Bertvvaldi Episcopi, 528
In Monasterio Glomnensi in Gallia S. Mauronti Abbatis, 391
11. In Monasterio S. Vincentii ad Vulturnum in Samnio S. Tasonis Abbatis, 430
15. Arvernis S. Boniti Episcopi, dein Monachi, 89
17. Apud Cenomannos S. Richmiri Abbatis, 228*
31. Romæ S. Stephani Papæ tertii, 525

Februarius.

2. Vvirtziburgi S. Burchardi Episcopi, 698
3. Merbeccæ in Belgio S. Berlendis Virginis, 16
5. Renticæ in Flandria S. Bertulfi Abbatis, 45
6. Romæ S. Inæ Regis Vvest-Saxonum in Anglia, 490
In Monasterio Eikensi in Belgio S. Reinulæ Abbatissæ, 654
10. Pauliaci in Caletis S. Austrebertæ Abbatissæ, 27
13. Romæ S. Gregorii Papæ secundi, 521
17. Alchiaci apud Morinos S. Silvini Episcopi, 294
20. Aurelianis S. Eucherii Episcopi, 594
28. Ticini in Monasterio Cælo-aureo translatio reliquiarum S. Augustini Episcopi Hipponensis è Sardinia, 437

Martius.

1. Anisolæ apud Cenomannos S. Siviardi Abbatis, 485
5. Vverdæ ad Rhenum S. Suidberti Episcopi, 239
15. Romæ S. Zachariæ Papæ, 523
17. Dershami in Anglia S. Vvitburgæ virginis, 652
18. Autisiodori S. Tetrici Episcopi, 101
19. Fontanellæ S. Benigni Abbatis, 438
20. Fontanellæ item S. Vvlframni Episcopi Senonensis, 355
24. In Monasterio Berkingensi in Anglia S. Hildelitæ Abbatissæ, 299
25. in Monasterio Antrensi S. Hermenlandi Abbatis, 383
27. Saltzburgi S. Rudberti Episcopi, 339

Aprilis.

INDEX TOPOGRAPHICUS SANCTORUM

Partis primæ Sæculi tertii Benedictini.

IN GALLIA.

In provincia Lugdunensi prima, *Augustoduni* S. Medericus Abbas, 8. *Flaviniaci* Vvidradus Abbas, 681. In Monasterio *S. Sequani* Altigianus & Hilarinus Monachi Martyres, 527

In provincia Lugdunensi secunda, diœcesi Rotomagensi, *Pauliaci* Austreberta Abbatissa, 27. *Fontanellæ* Vvlframnus Episcopus Senonensis, 355. Benignus Abbas, 438. Bainus Episcopus Tarvennensis, 474. Hermenlandus, 383. *Gemetici* Hugo Episcopus Rotomagensis, 495. Eucherius, 594. In diœcesi *Constantiensi*, in monte *Tumba* Apparitio S. Michaëlis Archangeli, 84. In diœcesi *Ebroicensi* S. Leutfredus Abbas Madriacensis, 580

In provincia Lugdunensi tertia, apud *Cenomannos* S. Richmirus Abbas, 218 *. *Anisola* S. Siviardus Abbas, 485. In diœcesi *Namnetensi* S. Hermenlandus Abbas Antrensis, 383

In provincia Lugdunensi quarta, apud *Senonas* S. Paternus Monachus, 463. S. Ebbo Episcopus, 647. *Parisiis* S. Medericus Abbas Æduensis, 8. *Kala* S. Bertila Abbatissa, 21. *Castris* Corbinianus Episcopus Frisingensis, 500. *Aurelianis* S. Eucherius Episcopus, 594. *Autissiodori* S. Tetricus Episcopus, 101

In provincia Belgica prima, *Palatioli* apud Treviros V. Adela Abbatissa, 531. *Esternaci* S. Vvillibrordus Episcopus Trajectensis, 601

In provincia Belgica secunda, *Remis* Rigobertus Episcopus, 529. Apud *Atrabates* Hadulfus Episcopus, 471 In agro *Noviomagensi* natus S. Hermenlandus, 383. *Brittaniaci* Hucbertus Monachus, 720. Apud Morinos S. Bainus Episcopus, 474. *Alchiaci* Silvinus Episcopus, 294. *Silviaci* Vvlmarus Abbas, 233. *Blangiaci*

NOMINA AUCTORUM PRÆCIPUORUM qui hujusce primæ partis Acta scripserunt.



INDEX
RERUM MEMORABILIUM
IN PRÆFATIONE CONTENTARUM.

Cifri sunt numeri sectionum, quarum initium, ubi prolixiores sunt, littera a, *medium* m, *finem* f, *designant.*



ACTA

ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI.

SÆCULUM TERTIUM,

Quod est à Christo nato Octavum.



VITA SANCTI BOTULFI ABBATIS IKANHOENSIS IN ANGLIA PRIMI,

CIRCA AN. DCC. JUNII XVII.

Ubi de S. ADULFO *Episcopo ejus fratre.*

Scripta ab auctore subpari, ut videtur ex num. 10.

Ex MS. Cod. Monasterii Uticensis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.



1. *ITAM S.* BOTULFI *Abbatis, ignotam Vuillelmo Malmesburiensi, à Capgravio interpolatam, nunc primùm eruimus ex membranis Cœnobii Uticensis seu S. Ebrulfi in Neustria hodierna: quibus in membranis hac Vita in novem lectiones, Responsoriis totidem adhibitis, pro more officii Ecclesiastici distributa legitur. Quo tempore vixerit istius scriptionis auctor, certò non liquet. Subparem fuisse conjectura est ex his verbis num. 10.* Relatum est sæpiùs ab his qui ejus instituti sunt disciplinâ, quíque ejus, dum viveret, usi sunt præsentiâ, quantis miraculorum signis ex Dei gratia effulserit, *&c. Certè is Auctor non meminit Translationis S. Botulfi, quam saculo nono factam postea dicemus.* Scriptoris ætas.

2. *Botulfus conditor fuit Monasterii Ikanhoënsis apud Anglo-Saxones, siti in hodierno Lincolniæ Comitatu ad Vuithamam fluvium, non ita procul ab Oceano Germanico. Istius Monasterii fundamenta dicitur posuisse anno* DC. LIV. *sic enim præfert Chronologia Saxonica:* Anno DC. LIV. Botulfus Ecclesiam sive Monasterium ædificare cœpit. *Et Florentius Vuigorniensis consentiente Matthæo Vuestmonasteriensi Monacho:* Anno Christi DC. LIV. in loco qui dicitur Ikanho, Monasterium construitur à S. Botulfo. *Camdenus in descriptione Lincolniæ, aliíque existimant,* Boston *opidum ad Vuithamam fluvium nomen traxisse à S. Botulfo, rectiùsque dici* Botulf-towne: *à quo opido non longè distat vicus S. Botulfi, vulgò* S. Botholf, *ubi Monasterium stetisse crediderim.* Botulfus Ikanhoënsis Monasterii auctor.

3. *Botulfi germanus frater & transmarinæ peregrinationis comes fuit S.* ADULFUS, *in hac Vita laudatus, qui Ecclesiæ Trajectensis Episcopus fuisse memoratur. Verùm in Indicibus Episcoporum sive Trajecti* ad Mosam, sive Trajecti* ad Rhenum locum non habet. Trajectum ad Rhenum, quod* inferius *dicitur, nullis paruit Episcopis propriis ante S. Vuillibrordum, qui Adulfo ætate inferior. Trajectum quippe inferius Episcopo Coloniensi antea subjacuisse constat ex S. Bonifacii Martyris epistola 97. ad Stephanum Papam. Neque Adulfo inter Episcopos Trajecti superioris locus ullus. Nam ab Dagoberti senioris principatu* Johannes cognomento Agnus, Amandus, Remaclus, Theodardus, Landebertus & Hucbertus, *unus post alium sedi Trajectensi continuè præfuerunt: nisi quòd Harigerus ait, Sedem post Amandi abdicationem tantillùm Pastore fuisse destitutam, ut opportunitas scilicet revocandi Amandi in mora suppeteret. Non ergo Trajectensis Episcopus fuerit S.* Adulfus, *qui alius est à S.* Hadulfo *seu* Haldulfo *Episcopo Atrabatensi, de quo agemus ad annum 728.* S. Adulfus Botulfi germanus. * Mastrich. * Utrech.

Circa An. DCC. Junii XVII.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. OMNIPOTENTIS Dei benignitas compatiens errori humani generis, quod ab antiquo serpente cælitus concessâ denudatum gloriâ, ignorantiæ damnatur tenebris; divitias misericordiæ suæ in ejus restauratione exhibere voluit, ut ad gloriam lucis de qua cæcum aberraverat, rediret per lumen quod ei ineffabili gratiâ administravit. Aditum siquidem paradisi lapsus hominis primi Cherubim custodiâ & flammeo obstruxerat mucrone, quem propitia Patris æterni pietas in Christi sui reseravit passione, portásque cælestis Jerusalem rutilantium gemmarum clarissimè lucenti illustravit splendore, ut earum lumine illustrati & veteribus tenebris purgati ingrediamur absque offensione aulam cælestis convivii, ad quod æternaliter percipiendum invitavit nos gratia Regis nostri. Gemmas illas infinitæ claritatis suâ illuminat gratiâ, quæ scilicet Sanctorum sunt nobis proposita exemplaria merita, ut eorum doctrinam & vitam imitando perveniamus ad eorum sancta consortia. Inter quos venerabilis vitæ Patres ADULFUM & BOTULFUM, quorum merita hodiernis celebrare conamur laudibus & præconiis, gratuita pietate præclaris extulit virtutibus, & competentibus vitæ documentis, ut eorum institutione eruditi per viam quâ præcesserunt inoffensis sequamur vestigiis. Dicamus in primis prout donaverit Dei gratia, & mundi interdum probabilis edocet fama, qui fuerint, vel qualiter cursum vitæ in præsenti theatro compleverint.

INCIPIT VITA.

Adulfus & Botulfus Saxones-Brittannici.

2. ANTEQUAM in Brittannia Christiana Religio dilataretur, nobilibus orti natalibus germana nativitate & caritate devincti, studiis mox initiantur cælestibus. Nati sunt de Saxonica gente, quæ Brittanniam bellicâ adquisiverat virtute, & fidem Christianæ Religionis per diversos doctores didicerat: sed adhuc rudis perfectionem cælestium documentorum & altioris vitæ non attigerat. Soboles ergo suas quique nobiles ad antiquam stirpis suæ altricem dirigunt Saxoniam [a], ut ibi pleniùs addiscerent & sanctæ Fidei gloriam, & sanctæ conversationis in Apostolicis institutionibus disciplinam. Hoc modo utrique transfretant medium pelagus; & ut apes mellis gratiâ fervidè diversis insident floribus, sic Sanctorum requirunt Cœnobia, expetunt colloquia, percipiunt documenta. Ibi ergo monasterialibus imbuti regulis, & sanctis vitæ artioris informati disciplinis, tandem exuunt habitum mundi, & induunt armaturam Dei, parati scilicet resistere impugnationibus diaboli: attonsi comam capitis gradus conscendunt sacri ordinis; & non solùm doceri, sed ex gratia Dei inter perfectiores potestatem adepti sunt docendi.

in Gallia fiunt Monachi.

Adulfus creatur Episcopus.

3. Qua gratia priorem fratrem, sanctum videlicet Adulfum, personuit fama in Regis aula: unde ejus favore populíque petitione sublimatur in Pontificali cathedra, fitque summus opere & doctrinâ in Christi Ecclesia. Inthronizatus autem in Trajectensis [b] Ecclesiæ honore susceptum honorem condigno decoravit labore. Vigilavit enim ut vir sapiens in præceptis Domini, assidua sollicitudine excubias celebrans ovilis sui, ne insidians lupus detrimento aliquo insultaret sibi commisso gregi. Instat operibus misericordiæ in pascendis pauperibus, vestiendis indigentibus, corrigendis errantibus, consolandis mærentibus, ut eamdem pietatis vicem consequeretur à Domino, sicut promittit in

a Immo in Galliam, testante Beda in Hist. Eccles. lib. 3. cap. 8. necdum enim antiqua Saxonia Christianâ Religione imbuta erat.

b Adulfus non videtur fuisse Trajectensis Episcopus, ex dictis. an verò alterius Sedis, incertum.

Evangelio: *Beati*, inquit, *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Jejunia prosequitur vigiliis, vigilias intendit psalmodiis, psalmodias sanctificat piis lacrymis, actu prævenit doctrinam, in omnibus sanctam agens vitam; postremò, ut finem prosequamur verbi, in omnibus se exhibet sicut decet servum Dei.

CIRCA AN. DCC. JUNII XVII. *Matth.* 5.

4. Beatus verò Pater Botulfus divinâ reservatus pietate, ut doctrinâ & sanctâ conversatione prodesset nativæ patriæ suæ, postquam Dei gratiâ & diutino profecerat sanctæ Religionis fervore, disposuit jam ad Angliam pro caritatis studio repedare. Erant autem in eodem Monasterio [a] quo morabatur, sorores duæ EDELMUNDI Regis qui tunc Australibus præerat Anglis, diligebántque præcipuum Patrem Botulfum sicut doctorem sanctitatis & castimoniæ, & plurimùm ob studium gentis suæ. Adhuc siquidem tenellulæ missæ fuerant ultra mare ad discendam scilicet in Monasteriali gymnasio disciplinam cælestis sophiæ. Videntes autem beatum & dilectum doctorem velle repatriare, mærentes mandata imponunt perferenda Regi & fratri, & genitrici Reginæ, quæ SIWARA [b] nomine sustinebat pariter regni sceptrum propter adolescentioris filii ævum immaturum. Perveniens tandem beatus Pater Botulfus in nativam patriam suam, imperitis eatenus vitæ regularis attulit normam, & in monasticis observationibus magnus Legislator antea incognitam docuit viam. Suscipitur autem honorificè à Rege & Regina pro audita & visu approbata religiositatis ejus reverentia, & devoto affectu in necessariis sumptibus larga impenduntur obsequia.

Botulfus patriam repetit.

cum litteris commendaticiis ad Regem.

5. Auditis verò sororum suarum petitionibus & mandatis, ut scilicet in construendo [c] Monasterio aliquem fundum illi concederet ob amorem divinæ mercedis, interveniente studiosiùs Reginâ quam prædiximus, gratior factus est tam ipsi Regi quàm cunctis regni Principibus. Ad consolationem enim servi sui Deus cor Regis gratiâ suâ inspiravit, & ejus petitioni ac desiderio benevolum reddidit. Convenerant in eodem tempore alii Anglorum Reges ADELERUS & ADELWOLDUS ejusdem Adelmundi Regis propinqui, eique suggerunt ad exaudiendam petitionem viri Dei. Ipsi quoque de suis prædiis si suscipere vellet cupiebant illi largiri, & offerunt devotâ mente ad cultum cælestis officii. Sed vir religiosus beatus Pater Botulfus, ne qua alicui inferretur molestia sui caussâ; & quia circa eumdem Regem carnales consanguinei sui tractabant à secretis regalia, sub eodem Rege persistit in petitione sua. Petit enim simpliciter, non ut aliquem regiâ violentiâ de hereditario jure caussâ sui depellat, sed potiùs ut de incultis terris suis sive possessore carentibus sibi tantum concedat, ut Ecclesiam Deo construere, & in ea divinis legibus servientes possit Fratres adjuvare, quorum Deo placitâ conversatione & devoto interventu regnum ejus temporaliter firmari, & æternaliter in cælis posset perennibus præmiis remunerari. Quid plura? annuit tandem benignus Rex piæ petitioni, ejúsque instruendo Monasterio ubicumque illi Dei gratia ostenderet, liberæ concessit dispositioni.

Ab eo locum accipit condendo Monasterio.

6. Circuit indefessus viator beatus Pater Botulfus vasta ab hominibus & deserta, & subtiliter circumquaque consideranti tandem Ikanho complacuit ex Dei clementia, ut constructis inibi competentibus ædificiis Religio paretur monastica. Erat autem eadem eremus ut à Christicolis derelicta, sic à dæmonibus possessa, quorum phantastica illusio per tanti militis Christi adventum inde erat fuganda, & pia Fidelium conversatio inducenda: ut ubi su-

Ikanhoënse Monasterium construit.

a Fortean in Brigensi seu Eboriacensi Monasterio, quod modò S. Faræ dicitur: aut certè in Jotrensi, Andilegóve. nondum enim Kalense tum exsistebat.

b Sivvara ejúsque filius Edelmundus seu Adelmundus Rex vel Subregulus, aliis Scriptoribus ignoti.

c Monasterii fundamenta jacta sunt anno DC. LIV. ex observatione superiori, quo tempore Adelerus cæso Anna fratre Eastanglis, & post eum Athelvvoldus imperabat.

CIRCA AN. DCC. JUNII XVII. perabundaverat tunc usque diaboli fallacia, superabundaret benignissimi Conditoris nostri gratia.

Dæmones loco ejicit. 7. Ad ingressum ergo beati Doctoris nostri Botulfi fumus exhalat teterrimus, & agnoscens fugam suam imminere, horridis personat clamoribus: Locum hunc longo incoluimus tempore, in sempiternum putavimus incolere, nusquam alium habemus; cur, Botulfe sanctissimus hospes, nos his depellis sedibus? nihil tui juris, nihil tui juris inquietavimus. Quid petis in expulsione nostra? quid tibi parare vis in hac regione nostra? cùm totus orbis tuis clarescat meritis, quid tenebras nostras scrutaris? inhumanè agis, & omni neglectâ pietate, quòd ab omni profligatos orbe ab hac etiam miseros exturbas solitudine.

8. Beatus verò Botulfus Christi athleta eximius oratione prælibata inanem compescit turbam, & edito Crucis signo in obscœnam vertit fugam, & potenti verborum virtute interdicit illis regionem sibi divinitus concessam. Expulsis

Monasterium informat ergo scandalorum satellitibus, in Christi cruce præfigitur signum cælestis potentatûs, & construitur aula divini incolatûs. Brevi necdum elapso tempore ad instar Monasteriorum ubi conversatus fuerat in partibus Galliæ cœptum opus perfecit, cooperante sibi in omnibus divinâ pietate.

9. Congregat inde inde ut bonus Pastor in septo cælesti oves Christi, eásque per salutifera pascua ducendo docet evitare discrimina inferi, & properare ad gaudia in æternum florentis paradisi: instat operarius fortissimus in ea vinea Christi fideliter excolenda, laborans utique die ac nocte incessanter ad quæque inutiliter succrescentia falce cæli resecanda & studiosiùs emundanda commissa vitæ, ut de ejus uberiori fructu æterna exsultaret jocunditate. Apostolicam enim doctrinam & sanctorum Patrum instituta assiduâ in se observans diligentiâ, subjectos in hæc hortatur & docet exempla, ne reprobaretur à sua devius doctrina. Quod transmarinis partibus didicerat de Monachorum districtiori vita & regulari consuetudine, memoriter repetendo cotidianis inculcationibus subditos consuescit solitâ mansuetudine: ubi verò res petebat, pastorali invitat & cogit auctoritate, pius videlicet secundùm Apostolum in subditis, asperior in laxioribus & negligentibus. Præcepta salutis secundùm

ad mentem S. P. Benedicti. beati Patris BENEDICTI documentum vetera novis, nova veteribus miscens, nunc antiquorum instituta, nunc per se intellecta discipulos edocuit, & in omnem veritatis & sanctitatis viam instituit.

10. Diligebatur ab omnibus, tam ab his qui eum noscere poterant transmarinis, quàm à patriæ suæ nativis incolis: quia quod ore personabat & dictis, operum piis probaverat exemplis. In nullo arrogans, in nullo tumidum quid vel improbum demonstrans: sed in omnibus mitis & humilis, dulcis enituit & affabilis. Relatum est sæpius ab his qui ejus instituti sunt disciplinâ, quíque ejus dum viveret usi sunt præsentiâ, quantis miraculorum signis ex Dei gratia effulserit, quanto Prophetiæ spiritu veridicus vates claruerit, ut interdum futura acsi jam præterita à Deo doctus enuntiaverit, quantâ etiam corporis infirmitate pressus, in gratiarum tamen actione cum beato Job patientissimus perstiterit. Semper de profectu animarum habebat colloquium, semper de gaudio æternæ felicitatis in ejus ore consonabat eulogium, nequando his vacans linguæ videretur neglexisse organum. Talibus ergo vitæ argumentis & institutionibus hoc exegit ævum, talibúsque ad condignum Pater angelicus pervenit senium. Appropinquante autem vitæ suæ termino graviorique invalescente morbo, pia tamen non defecit intentio: sed caros quos Christo divinis dogmatibus genuerat filios, verbo commonet propitio, & de observandis Regulis Monasteriorum quæ peregrinus petierat, loqui & sæpius repetere dulce ac delectabiliter ducebat. Sed longis virtutum studiis adornatus miles Christi indefessus,

longa etiam inter Fratres invalitudine commoratus senex gloriosus, tandem evocante Deo eum de carnis ergastulo, exutus est homine terreno, discipulis circumstantibus, & egressum ejus cælestibus exsequiis & dulcibus lamentis prosequentibus. Quorum gemitibus & lacrymosis suspiriis comitatus, post longos labores sæculi hujus cælo infertur coronandus, ut illam Domini sui vocem lætabundam audire mereretur in æthereis sedibus: *Euge, serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Sepultus est igitur à discipulis suis in eodem quod construxerat Monasterio quintodecimo Kalendas Julii [a], ubi eodem interveniente multa gloriosa fiunt miracula ad laudem & gloriam omnipotentis Dei qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CIRCA AN. DCC. JUNII XVII.

Matth. 25. 21.

[a] Incertum quo anno. at cùm Botulfus Monasterii sui fundamenta posuerit anno DC. LIV. & grandævus decesserit, facilè ad annum septingentesimum pervenire potuit. Sepultus est unà cum ipso S. Adulfus frater, ut patet ex versibus mox referendis.

APPENDIX

De Translatione Reliquiarum Sancti Botulfi.

1. IKANHOENSI *Monasterio à Danis everso*, venerabilis Ethelwoldus, *ab anno* CM. LXIII. *ad* CM. LXXXIV. *Vintoniensis Episcopus*, à Rege Eadgaro impetravit, (*verba sunt Johannis Bromtonis in Chronico*) ut Sanctorum corpora quæ in destructis locis jacebant in negligentia, transferre sibi liceret in ea quæ construxerat Monasteria. Inter quæ corpus B. Botulfi fratris * B. PEGIÆ fecit à Monasterio Ikanho, quod idem Botulfus dudum in vita sua construxerat, & postmodum per interfectores S. Edmundi Regis destructum fuerat, transferri, & super hoc Regiæ excellentiæ intimavit. Rex devotus intendens in meritis B. Botulfi, trifariè corpus suum sensit dividendum. Caput namque annuit Eliensi Cœnobio, medietatémque reliquit Thornensi Ecclesiæ; & quod residuum fuit, sibi suæque curiæ regalium Reliquiarum recepit scrinio, quæ postea collatæ sunt sancti Petri Oratorio à bonæ memoriæ Rege Edwardo. *Quid in hac Translatione contigerit, discimus ex subjectis versibus, in Officio S. Botulfi quondam cani solitis, quales repræsentat codex Vticensis;*


O Botulfe, tuo cum fratre suavis Adulfo,
Qualis eras vitâ, tua busta docent reserata.
Ter quinis eremus dat aromata mira diebus,
Membra sacrata Deo redolent charismate tanto.

Item alii versus:

Sancti Botulfi sancto cum fratre sepulti
Pars fratrem placat, pars Ecclesiæ sacra ditat.
O concors virtus! Sanctus sine fratre ferendus
Pondere se fixit, tolli sine fratre nequivit.
Mox Sancti celebrem dat Adulfo gleba fragorem.
Impatiens cari solvi compage Botulfi.
Sanctorum vita cui vivunt ipsa sepulcra,
Alter non potuit tolli, potuit sed uterque.
Alterutris meritis dat uterque salubria nobis.
Hæc in Botulfo tua munera sunt & Adulfo.

Si Vuillelmus Malmesburiensis Monachus in Episcopi nomine non fallit, alius fuit S. BOTULFUS Episcopus. *ita enim scribit in lib. 2. de Pontif. Anglorum & quidem Orientalium, in fine, ubi de Monasterio S. Edmundi.* Jacent in Ecclesia duo Sancti, Germanus & Botulfus, quorum gesta nec ibi, nec alibi haberi memini: nisi quòd primus frater S. Etheldritæ, secundus Episcopus adseritur.





CIRCA AN. DCC. AUG. XXIX.


VITA SANCTI MEDERICI ABBATIS ÆDUENSIS IN GALLIA,

Auctore anonymo qui post sæculum IX. vixit.

Ex MSS. codd. Bibliothec. Sancti Germani & Sancti Victoris Parif.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctor. * S. Mederic, Merry.

I.  *ÆC S.* MEDERICI * *Vita post Translationem ejus, id est, post sæculum* IX. *scripta est, ut patet ex historia Translationis, quæ hîc memoratur ab Auctore anonymo, de quo nihil occurrit dicendum. Ejus digressiones aliquot morales resecuimus. Legerat hanc Vitam Vincentius Bellovacensis, qui de S. Mederico agit in Speculi lib. 30. cap. 92. & ex eo Petrus Equilinus Episcopus in lib. 7. cap. 25. ubi fallitur, dum annum obitûs S. Mederici cum anno Translationis confundit.*

Mederici memoria & cultus.

2. *S. Mederici memoriam commendant vetusta Martyrologia, tum Ecclesiæ Æduensis, tum Ecclesiæ Bituricæ S. Laurentii his verbis :* IV. Kalend. Septemb. Parisius depositio S. Mederici Presbyteri. *quæ eadem verba in Martyrologio Romano leguntur. Hinc argumentum capiunt nonnulli, ut existiment, Medericum* Presbyterum, *non* Monachum Abbatémve *fuisse. Verum sollemne erat antiquis, ut quia non omnes Abbates aut Monachi erant Presbyteri, qui hoc gradu insigniti erant, misso Abbatis sive Monachi nomine,* Presbyteri *appellarentur ob præstantiam & existimationem Sacerdotalis dignitatis, ut in venerabilis Bedæ Elogio ad annum* DCC.XXXV. *demonstrabimus. Quo magis mirari subit nostri temporis Sacerdotes nonnullos, qui cùm Abbates non sint,* Abbatis *nihilominus ambiunt nomen, quasi parum sit esse aut dici* Sacerdotem! *At ne quis hærere pergat in Mederico, ipsum Monachum & Abbatem fuisse constat, tum ex subjecta Vita, tum ex sincero ac genuino Usuardi Martyrologio, quod ante annos octingentos exaratum apud nos habetur in hæc verba :* IV. Kal. Sept. Parisius depositio S. Mederici Presbyteri & Monachi. *Ipso die sollemniter ejus festum celebratur Lutetiæ Parisiorum in Ecclesia propria ; per totam verò diœcesim prid. Kal. Septemb. officio semiduplici, ut vocant. Patronus etiam colitur in Ecclesia collegiata opidi de Linaiis,* Linays, *tertio miliari propè ab urbe Parisiaca ; & in Ecclesia parochiali Campellis, de qua postea.*

Monastica professio.

Loca ab ipso culta.

3. *Varia loca S. Medericus præsentiâ suâ illustravit, nempe* Monasterium Æduense, Cellam *in diœcesi Æduensi,* Monasterium Campellas, *&* Cellam S. Petri *urbi Parisiacæ olim suburbanam. De singulis agendum paucis.*

Monasteriũ Æduense. * Autun.

4. *Medericus anno ætatis tertio decimo* Monasterium Æduæ civitatis *expetiisse, ibique* Abbatis *munus gessisse dicitur. Æduæ seu Augustoduni *, urbis prænobilis, duo tum erant virorum Cœnobia ; S. Martini unum, alterum S. Symphoriani ; utrumque extra muros, Ordinis S.* BENEDICTI, *cujus Regulam in Concilio inibi congregato S. Leodegarius Episcopus tantopere commendaverat. Origine prius erat S. Symphoriani Monasterium, cujus Abbas fuerat S.* Germanus *Parisiorum Episcopus, & longè post eum* Hermenarius *exin Æduensis Antistes, in Vita S. Leodegarii laudatus : quo Abbate* Marcolinus *seu* Marcolmus *Reclusus, Leodegarii proditor, illic degebat. Ex eodem Asceterio S. Germanus* Droctoveum *Abbatem futurum, aliósque Monachos arcessivit, quos in Parisiacensi S. Vincentii Basilica seu Monasterio, nunc S. Germani dicto, collocaret. Incertum est quos insuper Rectores habuerit S. Symphoriani Abbatia, quæ nunc redacta est in Prioratum, Augustinianis Canonicis subjectum. Monasterium S. Martini uno ab urbe lapide construxit Brunechildis Francorum Regina, eo scilicet in loco, ubi quondam Sarronidarum nobile Collegium gentilitas posuerat. Huc spectant versus haud spernendi Stephani Ladonei in libro de antiq. Æduorum pag. 180.* Brunechildem *istius Monasterii auctorem laudat Gregorius Magnus in lib. 11. Epist. 8. &* Lupponi Presbytero *ejusdémque loci* Abbati *Epistolam 11. inscribit. Existimo etiam* Winobertum Abbatem, *in Vita S. Leodegarii ab anonymo memoratum ibidem præfuisse, de quo sic anonymus ejusdem Cœnobii Monachus :* Cùm unus è nostris Fratribus Abbas nomine Winobertus prædictum Sanctum Dei ad hospitium à longè secutus fuisset, *&c. Præter hos ignoti sunt Abbates qui loco præfuerunt ad excidium Monasterii à Vvandalis (ut in Vita S. Hugonis Monachi legitur) id est à Saracenis patratum:*

aliud S. Symphoriani,

aliud S. Martini.

patratum: quo de excidio inferiùs agemus in Vita S. Ebbonis Senonensis Pontificis; de restitutione verò Monasterii in Actis S. Hugonis Monachi ejusdem loci Saeculo V. Bened. Vtrum ex istis Monasteriis, S. Simphoriani, an S. Martini, adierit S. Medericus, (nam alterutrum adiisse constat) non prodit antiquitas, ne Trithemius quidem de viris illustr. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 231. ubi agit de S. Mederico Abbate Monasterii in Ædua civitate. *Censent tamen recentiores omnes, Medericum in S. Martini æde Monachum & Abbatem egisse. Cujus rei argumentum est, quòd Martiniani Cœnobitæ ex antiquo jure hactenus* cellæ S. Mederici *Curionem provident.* CIRCA AN. DCC. AUG. XXIX.

5. *Post aliquot annos quàm Monasterium suum rexerat vir sanctus, latendi desiderio secessit* in desertum locum, *tertio miliari ab urbe remotum, quem posteri* Cellam S. Mederici * *appellavêre. De ea ista lusit Stephanus Ladoneus jam citatus, pag. 183, præmisso hoc titulo:* Ad S. Annianum, in cujus tutela pagus est Cella vulgò cognominatus. Cella. * *La Celle.*

Non ego te tacitum linquam, sanctissime Præsul
Aureliæ gentis, tua nec veneranda silebo
Quæ tibi templa olim MEDERICUS rite dicavit.
Ille ut opes fluxas, & quantum in rebus inane est
Cognovit, subitò Æduaca discedit ab urbe,
Cœnobiumque * petens, trino tria nuncupat uni — * *n.* S. Martini.
Vota Deo; sibi deinde Ducem elegêre Patrémque
Unanimes socii; sed tantos odit honores
Insignis pietate Abbas, nec plura moratus
Cœnobio egreditur, rerúmque relinquit habenas.
Tum demum in silvis intérque horrenda ferarum
Lustra, diu vitam securam inglorius egit,
Atque humilis Cellæ congestum cespite culmen
Monte sub aërio deserti ad fluminis undam
Incoluit. Locus hinc MEDERICI CELLA vocatus,
Amborum æternam servat per secula famam.

Cella *vicus positus est ad amnem quemdam, qui in* Arotium * *infra urbem influit.* * *l'Arroux.*

6. *Exactis aliquot annis in solitudine Medericus Episcopi jussu in Monasterium suum revocatur: indéque Luteciam Parisiorum orationis causâ accedens, cogente infirmitate* in Cœnobio quod nominatur Campellis *demoratur. Duplex per id temporis Cœnobium erat in Gallia,* Campellæ *nuncupatum; alterum in Burgundia, pago Atuariorum**, *postea S.* Leodegarii *dictum; alterum in Briegio* * *tractu, haud procul à Miliduno opido ad Sequanam, decimo miliari supra Luteciam Parisiorum. Prioris mentionem facit Guido Abbas Cœnobii S. Germani Autissiodorensis in Appendice ad Henricum de Abbatib. decessoribus suis, ita loquens cap. 1* de Heldrico Abbate. Cùmque dictus Heldricus propter suam sanctitatem & religionis fervorem multis Nobilibus esset carus, venerabilis & Deo digna Ducissa Gersendis, Henrici Ducis uxor, à viro suo petiit & obtinuit Monasterium S. Leodegarii quod Campellis dicitur, eidem committi, sperans illud per eum ad regularis vitæ normam posse reduci. Idem enim Monasterium olim à bonæ memoriæ Theograda Regina restauratum fuerat, & Monastico Ordini mancipatum, &c. *Exstat in Chronico Besuensi charta quædam commutationis facta* inter Seraphim Abbatem Besuensem, & Theutonem Abbatem Monasterii S. Leodegarii quod Campellense nominatur, data anno XIII imperii Ludovici Imp. *nec dubito quin Alcuini Epistola S.* Liudgarii Episcopi congregationi *inscripta, spectet Monachos istius Cœnobii, modò redacti in Prioratum prædicto S. Germani Monasterio addictum. Aliud* Campellense *Cœnobium Briegii tractûs, S. Martino sacrum, in collegiatam Ecclesiam mutavit, cui accessit opidum vulgò* Champeaux, *seu* Chauseaux *appellatum, habens in suburbano Ecclesiam parochialem, quæ S.* Mederici *nomine, & quibusdam Reliquiis illustratur. Nec dubium quin de posteriori loco intelligenda sit B. Mederici Vita: id quod probat tum illa parochialis Ecclesia in ejus memoriam erecta, tum vicinia opidi Milidumi, ubi vir sanctus reos carcere liberâsse dicitur, istuc profectus, dum Campellis morabatur.* Campellense Monasterium, duplex. * *Le païs de Beso.* * *La Brie.* *Tomo 1. Spicil.*

7. *Denique Medericus civitatem Parisiacam ingressus, votis Deo & Sanctis qui inibi colebantur persolutis,* venit ad suburbana ejusdem urbis: *tum denuo morbo recrudescente substitit* in Cellula quæ sub nomine Petri Principis Apostolorum fuerat consecrata, & post duos annos & menses novem *eodem loci exspiravit.* Cellulæ *nomine veteres intelligebant exiguum Oratorium seu Monasteriolum, quod unus aut alter Monachus aut Clericus regebat. Quamquam* Cellulæ *vocabulum passim tribuebatur iis dumtaxat locis, quæ ab origine Monachis paruerant, quæ postea Clericis concessa, retinebant primariam appellatio-* Cellula S. Petri Parisiis.

CIRCA AN. DCC. AUG. XXIX. *nem. Id generis erat* Cellula S. Petri, *tunc temporis extra muros Parisiaca urbis posita, cui Theodebertus Sacerdos sæculo* IX *præpositus, transferendi seu levandi corporis S. Mederici Gozlino Episcopo auctor fuit. Non ergo ea Ecclesia aut parochialis erat, aut Canonicis attributa; sed Monachorum Cellula primum, dein titulus unius Sacerdotis, quales simplices Prioratus aut Capellas vocant. Nunc verò insignis est Ecclesia collegiata & parochialis, sub nomine S. Mederici Deo consecrata, urbis pomœrio inclusa*

S. Mederici ætas. 8. *Quo tempore vixerit S. Medericus, ex nullo capite certò definiri potest. Stephanus Ladoneus civis Æduensis, in opere jam citato ait eum* floruisse circa annum septingentesimum. *Et certè serius vix rejici potest S. Mederici obitus, cùm locum habeat in germano Vsuardi Martyrologio, in quo nullus ferè Sanctorum qui post annum* DCCXX *devixerit inscriptus reperitur. Porrò Medericum post S. Leodegarium floruisse facilè crediderim.*

PRÆFATIO. 1.  I sæcularium Scriptores litterarum famosa quorumdam gesta pomposo studuerunt prosequi stilo, famámque ipsorum ad notitiam posterorum prolixam tam prosaico quàm metrico deducere certaverunt eloquio, suam utique volentes ostentare sapientiam, atque popularem pro ea gestientes umbræ similem captare auram; nos unius veri Dei fidelissimi cultores, ac veræ sapientiæ promptissimi amatores, multò magis debemus Sanctorum gesta, utpote plurimùm imitabilia ad Fidelium perducere cognitionem, veraci quidem & compendiosa narratione, incompto quamvis scripto: ut corda audientium ad Sanctorum deducamus imitationem, & ipsius laudem qui est mirabilis in Sanctis suis, quíque suis non tantùm Sanctis, sed etiam eorum exempla piè imitantibus, sui consortium polliceri dignatus est, dicens ad Patrem orando: *Pater, volo, ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.* Qui etiam omnibus voce desiderabili clamat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & invenietis requiem animabus vestris.*

Medericus Æduus fit Monachus. 2. Quam vocem audiens MEDERICUS Æduæ civitatis pago nobilibus valde parentibus progenitus, cùm tredecim annos implesset ætatis, invitis parentibus, non invictis tamen, ad Monasterium jam dictæ civitatis abiit, quod quinquaginta quatuor Monachorum comitatu agebatur: expetens sanctæ illius congregationis cœtibus admisceri, ut tantò scilicet expeditior omnipotentis Dei famulatui insisteret, quantò semetipsum abnegando, & crucem Christi ferendo ipsúmque sequendo, à mundi illecebris dorsum non tantùm corporis, quàm etiam mentis avertere maturaret, juxta illud Psalmistæ: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* (Psal. 45. 11.) Cùm enim quis à mundanis operibus quiescendo cessaverit, rectiùs in Deum mentis aciem dirigere valebit. Ubi à parentibus regulariter ac sollemniter bonæ indolis adolescens oblatus, quantæ abstinentiæ humilitatis, obedientiæ, caritatis, castitatísque fuerit, subsequens pagina manifestabit: licèt omnia facta illius non lingua si foret trisulca, non vox millesona narrare prævaleat. Sed nobis vel pauca de pluribus dixisse sufficiat, veluti si quis maximam ingrediens silvam, paucos exinde ramos ferre studeat: ac uberrimam intrans segetem, exiguos hinc manipulos deportare satagat. Sit ergo studioso lectori satisfactio in paucis, ne fortè (quod adsolet) fastidium incurrat in multis. Quia & sæpe in paucitate alimentorum major exstat aviditas sumentium, & in pluralitate minuitur aliquando appetitus eorum.

Abstinentiæ dat operam. 3. Ingressus itaque præfatus puer Medericus Monasterium, propter nimiam abstinentiam honore non indebito omnibus mirabilis habebatur: quâ ita potitus est, ut in hebdomada non nisi bis edulii quidquam caperet, quod non nisi pane hordeacèo, aut quod vilius reperire poterat, & aquæ modico

fiebat: prudenter recolens vir Dei protoplasti casum, per ligni vetiti contigisse cibum, nec aliter nisi parsimoniæ studendo promereri posse æternæ felicitatis regressum. Et cùm Apostolus carnis curam non in necessitate, sed in desideriis facere prohibeat, religiosus Dei famulus etiam necessaria sibi utpote sedulus Dei cultor abdicabat, ut ipsa ejus supererogatio fieret in reditu justi Judicis exuberans retributio. Corpus verò illius cilicio asperrimo occultè tegebatur, ac desuper aliis Fratribus similis videbatur, eisdem vestibus, eodem habitu quo alii tegebantur, ut est regularis consuetudinis, indutus; cupiens si posset id occultè agere, ne fortè aut laude humana, vel favore terreno attolleretur.

CIRCA AN. DCC. AUG. XXIX.

Cilicio sub vulgari veste utitur.

4. Nam fama ejus non solùm circum manentium, verùm procul habitantium ora pervolitans, longè latéque nomen ejus divulgavit, & quis esset apparuit, intantùm ut de diversis provinciis ad eum profluerent, magisterio illius & sapientiâ instrui cupientes, imitantes Reginam Saba quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; turbam quoque quamplurimam quæ, ut legitur in sancto Evangelio, relictis civitatibus, proprio pedum officio properabant audire doctrinam Salvatoris. Sed quanto micans lucerna radios suos abdere volebat, tanto Auctor lucis utiliter coruscare faciebat.

Multos ad se trahit.

5. Interea Pater ejusdem loci molestia corporali arripitur, eáque longa ægritudine laborans migravit ad Dominum. Tunc Episcopus ejusdem civitatis præsulatûs sui religione intentus, jussit ejusdem loci habitatoribus Pastorem sibi perquirere, qui gregem Christi de morsu lupi rapacis eriperet, atque caulas Christi inviolatas custodiret, ac Domino suo illæsas repræsentaret, lucrum animarum Redemptori reportans. Sicque factum est, ut omnes ejusdem loci incolæ ac vicini qui hujus rei gratiâ ad Monasterium confluxerant, B. Medericum Patrem sibi exposcerent, & omnes eum sibi dignum præesse acclamarent: quoniam idem beatus vir juxta quod Apostolus de eligendo Episcopo loquitur, bonum ab his qui foris sunt testimonium pro suæ sanctitatis merito habebat. Denique omnium in ejus electione par adsensus exsistebat. Quorum vocibus annuens beatus Episcopus, Regiâ sibi indultâ licentiâ, beatissimo viro ipsius Cœnobii curam commisit, dicens ei: O lucerna Christi & vas electum thesauri Altissimi, accipe mensuram dispensationis æterni Dei ad alendos greges Creatoris, erudiens eos sanctis tuis monitis, pariter & præceptis, ut meritò à pio Judice merearis audire: *Euge, serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

Abbas ordinatur.

Matth. 25.

6. Beatus igitur Medericus Religionis minister effectus, non honorem, sed onus se accepisse considerans, juxta illud Salvatoris; *Qui major est vestrum, erit minister vester;* seipsum ponens in exemplo; sicut filius, inquiens, hominis, non venit ministrari, sed ministrare, omnibus sibi commissis, pater non solùm carnalis, sed etiam spiritalis studuit apparere: adeout etiam cogitata illorum secreta redargueret, docens quatenus non solùm mala opera resecarent, verumetiam cogitationes iniquas à cordibus suis excluderent. Unde accidit, ut ipso tempore quo regiminis curam suscepit, quidam Monachus ipsius loci incentivæ libidinis graviter æstu ureretur, eumdémque infirmitatis suæ modum Patri sanctissimo notum faceret. Quo comperto, tunicam quâ induebatur direxit ad induendum. Qua induta, ilico dæmon incentor ipsius mali fugiendo delituit, magnis vocibus proclamans: Sancte Mederice, cur me incendis precibus tuis? vasculum quod diu possederam distulisti, & me inexstinguibili incendio mancipâsti. Tunc Sanctus increpans eum divina voce dixit ei: Obmutesce, diabole, exi ab illo: quoniam non possidebis thesaurum pro quo Christus sanguinem suum fudit. Sicque inimicus ab-

Monachi tentationem tunicâ suâ pellit.

Circa An. DCC. Aug. XXIX.

scessit, & Monachus postea ita in sanctitate permansit, ut plurimæ ab eo postea virtutes efficerentur.

Alium vagum eulogiis curat.

7. Sub eodem fermè tempore alius prædicti Patris discipulus ita erat diabolica illusione subactus, ut quandocumque operi divino insistere debuisset, statim ut synaxeos oratione consueta finienda, & anteaquam genua flecteret, ab Ecclesia exiret. Qua de causa frequenter admonitus, non tamen correctus est. Tunc Sanctus Dei cernens orationis inimicum Monachum ita vexantem, accepit panem, & benedictione sanctificans eulogias Fratri tribuit, & mox inimicum ab eo exclusit.

Desertum locum petit.

8. Præfato itaque tempore cùm jam dictus beatus Confessor votis esset Martyr, quia non constat martyrium in sola gladii peremptione, at vitiorum concupiscentiarúmque crucifixione; non credens sibi integrum esse præmium, si inter tantam multitudinem vitam duxisset; quia (ut jam diximus) & de propinquis & de longinquis regionibus properabant ad eum: desertum locum expetiit, atque sub statu diu desiderato sese conclusit, itaut quidquid cibo sumendum esset, propriis manibus elaboraret.

Miracula sua vult celari.

9. In miraculis etiam quibus Christi virtute nitebat, omnimodis latere cupiebat juxta Salvatoris exemplum, qui miraculorum suorum signa reticeri jubebat; non quòd inde vanam gloriam utpote sine peccato exsistens incurrere timeret, sed ut formam suis daret voluntatem habere in miraculis latendi, sed ob utilitatem aliorum aliquando proderentur inviti: quia & ipsius miracula quò plus videbantur premi silentio, eò ampliùs proferebantur in publico. Unde cum summa gratiarum actione nobis recolendum est, quia quod in capite omnium electorum præcessit, in membris quoque ipsius cooperante ipso successit. Expedit enim ut capiti membra inhæreant.

Episcopi jussu revocatur.

10. Fratres autem ejusdem Cœnobii absentiâ Patris tristes effecti, per vastam eremum longè latéque eum perquirunt, ac crebra sollicitudine tandem inveniunt. Qui valde rogatus ab eis ut ad pristinum remearet Monasterium, dicentes eum potiorem coronam accepturum si aliis vitæ præberet exemplum, quàm sibi prodesset ob solius sui meritum, valde repudiavit, ac precibus eorum consultum præbere noluit. Unde factum est, ut beatum adirent Episcopum, & prædicti Patris flentes intimarent abscessum. Tunc Præsul cum illis B. Medericum inquirens, secum reclusum reperit in eremum: sicque excommunicationis vinculo eum alligans perduxit ad Monasterium, ubi tanta sanctitate postmodum floruit, ut multis infirmitatibus medicinæ spiritalis impenderet salutem, cæcis reddendo visum, surdis auditum, debilibus gressum, & omnes quibus corporalem administrabat curam exteriùs, verbo salutis curabat interiùs. Sic gloriosus Confessor Domini vitam virtutibus divinis exornans, regimen ipsius loci recto tramite gubernans, qualiter ultimum diem clauserit, brevi stilo scribere curabimus.

Parisios tendens, ægrotat in Monasterio Campellis.

11. Sanctus igitur Medericus Æduæ civitatis ordinatus Sacerdos, compellente vel potiùs exhortante [a] FRODULFO miræ sanctitatis viro, quem ipse sanctissimis manibus de lavacro susceperat, atque ad totius perfectionis culmen evexerat, dum proficisci voluisset causâ orationis [b] Parisium, infirmitate coactus accessit Cœnobio quod nominatur Campellis. Ibidem autem diu commorans, in infirmitate positus ac Deo militans religiosè vixit in orationibus, jejuniis & in frequentatione Ecclesiæ, die noctúque Deo vacans. In-

[a] S. Frodulfus, vulgò *S. Frou, Flodulfe*, festo sollemni colitur die 21 Aprilis (olim 22, qui dies est obitûs) Parisiis in Ecclesia S. Mederici in qua cranium ejus cum duabus vertebris & costa asservatur, reliquæ partes habentur in opidulo quodam Burgundiæ, à quo non longè visitur parvum Oratorium, vbi S. Frodulfus tumulatus fuisse memoratur.

[b] Fortean ut S. Dionysii Templum adiret, cujus limina jam terere soliti erant Fideles, ut patet ex Actis S. Marii Bodanensis Abbatis, Sæculo 1 ad annum 550.

terea arduam potiùs vitam cupiens adipisci, cœpit circumire in quibus Domini misericordiam implorare potuisset. Venit itaque ad castellum Milidunum [a]: omnibus orationibus ibidem institutis peractis, audivit carcerarios reclusos in carcere. Unde desiderans ad Judicem venire, sub cujus ditione ibidem positi fuerant, eumdem non inveniens, oratione facta ad Dominum, ostiis apertis exsilierunt, & salvi facti sunt.

CIRCA AN. DCC. ANG. XXIX. Miliduni reos solvit.

12. Hoc patefacto multis adstantibus, & Deo gratias referentibus, iterum reversus venit ad præfatum Cœnobium Campellis. Ibidem etiam diu commorans in eadem debilitate, jussit ædificari vehiculum sollicitus unde trahi posset Parisium, causâ orationis circumeundi, sicut superiùs retuli. Inde profectus, obviàm ei auditâ famâ ejus venit multitudo hominum, offerens ei diversa munera quæ non respuens accepit, distribuens omnia pauperibus. Inter cetera verò venerunt quidam mutuò cogitantes & tractantes, ut obtulissent ei animalia, quæ ejus vehiculum traherent, unde unus quidam obtulit vaccam unam, simplici animo. Alii quasi irridentes taurum indomitum; volentes probare cùm simul jungerentur, si opinio vera esset, quæ de illo dicebatur: si fortè traherent illud indomita illa animalia. Statim enim ut juncti fuerunt, sine bubulco, sicut de Arcâ Domini legitur tempore captivitatis & reversionis ejus, venerunt Parisium. Nec mirum si creatura ancillabatur ei, qui toto cordis affectu obtemperabat Creatori. Tunc etenim bene quis præest inferiori, cùm rectè didicerit subesse potiori.

Campellis proficiscitur Parisios.

13. In medio autem itinere obviàm B. Mederico venit quidam vir Ursus nomine, febre nimia afflictus: dúmque ad illum accessisset, restitutus est sanitati. Hinc etiam venit quædam mulier nomine Benedicta in infirmitate posita & à dæmonio vexata: eodem supplicante Domini misericordiam sana facta est. In villa etiam Bonoïlo audiens duos fures retrusos in nervo à Judice, eodem jubente de vinculo carceris sunt absoluti. Interea venturus pontem Carantonis [b] audivit, quòd quidam fur nocte furatus esset, & defecisset pontem; & ob hoc retrusus in carcere foret: antequam transiret, aperto carcere liberavit eum. Hæc pauca de miraculis sancti viri sufficiant illis, qui plus in Sanctis recolunt interioris vitæ sanctitatem, quàm exteriorum signorum operationem. Neque enim Sanctorum miracula sunt ut exempla trahenda, sed potiùs sanctitatis opera necessariò imitanda. Sic quippe necesse est, ut cogitemus qualiter Sancti Dei hujus sæculi peregerunt cursum; quatenus consideremus quomodo ex eorum imitatione sit nobis etiam peragendum, si ad eorum volumus pertingere consortium. Nec prodest Sanctos colere, sanctitatem spernere, quia non Sancti ante sanctitatem, sed sanctitas ante ipsos. His itaque supradictis sanctus vir Medericus peractis, venit ad suburbana Parisii urbis, in Cellula quæ sub nomine Petri principis Apostolorum fuerat consecrata: in qua jam dicta infirmitate gravatus, Deo militavit duobus annis & mensibus novem, bene recolens vir Dei ejus se posse foveri tutamine, cujus ope ac merito claudus ex utero matris gressum meruit recipere; Tabita quoque, ipso dexteram porrigente, post letale funus ad vitales auras redire. Pulchrè etiam in ejus Ecclesia finem vitæ est sortitus, cujus exempla secutus, perpetuo est consortio adgregatus.

Miracula in itinere patrat.

Facta, non miracula Sanctorum imitanda.

In Cellula S. Petri morbo decumbit.

14. Cúmque isdem beatus vir longæva ætate gravatus seu infirmitate, finem viæ carnis proximum adesse cerneret, Domino sibi crebriùs dicente; Veni, care meus, possìde præparatum tibi locum à constitutione mundi, quia jam tempus est ut laboris tui recipias præmium, epulans cum fratribus tuis

[a] Milidunum, *Melun*, opidum ad Sequanam fluvium, decimo miliari supra Luteciam Parisiorum.

[b] Caranto *Charenton*, vicus seu opidulum ad confluentes Matronæ & Sequanæ altero miliari supra Luteciam Parisiorum: cui vico adjacet Bonoïlus vicus, *Bonoil* vulgò appellatus.

Circa An. DCC. Aug. XXIX. Moritur 29 Aug. ſimili labore certantibus; vocatis diſcipulis, indicavit noviſſimum obitûs ſui diem. Ecce Sanctus Medericus bonum certamen certans, fidelem curſum conſummans, fidem rectam ſervans, repoſitam ſibi coronam juſtitiæ à juſto Judice audire, diémque ſui obitûs prænoſcere meruit. Legitimè certavit, bonâ militiâ militans, bonúmque poſteris exemplum relinquens, quantam gloriam meretur in cælis, in fine quoque ſuo oſtendit in terris. Omnibus ergo quæ ad tam ſacratiſſimum exitum pertinebant expletis, valedicens eis, inter verba orationis feliciter migravit ad Dominum, die quarto Kalendarum Septembrium, illi junctus in cælis, quem toto corde dilexit in terris: qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in Trinitate perfecta per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

De Translatione Corporis ejus.

Anno 884. [a] ANNO autem Incarnationis Domini noſtri JESU CHRISTI nongenteſimo [a] octogeſimo quarto, ſtudioſus Dei cultor Sacerdos memoratæ Eccleſiæ nomine THEODEBERTUS adiit venerabilem GOZLINUM ABBATEM, atque urbis Pariſiacæ Antiſtitem, ſuggeſſitque ei qualiter tanto patrono Mederico digna debuiſſet exhiberi reverentia in ſancto corpuſculo. Congruum enim idem Sacerdos locum præparaverat, ubi decentiſſimè poneremus ſanctiſſima ejus membra, à loco tranſlata, ubi juxta [b] maceriam jacebant. Audito igitur præfatus Epiſcopus hoc, gaudio gaviſus eſt: veniénſque ipſe ad locum jam dicti Sacerdotis, gratiando factum collaudavit, ſéque benignum remuneratorem pro talibus repromittens, hoc opus benevolè expleturum per ſe dixit. Adveniente igitur die depoſitionis [c] S. Mederici ſuprà jam taxato, in qua præfatus Sacerdos id facere diſpoſuerat, ſæpe dictus Epiſcopus variis regni utilitatibus occupatus adeſſe minimè potuit. Præcepit tamen condigno illuc miſſo exenio Archidiaconibus ſuis, & omni collegio ſervorum Dei tam Monachorum quàm Canonicorum Pariſius atque in circuitu commorantium, ut hoc negotium digno perficerent honore: quod illi ſtudioſè curârunt implere. Convenientes namque tam Clerici quámque omnis Pariſiacæ urbis populus ad præfatam diem, cum omni religionis obſequio acceſſerunt ad ſancta membra ſicut aurum & gemmas rutilantia, levaverúntque ea cum timore magno & tremore, atque cum decantatione hymni *Te Deum laudamus*, & reliquorum hymnorum pſalmorúmque decantationibus, omni populo magna cordis exſultatione gaudente, & depoſuerunt ea in loco olim ſibi (ut ſuprà retulimus) præparato, ubi nunc pro nobis (ut credimus) Dominum exorans honore quieſcit debito. Nec dubitandum eſt, quin quanto nobis vicinior eſt corpore, tanto erit proximior oratione: & quo ampliùs ei fuerimus devotiores piæ venerationis ſtudio, eo plus exſiſtet nobis utpote vicinus uberior in beneficiis.

Auctoris adhortatio. 16. Nec tamen magnopere nobis eſt neceſſarium, ut ſi Sanctos Dei veneramur, eorum limina ac ſollemnitates annuo curſu recolendo, atque ſuf-

[a] Legendum *octingenteſimo octogeſimo quarto*. Nam Gozlinus ſeu Gauzlinus, Abbas Monaſteriorum ſancti Dionyſii & ſancti Germani, ſimul & Epiſcopus Pariſiacus, obiit anno DCCC LXXXVII, Abboni laudatus in carmine de obſidione Pariſiaca.

[b] In crypta ſubterranea recentioris Eccleſiæ ſancti Mederici corpus ſacrum primò tumulatum fuiſſe aiunt. Ejus Reliquiarum pars in argentea capſa altari propriæ Eccleſiæ impoſitâ, & mandibula in ſcrinio peculiari Pariſiis; pars Campellis in Eccleſia parochiali, cranii nimirum maxima pars cum duabus coſtis & oſſe ſacro, ut vocant; pars denique in Eccleſia collegiata de Linaiis conſervantur.

[c] Et tamen diem Tranſlationis celebrat Pariſiaca ſancti Mederici Eccleſia die 22 Januarii, tametſi ob diem feſtum ſancti Vincentii in proximam Dominicam ſequentem remittitur. Forſitan aliam Tranſlationem eo die factam recolit.

fragia eorum deposcendo, actus quoque illorum imitemur sobriè, & justè & piè vivendo. Legimus enim Dominum dixisse de populo suo pertinaci & ad se convertere nolenti: *Noli orare pro populo hoc, & ne adsumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Et rursum: *Si Moyses,* inquit, *& Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum.* Hoc exemplo colligimus, quia neque S. Mederici, neque aliorum Sanctorum pro nobis oratio quidquam apud Deum valebit, si nos procaciter in peccatis perdurare contigerit. Aliud namque peccare per fragilitatem humanam, aliud permanere in peccatis per obdurationem diabolicam. Peccare enim humanum est, persistere in peccato diabolicum, quia ab initio diabolus peccat. Clamat nobis Paulus Apostolus dicens: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Imitemur ergo Sanctos, sicut illuminati sunt à Christo. Ecce audivimus B. Medericum reliquisse mundum, & Christum fuisse secutum, & humilitati, castitati, sobrietati, & reliquis bonorum fructibus operum fore * deditum: cúmque mundus in se ipso floreret, in corde ejus jam aruerat. Nos igitur si exemplo ejus mundum non sumus idonei relinquere, sic teneamus ea quæ mundi sunt, ut non teneamur à mundo. Ut enim ait Jacobus Apostolus; *Quicumque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituetur.* Sint ergo nobis terrena in usu, æterna in desiderio. Utamur cibo & potu in necessitate, non in comessationibus & ebrietatis superfluitate, sicut ipse Dominus præcepit: *Videte ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Et Apostolus: *Nolite,* inquit, *inebriari vino in quo est luxuria.* Salomon quoque ait, *quia vinum ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Et verè ut coluber, qui veneno potationis facit homines sine gressu, auditu, visu, tactu, & absque omni prorsus naturali sensu. Cúmque in foveam luxuriæ vel homicidii corruerint, excusationem prætendunt dicentes suadente vino se fecisse: cùm nullum crimen sit vini, sed culpa bibentis. Similitérque aufert ebrietas regnum Dei, sicut & fornicatio. Et quod adhuc pejus est, inebriantur homines in omnibus sollemnitatibus Sanctorum: & cùm debuissent illis reverentiam debitam exhibere, injuriam potiùs videntur irrogare, quia hoc faciunt bibuli in eorum nomine, quod illi nunquam voluerunt facere; sed magis talia suis dictis & exemplis probantur damnare, sicut dicit quidam ex ipsis: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Quocirca quamdiu degentes in corpore peregrinamur à Domino, sequamur exempla Sanctorum bene vivendo, ut eis valeamus conjungi in cælesti regno, quorum merita veneramur in præsenti sæculo. Si socii fuerimus passionis, erimus & consolationis: si fuerimus participes in mandatorum observatione, erimus consortes in præmiorum perceptione, adjuvante Domino nostro JESU CHRISTO, cui est cum æterno Patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

CIRCA AN. DCC. AUG. XXIX.

Hier. 7. 16.

Hier. 15. 1.

Philip. 3. 17.


* fuisse.

Iac. 4. 4.

Luc. 21. 34.

Eph. 5. 18.

Esa. 5. 11.





Circa An. DCC. II. Febr. III.

VITA SANCTÆ BERLENDIS VIRGINIS MERBECCÆ IN BELGIO,

Auctore (ut videtur) HERIGERO Abbate Lobiensi.

Ex MS. Cod. & Februario Bollandiano.

OBSERVATIO PRÆVIA.

HANC S. BERLENDIS *seu* BELLENDIS *Vitam edidit sine Prologo, & commentariis illustravit Iohannes Bollandus, eamdémque tribuit Auctori anonymo, qui sæculo XI vixerit. Prologum nacti sumus ex quodam codice manu descripto, in quo Auctoris nomen primâ dumtaxat litterâ H. decurtatum reperitur.* HERIGERUM *Abbatem Lobiensem interpretor: cui conjectura favet tum Herigeri ætas, tum titulus in Prologo expressus, quo Auctor se* Monachorum Lobiensium ultimum *fatetur. Auctoris ætas petitur ex nomine* Ducis Lotharingorum, *quod usurpat num. 3* Lothariensium *nomen vertente sæculo IX ob Lotharium Regem audiri cœptum, serius* Lotharingorum *vocabulum auditum. Herigerus verò, testante continuatore Chronici Lob. Fulcuino Abbati successit anno CM XC, mortuus anno M VII, clarus ingenii sui monimentis ibidem recensitis.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. *DOMINO & amico suo* GERARDO H. Lobiensium *Monachorum ultimus, cum Bellende in cælesti curia laureatum incedere.* Scio me fecisse tardiùs, & desidiosiùs quod vobis dudum promiseram: sed tamen parcendum est amico. Ego enim semper habui voluntatem faciendi, sed ad voluntatem meam non habui exemplar. Vos igitur legere & relegere curate, ut ipsius Virginis bonæ conversationis exemplo instructi, cum ipsa in cælesti regno gaudere possitis.

INCIPIT VITA.

2. CUM ubique fideles Christicolæ nationum omnium, confisi atque protecti patrociniis Sanctorum omnium, eos venerantes intercessionibus eorum de cælo postulent auxilium, & eorum Sanctorum quorum in suis locis pignora habentur, reverentiam majoris dilectionis venerentur affectu, non incongruum arbitror hujus Virginis, cujus patrociniis possumus apud Deum protegi, memoriam pro modulo stili humilis, verbísque licèt impolitis retexere, ad exemplar vitæ utriusque animis audientium commendare. Hæc igitur Virgo, BELLENDIS nomine, licèt secundùm sæculi dignitatem non infimis, sed totius regni nobilioribus orta parentibus memoria exstiterit, excellentiori tamen reverentiâ à nobis colenda est, quæ apud Christum veneranda refulget meritis, & gloriosa castimoniæ sanctitatis. Nam & cælesti sponso jucundum in sua virginitate ædificavit habitaculum, & domûs æternæ sibi sacris insudans actibus in cælo locavit fundamentum. Non enim immeritò hæc Virgo ab illis debet honorari, quibus & ipsa in hac vita consanguinitate vel familiaritate conjuncta fuit, vel qui ex ejus parentela genealogiam ducunt, vel qui ejus atque majorum illius famulatui obnoxii, obsequiis

Nobilibus orta parentibus.

quiis ejus deservierunt. Indigena namque istius [a] loci atque domina fuit, & ideo ejus orationibus divini adjutorii rore irrigatus semper floruit & florebit.

CIRCA AN. DCCII. FEBR. III.

3. Tempore itaque DAGOBERTI Regis Francorum, pater ejusdem Virginis ODELARDUS nomine, sub WIGERO Duce [b] Lotharingorum militans, totius Ducatûs exercitui præerat, atque præ ceteris ipsi Duci adhærens, familiaríque amicitia perfruens, cuncta provido utilíque consilio quæ in domo & in exercitu illius gerenda erant disponebat. Fuit autem possessio illius *Hunibertb* * & Ascum *, castella duo; quorum alterum, scilicet, Ascum, à Hunnis destructum; alterum verò naturâ munitum, militúmque copiâ defensum, inexpugnabile perstitit. Quia igitur vir iste tam generosa propagine, quàm divitiis atque prædiis, honorúmque dignitate ampliatus pollebat, (nam à portu Antwerpersium usque Condacum *, Comitatum regebat) puellam nobilissimam, sororem beati Pontificis AMANDI, nomine NONAM, in matrimonium sumpsit. Erat etenim Virgo specie nimis decora, moribus honestis composita, castitate pudica, fide catholica omníque doctrina ad unguem erudita. Ex hac igitur genuit filium nomine ELIGARDUM, qui in supradicti castri destructione à Hunnis interfectus fuit. Genuit etiam ex eadem conjuge Virginem facie quidem formosissimam, formâ conspicuam, personâ elegantem, omníque probitate & industria luculentam, nomine Bellendem.

[a] Merbeccæ, Odelardo patre, [b]

* al. *Grimbergh.*

* al Ascia *inter Bruxellam & Alostum.*

* *Condeck inter Antuerpiam & Mechliniā.*

matre Nona.

4. Tribus denique annis quater revolutis post primæ noctis copulam, prænotata Nona uxor illius in Domino JESU CHRISTO obiit, quâ juxta humanæ consuetudinis debitum primæ matris gremio ad reservandum beatæ resurrectioni commendatâ, vir idem sæculo ulteriùs implicari noluit; implere cupiens quod beatus ait Apostolus: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Sed cùm per prolixum tempus cum sua filia prædicta Virgine piis actibus instaret, eleemosynis & operibus bonis erga omnes, sed maximè erga domesticos fidei viscera pietatis haberet, remunerator omnium bonorum Deus, qui lucis filios nondum rubigine peccatorum examinatos flagellis sanctæ castigationis verberat, ut excussâ paleâ triticum purum in area munda recipiat; volens probare aurum mundum in fornace purgatum, eumdem virum, sicut filium multiplicis languoris paterno verbere corripuit. Nam & languor eum diutinus invasit, & in ipso languore lepra eum graviter percussit.

Mortua matre,

1. *Cor.* 7:17.

pater morbis & leprâ percussus,

5. Cùm igitur multo langueret annorum curriculo, defluentibus famulis tædio affectis, contigit quadam die solum cum filia in domo remanere. Qui cùm ab ea potum peteret, continuò illa surrexit, scyphum concitè lavit, potum infudit, patri portavit: qui bibit, eíque scyphum reddidit. Sed serpens antiquus humano generi semper invidus, humanitatis nescius, radicis omnium malorum superbiæ fuco Virginem aliquantulum infecit. Nam sitiens, post patrem bibere dedignans, poculum effudit, scyphum iterum lavit, potum imposuit, ac sic bibit. Quod pater adspiciens, nullum ei verbum fecit, sed tacitus mirabili indignatione tulit, itáque vehementi turbatus vocavit servos, currum sibi parari statim jussit, super quem adscendens Nivellam petiit, ibíque sanctæ Gertrudi quidquid habebat in prædiis cum omni familia servorum, ancillarúmque, cum cespite & ramo cultellóque [c] cum manubrio albo tradidit, ac filiam paternæ omni maternæque hæreditatis jure privavit.

filiam exheredat.

S Gertrudi res suas tradit, [c]

6. In eadem verò traditione res stupenda, & ultra humanum modum admiranda, ad laudem ipsius qui omnia condidit, advenit. Nam cùm idem

Gertrude mirè acceptante.

[a] Nempe Merbeccensis, quod in textum irrepsit apud Bollandum. de hoc infrà.

[b] Inauditum erat tum Lotharingorum eorúmve Ducis nomen. Auctor sui temporis usum sequutus est. Wigerus Dux Amalbergæ maritus & Sanctæ Gudilæ Virginis pater fuisse dicitur.

[c] Nota insignem ritum traditionis. Idem refertur in miraculis Sanctæ Gertrudis Abbatissæ Nivialensis, de qua Sæculo 2 ad ann. 658.

CIRCA AN. DCCII. FEBR. III.

vir ad feretrum accederet, omni obstinatione adfirmavit se numquam ei prædium daturum, nisi beata Virgo propriâ manu reciperet. Qui cùm ter quatérque clamaret: Sancta Gertrudis, hoc munusculum de manu mea suscipe, & noli me peccatorem ante te flentem & ejulantem spernere, nisi potiùs me aliàs daturum vis abire; confestim nutu summi Tonantis scrinium in quo beata Virgo jacebat, sese aperuit, corpúsque exanime manum porrexit, cunctísque cernentibus populis qui aderant, ramum cum cespite cultellóque de manu viri porrigentis intra scrinium recepit, & sicut fuerat priùs clausum ac sigillatum permansit. Tunc clamor ad cælum tollitur, Creator omnium qui gemitui suorum aures suæ pietatis numquam avertit, adoratur, ejúsque famula cujus meritis tam inopinatum miraculum támque jucundum peccatorum præsentiæ exhibere dignatus est, summa devotione veneratur. Sed cùm vir præmemoratus aliquanti temporis spatio tribulationum igne ad exemplum B. Job purgaretur, placuit ei qui nihil irremuneratum dimittit, illius patientiam remunerare, atque ejus animam post laborum dolorúmque desudationem in æterna requie collocare.

Patre defuncto,

Berlendis piis actibus dedita,

7. Beata igitur Virgo Bellendis omni paternæ maternæque hereditatis jure privata, animadvertens sese spoliatam bonis patriis ob reatum criminis, parvi pendens honores hujus sæculi, timénsque iram superni Judicis, quia patri dedignari præsumpsit: audiverat enim sæpe quod scriptum est: *Qui patri vel matri injuriam intulerit, mortis æternæ sententiæ subjacebit;* tanta mentis intentione mundana postposuit, ut non solùm ciborum vestiúmque delicias respueret, sed etiam vilia & contemptibilia habere recusaret. Mox subtus ad carnem cilicio induitur, inediâ & algoris uredine martyrium desiderans afficitur, corpúsque jejuniis & orationibus, vigiliísque crebris perurgens, lacrymarúmque imbres crebrò fundens, non solùm peccatis purgari meruit, sed & superni sponsi gratiam invenit. Manus enim illius quidquid boni invenire poterat, pauperibus erogabat, adeout vix aut nullatenus ab eleemosynis vacua foret, & sæpe cùm pauper non inveniretur, in ejusdem manu desudaret.

Deut. 27. 16.

a Morsellæ habitum Monasticũ adsumit.

8. Contigit autem eamdem Virginem in loco, qui dicitur Morsella [a], Cœnobio beatæ Dei genitricis MARIÆ sacri velaminis habitum suscipere, & annorum multorum spatio cælibem vitam ducere. Cùm ergo esset eadem Virgo in Cœnobio, sanctis operibus summo certamine invigilans, cujusdam noctis medio pulsante matutinali signo, audivit voces sanctorum Angelorum in cælum animam patris ipsius cum canoro jubilo deferentium. Miræ ergo sanctitatis gratiæque supernæ hæc Virgo plena exstitit, quæ instar gloriosissimi Severini Agrippinæ urbis Archiepiscopi, sicut ille in obsequio animæ B. Martini Angelorum choros audire meruit. Quæ tantæ suavitatis dulcedine modulationísque lenitate supra se velut in excessum mentis erecta, intentis in cælum auribus, lætitiâ tam beatæ refectionis refecta, interrogat adsistentem sibi famulam, si quæ audiebat audiret, & quæ intelligebat intelligeret. Quæ cùm illa minimè se audire vel intelligere responderet, intimavit ei beata Virgo, animam patris sui corporeis nexibus solutam, pro tribulationis patientia coronari, & à psallentibus Angelis in altum deferri. Acceptâ itaque Cœnobita Domini licentiâ à Matre Monasterii, ad sepeliendum patrem suum Merbeccam [b] adiit, & in Ecclesiola quam in honore B. Petri ipse ædificaverat, juxta

De patris salute fit certior.

quem sepulturę tradit Merbeccæ, b

a Morsella, *Morselle*, vicus est prope Teneramundam opidum ad Scaldim. Ex hoc loco patet, Morsellense Cœnobium à Carolo Magno non primùm conditum, sed amplificatum aut restitutum fuisse. Nimirum Sancta Gudila istuc secedens, Cœnobio occasionem aut originem dedit.

b Merbecca, *Merbeke*, vicus Brabantiæ in diœcesi Mechliniensi haud procul à Nivonia Flandriæ opido, inquit, Miræus in Fastis Belgicis. In divisione regni Lotharii anno DCCCLXX facta, inter Belgii Monasteria nominatur *Merrebecchi*, nunc parochialis & collegiata septem Sacellanorum Ecclesia.

uxorem suam, matrem ejusdem Virginis, juxta morem Nobilium, sicut decebat, eum sepelivit.

CIRCA AN. DCC II. FEBR. III.

9. Post mortem verò patris sui, quia Cœnobium, in quo ordinata fuerat, quod priùs à Hunnis [a] funditus dirutum atque combustum fuerat, pauperíque modo reædificatum fuerat, carebat appendiciis substantiáque, quâ famulæ Christi sustentari possent, (nam in pane & aqua vix puellas sex detinere poterat) cogentibus famulis, atque necessitate domi remansit, & in præfata Ecclesiola die noctúque degens, se Domini servitio mancipavit. Numquam enim pes ejus à visitatione infirmorum quiescebat, numquam manus ejus à procuratione pauperum cessabat. Semper laus Dei in corde ipsius assidua erat, psalmorum hymnorúmque cantus ex ore ejus numquam recedebat, psallens sibimet, juxta Apostolum, in canticis & psalmis & hymnis spiritualibus in Domino. Nihil umquam neque hyemis, neque æstatis tempore præter cilicium, quo super nudum corpus utebatur, mattulámque atque lapidem capiti suppositum sibi substerni patiebatur. Vigiliis & orationibus assiduis, jejuniísque continuis corpus macerabat. Bis tantùm in hebdomada, præter diem Dominicum Apostolicásque sollemnitates, reficiebat. Carnem à die consecrationis suæ non comedebat, piscem aut cibum alium, præter panem & aquam, nisi in præclaris sollemnitatibus non attingebat.

ubi & ipsa piissimè degit. [a]

10. Tantam ei Dominus ob beatæ vitæ meritum gratiam concesserat, ut quibuscumque infirmis sive febricitantibus manus imponebat, saluti pristinæ restitueret. Eâ igitur de die in diem proficiente, & de virtute in virtutem adscendente, tribus lustris in asperitate vitæ jam peractis, diei Paschalis sollemnitatibus contigit particulam piscis illi ad mensam sedenti apponi. Quæ (quod admirabile dictu est, & quasi incredibile) inter manus ipsius in carnem conversa, valde eam perterruit, & cum vehementi stupore ministro indignans ait: Ignoscat tibi Deus: quare me sic illudere voluisti? sciebas me carnem non comesturam, & eam mihi apposuisti. Quo negante & obnixè jurante, intellexit hoc Dei nutu factum fuisse. Parúmque gustavit, & à se submovit, protinúsque à mensa surgens, Ecclesiæ & orationi ad laudem sui Creatoris se reddidit.

Miracula patrat.

11. Hoc etiam silentio supprimi indignum arbitror, quòd ille, qui servos suos glorificare ac magnificare numquam distulit, poculum aquæ quadam die sollemni sibi appositum in vini saporem convertit.

12. Ter quinis igitur annis cum duobus post patris mortem expletis, cùm divina revelatione extrema hujus lucis tempora imminere sibi sentiret, convocatis Sacerdotibus oleum sanctum petiit: quo accepto, corpore & sanguine sui redemptoris exitum suum consecravit, & sic ultimum spiritum cælo reddidit.

Mortis præscia, Unctione, dein Eucharistiâ munita obit.

13. Congregati igitur cognati & amici ejus, servi & ancillæ, & etiam majores regionis illius, ad sepeliendum eam convenerunt, illámque modo congruo juxta tumulum parentum recondiderunt. Sed cùm in quo eam reconderent sarcophagum non haberent lapideum, quorum in hac regione penuria est, quercum magnam juxta Templum stantem succiderunt, illíque ex eadem quercu vas in quo posita est, aptaverunt. Quantas autem per illam virtutes Dominus in eodem loco operari dignatus est, nec mens nostra valet edere, nec lingua sufficit explicare. Multi enim cæci luminibus redditi, sine duce domum redierunt; multi claudi solidatis basibus erecti sunt; surdis auditus redditus; linguæ mutorum solutæ; dæmonésque ad ejus sepulturam ex obsessis corporibus expulsi sunt.

Sepelitur in loculo ligneo,

[a] Fortean à Fresonibus, qui vicinas sibi regiones sæpius infestarunt. Nam Hunnorum nomine veniunt nonnumquam aliæ barbaræ nationes.

Circa An. DCC II. Febr. III.

Qui in translatione lapideus inventus.

14. Cùm ergo tot ac tantis miraculis ejus ſanctitas pollens longè latéque clareſceret, placuit poſt ſeptennium amicis & vicinis ejus ſarcophagum videre, & ſi poſſent in melius ad ejus honorem mutare. In quo loco mira res & inuſitatum miraculum humaníſque auribus inauditum evenit. Nam cùm ſarcophagum idem in quo ſancta Virgo jacebat, ejicerent de terra, cùm priùs ligneum fuiſſet, lapideum eſt inventum. Hujus rei notitia cùm per hanc regionem divulgaretur, omniúmque audientium animos ad laudem Dei & ſanctæ Bellendis extolleret, quædam mulier ex vicino incredula permanens, atque mendacium eſſe adfirmans, ad videndum malè credula venit. Sed mox ut vidit ſarcophagum, à dæmone arrepta, ad terram cecidit, quæ per triduum exanimis, non audiens, neque videns, ibi jacuit, donec Virgo ſacratiſſima adſtantium precibus pulſata priſtinæ ſaluti eam reſtituit.

Corpus ejus iterum transfertur. a

15. Quibus miraculis tam jucùndis támque mirificis omnis regio permota occurrit, & in honore beatæ Dei genitricis MARIÆ, ſanctæque Bellendis Virginis Eccleſiam in qua nunc requieſcit, fabricavit. Triceſimo itaque depoſitionis ſuæ anno, omnis multitudo finitimarum regionum divinâ inſpiratione afflata, convenit cum duobus Epiſcopis, Cameracenſi videlicet, nomine AUSBERTO[a], Tornacenſique, nomine NORBERTO, qui eam de ſepulcro levaverunt, atque in ſcrinium in quo nunc pauſat, locaverunt.

Reliquiæ à Monacho Tullenſi ſubreptæ, b

16. Cùm autem vellet Deus gloriam & honorem, atque nomen ſuæ famulæ amplificare, contigit Tulli civitate Monachum [b] quemdam Cœnobii B. protomartyris Stephani, per viſum juvenem pulcherrimum videre adſiſtentem ſibi, atque dicentem: Surge, & vade ad provinciam Bracbantiæ, ad locum qui dicitur Merbecca, & de Reliquiis ſanctæ Virginis nomine Bellendis tenta habere, ut in ejus honore, in loco quem tibi Deus oſtenderit, Eccleſiam poſſis ædificare. Qui ad præfatum locum veniens cum magno honore ſuſcipitur, ibíque manens in magna veneratione habetur, & ad ultimum Templi cuſtos efficitur. Nocte igitur quadam cunctis ſopore depreſſis, ſcrinium aperuit, & de Virgine quantum ſibi placuit, abſtulit, ac tempore ſibi congruo receſſit. Veniens autem Dei ductu in ſolitudinem ad locum nomine [c] *Tin* ſibi cælitus oſtenſum, ibidem manſit, beatæque Virgini Baſilicam ædificavit, in qua ſignis ac virtutibus atque miraculis coruſcans, uſque ad hodiernum diem fulget admirabilis. Nam & congregatio Monachorum religioſorum ibidem conſtituta Domino famulatur, & ipſius Virginis patrociniis illa patria à Domino ſuſtentatur. Dominum igitur qui tam magna & pæne innumerabilia glorioſè & laudabiliter operatur miracula in Sanctis ſuis, condecet colentes eum, amantes eum, credentes in eum, ſervientes ei, laudare, & glorificare, & benedicere; & ut ipſi mereamur ab eo conſervari atque benedici hujus Virginis precibus, cujus Domino juvante Vitam, verbis licèt incompoſitis, deſcripſimus, tota piæ devotionis intentione poſcamus, ut pervenire mereamur ad patriam ſupernæ hereditatis.

c in Tinenſi Monaſterio repoſitæ.

d Obitûs ejus dies.

17. Migravit autem ſancta Bellendis ex hac vita feliciter in Domino, [d] ter-

a Mendum, ut rectè adnotavit Bollandus. Autbertus enim qui hoc loco deſignari videtur, ante Bellendem vivere deſierat: nec ullus Tornacenſium Epiſcopus nomine Norbertus Florbertúſve reperitur.

b Ergo tum erant Monachi in Cathedrali Eccleſia Tullenſi, S. Stephano ſacra.

c Eſt hujuſce nominis locus in pago Regiteſtenſi, *le Rethelois*, dictus *Tin le Monſtier*, haud ita procul à Carolopoli, ad Tinum amnem cognominem ſitus. Monaſterium quondam à Stephano Comite & Freduide conjuge ibi ædificatum eſt in honorem B. Mariæ, poſtea Abbatiæ Mozomenſi unitum ab Adalberone Remorum Antiſtite, ut legitur in Chronico Mozomenſi tomo 7 Spicilegii Acheriani; modò Prioratus eidem Abbatiæ ſubjectus, in cujus Eccleſia S. Bellendis patrona colitur.

d Nimirum circiter annum DCC II, ut conjicimus. Superfuit patri annis ſeptemdecim, pater verò S. Gertrudi Nivialenſi, cui jam ad ſuperos receptæ res ſuas tradidit. Porrò Gertrudis anno DCLVIII, ut ſtatuimus, aut certè (ut alii volunt) anno DCLXIV in cælum demigravit. S. Bellendis corpus Morſellæ in ſacra ipſius æde adſervatur. Legeſis alia S. Bellendis miracula apud Bollandum.

tio nonas Februarii; & exsultat cum sanctis perenniter regnans cum CHRISTO, qui regnat ubique sine termino.

VITA SANCTÆ BERTILÆ VIRGINIS ET ABBATISSÆ KALENSIS PRIMÆ,

Circa An. DCC II. Nov. IV.

Auctore anonymo ferè æquali, ex cap. 8.

Ex MSS. Codd. Corbeiensis Monasterii.



RELIGIOSA vita sanctarum Virginum quanto est meritis clarior, tanto est voce crebrior, & populorum ore laudabilior: quia dum bonæ conversationis exemplum ceteris tribuit, in laude sua linguas excitat singulorum. Igitur beata BERTILA Virgo Suessonicæ provinciæ indigena, nobilibus parentibus oriunda, immo digni germinis dignissima proles emergens, decus quod sumpsit ex genere, felicis vitæ meritis ampliavit, dum in illa & quo glorificaretur Christus elegit, & quod imitarentur multi, effulsit. Quæ inter ipsa novellæ juventutis exordia, tanto fidei fervore flagravit, ut parentes ad quorum desiderium solet infantia festinanter recurrere, pro amore Christi voluntariè relinqueret [a], & mox ut per ætatem adolescentiæ intelligere potuit, Christum Dominum concupivit, & in ejus servitio pleno cordis affectu se tradere deliberavit. Quam & percunctanti cuidam fidelissimo viro DADONI cognomento AUDOENO, si vellet Christo servire, grato animo respondit, illam se ab infantia habere devotionem, ut Dei filium Christum promereretur adipisci sponsum: sed hoc pandere publicè parentibus suis non audebat, eoquòd cognosceret ab ipsis esse eis valde contrarium, quódque magis impedirent contradicendo, quàm consentirent annuendo.

Caput I. Bertila Suessionica. Audoeno aperit consiliũ Christo serviendi.

Jam autem divinum in tenera ætate astutè tenebat consilium, & secretius Dei assiduò deprecabatur auxilium, ut ejus pietas faceret compendium, qualiter ipso ordinante congruè ad sanctarum feminarum consortium, vel ad earum perduceretur Cœnobium. Cujus devotioni pietas divina consulens, quæ in se sperantes numquam derelinquit, mox adfuit ei divina gratia in auxilium, & ex propriis parentibus vel etiam germanis in consensione devotos effecit, qui adsentientes exhortati sunt eam, ut in sancta devotione persisteret, & se integram Domino Virginem consecraret. Cui & sponte dederunt auxilium inspirante Domino, & eam cum festinatione juxta ejus votum, ad Monasterium puellarum quod vocatur JOTRUS, perduxerunt, & Domnæ TEUTLEHILDÆ Abbatissæ commendaverunt, à qua cum sanctis feminis honorificè recepta est.

Annuentibus parẽtibus Jotrum se recipit.

Igitur agens nobilis puella Bertila multiplices Christo gratias, cujus pietas eam à sæculi fluctibus ereptam ad portum felicis Cœnobii perduxerat, ab illo die in eodem loco tanta animi humilitate Domino placitura se subdidit, ut salva morum honestate nihil de ingenuitatis natione superbiret, ibíque quam origo nativitatis liberam genuit, famulam voluntas adduxit. In quo sancto Cœnobio sub norma SANCTÆ REGULÆ ita admirabilem atque laudabilem habuit conversationem, ut velox esset in sancta seniorum obedientia, & ad Cursum divinum, vel ad orationem cum fervore mentis devo-

II. Istic piè vivit.

a Hucusque verba desumta sunt ex Fortunati libro de Vita Sancti Albini Episcopi Andecavensis.

CIRCA AN. DCC II. Nov. IV. tissimè festinaret. Cum omni enim gravitate & mansuetudine seu temperantia admirabiliter conversabatur in sancta congregatione, timorem verò divinum semper præ oculis habens, ambulabat in corde perfecto & puritate confessionis, humilis atque obediens, suis semper complacens senioribus, & in quocumque ministerio jubebatur à Matre senioribus deservire, idipsum fidelissimè & cum bono animo, consolante divinâ gratiâ, absque murmurio studebat adimplere omnia quæ sibi fuerant injuncta. Proficiebat denique in ea exercitationis quotidianæ profectus, itaut ultra se semper adscendens, non solùm meritis reliquas vinceret, sed de domito corpore potiùs triumpharet. Quis enim nunc recolere aut dicere valet, quantùm illo in tempore fuerit prædicta Christi famula Bertila in jejunii parcitate præcipua, in vigiliarum dilectione propensior, in lectione sanctæ Scripturæ sollicitior, in miserationis opere singularis? Erat namque ad obediendum in juventute moribus senex, & ad calcanda vitia matura, itaut in ipso juvenili tirocinio senibus esset exemplum, consodalibus solatium, junioribus Sanctorum demonstratrix gressuum. Totum voluit esse in Christo & cum Christo quod vixit. Non oculum voluptati, non aurem ludibrio, non animum accommodans voluptati, semper se regens anchorâ gravitatis, talem se intra septa Monasterii tractavit, ut esset in multis utilitatibus Matri spiritali similis.

Ex Fortunato ibid.

Abbatissæ curas levat. Cujus ministerium fidelissimum considerans Abbatissa, sæpius ei majorem curam atque graviora quæ sub ipsa erant, injungebat, ut dum ipsa sanctè ac religiosè in multis conversabatur, de ceteris Sororibus sub ditione suæ Matris piam gereret ista sollicitudinem, infirmorum, infantum, immóque hospitum ei frequentiùs cura commendabatur. Quæ omnia grato atque æquo animo ita benignissimè adimplebat, quasi divinitus ei imperata fuissent. In omnibus itaque officiis Monasterii electa ipsa à Domino, post Matrem Abbatissam præsulatum regiminis tenebat, & absque ulla reprehensione pro amore Dei omnem obedientiam explebat; sobrietatem autem & pacem ita jugiter inconcussa tenebat mente, ut quantum ex ipsa fuisset, nullius animum stimuli scandalo permovisset, sed magis si commotas cerneret seu murmurantes aliquas Sorores, pro zelo pietatis illud conabatur sedare atque pacare, vel compescere murmurationis malum, quoniam caritatem & pietatem in corde illius divina gratia administrabat.

III. Quia ergo magnum supradictæ famulæ Christi Bertilæ in eo erat meritum, ut aliis demonstraretur, magnum per eam ostensum est miraculum. nam cùm quædam ex Sororibus commoto animo verbum ei iracundiæ dixisset, illa divinum super hoc expetivit judicium; & quamvis, sicut decebat, ipsa culpa ininvicem fuerat indulta, ipsa tamen Domna Bertila de divino quod expetierat judicio semper erat pavida. Contigit ergo illi Sorori quæ fuerat commota, anhelitu intercludente in pectore mors subitanea, ad cujus funus ceteræ Sorores tacto signo convenerunt, ut consuetam explerent orationem pro anima quæ absumebatur ab eis, ut eam Dominus in pace perpetua propitius juberet recipere. Sed hoc ignorante supradictâ Dei famulâ Bertilâ, interrogavit pro qua causa psallentium personaret chorus. Respondit ei quædam Soror: Nescis quia pro anima illius Sororis quæ recessit à corpore iste personat sonitus? Quo audito ilico tremefacta pro sermone quem inter se habuerant, cursu velocissimo ad locum ubi corpusculum illius Sororis defunctæ jacebat exanime, celeriter pervenit, & ingressa cum fide magna ilico injecit manum dexteram super pectus defunctæ, adjurans illius animam recedentem per JESUM CHISTUM Filium Dei, ut antequam secum alloquens indulgeret ei quòd contra ipsam habuerat commotionem, non recederet. Ad cujus vocis imperium statim illa anima quæ jam à

Sorori cuidam imprecata, eam exanimem excitat ut sibi indulgeat.

corpore discesserat, Domino permittente in corpus rediit, & suspirans in redivivo cadavere omnibus stuporem intulit, respiciénsque ad Dei famulam, locuta est ei dicens: Quid fecisti, Soror? cur me de claritatis via retrahis? Cui ipsa Dei famula humiliter dixit: Obsecro, Soror, verbum indulgentiæ mihi remitte, quod commota animo olim devovi tuo. At illa ait: Det tibi Deus indulgentiam; nam contra te nullam retineo cordis commotionem, sed magis erga te plenam gero dilectionem: & precor te ut pro me Dominum exores, & abire in pace permittas, nec moras mihi facias, quia iter habeo clarum præparatum, nam sine tuo permissu abire non valeo. Cui illa ait: Vade ergo in pace Christi, & pro me ora, dulcis & amabilis Soror. Verè magna in Domino confidentia, quæ quando voluit animam revocavit, & quantum placuit præstare permisit! Ex quo facto miraculo cognoscere possumus, quantam fidei constantiam ipsa Dei famula habuit interius roborata munere supernæ pietatis, quæ ita indubitanter animam quæ jam recesserat à corpore, revocavit in redivivum cadaver, & secum loqui ut voluit imperavit, vel etiam post expletam locutionem ipsam animam abire permisit. Impleta itaque est in hac B. Bertila Scriptura, quæ dicit: *Omnia possibilia sunt credenti*, & nihil impossibile est his qui toto corde in Deo confidunt, sicut in hoc miraculo constat esse factum.

CIRCA AN. DCC II. Nov. IV.

IV. His namque temporibus post discessum Domni CHLODOVEI Regis, religiosa & optima conjunx ipsius Domna BALTECHILDIS [a] Regina cum parvulo filio Rege CHLOTARIO inreprehensibiliter regnum gubernabat Francorum, & ab omnibus Pontificibus vel proceribus, cunctóque populo regni sui, ejus meritis compellentibus miro diligebatur affectu. Erat enim religiosa & Domino multùm devota, Ecclesiarum pauperúmque curam gerens. Cum magno igitur vigore animi viriliter gubernabat palatium. Cum Pontificibus autem & Primatibus populi sui consilium accepit, ut regali villa quæ dicitur Kala Monasterium construeret puellarum, quatenus cùm ad legitimam ætatem præfatus filius suus Domnus Chlotarius pervenisset, & regnum sibi commissum per semetipsum gerere potuisset, tunc ipsa relicta cura regali sub Religionis ordine in supradictum ingrederetur Monasterium. Eo verò quòd omnes ipsa miro diligebat affectu & diligebatur à cunctis, complacuit consilium universis, ac consensum ei omnes præbuerunt. At illa ut erat prudens & sapiens, sub omni celeritate Monasterium ibidem construere præcepit, & futura prævidens, necessariam ancillis Dei substantiam delegavit. Jámque præparato diligenter Cœnobio, animo revolvere cœpit, quam meritis & honestate seu moribus puellarum reperiret dignam, de qua fidens gregem sacrarum Virginum ibi adunatum sub norma sanctæ Religionis ei committeret. Cúmque de multis multa audiret, istius sanctæ puellæ Bertilæ felici fama percurrente, pervenit per relationem Fidelium notitia usque ad aures regales Domnæ Baltechildis gloriosæ & christianissimæ Reginæ, quæ gavisa est de ejus sanctitatis exemplo: & ilico accepto consilio decrevit, ut hanc super sanctas feminas, quas pro Christi amore & S. MARIÆ reverentia in Cœnobio supranominato congregaverat, Matrem constitueret. quod Domino dispensante postea perfecit. Magna siquidem cum devotione & humilitate Domnam TEUTEHILDEM [b] poposcit Abbatissam, ut ex suo Monasterio aliquas famulas Dei sibi destinaret, quæ suum regere deberent Cœnobium. At illa percunctata diu sanctam supplicationem Reginæ denegare non potuit, sed sponte gloriosæ Domnæ ad petitionem satisfecit, præfatámque Domnam Bertilam cum quibusdam sanctis puellis

Kalensi Monasterio à S. Balthilde præponitur.

[a] De sancta Balthilde & Cœnobio Kalensi ab ipsa condito egimus Sæculo 2 ad ann. 680.

[b] Teudechildem alii vocant, cujus Elogium dedimus Sæculo 2 anno 660.

CIRCA AN. DCCII. Nov. IV. spiritali Matri Domnæ Balthechildi cum summa diligentia & honore debito, ut decebat, per magnum Sacerdotem Domnum GENESIUM[a] ad Kalæ supradictum sanctum Cœnobium perducere præcepit: útque omnis illa congregatio velut Matri spiritali ei commendaretur, prædictæ Domnæ Reginæ præsentialiter suggessit, fisa de ejus religione & pudica conversatione. Quas illa gloriosa Baltechildis Regina velut munus cæleste cum magno honore suscepit, & sicut ei mandatum à Domna Teutlehilde fuerat, onus regiminis super omne Cœnobium ei imposuit, atque Abbatissam esse præcepit.

V. Abbatissæ munus optimè exsequitur. Jam verò venerabilis Dei famula Bertila, susceptâ regiminis curâ, qualem se & quàm prudentem ac Domino inreprehensibilem præparavit, effari non valeo. Non eam extollebat suscepti honoris cura, non copia divitiarum, non vallata utriusque sexûs ministrorum caterva. Perseverabat in ea quæ fuerat priùs humilitas, pietas, benignitas, modestia, virginitas, & quod supereminet omnibus, vera caritas. Assiduè quoque cum fide integra Deum expetebat sibi adjutorem, qui eam ab infantia semper in omnibus fuerat consolatus, ut ipse ei daret fortitudinem pariter & astutum consilium, per quod ipsum sanctum Cœnobium ita posset gubernare, ut ei complaceret, qui eam ad hoc vocare dignatus fuerat. Sed largiente ei divina pietate, viriliter cum summa sanctitate & religione, per consilium tamen Sacerdotum, ipsum ordinavit Cœnobium, & mirabiliter sub sancta norma condirexit, ut Domino & illi sanctæ Reginæ complaceret in omnibus. Quasi ergo mater proprios filios vel filias diligebat cunctos, ac reverebatur ab omnibus. Irascens igitur amabatur, & arridens timebatur, & filias quasque vel ceteros sub suo degentes regimine ad bene agendum, & diaboli insidias præcavendum spiritali arte muniebat, & semetipsam cunctis bonis operibus lucis exemplum monstrabat, abundéque subsidia corporum necessaria providebat. Cujus conversatio sobria & benignissima advocavit plurimas fidelium animas feminarum, immóque & virorum[b]. Nec solummodo ex vicina provincia, sed etiam ex transmarinis partibus, sanctæ hujus feminæ felici famâ percurrente, ad eam relictis parentibus & patria cum summo amoris desiderio plurimi viri ac feminæ[c] festinabant, quos ipsa Dei famula Bertila affectu piissimo velut propria genitrix dilectos parvulos, omnes recipiebat, atque diligendo fovebat, instruens eos, sancta exhortatione, ut piè ac justè viverent, quatenus Christo Regi complacere possent.

Plures ad se allicit.

VI. Prodest domesticis & externis. Erat itaque ipsa B. Bertila exemplum & forma pietatis omnibus per continentiam & plenissimam dilectionem, & non solùm per sanctum eloquium; sed magis suæ sanctitatis seu religionis studio subditorum mores instruebat, ut se invicem diligerent caritatis affectu, puritérque, & castè, & sobriè in omnibus conversarentur, atque ad Cursum * vel orationem semper essent paratæ, hospitúmque, & pauperum curam gererent, dilectionis studio & proximi amore. Familiam quoque Monasterii sive vicinos propinquos per sanctam Communionem attrahebat, ut datis confessionibus pænitentiam pro peccatis suis agerent: ex quibus plurimis emendatis & sibi præmium adquisivit, & illorum animabus lucrum fecit. Erátque ipsi famulæ Christi Bertilæ summa devotio ac diligentia ad exornandas Christi Ecclesias vel altaria. Quotidie quoque pro salvatione animarum fidelium, & recto statu sanctæ Dei Ecclesiæ, Domino hostias sacras suos jubebat offerre Sacerdotes. In vigiliis verò & orationibus erat semper assidua, immo & abstinentiâ cibo-

* Officium Divinum

Ecclesias curat.

a Is erat Balthildi Reginæ ab eleemosynis, Abbas ipse, pòst Episcopus Lugdunensis, vir sanctus.

b Hinc patet etiam virorum seu Monachorum conventum Kalæ tum exstitisse, pro more illorum temporum, quibus in Sanctimonialium Cœnobiis duplex conventus esse solebat. Hinc infrà cap. 6 *Christianitas Fratrum & Sororum*, &c.

c Has inter fuere SS. Hilda, Heresvita, & aliæ ex Britannia insula, de quibus dictum in observationibus ad Acta sanctæ Balthildis.

rum

rum ac potiùs parcitate pæne præ omnibus mirifica; constantiam autem fidei suæ ipsa inconcussâ tenebat mente semper ad Dominum JESUM-CHRISTUM. Cúmque his & talibus probatissimis ageret moribus, Christianitas Fratrum sive Sororum ejus pietatis exemplo ædificabatur, etiam & ejus munificentia larga cuncti pauperes ac peregrini consolabantur: tantúmque fructum per eam Dominus contraxit ad salutem animarum, ut etiam à transmarinis partibus Saxoniæ Reges illi fideles ab ea permissos postularent, ut illis de suis discipulis ad eruditionem vel sanctam instructionem, quam audierant esse in ea mirabilem, dirigeret, seu etiam qui virorum & Sanctimonialium Cœnobia in illa regione construerent. Quam religiosam petitionem pro salute animarum non denegavit, sed cum consilio seniorum exhortantibus Fratribus grato animo cum magna diligentia & patrocinio Sanctorum, seu & voluminibus multis librorum electas personas ac devotissimos homines illuc direxit, ut per eam fructus animarum etiam in illa gente accresceret, & cum Dei gratia multiplicaretur. Quod ita adimpletum esse ad Dei laudem ac Domnæ Bertilæ confidimus.

CIRCA AN. DCCII. Nov. I V.

Regibus petentibus in Britanniam suos mittit.

VII. Balthildem Reginam admittit.

Interea gloriosa Dei famula Baltechildis Regina quàmlibet ad ministerium gubernandúmque rerum statum principalitatis curâ constringeretur, & velut sub onere gravi desudaret; mentem tamen ejus amor Christi & Religionis devotio possidebat. Jámque Domno CHLOTHARIO filio ejus adulto, cum consensu Optimatum suorum relictâ curâ regalis palatii Christo Domino militaturam in Monasterio quod ipsa construxerat suprascripto sub obedientia Domnæ Bertilæ se subdidit Abbatissæ. Cum magna igitur veneratione, sicut dignum erat & meritum, ab ea & ab omni congregatione puellarum suscepta, usque ad diem ultimum in sancta Religione permanere decrevit. Quod Cœnobium pariter communi consilio tam in ædificiis & officiis, quàm & sanctitatis exemplo mirificè exornaverunt, in quo quasi super candelabrum duæ optimæ lucernæ positæ ad ædificationem multorum clarissimè refulgebant, ac more apostolico per gratiam Spiritus-sancti erat cor & anima una, & mentes earum ad bene agendum semper paratæ: mira inter ipsas dilectio & caritas omnibus diebus earum exstitit, & hoc ipsum ad peragendum invicem se exhortabantur, ut copiosiùs earum præmium accresceret. Sed postquam Domna Baltechildis Regina suam in omnibus complevit devotionem, in pace migravit ad Christum, ac honorificè inibi est corpus ejus sepultum. At verò famula Christi Domna Bertila, de cujus gestis hîc pauca è plurimis commemoravimus, in talibus officiis occupata, per quadraginta & sex [a] annorum curricula propter Dominum in hoc Cœnobio laboravit, magísque ac magis in bonis operibus excrevit, & ambulavit de virtute in virtutem usque ad perfectum obitûs sui diem.

Status florês Monasterii,

quod Bertila rexit annis 46. a

VIII. Vetula haud remissiùs vivit.

Magno præterea desiderio B. Bertila colla supposuisset martyrio, si non defuisset dextera percussoris: sed credimus illam non impleta passione mortificatis membris proprii sanguinis complesse martyrium, quæ cùm provectæ jam esset ætatis, fessa & senilia membra spiritui servire cogebat. Non enim, ut plerisque moris est, in senectute remissiùs vivere aut epulis lautioribus uti voluit; sed magis ac magis quasi tunc inciperet, non ad satietatem, sed ad sustentationem corporis senilis ne deficeret penitus, parcitate cibo & poculo indulgebat, & fatiscentibus jam membris pervigiles noctes omnes ducebat. Hæc itaque atque hujusmodi plurima gerens admiranda, sicut ipsi pleniùs meministis & vidistis [b], quia proferre per nos, ut dignum est, non

b


a Monasterii Kalensis primordia collocavimus anno DC LVI in Actis S. Balthidis: anno proinde circa DCC II. S. Bertilæ obitus consignandus.

b Hinc colligimus Auctorem Sanctæ Bertilæ fere esse ejus æqualem.

potest sermo pauperculus, meliùs vobis ea vester dictat affectus. Et cùm tantis
Circa An. DCCII. Nov. IV. ejus meritis divina pietas remunerationem dare jam decrevisset, modico pulsata dolore corporis, febre lectulo decubuit; quo in lecto posita in doloribus
Febre afflicta moritur. Deo gratias agere studebat in psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus, sibíque adsistentes Domino decantare monebat. Absque igitur vexatione corporis gravi beatitudinis culmen feliciter explens, erectis sursum oculis ac sanctis manibus ad cælum extensis, animam Deo caram, ereptam de sæculo, mansuram cum Christo, Angelis plaudentibus emisit [a] ad cælos. Quantus igitur in universo Cœnobio famularum Christi exstitit mæror, quæ multitudo Fratrum lugentium illuc accessit, qualiter cuncti lacrymis immensis constipati lamentabiles voces detulerunt, & à nobis est indicibile, & omnibus incredibile, nisi qui hoc præsentialiter viderunt. Tantus fragor plangentium ibidem resonabat, quasi tonitruo magno locus ille concuti videretur, quo nihil aliud inter amara suspiria audiebatur, nisi quòd omnes clamabant: Nutrix pia, Mater optima, cur nos deseris, & cui nos relinquis, quos tanto tempore dulci & materno affectu nutristi? cur orbatos mærentésque & dolentes nos derelinquis? hodie in morte tua omnes nos constat mortuos fuisse. Hæc itaque atque his similia conclamantes sine intermissione per
Uncta sepelitur. triduum, quarto die cum honore debito beatum corpusculum balsamo perunctum condiderunt in sepulcro, in quo loco gratia Domini ad salutem generis humani plura perficere dignatur miracula. Ibi & orationes Fidelium poscentibus ejus intercessionem quotidie exaudiuntur, & ægrotantium infirmitates variæ curantur.

IX. Virtutes ejus præcipuæ. Igitur in hac vita sanctæ memoriæ Dei famulæ Bertilæ, quoniam pro ædificatione Fidelium pauca de pluribus gesta hîc scribere nobis complacuit, habet qui voluerit sollicitè considerare vel imitari, quasi in speculo, quælibet exempla virtutum, humilitatem præcipuè quæ est mater virtutum, caritatem, plenissimámque dilectionem summæ abstinentiæ, atque consilii astuti prudentiam & fidei fortitudinem, seu & largissimæ misericordiæ pietatem, &, quod maximè omnem nitorem præcellit, præmium integritatis & sanctæ pudicitiæ virginitatem, devotissimam orationis instantiam, atque mirificæ pacis custodiam & zeli sanctitatis fervorem. Ex his ergo præclaris gemmis, quibus mentem suæ famulæ Bertilæ exornavit omnipotens Deus, eligat quisquis quod placet, qui conservare talia cupit, ut possit Christo præsule particeps ejus fieri in remuneratione Justorum, quatenus centuplicatum præmium & vitam æternam cum hac evangelica Virgine Christi possideat, sociatus in gloria sempiterna, quam ipsam sine dubio credimus esse adeptam pro suis sanctis & egregiis laboribus, in quibus optimè Christo auxiliante cucurrit, cursúmque feliciter consummavit, & vitam cum corona præmii æternam recepit inter agmina Justorum, ubi permanet in gloria Sanctorum per infinita sæcula sæculorum. Amen.

a Nempe Nonis Novembribus, qui dies festus, in Kalensi Parthenone cum Octava celebratur; Translatio verò, fortean elevatio corporis, VII Kalend. Junii, uti notatur in propriis Officiis ante annos centum editis. Beatæ Bertilæ Reliquiæ feretro argenteo inclusæ, majori altari impositæ cernuntur.





VITA S. AUSTREBERTÆ VIRGINIS ET ABBATISSÆ PAULIACENSIS IN CALETIS,

AN. CHR. DCCIV. FEBR. X.

Auctore anonymo ejus fere æquali, ex num. 10.

Ex Februario Suriano & Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Austreberta duplex. *S. Austreberte. Vita hujus duplex.

1. PRÆ Austroberta inlustri matrona *Biturica*, Chronoaldi relictâ, *ac Deo dicatâ, celebris est S.* AUSTROBERTA * *Virgo Tarvennica, Abbatissa Pauliacensis in Caletis, agro Rotomagensi, quam alii* Austrabertam Austrebertámve *appellant. Hujus Vitam edidit Surius, Prologum à Surio omissum Iohannes Bollandus: cujus Vitæ scriptor paullo post Sanctæ obitum vixit, ex num. 10. Is videtur usus fuisse alio Auctore, quem etiam hîc damus ex Compendiensis Abbatiæ Bibliotheca. Eadem fere in utraque scriptione verba, eadémque sententiæ: tantùm Surianus Auctor subinde res paullulum amplificat. Præter hos Auctores* INGELRAMNUS *Abbas Centulensis* sanctæ Virginis Austrabertæ Vitam metro subegisse *memoratur in Chron. Centul. lib. 4 cap. 11.*

Austreberta an Hunulcurtensis Abbatissa?

2. *In hoc verò differt Compendiensis scriptor ab alio, quòd Austrebertam priùs à S. Filiberto præfectam fuisse alteri Parthenoni scribit, quàm Pauliacensi præficeretur. Idem legit Jacobus Malbrancus in Ecclesiasticis libris: hincque sumsit occasionem opinandi, Austrebertam è Portensi Cœnobio à S. Filiberto evocatam, primò quidem Hunulcurtensi ad Scaldim Monasterio, quod Amalfridus conditor Filiberto subjecerat, præpositam fuisse; deinde à Sanctimonialibus exagitatam ejectámque ab Amalfrido, adiisse Pauliacense Asceterium, quod Amalbertus hortatu Filiberti ædificaverat. Hæc fusè Malbrancus in lib. 3 de Morinis cap. 44, quæ breviter examinanda.*

3. *Baldricus in Chron. lib. 1 cap. 26, & lib. 2 cap. 10, meminit* Monasterii S. Petri in villa *Hunulcurt, quod* illustris vir Amalfridus cum uxore Childebertana fundavit, deputatísque Sanctimonialibus *cum* Clericis, *id est Monachis*, filiam suam Aurianam præfecit, *postquam* Vindicianus *Camaracensis Episcopus*, accersitis secum non paucis Episcopis, unàque etiam B. Lantberto Leodecense Martyre, illud consecravit. *Situm erat* in vico qui à sede Camaracensi ferè septem milibus distat, *ad Scaldim fluvium, haud procul ab Augusta Veromandorum. In Actis S. Bertini Abbatis legimus,* Amalfridum tradidisse Domno Bertino Monasterium quod ipse construxerat in proprietate sua, nomine *Hunulfricurt,* ubi & filia ipsius Auriana nomine Abbatissa erat, *instrumento dato* anno XI regni Domini Theoderici gloriosissimi Regis. *Ex quibus intelligimus, Hunulcurtense Monasterium non S. Filiberto, sed B. Bertino traditum fuisse; & primam Abbatissam fuisse, non Austrebertam, sed Aurianam: quâ mortuâ teste Johanne Iperio in Chron. cap. 1 parte 14,* S. Bertini successores *istic Monachos in locum Sanctimonialium substituerunt. Hunulcurtense Monasterium quod tempore Baldrici Chronographi ad paucos Canonicos derivatum erat, nunc est Abbatia Ordinis S. Benedicti, vulgò* Hunecourt *seu* Huncourt *nuncupata.*

Pauliacensis Monasterii exordia.

4. *Auctor secundo loco hîc editus, Austrebertam (ut jam dixi) duobus Monasteriis præfuisse adfirmat, uni quod* Amalbertus Ketelbuter in fundo proprio construxerat, *ubi* filiam parvulam nomine Auream cum aliis Deo sacratis Virginibus collocaverat *sub regimine S. Filiberti; alteri sito* in loco qui dicitur Pauliacus, *quod S.* Audomarus auxisse, & in honore B. Mariæ dedicâsse *fertur, ubi &* alias Basilicas S. Petri & S. Martini construxerit. *Varia cùm Monachorum, tum Sanctimonialium Cœnobia constructa sunt in gratiam S. Filiberti, in his* Monasterium-vetus *seu Montis-villare illustre etiamnunc Virginum Benedictinarum Cœnobium in Caletis; Pauliacense & alia: utri Austreberta primò præfuerit, incertum. Pauliacense tantùm memorat Vita S. Filiberti. Gregorius Turonicus Episcopus in lib. 1 de gloria Mart. cap. 48, mentionem facit* Pauliacensis Monasterii, *quod an ab isto diversum sit, non definio. En ejus verba:* Sed neque hoc silebo ad comprimendam malorum superbiam, quòd Plato quidam Chlotharii Regis tempore ad Paulia-

ANN. CHR. DCCIV. FEBR. X. cense Monasterium accedens, in cujus Oratorio S. Saturnini Reliquiæ continentur, pro eo quòd munus aliquod ab Abbate non accepisset, dixisse fertur, &c. *Pauliacensis Parthenon in Caletis* *, *quarto miliari à civitate Rotomago, illustratus fuisse dicitur S.* Benedictâ *Abbatissâ, quæ S.* Julianam *Virginem istuc admisisse creditur, futuram ibidem Abbatissam. Forsan ista est* Julia, *cui subjecta Vita Præfatio nuncupata est. Eversum est à Nortmannis Pauliacense Monasterium, postea redactum in Prioratum, quem Thomas à Pauliaco vir illustris, Abbatiæ Montis S. Catharinæ juxta Rotomagum sitæ subjecit. Nunc locus vocatur* Pavilly, *Ecclesiâ S. Austrebertæ & opidulo insignitus. Est & vicus in pago Senonico* Pauliacus *dictus apud Hericum in lib. 1 de mirac. S. Germani Episc. Autisiod. cap. 44.*

* le païs de Caux.

Austrebertæ cultus. 5. *S. Austrebertæ memoriam celebrat Martyrologium Usuardi, in quo antiquâ, non tamen primariâ manu hæc leguntur:* IV Idus Febr. in pago Rotomagensi S. Austrobertæ Virginis. *In Ecclesia Rotomagensi colitur Officio semiduplici, duplici in Audomaropolitana, sollemni ritu in Cœnobio S. Austrebertæ apud Monsteriolum* * *opidum, ubi ejus pars Reliquiarum adservatur.*

* Monstreuil.

PROLOGUS AD JULIAM ABB.

Auctor imperitiam excusat. 1. JAM dudum me, venerabilis Mater, Christique discipula JULIA, importunis precibus obnixè petebas, ut Vitam beatissimæ Virginis AUSTREBERTÆ meo studerem stilo digerere, & tantæ claritatis gemmam ad multorum notitiam latiùs propalare. Hoc me sæpiùs admonebas, admonendo pulsabas, méque torporis & ignaviæ arguebas, illius in Evangelio servi ingerens socordiam, qui non distrahendo ad lucrum, sed humo abscondendo domini sui pecuniam, divinæ animadversionis atrocem meruit sententiam. Ad hæc ego meæ conscius imperitiæ & inertis ingenii, qui nec apicum primordia vix addidici, tantæ rei negotium aggredi recusabam, & impar viribus meis pondus subire devitabam; & ne splendidam nostro sæculo lucernam imperito viderer obfuscare eloquio, admodum formidabam. Quis enim rhetorico licèt fretus acumine, & verborum facundiâ præditus, de eâ ut dignum est loqui sufficiat? aut innumera virtutum ejus præconia ubertim prosequi valeat, quæ ad instar sanctissimi vatis Jeremiæ, priusquàm in utero formaretur, Angelico testante oraculo, Deo omnipotenti cognita, & antequàm exiret de vulva cælitus sanctificata, Angelicam quodammodo studuit ducere vitam, & pòst Angelorum inedicibilem promeruit gloriam? Unde non immeritò tantæ materiæ molem arripere trepido, cui nimirum, ut opinor, ipse Homerus si ab inferis emergeret, seu miræ eloquentiæ Tullius, tantâ virtutum copiâ devictus succumberet. Vereor enim, ne mihi contingat, quod cuidam contigisse audivi, qui rogatus à quibusdam, viri reverentissimi FILIBERTI, Monasterii Gemmeticensis quondam Abbatis, vitam atque conversationem stilo diligentiùs exarare, ilico scribere conatus est. Cúmque ad manus cujusdam legendi gratiâ pervenisset, despexit & irrisit, & longè aliter textum & ordinem multò melius dissimiliter immutavit. Unde hactenus distuli vestræ parere devotioni, ne forsitan ab his qui Philosophiæ sibi applaudunt peritiam, & simplicem nostram corrodunt scientiam, promtulæ arguar præsumtionis, quòd beatæ Virginis eximios actus imperitis videar explicare verbis.

Ierem. 1. 5.

2. Verùm quia sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, omissâ omni excusationis notâ, ad multorum profectum & ejus memoriale perpetuum conemur fideli & veraci stilo depromere, quæ de ea multorum veridica fidelium comperimus relatione. Ergo gloriosæ hujus patronæ animatus merito, quæ cælestis Imperatoris felici gaudet connubio, vestræ insuper piæ devotionis parens imperio, tandem animum appuli ad scribendum sanctissimum ejus ortum, conversationem & obitum, & quæ per illam Dominus gessit insignia miraculorum. Operæ pretium est enim tam pretio-

ſtæ Virginis geſta, inculto licèt calamo, nec urbanitatis lepore conſpicuo ſummatim perſtringenda exſequi, ac divina magnalia ſaltem balbutiendo effari. Dabit pro certo de ſe ſcribendi fiduciam, quæ ipſam Dei Patris mirando contemplatur ſapientiam à fine uſque ad finem attingentem, & omnia in numero & pondere ſuaviter diſponentem. In laudibus itaque Redemptoris aggrediamur exordium ejus vitæ & converſationis, ut in ejus glorificetur virtutum inſigniis, qui mirabilis eſt & glorioſus in Sanctis ſuis.

ANN. CHR. DCC IV. FEBR. X.

INCIPIT VITA.

3. POSTQUAM univerſalis Dominus, humanæ ſalutis auctor pariter ac redemptor, Gallorum feralia ſuæ ditioni ſubjugavit colla, quartus à CHLODOVEO, qui primus Chriſtianæ religionis normam B. Remigio tradente ſuſcepit, DAGOBERTUS glorioſus Princeps, nobilitate clarus, potentia præpotens, armis ſtrenuus, Regi Regum Chriſto ſatis devotus, regni Francorum Deo ſibi ſuffragante ſuſcepit habenas. Cujus tempore velut palma in Galliis ſancta Mater refloruit Eccleſia, diverſis ſanctorum Sacerdotum Monachorúmque virtutibus adornata, ac Deo dicatarum Virginum: ut juncta veridicam Pauli Apoſtoli ſententiam, ubi *hactenus abundaverit delictum, ſuperabundaret gratia*. Inter quos velut ſidus ceteris micantius vir Domini Filibertus, Monachorum egregius paſtor, Cœnobiorum nobilis fundator, in ſaltu Gemmeticenſi ex prædicti Regis Dagoberti a largitione Monaſterium à primo lapide fundavit, conſtruxit, ac Deo famulantium Monachorum nobili congregatione ornavit. Quâ etiam tempeſtate, ejus bonitatis famâ ſuccreſcente, largitione cujuſdam illuſtris viri, nomine AMALBERTI, in fundo qui Pauliacus nuncupatur, aliud Cœnobium ſtruxit, diſtans à præfato Gemmeticenſi millibus ferme decem, ubi ancillarum Dei haud parvam congregationem adunavit.

Sanctus Filibertus Monaſteria duo conſtruit.

Rom. 5. 20.

4. Erat eodem tempore in palatio ſæpedicti principis Dagoberti vir honeſtate vitæ valde venerabilis, moribus honeſtus, ſapientiâ clarus, conſilio providus, priorum Regum ex proſapia b oriundus, officio etiam (ut fertur) Comes palatinus, nomine BADEFRIDUS. Hic accepit uxorem Alamannorum Regis ex proſapia, nomine FRAMEHILDEM. Erat verò elegans & ipſa facie, ſed nimirum elegantior ſanctitate c. Horum autem converſatio qualis quantáve in terris exſtiterit, miraculorum gloriâ hodiéque populis declaratur. Erant enim, ut diximus, in caducis ſæculi honoribus valde ſublimes, ſed animi probitate ſanctiores, fide firmi, caritate præcipui, juſtitiâ inſignes, ſpe longanimes, eleemoſynis dediti, pauperum in ſuſceptione valde ſolliciti. His igitur talibúſque virtutum floribus ornati, Spiritus ſancti templa meruerunt effici, ut pòſt manifeſtiſſimis claruit indiciis. Nam quemadmodum, ſicut in Evangelicis invenitur paginis, Elizabeth illa nova Domini Præcurſoris mater, Spiritu ſancto repleta, conceſſum ſibi divinitus natum antè ſentire meruit, quàm videre; ſic & hæc Deo acceptabilis mulier B. Framehildis, eodem illuſtrata ſpiritu, longè antè prolem ſuo ſexui conſimilem naſcituram præſcivit, quæ in domo Domini & mater efficeretur, & columna Chriſtiani populi.

Auſtrebertæ parentes pii ac nobiles.

a Immò Chlodovei ejus filii, ut in Actis S. Filiberti adnotatum Sæculo 2 ad ann. 684.

b Auſtrebertæ genus & proſapiam deſcribit Malbrancus in lib. 3 de Morinis cap. 20, ubi Auſtrebertam natam dicit Marconnæ in paterno caſtro ad Heſdinum hodiernum. Prope eum locum vicus exſtat S. Auſtrebertæ vocabulo inſignitus. Fallitur Yvion, qui à Petro Equilino deceptus, S. Auſtrebertam S. Anſberti Rotomagenſis Pontificis ſororem fuiſſe adfirmat: nam utrique natale ſolum diverſum, diverſique parentes.

c S. Framehildem vulgò *Sainte Frameuſe*, VI Kal. Junii colunt Monſteriolenſes Sanctimoniales Auſtrebertinæ, cujus Reliquias cum S. Julianæ Reliquiis oſtendunt. Badefridum nuſpiam coli audio.

ANN. CHR. DCCIV. FEBR. X.

5. Denique adveniente tempore, quo in hujus mundi umbrosa caligine ex uterinis tenebris illa clara lucerna deberet prorumpere, supradicta genitrix Angelicâ super hoc meruit honorari visione: cujus ex alloquio & nomen nasciturae Virginis, cujúsve apud Deum meriti futura esset addidicit. Igitur Tarvanensi territorio exorta illa puellarum gloria, à parentibus, ut sibi revelatum fuerat, vocitatur AUSTREBERTA, priùs à Deo præelecta, quàm in matris alvo concepta, priùs Angelorum cœtibus cognita, quàm mundo nata. Necdum ejus videbantur membra, & jam in populis ejus præconabantur gesta. Diligenti demum curâ genitorum alitur, ac magistris strenuis imbuenda traditur. Pucrilibus verò annis simpliciter domi transactis, talis tantúsque in ea fervor excrevit sanctitatis, ut nulli foret dubium, quin ante ortum nativitatis eam sibi Dominus in ancillam elegerit. Cœpit nempe toto nisu mundum postponere, voluptatum oblectamenta viriliter calcare, & cælestia totis cordis medullis desiderare. Nam cùm esset infra decennium, ita eam Spiritus sanctus repleverat, ut mens ejus aut circa Ecclesias, aut Monasteria anhelaret. Meditabatur jam tunc in ætate rudis infantiæ, quod postea complevit.

Pia educatio.

6. Quadam verò die cùm vultum speciei suæ more infantium in aquis contemplaretur, ecce repentè apparuit ei quoddam velamen capiti ejus impositum. Quod signum apud eam intantùm valuit, ut ex illo jam die hoc æstuaret desiderio. Et quamquam parentes ejus mortali viro eam tradere vellent, illa immortali jam cupiens adhærere, sibimetipsi tantùm licèt conscia, cum lacrymis in oratione deposcebat, ut quod ei Dominus in umbra fuerat dignatus ostendere, in veritate compleret. Nec enim ab eo tempore se passa est ab hac intentione quiescere, donec quod oculis perstrinxerat, mente conciperet, gratiáque opitulante divinâ, opere adimpleret. Accensa siquidem illo igne Evangelico, quem Salvator noster JESUS CHISTUS ad separandum filium à patre filiámque à matre sua, mittere veniens ardere voluit super terram, ita in secreto pectoris sui latens, inexstinguibili duravit ardore, ut non diebus neque noctibus à colloquiis divinis vel oratione cessaret, quousque tempus aptum & congruum inveniret, ut habitum Sanctimonialis desideratum consecratúmque perciperet. Et fortè jam legerat aut lectum audierat ad quorumdam exprobrationem Apostoli Jacobi dictum: *Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.* Discant igitur qui nesciunt, hujus beatæ Dei famulæ exemplo hanc sanctæ Scripturæ imitari sententiam, ut non comparentur viro obliviosо, & non solùm auditores verbi, sed etiam factores exsistant. Comparentur, si placet, potiùs huic Dei famulæ, quæ quidem in speculo consideravit vultum nativitatis suæ, sed non est oblita quid viderit. Qui ergo illam imitari voluerit, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, erit beatus, si in facto suo permanserit.

Velum sacrum concupiscit.

Luc. 12.

Jac. 1. 23.

7. Procedente igitur tempore cùm parentes ejus qui felicibus actibus ejus parum favebant, arrhabone pro amore sæculi recepto, tempus præfinitum & diem statuissent nuptiarum, illa in angustiis posita, cogitare cœpit quid ageret. Mæsta verò iter furtim arripuit, germano secum fratre licèt parvulo adsumto. Cúmque pergerent simul, interrogata ab eo quò tenderet, respondit se ad villam, quæ proxima erat, ituram. Veniens igitur ad flumen quod dicitur Quantia *, ubi pons erat, ita flumine exuberante aquarum abundantia totum repleverat, ut superiorem pontem illic absconditum sub se unda teneret, & facultatem eundi omnibus itinerantibus pe-

Aquis incedit.

* *la Quantia.*

nitus denegaret. Tunc demum confessa est fratri, quò ire cupiens festinabat. Erat his temporibus vir sanctus, magni apud Deum meriti, AUDOMARUS * nomine, Tarvanensis urbis Pontifex, in cujus diœcesi puella nobilis originem traxerat. Ad hunc ipsa tunc properabat, sacro velamine consecranda. Habebat etiam secum multos sui itineris comites. Qui ut viderunt transeundi difficultatem, omnes pavore conterriti, non ausi sunt ingredi: sed habito consilio, ut redirent itinere quo venerant, cœperunt à loco abscedere: non enim ibi vel modicum quidem navigium poterat transire. Sancta igitur Dei famula, Christo devota, sancti Spiritus gratiâ illustrata, oratione facta, signum salutis præmittens, pontem undis submersum ingreditur, hortatúrque ceteros ut se sequerentur. Jam enim naturâ elementorum quodammodo inter se commutatâ, facta est eis aqua sub pedibus instar ligni solida; porrò lignum velut aqua liquidum. Transivit igitur Dei famula cum universis comitibus illæsa, quasi sicco calle in undis nihil mali perpessa. Amne verò transmisso quantociùs properantes, perveniunt ad hominem Dei, provolutáque puella ad pedes ejus, quod desiderabat obtinuit. Consecrata namque est Christo, & accepto velamine adhæsit anima ejus post ipsum, ipsamque suscepit dextera Christi. In vanum ergo deinceps quæsita est copulari viro terreno, quæ juncta erat Christo in cælo.

ANN. CHR. DCC IV. FEBR. X.

* Vita anno 667, Saeculo 2.

à S. Audomaro velatur.

8. Vir autem Dei cùm cognovisset parentes ejus hac re esse perturbatos, adsumptâ secum Dei famulâ consolandi gratiâ eos visitare studuit, eorúmque commotos animos verbis pacificis delinivit, eosdémque mansuetos & mites redditos ad caritatem pristinam revocavit. Pater filiam, fratres amplectuntur sororem, deosculantúrque eam singuli, Deum in commune glorificantes. divina quippe dispensatione actum est, ut qui priùs illudentes eam despexerant, summa pòst devotione venerarentur. Aliquamdiu ergo cùm in domo parentum commorata fuisset, cœpit implorare matrem & fratres, ut votum ipsius non ampliùs impedirent, sed potiùs adjuvarent eam, ut Monasterium posset ingredi, & sanctis sociari virginibus, sub potestate scilicet alterius victura. Quod illi benignè adsentientes, non solùm abeundi liberam ei tribuunt potestatem, verumetiam cum ea pergentes ad Monasterium usque perducunt.

Monasterium petit.

9. Est autem ipsum Monasterium super fluvium, qui dicitur Sumina, constructum: nominatur autem PORTUS [a]. Ibique præerat spiritalis Mater, nomine BURGOFLEDIS: cui cum indicâssent omnia, quæ gesta erant, gavisa valde, suscepit eam in filiam, ceterísque Sororibus aggregavit. Beata quoque Dei famula ovile Christi ingressa, ovibus sanctis adjuncta, sancta est ovis effecta. Primam quidem virtutum humilitatem ita in suo corde pro fundamento inseruit, ut non solùm spirituali Matri, sed etiam cunctis Sororibus quasi ancilla serviret, omnibúsque se subdens, obsequium cunctis reddebat ut debitum famulatum; inferiorem se proclamans, viliorem se judicans, deteriorem se ceteris fatebatur: se peccatricem, se infelicem esse pronuntians, quæ jam tam prolixum tempus expenderit sæculo serviens, non Deo: illas potiùs dicebat esse beatas, quæ infatigabili intentione disciplinis regularibus militantes, Christo Regi placere studerent: hoc nutrimento educatas fuisse, ut etiam certamine incentivæ carnis devicto, jam contra spirituales nequitias Deo auxiliante sufficerent pugnare. Sed quia semper humiles ditat gratiâ suâ cunctipotens Deus, fa-

Portense fuit, ubi religiosè vixit.

[a] Nunc locus redactus est in vicum qui retinet priscum vocabulum *Port*, situm in Pontivo ad fluvium Suminam, seu Somenam, aliis Summam, vulgò *la Somme*, medio fere inter Abbatis-villam & fluvii ostium intervallo. Eo loci S. Honoratus Ambianorum Episcopus exspirâsse fertur.

ANN. CHR. DCCIV. FEBR. X.

Præposita creatur.

ctum est, ut quanto illa vilior atque despectior in oculis suis fieret, eo gloriosior apud Deum, apud homines verò honorabilior appareret. Nam eligentibus cunctis, consentiente Matre, licèt invita, præposita constituitur. Quo ex facto cœpit magis humiliari, magísque de virtute in virtutem proficere, patientiam contra immites opponere, pusillanimis longanimitatem ostendere, minùs cautis gravitatem, indoctis ut doceri queant demonstrare; somniculosis, non verbis, sed factis, vigilias prædicare, signum qualecumque insonuisset prima adesse.

Clibanum ardentem ingreditur illæsa.

10. At verò circa obedientiæ virtutem qualis fuerit monstrabitur sequenti exemplo. In eodem namque Monasterio erat consuetudo, ut vicissim à Sororibus coquerentur panes. Sed dum hæc Christi famula die quadam in ordine vicis suæ hoc in opere laboraret, habebat secum unam tantùm adolescentulam quæ apud eam fuerat educata, & hoc miraculum narrare consuevit, quæ hucusque [a] vivit in corpore. Cúmque clibanus fuisset incensus & panes in promptu ad coquendum parati, ignéque extracto, deinde à favillis vel prunis quæ remanserant, debuisset mundari, fasciculus qui erat in summitate ligni colligatus, casu igne adustus est totus. Quod ubi Dei famula advertit, collidens inter se manus, altiúsque ingemiscens, ait: Væ nobis, quid acturæ sumus? panes peribunt: opus enim hoc modò reparari non potest. Et currens festina, obseravit ostium domûs: deinde signo Crucis munita; medium inter ignium vapores clibanum sola ingreditur, arreptísque manicis quibus in brachiis utebatur, clibanum omnem mundavit. Egressa demum officium diligenter complevit, & nec unum quidem capillum capitis, nec denique fimbriam vestimenti ejus est ausus ignis attingere. Tunc præcepit puellæ, ut patefaceret ostium domûs, multísque contestata est eam sermonibus, ne cuiquam quod viderat indicaret. Quo facto miraculo ne forte præsumtionis incurreret vitium, cuidam servo Dei quod fecerat indicavit. Vir autem ille altioris ingenii,

reprehenditurà Patre spirituali.

intellexit gratiam Dei, & cujus simplicitatis esset hæc cui virtutem tantam Dominus præstitisset dissimulare volens, quasi increpando respondit dicens: Noli, filia, noli hoc iterare, aut aliquando repetere, ne fortè tenteris à satana. Sed quia, ut scriptum est, non potest civitas abscondi supra montem posita, ipso viro Dei referente, Sorores hoc postea didicerunt. Voluntatis autem Dei minimè fuit, ut cursum vitæ suæ in hoc Monasterio ipsa Dei famula consummaret. Plures tamen, per annos quatuordecim ibi degens, suo salvavit exemplo.

Math. 5. 14.

illic vixit annis 14.

Pauliacensi Parthenoni à Filiberto præficitur.

11. Erat illis temporibus vir vitæ valde venerabilis, FILIBERTUS nomine, cujus suprà meminimus: qui rogatus à quodam viro potentissimo, nomine AMELBERTO [b], eoquòd illo in tempore ejus opera atque doctrina in fide & religione erant spectata, & singularis ab omnibus habebatur, Monasterium quod in fundo proprio qui PAULIACUS dicebatur, idem Amelbertus construxerat, filiámque suam parvulam quæ AUREA dicebatur, cum aliis Deo sacratis Christo inibi servire devoverat, ad regendum suscepit. Et licèt vir Dei lectione frequenti easdem Dei ancillas instrueret, prædicatione sancta doceret; tamen quia necessitas exposcebat, ut talibus rudimentis ab eodem sexu regularis disciplinæ norma inhæreret, prædictus Dei famulus, auditâ jam famâ famulæ Christi Austrebertæ, nuntios ad eam mittere studuit, duos videlicet ex Monachis suis, ut ad hunc locum venire deberet. Dei autem famula, licèt jam multo tempore exæstuans desideraret ejusdem sancti viri institui di-

a Hinc Auctoris ætatem intelligimus. Ea verba desunt in alia Vita.

b *Ketelbutrum* cognominat alius Auctor infrà.

sciplinis,

sciplinis, tamen ut columna immobilis & firma, sancti Pauli recordans sententiæ dicentis: *Non citò moveamini, neque per sermonem, neque per epistolam;* ignorans an fortè Deo placeret, ire ad modicum recusavit. Reversis autem nuntiis vir Dei per semetipsum ire compulsus, ad Dei famulam festinavit. Ibi verò tunc orta est sancta contentio. Nam omnes illæ famulæ Dei flentes & ejulantes, levaverunt in sublime voces, dicentes: Cur hodie nos, sancte Pater, decipis? cur nostro lumine ablato in tenebris nos derelinquis? Ad hæc ille respondens dicebat: Nolite, filiæ, nolite ita dicere: vos enim in tenebris nullatenus remanetis, quia vos ipsæ luminaria mundi estis. Nolite ergo prohibere ex vestro lumine alios participare; sed potiùs præstolantibus caritatem impendite. Multa ergo & alia his similia cùm Dei famulabus prædicâsset, tandem altercatione submota, pacéque reddita, vicit Spiritus-sanctus per os viri Dei; & sic adquieverunt omnes, deosculantúrque eam singulæ, omnes Dominum benedicente. Duabus itaque Sororibus ex ipsis secum adhibitis, perrexit cum homine Dei, à quo regiminis curam in eodem loco ilico suscepit.

ANN. CHR. DCCIV. FEBR. X. 2. Thess. 2. 2.

12. Jam verò adversus ejus sanctam doctrinam, ne ibidem convalesceret, quanta calliditate diabolus fuerit operatus, adjuvante Domino disseramus. Illa namque rigorem propositi sui fortiter tenens, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinabat: & quod ore ceteris prædicabat, ipsa priùs illis videntibus faciebat. Illæ autem velut equus indomitus necdum loro tractus, si quid causâ salutis Dei famula faciebat, omnino vitabant contingere. Intantum enim prævaluerat antiqui hostis versutia, ut magno eam odio habentes, etiam interficere molirentur. Sed cùm Domino prohibente hoc facere nequivissent, superveniente prædicto magno sæculi, non Dei viro Amelberto, structo mendacio, gravissimè eam accusaverunt. Ille autem ut erat mente crudelis, vultu terribilis, credens mendaciis, adductam ad se Dei famulam verbis durissimis cœpit increpare, repletúsque furore, arrepto gladio quo erat accinctus, impetum fecit in eam. Illa existimans congruum tempus esse martyrii, nequaquam cor femineum, sed virile se habere ostendens in pectore, subtilissimum illud velamen quo in capite utebatur, collo circumdans strictiùs manum tetendit, inclinatóque vultu cervicem præbuit percussori. Attonitus ille, ut aiunt, diu stetit immobilis, admirans constantiam feminæ, quam in nullo umquam viro vidisset: pavénsque multùm recondidit gladium in locum suum. Qua ex re colligi potest, si hæc illis temporibus exstitisset, cùm à sordibus idolorum terra Martyrum sanguine lavaretur, non exspectatis ministris carnificum uti invita traheretur ad victimam, sed ultro se truncandam ingerens, prima omnium victimarum palmam sanguinis occupâsset. Certè nec illud Babylonicum supplicium pertimescens, septempliciter caminum accensum pro cælorum regno ingredi dubitâsset, quæ pro paucis panibus, ne damnum Monasterio inferret, ardentem ignem ingressa est. His autem indiciis probavit Christus Dominus famulam suam non formidâsse martyrium: nam non illa martyrio, sed ei martyrium defuisse probatur.

Monachas rebelles patitur.

cervicem percussuro offert.

13. Rexit autem B. Austreberta idem Cœnobium per plura curricula annorum, quod, ut antè diximus, antiquo vocabulo nominatur Pauliacus: quod quidem tunc temporis paucum fuit & modicum, sed post paullulum factum est magnum. Non enim minor numerus quàm viginti quinque ancillarum Dei erat cum ea: quæ ei ita mente & corpore adhæserunt, ut usque in diem vocationis earum, nec una quidem ex eis ab ea quiverit separari.

Cœnobium diu & feliciter regit.

Ann. Chr. DCCIV. Febr. X.

In quo videlicet loco præfatus Dei famulus miro modo Monasterium ædificavit, quod in honore vel nomine Dei Genitricis MARIÆ dedicavit. Sed & alias ibi Basilicas S. Petri & S. Martini, aliorúmque Sanctorum construxit: domos quoque ad habitandum, sicut decet Sanctos, omnémque opportunitatem velociter præparavit. Quo viso, sancta ac beatissima Austreberta bonitatem Dei in se recognoscens, vel qualiter erepta esset sicut passer de laqueo venantium, vel quomodo ei locus subitò præparatus esset ad habitandum, multarum animarum curâ susceptâ qualem quamtámque se præstiterit, proloqui lingua nec ulla valebit. Quanta eam caritas adornaverit, bonitas ei successerit, puritas mentis & simplicitas cordis in ea refulserit, longanimitas circa omnes flagraverit, frugalitas creverit, non est nostræ facultatis evolvere. Erat enim frequens in lectione, pernox in vigiliis & oratione, jejuniis promta, vestimentis vilissima, in tribulationibus constantissima, in tentationibus fidentissima.

Jejuniis aliisque virtutibus vacat.
* in aliis fexies.

14. Omnibus Quadragesimis, præter dies Dominicos, nonnisi ter * intra hebdomadam comedebat. Castigabat enim corpus suum & servituti subigebat; abnegans semetipsam crucem suam ferebat, Dominúmque sequebatur. Amabat cunctos, & diligebatur ab omnibus. In cunctis modesta, omnibus jucunda ac hilaris apparebat. Si fortè ut adsolet, rixa orta fuisset, paucis sermonibus cunctorum animos mitigabat. Parcitatem ciborum ultra humanum modum sectabatur, sobrietas illi numquam deerat. Casta, cauta, mansueta, quieta satis in omnibus erat, in collocutione commoda, in conferendo gratissima. Si quis certè ad eam casu se junxisset, numquam nisi compunctus corde ab ea recedebat. Nam omnes per circuitum habitantes, ejus exemplum & doctrinam sequentes, non solùm filios aut filias offerre Deo statuerunt; verumetiam multi ex eis conjuges proprias relinquentes, Monasteria expetierunt, sponsi sponsas abjecerunt, sponsæque eos, à quibus causa sanctitatis contemptæ sunt, contempserunt.

Obedientiæ eximium exemplum edit.

15. Humilitatem verò quam semel beata Virgo adsumserat, nullatenus deseruit. Nam cùm ei moris esset, ut sicut bonus pastor super gregem Domini vigilaret, & die noctúque circumiens, ne quid cuiquam fortè accidisset inspiceret; die quadam Matutinis expletis, cùm Sorores fessis corporibus post laborem se in lectulis collocâssent, in ipso lucis crepusculo cùm aurora terram perfunderet, & ipsa volens cognoscere, an cunctæ quiescerent, progrediebatur leviter per Dormitorium, inspiciens lectulos singularum. Evigilánsque Præposita, nesciens esse Dei famulam, valde eam increpavit dicens: Cur ita agis, Soror? quare inquietas quiescentes? Vade, inquit, ad Crucem [a]. Illa autem gavisa, cucurrit quantociùs, stetítque immobilis, psallens, donec hora competenti, signo tacto consurgerent omnes. Præposita verò cùm cognovisset quod fecerat, cadens ad pedes ejus, veniam precabatur.

Sanctimonialis tumorem tactu curat.

16. Alio quoque tempore dolor gravissimus cuidam Sorori acciderat, itaut pars una faciei altiùs intumescens, oculum pæne absconderet. Sed cùm hanc ancilla Dei ex more visitasset, statim ut contigit maxillam, cuncto dolore & tumore sublato restituta est sanitati. Initio autem Quadragesimæ, mediæ noctis tempore, facta est vox ad quamdam Sororem dormientem, dicens: Surge, Soror, curre velociter, dic Abbatissæ ut surgat, & ad opus Dei Sorores excitet. At illa sopore nimio depressa, surgere neglexit. Secundò autem vox delata est, dixítque similiter: nec tunc illa surrexit iterúmque obdormivit. Tertiò porro veniens vox ipsa, cum quadam indignatione increpavit eam dicens: Cur ita dormis, Soror, mæsto sopore soluta?

Dormitorii ruinis divinitus subducitur cū suis.

a Id pænitentiæ olim in Monasteriis imponebatur iis qui somni tempore sodales turbabant, ut in Vita S. Landeberti videbimus ad annum 708.

Usquequo tantum somno deprimeris, ut tertiò tibi jussio repetenda sit? Surge, inquit, dic Abbatissæ ut surgat, signúmque tangat, & ad opus Dei Sorores excitet. At illa currens festina, timens & tremens, invenit eam in Ecclesia vigilantem, dixítque ei omnia quæ circa se fuerant facta. Statímque signo dato sub unius momenti spatio inventæ sunt omnes in Ecclesia congregatæ, itaut præter duas infantulas alia nulla deesset. Miratæ sunt valde quòd omnes tam subitò adessent, quod numquam aliàs contigisse meminerant. Mox verò imposito psalmo, ecce media pars Dormitorii concussa protinus corruit. Territæque sonitu, quasi magno tonitruo, conticuerunt omnes, cœperúntque egredi, ut viderent quidnam accidisset. Dei autem famula prohibuit eis, dicens: Ne una quidem ex vobis præsumat Ecclesiam egredi, sed potiùs revertimini & agite opus Dei, psallentésque & orantes complete Officium nostrum. Ipsa verò signo Crucis munita, luminario præeunte Ecclesiam est egressa. Cùm verò cognovisset eventum rei, de infantulis cœpit esse sollicita: & ecce una inventa est subtus mensam ipsius, altera in fenestra diruta. Paries enim domûs ab utraque parte fenestræ usque ad fundamentum corruerat: fenestra verò quæ innocentem servaverat, immobilis stabat. Quomodo autem in illum locum pervenerint, aut à quo delatæ fuerint, Deum licèt non lateat, nobis tamen usque hodie manet incognitum. Quædam verò Soror, unius ex infantulis consanguinea, præceptum sanctæ Matris Austrebertæ transgressa, egrediens Ecclesiam, periculo imminenti se tradidit. Cúmque huc atque illuc discurreret, si fortè vel cadaver alicubi reperire potuisset, ruinâ maceriæ super ipsam ruente oppressa corruit, totúmque ejus corpus ita quassatum est, ut non solùm capitis, verumetiam totius pæne corporis ossa confringerentur. Crepitante verò sono ruinæ secundæ & voce Sororis audita, cucurrerunt pæne omnes, atque in stragulo inobedientem colligentes, ad valetudinarium deportaverunt: ubi cùm ab Austrebertâ diluculo fuisset visitata, membra conquassata beata Mater oleo benedicto perungens pristinæ eam reddidit sanitati. Domus autem illa, quæ in capite Quadragesimæ fuerat diruta, ante Dominicæ Resurrectionis sollemnitatem, auxiliante potiùs Deo dilectæ Abbatissæ quàm cæmentariorum studio, in melius est restaurata.

Ann. Chr. DCCIV. Febr. X.

Inobedientem macerià oppressam sanat.

17. Igitur quia de vita & virtutibus sacratissimæ Virginis pauca prælibando perstrinximus, ne legentibus fastidium ingeramus, néve frivola fortè æstimentur, qualiter peracto vitæ præsentis curriculo, certamine bono certato, cursu consummato, fidéque servata, sancta illa anima carne soluta sit, breviter exsequamur. Cùm igitur omnipotens Deus, suorum Fidelium pius remunerator, beatam Virginem Austrebertam è sæculi hujus ærumnosa caligine ad sempiternam immensámque beatitudinem decrevisset evocare, levi febre correpta, Deo amabilis ægrotare cœpit. Congregatis itaque in unum Sororibus prædixit imminere diem sui obitûs, & quod die Dominico, qui septem ferè diebus aberat, ad Dominum esse migratura, indicatum sibi esse dixit revelatione angelica. Ex thesauro igitur cordis sui multa divinarum Scripturarum proferens testimonia, instruebat eas de his quæ sunt de regno Dei, de contemptu mundi, de gloria Justorum, de pœnis reproborum. Patientiæ verò & caritatis vinculum omni admonebat studio retinendum, dicens in illorum Christum non posse cordibus habitare, qui flammâ invidiæ accensi, proximorum urerentur profectibus. Dehinc libato osculo ac pacatis omnibus, Mater venerabilis ad adsuetum nobile cilicii stratum revehitur, paucis quibus supervixit diebus non cessans multiplicare sibi à Domino traditam talenti pecuniam.

Mortis præscia suas monitis instruit.

ANN. CHR. DCCIV. FEBR. X.

18. Superveniente porrò die Dominico, quia jam ejus bonitatis ac virtutum fama per Galliam longè latéque claruerat, confluxerunt ad ejus transitum catervatim Sacerdotes & Clerici, Abbates & Monachi, necnon & utriusque sexus populi multitudo. Interea imminente beatæ remunerationis hora, accersitis ad se omnibus, sancta ac venerabilis Mater ultimum eis vale faciens, singulos juxta sui ordinis dignitatem, ne cœptum sacræ religionis iter desererent hortabatur. Percepto demum Dominici Corporis Sacramento, & sanctæ Crucis munita vexillo, ovibus sibi à Christo creditis iterum valedicens, ait: Eia in Christo mihi dilectissimæ Sorores & Filiæ, en ego hodie ingredior viam universæ terræ: vos, si me veraci caritate diligitis, mearum admonitionum per omnia memores estote, & cœptum religionis iter nolite deserere. Christo summo vestri curam committo: ipse vobis pastor, ipse & perennis custos. Ad hanc vocem Sanctimonialium cœtus, crine resoluto & nudatis pectoribus, querulosis aiebat singultibus: Cur nos, domina, cur nos, Mater sanctissima, tam citò deseris? cui pastoralis curæ vigilantiam committis? Ecce tu hodie patriam adis gloriæ interminabilis, & nos in hac convalle plorationis desolatas cui relinquis? Tuis tecum precibus nos magis adsume. Magis enim tecum volumus mori, quàm tuâ cæcatæ absentiâ in hoc mundo vivere.

Viatico percepto,

19. Quarum fletibus pia Mater mota, hujusmodi fertur fudisse orationem: Deus immortalis, Angelorum & hominum rector, tu harum ancillarum tuarum petimus sis perennis custos, & quas hactenus sub mea custodia servâsti, amodò & usque in finem custos Israël qui non dormitas, custodire dignare. Ecce ego ad te venio quem amavi, ad te propero quem desideravi, ad te sitio pervenire quem semper ardentissimo amore dilexi. In te confido, non erubescam: in te spero, non confundar. Tu meum suscipe spiritum in pace sempiterna, ne adversùm me prævaleant inimici jacula. Sed & hoc precor, Rex æterne, ut quicumque mei memoriam in terris habuerint, pacis & salutis commoda de cælo largiri eis digneris. Quo dicto, quia jam remunerationis hora instabat, paullulùm conticuit. Interim cunctis qui adstabant psallentibus, & Sanctorum nomina [a] seriatim subnectentibus, illa virtute qua valuit, voces psallentium interrupit dicens: Silete, Fratres mei, silete. Numquid non conspicitis quantæ jucunditatis processio advenit? Certè quorum invocatis nomina, adest Sanctorum multitudo copiosa. Cúmque in hoc quod videbat, mentis sitientis obtutus figeret, sancta illa anima carne soluta est. Transivit autem gloriosa Virgo quarto Iduum Februariarum, die Dominica [b], aurora incipiente, eadem videlicet hora, qua Christus ab inferis victor resurrexit. O verè sancta & venerabilis Virgo, in cujus sacro transitu Angelorum adest multitudo, Martyrum purpurata processio, Virginum quoque ut lilium candidata concio: quibus sociata Virgo eximia, exsultat & lætatur in sæculorum sæcula!

Deo suis commendatis,

moritur die Dominica. b

20. Sepulta verò est in B. Petri Principis Apostolorum Basilica, ubi per plurima annorum requievit curricula. Quo in loco quanta miraculorum prodigia meritis excellentissimæ Virginis post ejus gloriosum transitum Fidelibus ostendere dignatus sit Dominus, nostris reor non posse expleri sermonibus. Nam ibidem ex obsessis corporibus dæmonia fugantur, cæci illuminantur, manus informes reformantur, claudis gressus redditur, vis om-

Sepulta miraculis clarescit.

a Ergo tum temporis mos erat, ut Litaniæ Sanctorum pro iis qui in extremo agone positi erant, recitarentur. quamquam id in alia Vita non expressum.

b Dies Dominica incidit in IV Idus Februarias annis DCLXXXI, DCLXXXVII, DCXCVIII, DCCIV. Monsteriolensium Austrebertinarum monumentis stamus, quæ Patronæ suæ obitum consignant anno DCCIII secundùm veterem calculum, DCCIV secundùm novum.

nium febrium pellitur, infirmitatum genera multa curantur. Adsit nobis Virgo eximia sui memoriam celebrantibus, impetret delictorum veniam sibi famulantibus, & post hujus vitæ terminum suis sacris precibus nos ad Sanctorum perducat consortium, Amen.

Ann. Chr. DCCIV. Febr. X.

ALIA VITA

Auctore anonymo perantiquo & fere æquali.

Ex MS. Cod. Compendiensis Monasterii.

1. Austraberta igitur priusquam nasceretur nota, & antequam exiret de ventre dilecta, Tervanensi Galliarum opido orta fuit, parentibus etiam non infimis generata. Sed ita à prima nativitatis infantia ætas in ea simul & religio crescere cœperat, ut dubium non esset, quòd ante ortum suæ nativitatis eam Dominus elegisset. Jam cùm esset, infra decennium, ita eam Spiritus-sanctus repleverat, ut mens ejus aut circa Ecclesias, aut circa Monasteria anhelaret. Meditabatur jam tunc in ætate rudis infantiæ, quod postea devotè implevit. *Austraberta Tarvennica.*

2. Quadam verò die cum vultum speciei suæ more infantium super aquas considerare studuisset, ecce repentè apparuit ei quoddam velamen capiti ejus desuper impositum: quod signum apud eam intantum valuit, ut ex illo jam die hoc æstuaret desiderio. Et quamquam parentes ejus mortali viro eam tradere cogitarent, illa jam immortali cupiens adhærere, sibimetipsi, licèt conscia tantum cum lacrymis semper in oratione deposcebat, ut quod ei Dominus in umbra dignatus fuerat ostendere, in veritate compleret. Nec enim jam extunc passa est ab hac intentione quiescere, donec quod oculis perspexerat, mente conciperet, gratiâque operante divina, opere adimpleret [a]. *Velum sibi imponi videt in fonte.*

3. Procedente igitur tempore cùm parentes ipsius qui felicibus ejus actibus invidebant, arrhabone pro amore sæculi recepto, tempus præfinitum & diem statuissent nuptiarum, illa in angustiis posita cogitare cœpit quid ageret: mæsta verò furtivum iter arripuit, germano secum fratre licèt parvulo adsumto. Cúmque pergerent simul, interrogata ab eo quò tenderet, respondit se ad villam quæ proxima erat ituram. Venientes igitur ad flumen quod dicitur Quantia, *&c. ut in alia num.* 7. *Aquis incedit.*

4. Vir autem Dei cùm cognovisset parentes ejus sub hac re fore turbatos, secum Dei famulâ adsumtâ consolandi eos gratiâ visitavit, *&c. ut in alia num.* 8.

5. Est enim ipsum Monasterium, super flumen quod dicitur Sumina constructum, nominatur autem Portus; ibique erat spiritualis Mater nomine Burgofledis: cui cùm indicassent omnia quæ gesta erant, gavisa valde suscepit eam in filiam, ceterísque Sororibus aggregavit. Beata quoque Dei famula ovile Christi ingressa, ovibus sanctis adjuncta, sancta est ovis effecta. Primam quidem in se virtutem humilitatis pro fundamento inseruit, & non solùm spirituali Matri, sed etiam cunctis Sororibus ut ancilla obediens exstitit, omnibus se subdidit, obsequium cunctis reddebat ut debitum famulatum, inferiorem se clamitans, viliorem se judicans, deterio- *Portense Monasterium petit.*

a Hoc loco & num. 5. factum amplificat alius Auctor, qui proinde recentior videtur.

ANN.CHR. DCC IV. FEBR. X.

rem se ceteris fatebatur. Dum ergo vilior atque despectior in oculis suis fieret, eo magis gloriosior apud Deum, & apud homines honorabilior apparebat. Nam eligentibus cunctis consentiente Matre, licèt invita, Præposita constituitur. Hoc facto cœpit magis humiliari, magísque de virtute in virtutem proficere: quæ qualis circa obedientiæ virtutem fuerit, subsequenti narrabimus sermone.

Clibanum expurgat illæsa.

6. In eodem namque Monasterio erat consuetudo, ut vicissim à Sororibus coquerentur panes. Cùm autem hæc Christi famula die quadam in ordine vicis suæ hoc in opere laboraret, unam tantùm adolescentulam quæ apud eam fuerat educata, secum habebat. Cúmque clibanus fuisset igne succensus, *&c. ut in alia num.* 10.

A Filiberto evocatur in aliud Cœnobiū.

7. Erat illis temporibus vir vitæ valde venerabilis FILIBERTUS nomine, qui rogatus à quodam viro potentissimo videlicet AMALBERTO KETELBUTRO, eoquòd illo tempore ejus operâ atque doctrinâ fides & religio exspectata & singularis ab omnibus habebatur, Monasterium quod in fundo proprio Amalbertus construxerat, filiámque parvulam nomine AUREAM cum aliis Deo sacratis Christo inibi servire devoverat, ad regendum suscepit: & licèt vir Dei lectione frequenter instrueret, prædicatione sancta doceret; tamen quia necessitas exposcebat, ut talibus rudimentis ab eodem sexu regularis disciplinæ fixiùs inhæreret, auditam * jam famam famulæ Christi discipulæ Austrabertæ, nuntios ad eam mittere studuit, duos videlicet ex Monachis suis, ut ad hunc locum venire deberet. Dei autem famula licèt jam multo tempore exæstuans desiderabat ejusdem viri instituí disciplinis, tamen ut columna immobilis & firma, ignorans an fortè Deo placeret, ire ad modicum recusavit. Reversis autem nuntiis, vir Dei ad Dei famulam festinavit. Tunc illæ omnes Dei ancillæ flentes & ejulantes in sublime voces levaverunt dicentes: Cur nos hodie, sancte Pater, decipis? cur nostro lumine ablato in tenebris nos derelinquis? Ad hæc ille respondens dicebat: Nolite, Filiæ, nolite ita dicere, vos enim in tenebris nullatenus remanebitis, quia luminaria mundi estis. Nolite ergo prohibere ex vestro lumine aliis impertire, sed potiùs præstolantibus caritatem impendite. Multa enim & alia his similia Dei famulo prædicante ei adquieverunt. Duabus namque ex ipsis Sororibus secum adhibitis perrexit cum homine Dei [a].

* *pro* auditâ famâ.

Monacharum odium incurrit.

8. Jam verò adversus sanctam doctrinam ne ibidem convalesceret, quanta calliditate diabolus fuerit operatus, adjuvante Domino differamus. Illa namque rigorem propositi sui fortiter tenens, quod ore ceteris prædicabat, hoc ipsa priùs illis videntibus faciebat. Illæ autem velut equi indomiti necdum loro tacti, siquid Dei famula causâ salutis faceret aut doceret, omnino vitabant contingere. Intantum enim prævaluit hostis antiqui astutia, ut magno odio eam habentes, etiam interficere molirentur. Sed cùm Domino prohibente hoc facere nequivissent, superveniente Amalberto prædicto, structo mendacio gravissimè eam accusaverunt, *&c. ut in alia num.* 12.

b Pauliacum se recipit.

9. Igitur [b] inde progressa, venit ad quemdam locum qui dicitur PAULIACUS, certè tunc paucus & modicus, post futurum factus est magnus. Ancillarum namque Dei viginti quinque numero, quæ ei mente & corpore adhæserant, usque in diem vocationis earum, nec una quidem ex eis ab ea discessit. In quo videlicet loco præfatus Dei Pontifex Audomarus mirum in modum Monasterium ædificavit, quod in honore vel nomine sanctæ Dei

a Et hîc multa interponit alius Auctor num. 11, uti & in fine Vitæ.

b Totus hic articulus deest in alia Vita, in qua Monasterium ab Amalberto constructum cum Pauliaco confunditur, & in Vita S. Filiberti.

Genitricis MARIÆ dedicavit: sed & alias ibi Basilicas S. Petri & S. Martini construxit, domósque ad habitandum, sicut decet Sanctos, omnémque opportunitatem velociter præparavit. ANN. CHR. DCC IV. FEBR. X.

10. Sancta ergo Austraberta bonitatem Dei circa se recognoscens; qualiter erepta est sicut passer de laqueo venantium, vel quomodo ei locus subitò paratus fuerit, multarum animarum curâ susceptâ, qualem se quantámque præstiterit, proloqui lingua nec ulla valebit. Erat enim frequens in lectione, pernox in vigiliis & oratione, in jejuniis promta, in vestimentis vilissima, in tentationibus habebat confidentiam. Omnibus enim Quadragesimis, præter dies Dominicos, non nisi sexies * comedebat. Castigabat corpus & servituti subegerat, abnegans semetipsam, crucem suam tulerat, Dominum sequebatur, amabat cunctos, diligebatur à cunctis, in cunctis modesta, ac omnibus jocunda, cunctis hilaris apparebat. Si fortè, ut adsolet, rixa orta fuisset, paucis sermonibus cunctorum animas mitigabat: si quis ei se casu junxisset, numquam ei nisi punctus corde ab ea procul dubio recessisset. Nam omnes per circuitum habitantes ejus exemplum atque doctrinam sectantes, non solùm filios aut filias Deo offerre statuerunt, verùm multi ex eis conjuges proprias relinquentes, Monasteria expetierunt, sponsi sponsas abjecerunt, ipsæ quoque à quibus causâ sanctitatis contemptæ sunt, contempserunt.

Virtutibus studet.

* *in alia* ter.

11. Humilitatem verò quam semel adsumserat, nullatenus deseruit. Nam cùm ei moris esset, ut sicut bonus pastor super gregem Domini vigilaret, & die noctúque circuiens, ne quid cuique evenisset, respiceret; quadam die Matutinis expletis, cùm Sorores fessis corporibus post laborem se lectulis collocassent, in ipso lucis crepusculo cùm aurora terram perfunderet, & ipsa volens cognoscere an cunctæ quiescerent, gradiebatur leniter, inspiciens lectulos singularum, *&c. ut in priori Vita num.* 15.

Obedientiæ egregium dat exemplum.

12. Alio quoque tempore, dolor gravissimus cuidam Sorori accesserat, ita ut pars faciei unius altiùs intumescens, oculum pæne absconderet, *&c. ut in alia num.* 16.

13. Nunc autem de ejus obitu, qualiter sancta anima illa carne soluta sit, breviter exsequamur. Cùm autem omnipotens Deus qui est bonorum fidelis remunerator, à sæculi hujus caligine ad sempiternam lucem immensámque beatitudinem eam decrevisset vocare, febre correpta ægrotare cœpit. Superveniente itaque die Dominica, congregatis in unum Sororibus, adfuit ipsa sustentata manibus ceterarum; instruénsque eas, & docens ea quæ sunt de regno Dei, multis ibidem lacrymis fusis, deosculatur singulas, pacem fecit cum omnibus: & valedicens Sororibus perrexit ad lectulum, ibíque per aliquot dies vivens, non cessavit mensuram tritici Christi famulis erogare. Cùm autem appropinquâsset hora, ut jam suo itinere spiritus ad cælos dirigeretur, Sacramentis Dominici Corporis perceptis, conveniunt omnes, ut pro ejus exitu more morientium decantarent. Cúmque cœpissent attentiùs psallere, virtute qua poterat voces psallentium compescuit, & beatam semperque Virginem Dei Genitricem MARIAM invocare cœpit, & sanctum Petrum ceterósque Apostolos, & sanctos Martyres, sanctos quoque Confessores, sanctásque Virgines nominatim invitare: & ecce in ipsa vocatione nominum migravit ad Christum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Sanctæ obit.

INCIPIUNT MIRACULA ejusdem post obitum.

1. CUMQUE post gloriosum ejus transitum, nonnullæ ex Sororibus lascivioris animi lectulo quo Beata obierat, meridianis horis ad quiescen-

Monacha lecto ejus irreverenter usa punitur.

ANN. CHR. DCC IV. FEBR. X.

dum sæpius membra dare præsumerent, una quæ erat lascivior ceteris, persistens in hoc præsumtivo negotio, cœpit jam ipso ut proprio uti strato, ibíque febre correpta ad extremum deducta est. Cúmque per unum fortè aut duos dies ipso in lectulo ægrotans ei ministraretur à quadam, fieretque ei semper deterius; tandem in se reversa, dixit adsistenti sibi: Scio, inquit, quòd moritura sum in proximo, sed deprecor te ut me adhuc paululùm respirantem in alium locum transferas, ne fortè egrediente hinc anima mea sententiam damnationis excipiam, pro eo quòd cùm essem peccatis obnoxia, Sanctæ Dei thorum meo præsumsi usui deputare. Cùm verò præbentes ei adsensum, deportâssent eam ad cellulam infirmarum, ipsâ eâdem horâ sub celeritate convaluit & sana facta est.

Moribunda cōvalescit.

Ulcus sanatur.

2. Per idem fere tempus vulnus pessimum in faucibus cujusdam Sororis excreverat, itaut putrescens intrinsecùs gutture tumescente, neque cibum aut potum sumeret, somnúmque præ nimio cruciatu non caperet. Sed etsi quid liquoris in os mitti à qualibet tentaretur, cum sanie profluente resiliebat: non enim quisdam ad eam præ magno fœtore accedere poterat. At verò cùm ad sanctum illud sepulcrum delata fuisset, protinus obdormivit, apparuítque ei in somnis quædam in habitu virginali, deferens ei malum punicum, quod à B. Austraberta ei dicebat esse transmissum. Cúmque accipiens comedisset, ecce evigilanti repletum est os dulcedine, quasi favum mellis. Surgens verò ex eo loco venit ad stratum suum, ibíque paullulùm requiescens, manum quamdam capiti ejus suppositam tactu blandissimo sentiebat, aperiénsque oculos vidit vultum splendidum claritatis eximiæ coruscantem, atque in ipso motu palpebrarum ablatum est ab ea quod viderat: statímque sibi cibum dari postulans comedit, & sana facta est.

Soror divini Officii negligens percutitur.

3. Veniente quoque anniversario ejus depositionis die, cùm in ejus commemoratione ad laudandum Deum surrexissent Sorores, dedita quædam somno corporis surgere negligens, ceteris psallentibus dormiebat; videbatúrque sibi quòd B. Austraberta cum tribus puellis præcedentibus, una cum lampade Dormitorium circuiret. Cúmque ante ejus lectulum quæ hoc videbat instituissent, increpationis verba arripiens, ait: Cur, inquit, somni torpore deprimeris? cur ceteris vigilantibus Deúmque laudantibus, tu fraudaris tanto munere inerti sopore soluta? Et extendens percussit eam in faciem, conversáque ad puellas quæ secum erant, ait: Comprehendite eam, & extrahite foras. Evigilánsque in ipso ictu percussionis, surrexit à lectulo, cœpit concita currere, & ecce post tergum quasi strepitus currentium, usquequo in Ecclesiam cum magno tremore intrâsset: confiténsque quòd perpessa fuerat, decetero se promisit emendaturam: alapam tamen quam acceperat, per anni revolutionem secum retinens flagellatur ab ea, donec veniens ad aliam festivitatis diem, oratione facta solveret eam omnipotens Deus, & restituta est sanitati.

Puella quędam à Monasterio rejecta, a

4. Alio quoque tempore ejus memoriam recolentes cùm Missarum sollemnia celebrarent, puella quædam [a] salvare volens animam suam, sanctæ illi congregationi adhærere desiderabat. Sed cùm multis modis in præterito tempore istiusmodi causam postulanti ei omnis denegata fuisset adeundi facultas; desperata jam ab homine hanc se consequi gratiam posse, de Dei potiùs misericordia & orationibus Sanctæ illius confidens, in ipsa hora qua Dominus Deus Sabaoth Sanctus ter ab omnibus clamabatur, currens ad sanctum sepulcrum beatæ Dei famulæ manibus pallium apprehendit,

a Andreas Saussaius in Martyrologio ad v Id. Octob. ait puellam istam fuisse S. Julianam; Abbatissam Benedictam, de quibus suprà. Consentit Officium S. Julianæ à Sanctimonialibus Monsteriolensibus legi solitum. In codice Compendiensi istud deest miraculum.

dicens

dicens se inde nullatenus recessuram, nisi projecta fuisset invita, inquiens si forte ejiceretur, animam suam perituram fore; sanguinem tamen suum exquirendum de manu ipsius, quicumque devotionem suam ulterius impedisset. Mater verò earumdem ancillarum Dei quæ illis temporibus Monasterio præerat, valde indignans quod factum est, jussit illam amoveri ex loco illo, atque cum dedecore expelli, dicens: Tu, inquit, cùm sis ex Monasterii hujus nata famulâ, debeasque servile opus exercere quodcumque tibi foris injungitur, ausa es hoc arbitrari, ut rapinâ corpori Sanctimonialium sociata, domina effici delecteris? Nocte igitur insecuta cùm se sopori dedisset, gravissima ei febris continuò accessit, itaut per totum noctis spatium pervigil vexaretur. Mane autem facto, ingravescente febre jubet adesse Presbyterum simul & omnes Sorores: indicat se mori quidem, sed puellam illam pro qua se pati dicebat, recipi in congregatione ab omnibus flagitabat. Illæ autem quia uno animo conspiraverant adversus puellam illam ne recipi potuisset, dubitantes adhuc hac de causa ei ægritudinem accidisse, consilium inierunt dicentes: Eamus primùm ad corpus sanctæ Dei famulæ, ibíque pro te preces fundamus votum voventes, si forte misereatur tui Dominus ut ab hac infirmitate saneris, atque ut per temetipsam facias quod hortaris. Quod ita factum est. Nam statim reliquit eam febris, & surgens à lectulo jussit adesse puellam, ac recepit eam in filiam, ceterísque fecit Sororem: jam tum bene recordans quòd antè malè immemor exstiterat, quia Dominus personarum non est acceptor, sed sive servus, sive liber, in Christo unum sumus, & sub uno Domino militiam bajulamus.

ANN. CHR. DCC IV. FEBR. X.

Abbatissa cælitus punitâ, admittitur.

ex Reg. S. Bened. c. 4.

5. Quædam alia ex Sororibus gravissima infirmitate præventa, partem unam corporis, à renibus deorsum, ipso congressu * perdiderat, itaut immensos dolores & cruciatos * per annos quinque pateretur. Nocte igitur quadam cùm ad extremum perducta vix tenuem spiritum palpitaret, facta est vox in somnis ad quamdam Sororem ut surgeret, tolleretque infirmam, deferrétque eam ad Christi ancillæ corpus: & licèt tertiò commonita, tandem evigilans surrexit, & venit ad infirmam, indicavítque ei quod viderat. Respondente eadem, juxta finem propè esse, cum magno licèt labore humeris impositam detulit eam ad locum, ibíque deposita, protinus obdormivit. Hæc autem haud procul stans exspectabat eventum rei, & ecce repentè audivit sonitum quasi alarum columbæ volantis & residentis supra sanctum sepulcrum. Cúmque paullulùm substitisset, evigilavit infirma, nihil mali sentiens surrexit, & supra pedes consistens, gratias agens pro sanitate recepta, perrexit incolumis.

Moribunda cövalescit.

* f. cum gressu

* pro cruciatus

6. Eodem quoque tempore quædam ex ancillis, cui ungulæ mediam palmam infixæ, officium manûs privaverant; cùm venisset ex fide orare ad sepulcrum, mox invocato nomine beatæ Dei famulæ Austrabertæ sanitatem recepit.

7. Quidam ex Monachis molestia corporis superveniente carens officio linguæ, permansit mutus quatriduo, itaut nec vocem ullam ad loquendum potuisset emittere. Quinta itaque nocte quâ erat elinguis, vidit in somnis beatam Dei famulam sibi dicentem: Mane, inquit, cùm surrexeris vade orare, & Dominus tibi adjutor erit. Mane autem facto ivit mutus, rediit loquens; ivit tacendo, rediit prædicando, dicens: Benedictus Deus qui tanta & talia operatur per Austrabertam famulam suam.

Monachus mutus linguæ usum recipit.

8. Interea translatum est [a] sanctum corpus à loco quo priùs fuerat positum,

Translatio.

[a] Hugone Rotomagensi Archiepiscopo annuente hæc Translatio seu elevatio facta est, si Malbranco & Saussaio credimus, & quidem XIV Kalend. Novemb. qui dies hactenus Austrebertinis Monsteriolensibus festivus est. Lege Acta S. Hugonis infrà.

ANN. CHR. DCCIV. FEBR. X. *al. ungebatur.

sed non sine miraculo. Sæpius enim revelaverat omnipotens Deus cuidam servo Dei ut inde sublevaretur, quoniam summitas lapidis illius tingebatur * in aquam: sed ita inventum est, sicut ei ab Angelo fuerat nuntiatum. Angelus enim nuntius dicitur, & nisi is bonus esset, nullatenus veritatem nuntiâsset.

Alia miracula.

9. Posthæc autem cùm ejus festivitas advenisset, mulier quædam contractis manibus, quam ob istiusmodi causam fides adduxerat ut ilico salvaretur; cùm psalmis & canticis spiritualibus noctem ipsam pervigilem ducerent Sorores, circa medium ferme noctis tempus, reddita sunt ei officia manuum, & mane facto gratias agens Deo abiit incolumis.

10. Alia etenim Soror ex ipsis Dei famulabus oculorum lumine amisso per annos duodecim cæcitatis vinculo tenebatur: quæ orationum suarum instantiâ ante ipsum venerandum sepulcrum, depulsis tenebrarum caliginibus, visum recepit.

11. Quidam adolescens uno pede claudus, in ipsa ejusdem veneranda sollemnitate cùm ibidem pernox in oratione vigilâsset, summo diluculo aurora surgente gressum recepit, & ad propria remeavit. Illud etiam mirabile fuit, quòd mulier quædam unius manus officio destituta, veniens ex longinquo, nocte ipsa quia annua ejus commemoratio celebranda erat, occurrere festinabat: sed hora tardiore præventa nullatenus ingredi potuit, eoquòd essent omnes januæ forinsecùs obseratæ. Cùm igitur nocte ipsa in eodem loco ageret excubias, mane facto patentibus januis ingressa, anulum quod in debili manu gestaverat, pro munere deferebat: quæ beatæ Virginis oratione sanata, manu restituta, rediit ad propria.

12. Materfamilias quædam dives valde & nobilis, dudum Sanctæ Dei in amicitia juncta, à pestifero & insanabili morbo, ut aiunt, qui cancer à Medicis nominatur, percussa est, quæ per annos novem ejus pectoris mammillam dilanians, majorem jam partem consumserat. Cùm autem dies sanctæ depositionis Virginis beatæ celebranda esset, veniens hæc cum devotione & fide prosternens se coram venerando sepulcro, multas ibidem lacrymas fundens, causa siquidem exigente doloris, oravit intentè diutiùs. Altera autem die cùm ad domum propriam fuisset reversa, putrefactæ hujus vulneris carnes radicitus evulsæ, profluente sanie ceciderunt, atque intra paucos dies restituta est sanitati.

13. Puer quidam parvulus à dæmonio vexabatur: cúmque delatus à patre, ante corpus beatæ Dei famulæ fuisset projectus, statim fugato dæmone, sanitatem recepit.

14. Adolescentula quædam, & ipsa habens dæmonium, vociferans atque discerpens nocte & die, nulla ei requies erat; sed & parentes ejus inquietudinem ipsius ferre non poterant. Cúmque ad sanctam hanc sepulturam à matre fuisset adducta, dæmon expulsus est, & reduxit eam mater incolumem. Plura etenim omisimus, ne legentibus adferrent tædium, seriésque verborum inferret fastidium. Hæc quoque sufficiant pauca de pluribus, innumeris & immensis, quæ per sanctam suam famulam operatus est omnipotens Dominus, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum, Amen.



FRAGMENTA SELECTA

Ex aliis miraculis relatis apud Bollandum.

ANN. CHR. DCC.IV. FEBR. X.

1. INTEREA Dominus noster famulæ suæ Austrebertæ merita longè latéque declarans, ubicumque ad ejus titulum Basilicæ dicantur seu Oratoria, virtutum non desinit exhibere suffragia. In pago Cenomannensi à Fidelibus constat constructa Ecclesia, schemate quidem exigua, sed signorum decore perspicua. Tres namque in vicino commanentes feminæ diverso laborabant incommodo. Nam una earum cæcitate multata, altera pedibus contracta, tertia verò erat diuturno languore confecta: quæ pariter B. Austrebertæ votum facientes, ad ejus quam diximus ædiculam candelas miserunt, statímque solitâ Dei clementiâ sospitatem receperunt: Deinde pari devotione Pauliacum properantes, ad ejus tumulum gratiarum ac laudis vota omnipotenti Domino solverunt. Miracula apud Cenomannos.

2. Cùm per immanissimam barbaricæ crudelitatis feritatem Regnum Galliæ átque Germaniæ olim circumquaque miseranda vastaretur depopulatione, occidentalis pars Franciæ acrioris vim furoris continua frequentatione præ ceteris regionibus pertulit. Adeo, inquam, Gentilium in populo prævaluit perversitas, ut penitus peremtis effugatísque cohabitantium turmis, dirutis solotenus Cœnobiorum ædificiis, gloriosorum Sanctorum pignoribus aliò velut in exsilium lugenda nimis translatione ablatis, etiam cum illorum absentia funditus inibi videretur deleri memoria. Multo pòst tempore, tantæ grassationis diluvio aliquantulùm retracto, placuit divinæ propitiationi iterum occiduæ regioni redivivo jubare catholicæ Religionis lumen oriri: ut ubi hactenus noscebantur esse ferarum pascua, Christicolarum jam viderentur ædificari habitacula. Quamvis enim adhuc esset exiguus regressorum numerus, tamen sicubi ab eis Templorum invenirentur vestigia, ilico pro posse sui reædificabatur Ecclesia. Contigit ergo iisdem temporibus ab incolis fidelibus in Pauliaco, quod ruinâ teste ante patriæ eversionem famosissimum Cœnobium noscebatur, conditam fore Ecclesiolam in loco quo gloriosa Austreberta carneis membris soluta est: sed jugi provinciæ excidio radicitus evulsum undique Deo famulantium videbatur obsequium; & ne cujuslibet sollemnitatis celebraretur memoria, gentilis concursionis abstulerat instantia. At ubi humanum ad tempus defuit obsequium, gratiori frequentatione imminebat divinum. Nocte igitur quadam in loco supradicto, viro cuidam fidelissimo, necnon & duabus probatissimæ vitæ mulieribus, quarum una Sanctimonialis fuerat, licèt diversis habitâssent mansiunculis, vox una tamen omnibus facta est communis: Quid somno depressi jacetis? nonnè venerandæ vestræ Patronæ Austrebertæ virginis festivitatem adesse cognoscitis? surgite & ad Ecclesiam festinate. Tanti illi ignari negotii celeriter surgunt, ad Ecclesiam concurrunt, magna cum devotione matutinis laudibus adstantium voces intus audiunt, simúlque angelica conclamatione nocte eadem festivitatem supradictæ Virginis in cælis coli intelligunt. Normannis sævientibus, destructo Pauliacensi Cœnobio, neglectus Sanctæ cultus, cælitùs excitatus.

3. Cuidam boni testimonii viro miræ claritatis ac decoris persona per visum apparens, duxit eum in Ecclesiam sanctæ virginis Austrebertæ Pauliaci sitam, olim à paganis pæne dirutam: ostendénsque ei locum quo primitus sancta Virgo tumulata fuerat, imperavit ut intimaret Presbytero ejusdem Ecclesiæ, quatenus eumdem locum ne à plebe concluderetur includeret. Cúmque bis admonitus minimè paruisset, tertiò veniens eum in

ANN. CHR. DCC IV. FEBR. X.

faciem percussit, minans quousque imperata complesset, illum minimè curandum; Presbyterum verò nisi obediret, deterius passurum. Qui evigilans, quæ audierat Presbytero retulit, ad probationem suæ narrationis qua percussus fuerat, tumidam faciem ostendens. Ilico autem ut Presbyter jussa complevit, prædictus vir sospitatem recepit.

Furtum sacrilegum punitum.

4. Quidam vir illustris Goscelinus nomine, transmarinis degens in partibus, B. Austrebertæ sui ruris decimam dedit, atque in signum donationis duos ex ære urceos quos vulgò Bachinos vocamus, ejus Ecclesiæ ministris transmisit. Quæ Fratres quidam nostri [a] Monasterii illuc pro quibusdam utilitatibus directi gratanter susceperunt, expletisque pro quibus ierant, ad propria reverti cupientes, cum suis ad mare properârunt, Deóque favente, prospero navigii cursu ad portum *Dieppe* applicuerunt. Egressi autem ad terram, cuncta quæ secum detulerant, integra reperiunt, præter illa quæ diximus vascula à nautis furtim subrepta. Cùm ergo ea minimè reperirent, tristes admodum: Sancta Austreberta, inquiunt, de oblatione sua iniquè distracta celerem expetat ultionem. Quod & factum est. Altera namque die cùm prædicti nautæ multis cum navibus quæ in portu erant, ad propria reverti conarentur, repentino turbine repulsa navis ad litus revocatur, & per aliquot dies egredi nullo modo valens, invita retinetur. Tandem cur hoc fieret advertentes & sui sceleris pœnitentes, cuidam Monacho S. Trinitatis [b] qui in vicino erat, vascula humiliter reddunt, móxque cum gaudio prosperè ad propria revertuntur.

Fons salubris S. Austrebertæ.

5. Quidam adolescens gravissimo corporis incommodo detentus, ex beatissimæ Austrebertæ virginis fonte, de quo multi sanantur, dari sibi cum fide petiit. Cui cùm de alio sub ejus nomine præbuissent, protinus animadvertit, & sprevit, nisi quod petierat consequeretur, se minimè sanandum dixit. Tandem illius improbitate victi, ad fontem licèt itinere diei unius sepositum mittunt, & inde quod cupierat ægro offerunt. Quo hausto extemplo convaluit, surrexit, Deo sanctæque Virgini grates reddidit.

[a] Fortean Monasterii S. Catharinæ de monte prope Rotomagum, cui Monasterio subjectus est Prioratus Pauliacensis ab anno M L X. Postea istic degebant quatuor Monachi è prædicto Monasterio transmissi.

[b] Nempe de Monasterio prænotato, quod S. Trinitati & S. Catharinæ nuncupatum erat.

MONITUM.

MAGNA pars Reliquiarum S. Austrebertæ adservatur in Virginum Benedictinarum Parthenone Austrebertino, quod muris Monsterioli opidi inclusum est; pars Audomaropoli in Ecclesia cathedrali. Id quam ob rem quâve ratione contigerit, paucis accipe. Nortmannis Galliam, præcipuè loca Ligeri & Sequanæ fluviis circumfusa, vastantibus, Pauliacenses Virgines in Marconnense Monasterium sese recepisse feruntur. Istud Monasterium in paterno S. Austrebertæ castro, Marconnâ * *dicto, ab ipsa (ut aiunt) Austreberta post parentis utriusque mortem constructum fuerat ad Quantiam fluvium, paullo infra Hesdinum * opidum hodiernum. At cùm necibi tutæ essent Sanctimoniales ab incursibus Nortmannorum, ad Monsteriolum opidum munitissimum confugerunt: ubi destructo à Nortmannis utroque Parthenone, Pauliacensi & Marconnensi, sedem fixerunt, eóque loci circiter annum millesimum erexerunt Cœnobium S. Austrebertæ nuncupatum, cujus partem Reliquiarum possident, partem Audomaropolitana Ecclesia, in qua corpus sanctæ Virginis sæviente Nortmannorum procella servatum est. Et quidem Monsteriolenses Virgines Patronæ suæ Reliquias in theca argentea affabre elaborata, cranii partem in scrinio ex argento deaurato; Audomaropolitani verò Canonici portionem suam in feretro argenteo aræ majori imposito venerantur.*

* *Marconne.*
* *Hesdin.*



VITA S. BERTULFI ABBATIS RENTICÆ IN FLANDRIA,

AN. CHR. DCC V. FEBR. V.

Auctore Monacho Blandiniensi, qui vixit sæculo XI.

Ex MSS. Codd. Surio & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *HUJUS Vitæ Scriptor, Monachus Blandiniensis ad Gandavum, istud opus aggressus est jussu* FOLCARDI *Abbatis in Prologo memorati, qui Blandiniense Cœnobium perillustre Ordinis S. P. Benedicti rexit ab anno* MLXX *ad* MLXXXVIII, *quo etiam auctore facta est postrema Reliquiarum S. Bertulfi Translatio, cui hic Auctor interfuit.*

2. *Bertulfum Renticæ Abbatem fuisse colligimus ex num. 19. Est autem Rentica opidum, vulgò* Renty, *Morinis quondam, modò Atrabatibus attributum, ad fontes Ennenonis seu Agnionis fluvioli, quem* Aa *vulgus appellat. Prope Renticam erat Bertulfi Cœnobium S. Dionysio dicatum, modò exilis Prioratus. In plerisque Belgii Martyrologiis MSS. memoria S.* Bertulfi Confessoris & Monachi *celebratur* Nonis Februarii.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. QUONIAM quidem omnis qui membra cujuscumque honorat, totum hoc cujus membra sunt honorat; membra verò Christi omnes sunt Sancti: ergo & qui Sanctos honorant, Christum laudare & honorare probantur. Non tamen Christus in Sanctis suis, neque Sancti in Christo laudari egent: sed qui eos hîc laudant, egent utique ut laudent. Ecce inter reliqua membra Christi BERTULFUM egregium corporis Christi membrum in medium adsumo: quem tanto minùs laudare sufficio, quanto ampliùs & ingenio & vitâ sordesco. Sed quod minùs sufficio, Sancti hujus supplebit intercessio: & qui dedit velle, dabit, credo, & posse. Cujus Vitam, veteri olim stilo descriptam, ut novo scribendi percurrerem studio, domini Abbatis nostri FOLCARDI obtinuit jussio, cui petenti fas non erat quidquam negare: quia speciali Sanctum hunc adeo devotione amplectitur, ut cum omnibus Sanctis specialem hunc pro omnibus Fidelibus defunctis habeat intercessorem, quem ad eorumdem Fidelium defunctorum memoriam, & corpore & intercessione fecit esse præsentem. Sed hoc solum miror, quod humiliter à me ignavo exigere voluit, quod ipse sancto viro efficaciter exhibere valuit: præsertim cùm sim incircumcisus corde & labiis, ille autem disciplinis non mediocriter instructus Ecclesiasticis. Cujus præclara ad Sanctum devotio quia humilitate ornabatur, quod devotè humilis sancto viro exhibere valuit, humiliter devotus ab alio, licèt sciolo, petere non horruit. Quid ergo? jubenti auctoritate, & petenti humilitate, non quantum debeo, sed quantum habeo, Patri præsto, salva virorum illustrium majestate, qui ad hoc opus ingenio & doctrinâ longè me præcellunt. Sed si quid mens nostra dictando, vel manus scribendo erraverint, ejus erit & apud sanctissimum Bertulfum excusare, qui me non timuit ad hoc scribendi studium applicare. Et notandum, ex multis pauca sancti viri gesta me esse scripturum, quia temporum vetustas plura oblivioni, pauca memoriæ dedit. Sed fideli pauca multum sufficiunt: infideli autem nec multa parum satisfaciunt. Prudens igitur lector materiem magis penset quàm stilum, rationem magis quàm scriptorem: quia vinum

Auctor S. Bertulfi Vitam exponit jussu Folcardi.

ANN. CHR. DCC V. FEBR. V. plumbi fistulâ haustum sæpe placet: boníque nuntii bajulus non quis, sed quid adferat, inquiritur.

INCIPIT VITA.

Bertulfus Alamannus, a

* al gloriam.

2. CUM sub glorioso Rege SIGEBERTO a Ecclesia Christi pacem simul & gratiam * meruit, beatissimus Confessor Bertulfus ortum nativitatis suæ patriâ Alemanniâ habuit: parentibus quidem honestè mediocribus, sed gentilibus. Neque enim adhuc Alemanniam fides Christi respexerat, quamquam in ea hic futurus Ecclesiæ filius carnis tunc progenitores habuerit.

Cujus uterque parens paganis ritibus horrens,
Sicut spina rosam, Sanctum sic edidit istum.

Neque parum gloriæ huic sancto viro fore dixerim, quòd similem cum sanctissimo illo Martino ortum sortitus fuerit. Sicut enim ille, sic iste gentilibus parentibus processit; ille quidem Pannoniæ, hic finibus Alemanniæ.

parentes gentiles deserit.

3. Cúmque adolescentiæ ingressus iter, primævæ ætatis excederet annos, naturali tantùm lege edoctus, in via mandatorum Domini cœpit ire, & inter eos qui nil norunt nisi barbarum frendere, dextrum justitiæ iter conatus est arripere. Sed quia non facile habuit quod conatus est, (inter iniquos enim arduum, immo difficile fuit æquitatis jura tenere, præsertim cùm ad fidem Christi indigenas illos nec ratio, nec persuasio posset allicere) maluit patriâ parentibusque destitui, quàm consortio pravorum sordibúsque gentilium pollui. Exivit ergo hic novus Abraham de terra & cognatione sua, & venit in terram & cognationem non suam. Nam arrepto itinere versus Occidentem, tandem in partes Galliarum devenit, eóque ubi Tarvannensium fines Oceanus terminat, mansionem accepit.

venit in pagum Tarvennensem,

ubi Wambertus Comes Monasteria & Ecclesias construebat.

* al. Hemburgis.

4. Erat tunc temporis in præfata regione quidam WAMBERTUS non infimus Comitum, cui cum divitiis par erat meritum. Huic paris conditionis conjux adhæsit, cujus ingenuitatem religio sancta & immaculata adornavit, nomine HOMBURGA *. Utrisque ergo illorum cum ingenuitate sancta religio, & cum religione irreprehensibilis erat operum exhibitio. Nec defuêre in argumentum religionis eorum plura virtutum opera, inter quæ illud præclarè emicuit, multarum per eos constructio Ecclesiarum. Nam ex facultatibus propriis in proprii juris prædio construxere Cœnobium operosa manu elaboratum, non minùs à magnis Cœnobiis pollens, quod honori & nomini Dionysii Martyris titulari fecerunt. Adjecerunt etiam tres alias Ecclesias fundare, easque non parva devotione Sanctis titulare, unam Principi Apostolorum, aliam beatissimo Martino, tertiam æquè S. Vedasto. Quas, ut dictum est, tam ex sumtibus propriis, quàm in proprii juris prædio, nuncupato Rentica, constructas venerantur omnes & colunt, præcipuè qui * Ennenonem fluvium bibunt, cujus ripæ prædicta possessio contigua adjacet.

* al. Ennenam, & Agnionê, vulgo Aa.

hîc baptizatus Bertulfus,

Ps. 118. 54.

5. In hac namque quam dixi regione adeo Fides Christi concordabat cum religione, ut facile esset eis qui quærunt Christum, illic eum invenire. Quò cùm beatus Bertulfus pervenisset, eumdem peregrinationis suæ locum patriam credidit: quia ibi Fidem Christi, qua nihil umquam jucundius habuit, invenit, & secundùm illud Psalmistæ, cantabiles illi erant justificationes Domini in loco peregrinationis suæ. Et ut choris Fidelium posset adjungi, humiliter se petiit Sacramento Baptismatis insigniri. Consecutúsque Baptismatis Sacramentum, Spiritus-sancti factus est templum, & inter illius Pa-

a Nempe Sigeberto secundo Dagoberti Regis filio, qui Austriam rexit ab anno DCXXXIII ad annum circa DCL.

triæ indigenas cœpit jam esse non hospes & advena, sed civis Sanctorum & domesticus Dei. Nec satis fuit jam conjurato in Christi Sacramenta tironi Baptismatis gratiam suscepisse, sed ut Clericatûs signaculo artiùs jungeretur Ecclesiæ, & votis optavit, & precibus exoravit: quódque devotè expetiit, efficaciter impetravit. Sícque Fidelium choris admistus, ibat de virtute in virtutem, visurus Deum deorum in Sion.

CIRCA AN. DCC V. FEBR. V. fit Clericus.

6. Cúmque fama viri clarissimi Wamberti conjugísque ejus percrebuisset, &, ut facile viris clarissimis est, suarum odore virtutum complures attraxisset; cor hujus famuli Dei Spiritus-sanctus præveniens tetigit, & in amorem tanti viri conjugísque ejus penetrabiliter accendit. Nec desiderii sui satiem distulit, donec se eorum præsentiæ obtulit, non modico exsultans tripudio, quòd tandem post longum peregrinationis suæ sudorem, unius veri Dei cultores reperisset, quos reperisse tam carum quàm rarum habebat. Unde & ab eis sicut sine detrimento suo separari se non posse putabat, ita ipsis inseparabiliter adhærere suum lucrum sciebat. Lucrum dico suum, quod ex spiritalibus magis, quàm ex temporalibus divitiis conflare voluit. Horum itaque non erubuit se subdere dominio, quos Christi cernebat inhærere servitio, erátque subditus illis, serviens ut antiquus ille Joseph absque omni dolo.

Wamberti obsequio se adjūgit.

7. Nec latuit illustrissimum patremfamilias Wambertum conjugémque ejus tanti viri probitas, & assidua circa rem suam familiarem sagacitas. Unde ut intus forísque domus eorum tota custodiæ illius cederet, communi consilio decrevêre. Securus enim erat uterque rerum suarum sub custodia tam fidelis œconomi. Ideóque commissis ei omnibus quæ sui juris erant, secundo ipsum à se gradu in omni domo sua præficiebant. Adeptus denique fidelis dispensator & prudens totius rei familiaris curam, ne credita sibi domini sui minueretur, sed incrementis in dies augeretur substantia, sagaci elaborabat industria. Cujus labori & voluntati pietas divina favens, id præstitit, ut ad nutum fidelis œconomi res familiaris passim augeretur. Unde factum est, ut Dominicis se dignum efficeret promissis, quibus remuneranda est servi fidelis diligentia & probitas: *Euge*, inquit, *serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Quæ promissio dum viro Dei tam temporaliter quàm spiritaliter competeret, & hîc temporalem, & in futura vita sempiternam meruit remunerationem.

Œconomus factus rem domini auget.

Matth. 25. 21.

8. Nam ut temporali domino suo cum terrenis commodis provideret etiam cælestia, pietatis in pauperes Christi effecit instantia. Insistebat enim clam eleemosynis clandestinis, Deum votis & precibus interpellans assiduis, ut hac liberalissima in domesticos fidei compassione rem domino suo duplicaret & gratiam. Quod & factum est. Gnaviter ille dabat, sed res data non deficiebat. Opes dum erogantur, augmentantur: tantóque ampliùs incrementum sumsere, quanto eas manus tribuentis in pauperes benigniùs dispersit. Quo in facto non solùm sibi, sed & temporali domino suo hic famulus fidelis consuluit: ut videlicet his perituris permansuras in sæcula divitias compensaret, easque largè erogando largiùs augmentaret. Proinde non ad oculum serviens, ad nutum domini sui omni subjectione pendebat, cui subjici egregium atque insigne habebat: dilectioni eorum timorem, timori dilectionem conjungens, idque secundùm primi Pastoris sententiam, dicentis: *Servi subditi estote in omni timore dominis.* Sicque res eò processit, ut fidelis famuli sui obsequium fideli æquè domino magnum prærogaret beneficium, opibus non solùm domi forísque multiplicatis, sed & in cælo, ubi fures non effodiunt, neque tinea demolitur, repositis.

Ob frequentes eleemosynas,

1. Pet. 2. 18.

ab æmulis apud herū accusatus prodigalitatis,

9. Pro his namque operibus justitiæ adversus militem Christi bella non defuêre. Nam hostis humani generis per quosdam satellites nequitiæ suæ evo-

CIRCA AN. DCC V. FEBR. V. muit in Sanctum Dei virus invidiæ suæ, ut fortè per hæc vasa suæ iniquitatis compesceret famulum Dei à solito opere probitatis. Et invidiæ stimulis quosdam invidorum adeo accendit, ut illustrem virum Wambertum adirent, famulúmque Dei fidelissimum Bertulfum fraudis & criminis hisce verbis insimularent: Considera, inquiunt, prudentissime virorum, quæ tui juris sunt: considera, quam prodigè per advenam illum depereant: animadverte etiam, quid cui commiseris, quanta habueris, quanta amiseris. His derogantium verbis venerabilis vis Wambertus aures tantùm, non fidem accommodabat. Fidelem enim dominum de fideli famulo quidquam sinistrum suspicari non decebat: præsertim cùm multis experimentis didicerit, quòd fidelissimus idem ipse qui accusabatur, fuisset semper.

10. Sed cùm sæpius illi principi detractionis verba replicarentur, eò res perducta est, ut loquentibus pro servo Christi miraculis, omnis iniquitas accusantium oppilaret os suum. Quod qualiter acciderit, ad describendum stilum vertere non pigebit. Nam quadam die cùm sol flammivomus ponti remearet ad umbras, contigit famulum Dei Bertulfum præ foribus temporalis domini sui viam captasse, ac in veste qua circumamiciebatur, panem cum caseo, & in vase figuli opere composito, vinum gestare, ut eleemosynis clandestinis pauperum prospiceret refrigeriis. Quo viso, invidi quasi opportunam accusationis occasionem nacti, illustrem Wambertum qui tunc fortè præ foribus stabat, adeunt, accusationis in virum Dei quasi quædam argumenta hisce verbis prætendunt: Saltem, inquiunt, nunc, illustrissime virorum, oculata fide experiri licet, quòd plus veri minúsque falsi noster sermo de hoc advena ad te pertulerit, cujus dispensatio prodiga est, non larga; & in detrimento rei familiaris minùs sollicita. Ecce enim in argumentum verbi quod tibi diximus, ipsum nunc res tuas non sine fraude gestantem ostendimus. At ille sicut simplices facilè suaderi solent, benigno ut erat animo, accito ad se fideli simplicíque Bertulfo: Quid, inquit, tuo gestas in gremio? At ille ne de bene factis quæ clam fecit velut fraudis notaretur: In vase, inquit, hoc fictili aquam habeo, quam assulis veste hac adstrictis eo calefactum. Cui suus sic responsum reddidit heros: Verbis quidem tuis fidem accommodo: sed quia te in domo mea inter primos primum vilissimas gestare res admiror, id quod verbis adseris, oculis experiri volo. Quæ igitur clam gessit, palam videntibus exposuit, & secundùm viri Dei sententiam, oculis videntium ea quæ dixerat apparuêre. Sícque natura rerum mirabiliter mutata, & virum Dei ostendit verum dixisse, & de eodem æmulos ipsius falsa adseruisse. Unde vir illustris Wambertus eum in omni domo sua fidelissimum, illos verò mendaces esse certioribus jam didicit argumentis.

miraculo defenditur.

11. Sæpe memoratus deinde paterfamilias conjúnxque ejus venerabilis dum de virtute in virtutem proficerent, exemplóque fidelis famuli in dies crescerent, subeundæ etiam pro Christo peregrinationis desiderio accenduntur. Et primùm urbem maximam, apostolicis nobilem pignoribus, Romam visere animo concipiunt, operéque efficaciter perficiunt. Porro de fideli famulo Bertulfo usqueadeo bene confidunt, ut nihil intus forísque suarum rerum relinquerent, quod non illius fidei atque prudentiæ crederent: Nec facile dictu est, quàm fideliter, quàm prudenter rebus domi forísque sibi creditis præcaverit. Sícque iter quod Romam tendit arripiunt, demúmque ad limina Apostolorum Petri & Pauli pervenerunt, ubi corpus humi, mentem cælo dedêre, & inter lacrymas ac oscula, anhela trahunt suspiria: & apertis thesauris suis, sacrosancta loca non modicis honorant obsequiis, & ditant donariis. Qui apostolica benedictione insigniti, expletísque pro quibus advenerant, ad propria jam læti reditum maturant.

Dominis Romam profectis familiam curat.

12. Cùm-

12. Cúmque divæ memoriæ Wambertum, comitésque suos labor itineris jam confecti fatigâsset, nec quisquam inter eos sub intempesta nocte custos equis posset sufficere, eáque causa commilitones singulos sollicitudo non modica teneret; suo suggessêre domino, ut se adeo fatigatos, ab excubiis nocturnis relaxaret, equisque vigiles minùs lassos adhiberet. Quorum sollicitudini Bertulfus, sanctissimæ caritatis filius, mox condescendit, eísque in aures viri illustris hæc verba respondit: Ad domini mei imperium vigil sub hac nocte præbebo obsequium, equósque integro numero ad lucem usque ducam in pascua, integro æquè numero mane eos reducturus. Quid multa? promissis effectum dedit, animalia ad pascua ejecit, totámque sub divo noctem pervigil transegit. Et ecce ab improviso apertis cataractis suis cælum pluvias dedit multo largiores, quàm quas humus absorbere posset.

CIRCA AN. DCC V. FEBR. V. Equos nocto custodiens,

Prorsus cornipedes pluviis hinc inde madentes,
Accipiunt tristem membris torpentibus imbrem:
Diriguêre metu, gelidus pavor occupat artus.

multo imbre cadente

Sed miles Christi spe & fide animatus, nec in loco quidem se patitur moveri: quia de supernis sperabat umbraculum in securitatem & absconsionem à turbine & à pluvia. Nec spes fefellit Sanctum, quia non sine miraculorum gloria, divinâ est gratiâ protectus.

13. Nam, ut diximus, sanctus vir nec loco voluit cedere, cùm commilitones ejus qui simul tunc in pascuis erant, non solùm loco cessêre, sed domum quantociùs tempestate impulsi remeârunt. Sed vir illustris Wambertus de fideli famulo sollicitus, dum sodales ejus à pascuis revertisse, ipsum verò deesse conspiceret; unum ex officio ad eumdem sub divo adhuc manentem destinavit, & ut domum rediret, iterum iterúmque monens imperavit. Cucurrit puer ad imperium domini sui, pervenítque in præsentiam commilitonis sui. Ubi erat cernere in glorificatione Sancti, gloriam Dei, & inauditum sæculis prodigium miraculi. Nam ignea fax coram ipso à summo cæli ad terras usque pertingens fulsit, tenebrásque hinc inde fugavit, viróque Dei sedenti atque in quodam libro ad legendum intento lumen non modicum ministravit. Miræ etiam magnitudinis aquila caput ipsius obumbrando circumvolitabat, pluviæque incommodum alis expansis ab eo fugabat. Sícque duplici miraculo duplex à Sancto Dei incommodum, scilicet tenebrarum ac pluviarum, repellebatur, dum hinc lumine facis ardentis tenebræ, hinc aquila circumvolitante imbrium ab eo tempestas arcebatur. Nec immeritò. Quia enim eum duplex armaverat virtus, caritatis scilicet & obedientiæ; caritatis quidem, quæ commilitones itinere fatigatos à labore laxabat labore suo; obedientiæ, qua & in adversis domini sui paruit imperio: ideo & duplici miraculorum gloria, divina ipsum glorificavit gratia. Neque dubium est, in illa luminis aquilæque ostensione Angelorum adfuisse præsentiam, quorum ministerio tempestatis molestiam declinavit.

nequaquã perfunditur, face illustrante, & aquila protegente.

14. Prædictus igitur puer familiaris, viso erga Dei famulum luminis ac aquilæ ministerio, maturato reditu, domino quod viderat retulit suo. Quibus auditis, nec mora, nec requie retrahitur, donec ad locum usque, ubi famulus Dei manebat, pervehitur: non solùm novitate miraculi quod à puero suo audierat, sed etiam commiseratione in dilectum sibi Bertulfum illectus. Ubi perveniens miraculum, quod priùs auribus acceperat, oculis etiam contemplatus est, tanto ampliùs stupet, quanto manifestiùs coràm ipse intuitus est: móxque remota potestate dominii sui, prosternitur pedibus famuli sui, sese reum nocturnæ ipsius afflictio-

Hinc Vvâberto honoratior.

CIRCA AN. DCC V. FEBR. V.

nis humili verborum atque gemituum fatetur attestatione. Inde preces replicat, veniam veluti reus orat: quia si eum ad excubias animalium sub noctem non dimisisset, nequaquam sub divo imbrium fuisset inundatione vexatus. Non satis hic quicumque hæc legerit, admirabitur, humilem dominum ab humili æquè famulo paullominùs minoratum, dum se dominus famulo prosternit, quem sanctitate se majorem noverat. An verò vel istius sanctitatem, vel illius dilectionem, aut prorsus utrorumque humilitatem, pro dignitate quisquam prædicaverit? Tanta namque in utrisque enituit humilitas, ut dominus famulo quod famulus debet domino, famulus verò domino quod domini erat, impenderet: hic tamen quia famulus domino suo quod domini erat debuit, illi in adversis etiam obsequendo; ille autem licèt dominus, famulo suo eoquòd se sanctior erat, id quod domini fuerat exhibuit, sese illi humiliter prosternendo.

Reddit causam suæ peregrinationis.

15. Cernens igitur Wambertus in Sancto cum virtutum gratia etiam signorum effulsisse gloriam, quanto ampliùs in eo quod posset mirari, invenit, tanto eum etiam ampliùs diligere cœpit. Cúmque ipsum & admirando diligeret, ac diligendo admiraretur; cur patriam parentésque reliquerit, blandè sciscitatus est. Deinde pergit etiam inquirere, cur ipsius sese dominio subdiderit, cùm potiùs ministrari, quàm ministrare debuerit: adserens se potiùs quàm illum oportere ministrare, quem sanctitate & justitia se cerneret anteire. Hæc & his similia sciscitanti patrifamilias B. Bertulfus respondit: Causam meæ peregrinationis effecit ratio justæ occasionis. Nam patria qua oriundus sum, quia idolorum culturâ sorduit, eam mens mea adeo habuit horrori, ut patriâ cum parentibus spretâ, aliam alio sub sole jacentem adire non timerem. Finitóque peregrinationis meæ labore, optata tandem apud vos gavisus requie, & votorum meorum potitus sum societate; votorum meorum, inquam, quibus diu multúmque veri Dei cultores cernere concupivi: quos hac in patria, & inter eos Deo te apprimè devotum & hominibus benignum tam reperiens quàm experiens, promisi me de reliquo apud te permansurum, appetóque ad imperium tuum bene optando, bene famulando pendere. Quibus auditis Wambertus vir venerabilis, tam Deo quàm hominibus carus, gaudio non modico exsultavit, & eum magis magísque honorando amavit, & amando honoravit. Cúmque plenissimè didicisset, eum Deo totis animæ medullis famulari velle, cœpit ipse, Spiritu-sancto instigante, illum deinceps non quasi dominus famulum, sed ut filium carissimum amplecti. Nec solùm ille, sed etiam venerabilis ejus quam ante diximus conjunx non minori eum excoluit & amore & honore.

Renticam dono à Wamberto accipit.

16. Cúmque conspiceret vir clarissimus Wambertus in servo Dei & quod admiraretur, & quod diligeret, cœpit eum & admirando diligere, & diligendo venerari: adeout quem priùs quæ domi, deinceps etiam his quæ foris habebat, præficeret. Nec solùm rebus suis intus forísque eum præfecit, sed quarumdam suarum temporalium rerum temporaliter etiam heredem instituit. Nam prædium sui juris, vulgo Rentica dictum, unà cum Ecclesiis in illo constructis cum iis quæ ad illud pertinebant, illi contradidit, & donatione sollemniter facta heredem fecit. Quam donationem & illustrium virorum testimonio, & privilegiis roboravit, atque è suo jure in jus viri Dei de reliquo translatum esse voluit. Suscepit ergo vir Dei prædium non sibi, sed Deo denique & pauperibus: suscepit, inquam, non cupiditate captus, sed caritate in Deum & proximum ductus. Nec causetur quisquam virum Dei in sua patria res proprias reliquisse, &

in patria non sua possessiones suscepisse: cùm in dandis accipiendisque muneribus non quid, sed quo fructu & detur & accipiatur, perpendendum sit. In hoc igitur verè Israëlita in quo dolus non erat, non quid, sed quo scopo receperit, inspiciendum est: quia, ut postea indiciis evidentibus claruit, eo nimirum fine quod datum est accepit, ut Dei gloriam & proximi utilitatem promoveret. CIRCA.AN. DCC V. FEBR. V.

17. Interea vir illustris Wambertus unà cum conjuge sua æquè illustri peregrè profectus, iter quod Romam respicit, denuò est aggressus, & post longa terrarum emensa spatia, Apostolica tandem ad patrocinia pervenit. Ubi tam ipse quàm venerabilis conjux ejus magna animi & corporis devotione corpus humo, cælo animum dedêre, & cum lacrymis precúmque suspiriis, Sanctorum se commendant suffragiis. Nec illud silendum, quòd antequam viam ingrederentur peregrinationis, fidelissimo suggessere Bertulfo, ut ubicunque eos diem ultimum claudere perciperet, illuc ad deportanda eorum corpora accurreret: hoc votis omnibus sitientes, ut nec post mortem tam fidelis famuli obsequio privarentur, nec adjutorio fraudarentur. Contigit itaque eos adoratis in urbe maxima Sanctorum pignoribus domum repedare, & inter redeundum vi febrium inclementiùs laborâsse. Qui tandem in villa juris sui Falcomberga [a] mansionem accepêre, atque per dies languore ingravescente, humanis rebus exemti sunt. Dominis iterum Romam profectis, & in reditu mortuis,

18. Quorum obitum B. Bertulfus ut fama vulgante comperit, tantos ac tales se amisisse multùm doluit: quippe ex quorum vita etiam ipsius pendere videbatur, & quibus in hac vita nihil antiquius aut carius habebat. Nec facilè in famulo Dei dolor de illorum amissione susceptus conquievit, quamquam eos de morte ad vitam transitum fecisse crederet. Sed dum hinc quidem de eorum amissione gemeret, inde verò de felici eorum requie gauderet; eo quòd salubriter gaudebat, temperandum credidit hoc quod ægrè dolebat. Mox Fidelium turmis unà cum Ecclesiæ ministris sibi junctis, ad deportanda eorum corpora, sicut in mandatis acceperat, ita accipit. Quæ cùm subsequentibus & præcedentibus utriusque sexûs turmis transtulisset, & ad prædium sui juris Renticam pervenisset, in Oratorio olim ab eis constructo, corpora tumulis, animas commendavit cælis. sepulturam impendit.

19. His ita se habentibus, quæ virtutum præclara facinora in viro Dei exstiterint, hinc lectori palam explanabimus. Sanctus igitur Domini Confessor Bertulfus, suscepta à venerabili Wamberto quam antè diximus possessione, hoc omni elaborabat studio, ut gloriæ Dei proximorúmque utilitati impenderet, quidquid ipsi rerum temporalium suppeteret. Satagebat quippe sic habita possidere, quasi non possideret; sic non habita contemnere, quasi omnia possideret, ut illis adnumerari posset, de quibus dicitur: *Nihil habentes, & omnia possidentes.* Unde & exutus sæculo, secretiùs Deo vacaret, eò statuit secedere, ubi contemplationis viam posset arripere. Erant namque in memorato prædio Ecclesiæ numero quatuor, ab illustrissimo viro Wamberto, ut dictum est, constructæ, quarum una reliquis quantitate major, & opulentiâ erat præstantior. In quam vir Dei, collectis secum undecumque viris religiosis, secesserat, artiorísque vitæ tramitem arripuerat. Et dignum quidem, sed difficile relatu est, quàm piè ibidem adhuc in terra positus, cum Angelis Dei coram Deo sit conversa- Renticæ viros religiosos colligit, 2. Cor. 6. 10.

a *Falkenberg* vicus haud proculà Rentica, ad eumdem fluviolum, Comitatûs titulo insignis, ex Malbranco in libro 3 de Morinis cap. 36.

Circa An. DCC V. Febr. V. tus bene orando, bene jejunando, bene vigilando, & caritatem erga Deum & proximum optimè declarando. Cujus exemplo complures invitati, ad similia sese sanctitatis studia contulêre, & cum illo in eodem loco viam ingredientes justitiæ, profecêre in altum gradibus piæ conversationis. Sicque factum est, ut vir Dei per bona temporalia lucraretur spiritualia, per transitoria compararet in æternum mansura. Credidit quippe se sibi ad currendam viam mandatorum Domini non posse sufficere, nisi etiam alios sibi in bonis operibus satageret adjungere, illud & verbis & exemplis implens, quod scriptum est: *Qui audit, dicat, Veni.* Unde ut sapiens architectus fundamentum in cordibus discipulorum posuit, quibus sic pastorali magisterio præfuit, ut in docendo magister, in ministrando esset minister: promtus & facilis in utroque, quia noverat Prælatis congruere utrumque, præcipuè cùm Dominus dominorum non venerit ministrari, sed ministrare. Sic ergo subditos quosque docebat, ut in corde esset humilitas: sic eisdem subditis serviebat, ut in coërcendo pia esset severitas.

Apoc 22.17.

itaque præest.

20. Nec ab re Deo & hominibus Sanctus iste erat amabilis, quia vitâ & moribus probabilis, humanum in omni virtute visus est modum excessisse, & nihil minùs ab Apostolicis viris in omni sanctitate habuisse. Nam exceptâ miraculorum ejus gloriâ, ex quibus multa de multis scriptorum præterivit negligentia, pauca de multis relinquens, illa sanè de eo bene facta non sunt prætereunda, quæ in Electis sanctitatem non solùm ostendunt, sed etiam faciunt. In singulis quippe virtutibus sic perfectionem est adsecutus, ut in nulla earum ulli Electorum secundus videri queat. Et ut virum in omni veritate consummatum strictim depingamus, hæc lector paucis accipiat. Pauperum refrigeriis hilariter prospiciebat, nudos veste tegebat; vagis & peregrinis hospitium, egenis quibuscumque præbebat subsidium. In judicio oppressis tum consolando, tum consulendo subveniebat: afflictis compassionem, infirmis visitationem, mortuis sepulturam exhibebat. Caritate quoque erga Deum & proximum diffusus, Deum ex toto corde, & proximum sicut semetipsum dilexit: reddens quæ sunt proximi, proximo; & quæ sunt Dei, Deo. Erat planè sicut mente, ita & corpore pulcher, vultu decorus, mente devotus, corpore castus, animo sobrius, sermone blandus, humilitate venerandus, fide firmus, spe longanimis, caritate hilaris, in temporalibus parcus sibi, largus egenis: in spiritalibus verò & sibi prospiciens & egenis. Orationi intentus, in vigiliis sacris assiduus, coronam pro his à Domino exspectabat, quam sibi vigilantibus & orantibus promisit. Non aliter coram Deo & hominibus vivebat, quàm homines propter Deum docebat. Justa quidem & pia docebat: nam justè & piè vivebat. In synaxi Fratrum se primum in laudum divinarum inchoatione, novissimum exhibebat in completione. O virum in omni virtute probabilem, etiam perfectissimis viris imitabilem! Utinam nostri temporis summi in Ecclesia Sacerdotes hunc inferiorem gradu, sed superiorem sanctitate virum imitarentur; qui in eo quidem gradu, quo in Ecclesia Sacerdotibus [a] minor apparuit, nihil minùs ab ipsis in omni virtute habuit. Sed hæc abeant in sua, & succedant quæ de viro Dei dicenda supersunt.

Virtutibus præstans,

21. Consummatus igitur venerabilis Pater in omni virtute, cùm bonum jam certamen certâsset, cursum consummâsset, fidem servâsset; de reliquo repositam sibi coronam justitiæ optando sperabat. Cujus votis supernus

sanctè obit,

a Ex his patet, Bertulfum non fuisse Presbyterum.

Arbiter satisfacere volens, post emeritam ipsius in hac vita militiam, ad cælestem eum evocare disponit gloriam. Convocatâ ergo discipulorum catervâ, clarescentibus febrium indiciis, indicat se jam resolvi, & jam futurâ depositione corporis sui festinare ut introëat in gaudium Domini sui. Et percepto sacrosancto Dominici corporis & sanguinis Viatico, adstantibus non sine mærore discipulis, vale ultimum fecit, ac ipsos seséque Domino commendans, spiritum in manus Angelorum efflavit. Quem meritis maturum & annis Christus ad cælestia evocans, ejus spiritum spiritibus Angelicis aggregavit. Nam sacro ejus corpori terra, spiritui cælum aperitur, & cui mors diem ultimum in terris clausit, vita æterna diem æternum in cælis aperuit. Obiit sanè Nonis Februarii [a], cujus obitum, natalem magis quàm mortem dignum est appellari: quia hîc moriens, cælis est natus, & inter intelligibilia translatus: ubi non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem Deum cernit, tantóque promtiùs pro veneratoribus intervenit, quanto viciniùs divinæ majestati adsistit: tantò hîc erga homines clementior, quanto illic coram Deo præsentior. Sed non parum negligentiæ arguemur, si non vel votis ei jungamur in cælis, qui nobis in terra in artubus, licèt vitâ functis, adhuc vivit, quos signorum glorificatione venerabiles hominibus Deus facit. Eum verò quem in mundo membris habemus præsentem in cælo, nisi multùm nosmet abjecerimus, spiritu & intercessione sentiemus clementem.

CIRCA AN. DCC V. FEBR. V.

[a] Nonis Feb.

22. Discipuli proinde beati viri exsequiis ipsius intererant, quem sincera semper caritate dilexerant: quibus dolor quidem de amissione confusionem, sed fides de remuneratione ejus generavit exsultationem, cujus corpus ad locum usque sepulcri hymnis prosequuntur, funeríque sacrosancto tristes, sed devoti obsequuntur. Sícque ab eis in prædio sui olim juris Rentica, in Oratorio B. Dionysii tumulum accepit, defunctúsque eo in loco voluit quiescere, ubi humanis pridem rebus functus, suis pastorali cura alumnis præsedit. Cujus corpus licèt tumulus clauserit, virtutes non clausit: quia loquentibus ad sepulcrum ejus miraculis, magnum in servo Christi spectaculum populis ejus virtutes exhibent.

Sepelitur in Oratorio S. Dionysii.

23. Sanctus Domini Bertulfus, post multiplices hujus sæculi labores, quibus coram Deo & hominibus optimè est conversatus, de præsenti vita ad æternam gloriam translatus, & ante Deum ab Angelis est coronatus. Cùm ergo, ut prædictum est, in proprii juris prædio Rentica sepulcrum accepisset, quòd eum locum, humanis olim rebus functus, elegisset, ad tumulum ejus miracula non defuêre, quæ sanctitati illius præclara perhibuêre testimonia. Nam cæcis visus, surdis auditus, mutis linguæ officium reparatur, & singulis morbis tanti medici efficacia præstò est: licétque cernere in gloria Sancti gloriam Dei, & in miraculis visibilibus admirari Deum invisibilem. Porrò crescentibus miraculis spectaculum crevit populis, signorúmque frequentia frequentiam etiam invitavit populorum. Nam non solùm rei novitate, sed etiam spe recuperandæ sanitatis undecumque accurritur; nec spe sua devotus quisque atque fidelis fallitur, dum & infirmi lætantur morbi se evasisse inclementiam, & sani nihilominus gaudent tantam se in infirmis vidisse salutem. Sícque sepulcrum Sancti in brevi adeo factum est gloriosum & celebre, ut non minùs divitibus quàm pauperibus pretiosum fuerit; & sicut miraculorum gloriâ, sic rerum creverit opulentiâ.

Miraculis illustratur.

[a] Incertum quo anno natus est Sigeberto Rege circiter annum DCXLV. vitam fortean produxit ad annum circà DCC V.

Circa An. DCC V. Febr. V. Nortmannis Gallias infestantibus,

24. Accidit interea triste malum in terris, quod sine horrore dici vix queat. Invasêre enim Galliæ loca maritima sævissimi piratæ, homines rapacissimi, eáque in vastas usquequaque redegêre solitudines, igni, rapinis & gladio omnia vastantes. Quæ pestis dum interdum circumquaque desæviret, interdum quiesceret, hi qui in locis post tanta mala residui erant, suspicione hostilis irruptionis ducti, singuli de singulis locis unà cum Sanctorum pignoribus migrabant, alióque ad tutiora loca declinabant. Erat quippe videre miseriam. Nam cùm sæpius quos diximus piratæ tum terras vastarent, tum in mari latitarent, iterúmque ad vastationem terrarum oblata opportunitate sese inferrent, intantum furor eorum processit, ut nec ab Ecclesiarum Dei excidiis abstinerent. Quas igni cremantes, nil in eis reliquum fecêre, quod non igni, gladio, rapinæ absumerent: itaut secundùm illud Prophetæ, dispersi cernerentur lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Unde factum est, ut tam Monasticus quàm Canonicus Ordo, relictis in quibus habitabant sedibus, fugæ operam darent, aliásque ad sedes, effossis asportatísque, ut dictum est, secum Sanctorum corporibus, migrarent, nullis aut raris citra mare relictis Cœnobiis, quæ non tam suo honore, quàm suorum Sanctorum privarentur patrociniis.

Thren. 4. Sanctorum corpora aliò devehuntur.

Carolo Simplice regnante,

25. Carolus Rex Regno Francorum Occidentalium leges dictavit, quem postea Heribertus Comes Viromanduorum dolo captum, Peronæ posuit in custodia. Quo adhuc imperium obtinente, Bononiensium Comes fuit Erkengarius, genere & potentia non parum egregius: in cujus etiam ditione Rentica fuit, prædium in quo B. Bertulfi corpus tumulatum erat. Qui conspectis ad sepulcrum Sancti virtutibus, eum quanto ob miracula admirabatur magis, tanto cariùs amplectebatur. Sed quia omnem circà regionem irruptioni eorum quos diximus piratarum expositam videbat, de amissione tanti Patroni sui suisque pertimuit. Unde consilio accepto, illò eum transtulit, ubi & ipse tantarum Reliquiarum securus esset, & Sanctus ampliori in artubus suis honore adficeretur. Convocato denique Ecclesiastici Ordinis conventu, animi sui votum Religiosorum roboravit consiliis, efficacibúsque perfecit auxiliis. Et admissis ad sacrosanctum tumulum Sacerdotibus, unà cum Ecclesiæ ministris in sanctissimorum artuum attrectatione cum magna animi devotione adsistebat. Sicque membra Sancti locello diligenter reposita de Rentica Bononiam transferri præcepit; ubi ea tutiùs atque devotiùs servanda non ignoravit. Erat quippe Bononia sui juris, munita tunc temporis civitas, mari Morinorum propinqua, mercibúsque marinis præcipua, sede insuper Episcopali [a] & benedictione consecrata. In quo loco usque ad tempora magni Arnulfi ea pignora servabantur: immo, ut veriùs dicam, magis servabant potiùs quàm servabantur. Servabant, inquam, quia Sancti ipsius cujus membra erant, intercessione, locum eumdem ab omni infestatione liberum reddiderunt.

Bertulfi Reliquiæ Bononiam translatæ, [a]

ab Arnulfo Magno Flandriæ Comite,

26. Quia occasio se obtulit, ut de temporibus magni Arnulfi mentionem faceremus, non ab re est pauca etiam de illo conscribere, quæ & tanto viro laudem non modicam, aliísque eum imitari volentibus exemplum vivendi adferant: præsertim cùm exceptis reliquis virtutibus ejus, ex hoc vel maximè gloriosus evaserit, quòd Sanctum hunc, multáque Sanctorum pignora Blandinium transferre dignus inventus est. Processit itaque hic à sanguine magnorum Regum, quem Balduino Calvo peperit

[a] Nimirum quia Tarvennenses Episcopi aliquando Tarvennæ, aliquando Bononiæ sedebant, ut ex vetustis Notitiis aliísque Auctoribus constat. Nunc Tarvennâ ab annis ampliùs centum excisâ, proprio Episcopo Bononia gaudet.

ELSTRUDIS, filia EDGERI[a] Regis Anglorum, non minùs ingenui sanguinis à patre quàm à matre: quia à patre Regem Francorum CAROLUM Calvum[b] proavum, à matre, ut dictum est, Edgerum Regem Anglorum traxit avum. Qui, quod in viris clarissimis clarissimum est, hanc tantam generis nobilitatem, probitatis industriâ decoravit, successione proinde hereditaria monarchiam sortitus est Flandrorum: quam adeo ampla dicendi & agendi facultate gubernabat, ut pro magna animi corporísque virtute, MAGNI nomen obtinuerit. Hic Blandinium, à beato olim Amando in castro Gandavo constructum, intimo præ ceteris regni sui Cœnobiis affectu complexus, studio quanto maximo potuit provexit intantum, ut tam suis quàm apostolicis regalibúsque privilegiis roborârit, multísque insuper Sanctorum pignoribus undecumque collectis ditârit. Ut verò etiam majori elegantia illud instaurârit, in archivis ejusdem Monasterii lector luce clariùs nosse poterit: hoc tantùm hîc strictim inseruisse sufficiat, quod lectori de translatione Sancti hujus, de quo sermo est, faciat satis. Quæ quidem translatio, hujus Marchionis studio potenti accurata, industriáque prudenti est consummata. — *Circa An. DCCV. Febr. V.*

27. Successu interea temporum, ditioni ejusdem Marchionis Bononia cessit, quam non minùs honestè, quàm ceteras urbes maritimas suscepit gubernandam. Quo tempore in eadem urbe accidit amissione corporis B. Bertulfi damnum, sed idem mox cum lucro sarcitum est. Nam quidam Britanniâ oriundus, nomine Electus, officio sacrilegus, ad subripiendos sanctissimi Bertulfi artus locum observabat & tempus. Qui tandem improbi voti compos effectus, illos quadam calliditate adeptus est. Nam tempus sacrilegio quod mente jam conceperat, opportunum nactus, ad locum in quo sancti Confessoris membra reposita erant, temerè accedit, ruptóque sigillo ac aperto locello, corpus sanctissimum omni thesauro pretiosius furtim abripiens, clam discedit. Nec solùm B. Bertulfi membra abstulisse sat habuit, sed etiam multorum Sanctorum pignoribus pariter sublatis, ad id usque vesaniæ processit, ut quas furto subripuerat Reliquias, locello reponeret, ac in villa *Otidigem*[c] reconderet, pretio eas, ut putabat & volebat, ADELSTANO[d] Regi Anglorum venditurus. Detrimento quippe illorum qui eas amiserant, lucrum suum decreverat facere. Sed dispositione Dei intentio sacrilegi nullos habuit effectus. Elusit enim eum per Sanctum hunc virtus Dei, ac jamjam sæpe memorati industria Marchionis, qui tempore sacrilegii Bononiam veniens, de republica sollemnem cum suis conventum habuit. — *à quodam Anglo furtim sublatæ,*

28. Cùm ergo, ut dictum est, reipublicæ prædictus Marchio consuleret, hoc maximè curabat, ut etiam rebus Ecclesiasticis ante omnia præcaveret. Erat enim sicut reipublicæ prudens Orator, ita & Ecclesiæ Dei fortissimus propugnator. Unde accito memoratæ civitatis Episcopo, nomine WIGFREDO[e], vespertina jam synaxi dimissa, inter cetera quæ super Ecclesiasticis rebus plurimùm curabat, hæc Pontifici dixit: Satis, domine mi, de sacrosanctis Sanctorum pignoribus timeo, & utrum suis in locis salva sint, non parum sollicitudinis habeo. De quibus quoniam & me certiorem — *fraude ab Episcopo detecta,*

a Immo Elstrudis, seu Ælsthrythe & Elitrita, filia fuit Elfredi seu Alfredi, cujus Edgerus pronepos.

b Nempe Arnulfus Magnus, Balduini Calvi filius, Balduini Ferrei ex Juditha Caroli Calvi filia nepos erat, qui patre mortuo, Flandriæ administrationem accepit anno CMXVIII, & post annos quindecim fratre Adalolfo sine liberis extincto Bononia Tarvennáque potitus est, ut notavit Bollandus.

c Nunc *Audinghem* dicitur, sita Ambletacum inter & Witsantum, ex Malbranco.

d Adelstanus ipsius Arnulfi consobrinus ex patre Edvvardo fratre Elstrudis, regnavit ab anno CMXXIV ad CMXL.

e Is ex Bertiniano Præposito Tarvennensis Episcopus ordinatus est x Kalend. Julii anno CMXXXV, teste Malbranco lib. 3 cap. 31.

Circa An. DCC V. Febr. V. & vos volo esse sollicitiores; convenit ut cum timore & fide ad sancta Sanctorum accedatis, & in singulis utrum salva sint signacula perquiratis. Periculosa enim sunt tempora, & quia sunt homines seipsos amantes, à manu latronum vix quidquam est tutum. Cui Episcopus: Non, inquit, horæ instantis est negotium hoc nunc vestrum exsequi imperium. Diem enim cernitis in vesperum declinare; nec fas est hac hora sancta Sanctorum attrectare, matutinum nos potiùs tempus ad ea admittet: in crastinum id quod jubetis, differre nil prohibet. Contrà verò Marchio à Spiritu-sancto permotus: Non est, inquit, utile differre, quod devotione magis quàm temeritate fieri affectamus; præsertim cùm nosmetipsos, si differatur, periclitari timeamus. Cúmque Antistes excusando, Marchio niteretur instando; inclytus Marchio affectûs sui effectum obtinuit, quem (ut post patuit) Spiritu-sancto inspirante adeo urgere perrexerat. Quid plura? ad sancta Sanctorum Antistes accessit, loculúmque quo B. Bertulfi artus contineri sperabat, detexit: & ecce ob pretiosissimi corporis amissionem, magna animum confusione induit. Expavit cor videntis, irrigantur ora lamentis: & pretiosi thesauri destitutione Marchio quoque & alii adstantes simili afficiuntur lamentatione, quæ majori non multo pòst consolatione sedata est.

fure invento, 29. Sicut erat in glorioso Marchione mens præsaga sacrilegii, sic Spiritu-sancto docente non ignara sacrilegi. Unde damno sacratissimi corporis valde ægrè cognito: Noveritis, inquit, detestandum hunc Britonem damnum hoc dedisse, corpúsque Sancti furtim subripuisse. Quo audito, Religiosi quique circumstantes Britonem correptum super damno quod acciderat convenêre. Illi sacrilegium sacrilego intendebant: is è diverso quod intendebatur repellebat. Cúmque nec suasionibus, nec terroribus ad confessionem furti inclinaretur, præsentiæ Marchionis offertur examinandus. Quem blanda, immò callida Comes circumventione conventum his allocutus est verbis: Bene, inquit, fecisti, quòd Sancti corpus ablatum eò transtuleris, ubi decentiùs excoleretur. Hac callida Marchionis oratione magnus sacrilego pudor injectus est, móxque Comitis prosternitur pedibus, se corpus Sancti professus abstulisse, sed ea mente, quam Comes dixerat, nempe ut illò transferretur, ubi majori reverentia à Fidelibus affici posset. Cui Comes subridens: Deo, inquit, gratias referimus, quia compertum habemus quod quæsivimus. Sed ubi quod abripueras reposueris, pande. Licèt enim sacrilegium colore virtutis fucaveris, non tamen virtutis est sacrilegium fecisse, nec satis credibile, ob reverentiam te Sancti alibi eum reposuisse. At ille rubore suffusus & timore dejectus, villam *Otidigem* mari pæne contiguam indicavit: ad quam, ut antè diximus, membra Sancti deportaverat, ea videlicet delusus spe, qua sibi mare se transfretaturum, Regíque, ut dictum est, Britanniæ ea pretio distracturum persuaserat.

30. Cùm prolixior ad scribendum historia suppetit, capitulis eas distinguere par est, ut scriptori levamen in scribendo, & lectori respiratio sit in legendo: præsertim cùm prolixa materies sæpe fastidium, succincta verò nonnumquam tum scribendi, tum legendi generet desiderium. His interim præmissis, reliquum historiæ prosequamur. Sacrilegio igitur callidâ, ut dictum est, industriâ Marchionis detecto, loco etiam quo corpus Sancti clanculò repositum erat comperto, in animum idem Comes induxit, illuc Religiosos quosdam ac fideles mittere, sanctúmque corpus eò unde ablatum fuerat revocare. Et licèt hoc animi sui consilium meliori postmodùm ipse consilio mutaverit, nec Bononiam sanctas Reliquias reduxerit, sicut

sicut in sequentibus liquidò patebit; accito tamen unà cum religiosis quibusque memoratæ urbis Episcopo Wigfredo, ad villam ubi sacrilegus ille sancta se reposuisse membra confessus est, eum mittit, mandans ut ea Bononiam reducerent. Et quoniam timuit tanto thesauro aliqua occasione privari, negotium quod injunxit, maturè exsequi eos jussit. Illi mandata jubentis exsequuntur, & ad villam *Otidigem* properè advecti, locum sacri corporis conscium adeunt, majorémque quàm optavêre, reparandi damni materiam inveniunt. Nam cum corpore B. Bertulfi corpus etiam S. Gudwali [a] reperiunt, & in unius inquisitione, geminorum exsultant inventione. Erat quippe B. Gudwalus Confessor pariter & Pontifex, altâ Britonum prosapiâ ortus; generis quidem titulo nobilis, sed vita & moribus multo nobilior. Qui ut spreta parentum celsitudine & hereditarii juris amplitudine, vel in Monasterio, vel in Episcopatu Deo servivérit, & post plurima ac inaudita sæculis miracula ex hoc mundo ad Deum transierit: liber qui de vita & virtutibus ejus plenissimè conscriptus est, liquidò pandit. Corpus verò illius qua de causa Monsteriolo * castro deportatum, vel uti furtim inde sublatum per antedictum Britonem corpori S. Bertulfi conjunctum, atque cum illo Blandinium translatum sit, ex libello qui de eorum adventu scriptus est, lector cognoscere poterit. Nunc verò ea tantùm quæ specialiùs B. Bertulfi privilegium indicare videntur, prosequente stilo commemoremus.

CIRCA AN. DCC V. FEBR. V.

repertæ in Otidigem cum corpore S. Gudvvali,

*Montreuil ad Quantiam fl.

31. Gloriosus igitur Marchio, licèt, ut suprà scriptum est, corpus B. Bertulfi Bononiam referri jusserit, hanc tamen animi sui sententiam meliori mutavit, alióque illud censuit transferendum. Et convocatis sanctorum Audomari ac Bertini Præpositis, illustribus etiam personis consilio adhibitis, ut ad Harlebecensem illud transferrent Ecclesiam imperavit. Erat autem Harlebeca [b] unum ex multis sui juris prædium flumini Legiæ * adjacens. Ad quod S. Bertulfum transferri jussit, translaturus illum mox Blandinium, quod speciale amoris ipsius meruit privilegium, quódque in castro Gandavo à beato olim Amando (ut antè diximus) fundatum, apostolicísque Petri & Pauli titulis dedicatum fuit. Cujus fundationem loci qui nosse velit, in vetustissimis ejusdem Monasterii archivis poterit cognoscere. Sancti ergo corpore ad Harlebecensem Ecclesiam translato, & à venerabili THEODRADO ejusdem Ecclesiæ Sacerdote honorificè suscepto, non multo pòst Magnus Arnulfus cum magno se comitatu obvium pridie Kalend. Decembris exhibuit, completurus tunc voti effectum sui.

Harlebecæ depositæ,

*le Lis.

32. Memoratæ Ecclesiæ Theodradus, quem jam dixi, tunc præfuit, cui erat non modica apud Marchionem fiducia impetrandi quæ voluit. Qui cùm intellexisset Marchionis hanc esse voluntatem, ut Sancti Reliquiæ inde transferrentur; ad impetrandum quasdam ex iis preces obtulit, & quod fideliter postulavit, efficaciter impetravit. Nam adsensum petenti Comes accommodavit, Reliquiásque de corpore Sancti devota tollens præsumtione, illi donavit, hoc iterum iterúmque monens, ut eum Sancto honorem exhiberet, quasi in Reliquiis ejus illum verè crederet præsentem. Quod ille non segniter exsecutus, in eadem qua Deo minister, subditis erat magister, Ecclesia, sanctissima membra summâ excoluit reverentiâ. Quæ ibidem longo tempore honorificè servabantur, donec ea Ecclesiâ igni crematâ de incendio divinitus sunt extracta, & reliquis ipsius membris in Blandinio restituta. Quod qualiter acciderit, sicut Fidelium relatu didicimus, dicendum est in sequentibus. Nunc interim hoc aggredimur dicere, quemadmodum idem sanctus Domini Confessor Blandinium sacrosanctis artubus suis dignatus sit invisere.

& parte ibi relicta,

a Vitam ejus habes apud Surium ad diem 6 Junii.
b De Harlebeca vulgo *Harlebec* opido, ubi postea Canonicos instituit Balduinus Pius seu Insulanus, lege Sanderum Tomo 2 Flandriæ illust. pag. 418.

Circa An. DCCCV. Febr. v.

Gandavum translata per S. Gerardum,

cum aliis Reliquiis,

33. Ea tempestate in Monasterio Blandinio Gerardus[a], merito & officio Abbas degebat, cujus consiliis gloriosus Marchio libenter utebatur. Qui cùm titulos nobilitatis nobiliùs etiam ornaret moribus probitatis, cunctis pæne Galliæ Cœnobiis & præesse & prodesse dignus inventus est. Quo accito, prædictus Marchio de transferendis Sancti Reliquiis communicatis cum eo consiliis pertractat. Tum utrique ita visum est, ut memorati Sancti pignora Blandinium transferrentur. Placuit etiam ea Optimatibus sententia, ut tanti Confessoris pignoribus Blandiniensis Ecclesia ditaretur. Cúmque tam ecclesiasticis quàm politicis ordinibus ita esset deliberatum, sanctissimi Confessoris Bertulfi membra levantur, transferenda eò quò jam diximus, non sine magna tum præcedentium, tum subsequentium gratulatione. Nec solus hic Sanctus tunc transferri voluit, sed in consortium translationis ejus ossa B. Gudwali adjuncta sunt: atque etiam membrum unum B. Audomari cum dente ipsius, Reliquiæ quoque sanctissimi Bertini in augmentum gloriæ ejus. O quam lætum populis undecumque concurrentibus in illa die spectaculum fuit, cùm ante sanctissimas Reliquias hinc ecclesiastica pompa cum crucibus & lampadibus, inde aulicus Marchionis procederet senatus cum fascibus! Et licèt ex utraque parte impensus honor minor esset quàm pro Sancti meritis, omnem tamen gloriam Principum æquavit. Facta est autem translatio hæc tertio Nonas Decembris, cùm Adventum Domini Ecclesia pro more celebrat, cùm etiam in adventu Sancti Christum sibi advenisse exsultavit: præsertim cùm in Sanctis & Electis Christum habitare nemo ambigat. Erat præcipuè idoneus hujus translationis minister unà cum religioso grege Monachorum Abbas quem diximus Gerardus, cujus prudenti dispositioni gloriosus Marchio credidit, quidquid in translatione illa agendum videretur. Qui in Monasterium Blandiniense, cui ipse tunc præfuit, sacrosanctos artus transtulit, ac in Orientali apside cum magna psallentium melodia reposuit. Ubi ad tempora usque nostra mansit corpus sanctissimum, donec in medio ejusdem Ecclesiæ Memoria Fidelium defunctorum à Fidelibus ædificata, & in honorem incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis ac adscensionis Jesu-Christi est titulata. Ad quam dignam memoriâ Memoriam qualiter hic sanctissimus Confessor Bertulfus sit translatus, suo mox loco dicendum differimus.

in die Cōmemorationis omnium defunctorum.

34. Tametsi ea quæ fidelium hominum sermone referuntur, haud difficilè ab auditoribus æquè fidelibus creduntur; multo tamen certiori fide ea sciuntur, quæcumque oculis licet intueri. Unde sicut ea quæ à majoribus de sanctissimo Patre nostro Bertulfo didicimus, sic & illa quæ oculis ipsi vidimus, stilo tradere conamur. Novit caritas vestra, dignam memoriâ Fidelium defunctorum in Ecclesia hodiéque florere memoriam, quæ sicut in gestis B. Odilonis legimus, ex divina revelatione in Ecclesia primùm inoluit, & non multo pòst auctoritate venerandi Papæ Leonis per omnes bene jam Christi Ecclesias propagata est. Cúmque hoc in plerisque locis devotiùs ageretur, paullatímque hujus rei religio magis magísque augeretur; adeò res processit, ut in Ecclesiis ob memoriam Fidelium defunctorum honorémque Domini altaria erigerentur, exsequiæ generaliter ac sollemniter celebrarentur, eo vel maximè die qui omnium Sanctorum sollemnitatem à capite Kalendarum Novembrium sequitur: non incongrua videlicet ratione, ut omnium Sanctorum, quorum festum pridie præcessit, intercessio, clementissima omnium Fidelium defunctorum fieret relaxatio. Sed hæc suo in loco: hoc tantùm dicere nunc aggredimur, ut ipsum diem corporis B. Bertulfi, Reliquiarúmque sanctæ virginis Christi Amelbergæ * translatio sollem-

Matth. 25. 21.

[a] Erat is S. Gerardus, ex Monacho Sancti-Dionysiano Abbas Broniensis Monasterii & aliorum reformator, de quo agendum Sæculo v Bened.

nem effecerit. In Blandiniensi namque Ecclesia Memoriam Fidelium defunctorum construxit Fidelium vivorum industria, quam honorificè in ipso depositionis sanctissimi Bertulfi die absolvit, atque in honorem incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis atque adscensionis JESU-CHRISTI, à RADBODO Noviomensi Episcopo consecrari fecit anno Verbi incarnati millesimo septuagesimo secundo, secundâ hebdomadæ Paschalis feriâ, præsente glorioso Flandrorum Marchione ROBERTO, cum multa Optimatum & promiscui sexûs frequentia.

CIRCA AN. DCC V. FEBR. V. in altare ipsorum illatæ SS. Bertulfi & Amalbergæ Reliquiæ.

35. Nec multo pòst Blandiniensis Cœnobii Fratribus placuit, ad eamdem Memoriam B. Bertulfi corpus sanctissimæque virginis CHRISTI Amalbergæ Reliquias transferre, ut major inde confluentibus eò plebibus devotio, Fidelibúsque defunctis tantis intercessoribus fieret consolatio. Cúmque Fratribus, ut dictum est, sanctæ Blandiniensis Ecclesiæ corpus S. Bertulfi transferre placuisset, hócque non temerè fieri judicâssent; consultò quidem ab eis qui sanioris consilii tunc videbantur, definitum est, ut admissis clam nonnullis ad loculum sacri corporis Sacerdotibus, omnem reconditi sacrosancti thesauri veritatem oculis explorarent, ut testibus his reliqui Fratres ad agendum id quod statuerant certiores redderentur. Neque enim de sacrosanctis artubus parum dubii erat. quippe opinio vulgi habebat, magnam de sacro corpore partem ab Harlebecensibus haberi, adeout Ecclesia eorum ad sanctum Bertulfum vulgò diceretur. Sed nec fratres Gandenses, vel hanc appellationem, vel Reliquias sanctæ Ecclesiæ Harlebecensi invidebant: cùm in veteribus de Sancto conscriptis exemplaribus magnum Arnulfum eas Theodrado Presbytero dedisse legerent: quod etiam nos in hoc novo opusculo pleniùs descripsimus. Sed, sicut jam diximus & adhuc expressiùs dicemus, eædem quæ Harlebecensibus Reliquiæ fuêre, in Blandinio quiescenti corpori post aliquod tempus rursus adjunctæ sunt. Quod ut indiciis sit evidentibus compertum, prudens lector animadvertat. Paullo ante translationem sanctissimi Bertulfi, Sacerdotes (ut dictum est) albis induti, pedibus nudi, devotè potiùs quàm temerè ad sancti corporis locellum admissi, confessione primùm vicissim facta, cum fide & tremore accedunt, ipsúmque licèt difficulter aperiunt. Tum sacrosanctum corpus pallio involutum signaculo reperiunt signatum, & partem quidem artuum adesse maximam, sed partem quoque non modicam deesse. Ubi etiam titulum hujusmodi inscriptum, corporíque sancto impositum invenerunt: HIC REQUIESCUNT MEMBRA SANCTISSIMI CORPORIS BERTULFI CONFESSORIS, cujus transitus celebratur Nonis Februarii, quæ Arnulfus Magnus Blandinium transtulit tertio Nonas Decembris.

Bertulfi Reliquiæ exploratæ, quo ritu.

36. Oculos hinc in partem loculi deflectunt, locellum alterum inclusum, sigillóque signatum cernunt. Gaudio itaque affecti respirant, quippe qui se haud vulgares ibi Reliquias inventuros sperarent. Cautiùs intendunt, titulúmque hujusmodi infrà positum inspiciunt: HIC LOCELLUS CONTINET QUOD RESIDUUM FUIT IGNI DE CORPORE SANCTISSIMI CONFESSORIS CHRISTI BERTULFI. Quod legentes, satis nec intelligere, nec admirari poterant. Aperto tamen locello, erat cernere quiddam divini horroris, immo verò non tam horroris quàm honoris: passim quippe pæne ambusta ossa jacebant. Quæ cùm diligentiùs hinc inde inspicerent, titulum quemdam complicatum & involutum reperiunt & aperiunt, barbaris quidem litteris inscriptum, adeout facilem legentibus de reconditis illic sancti Bertulfi membris fidem faceret. Erat autem hujusmodi: HIC REPOSITA SUNT OSSA ILLA EGREGII CONFESSORIS

Circa An. DCC V. Febr. V. etiam pars Harlebecæ relicta,

CHRISTI BERTULFI, QUÆ ANGELUS DOMINI DE MEDIO IGNIS EXTULIT, QUANDO HARLEBECA CREMATA EST, QUÆ DOMINA ROZALA BLANDINIUM TRANSTULIT CUM BALDUINO FILIO PARVULO, ET APPOSUIT RELIQUÆ PARTI CORPORIS IPSIUS SANCTI. Has ergo sancti Patris Reliquias, quas apud nos in hoc usque tempus haberi ignoravimus, quando vel qualiter Deus per Angelum suum de medio ignis eripuerit: sicut Fidelium relatu fideliùs investigare potuimus, hîc inserere curavimus.

37. Post immaturam Arnulfi junioris Marchionis mortem, cujus avus Magnus exstitit ARNULFUS, BALDUINUS filius ejus cum matre ROZALA derelictus est parvulus. Hic enim est qui postea prolixæ barbæ dictus est Balduinus, cujus mater Rozala filia fuit BERENGARII [a] Regis Italiæ, quæ post mortem Arnulfi Principis ROBERTO Regi Francorum nupsit, & SUSANNA dicta, mutato nomine, Regina regnavit. Quæ cùm adhuc vidua, & filius ejus Balduinus esset infantulus, tanta in regione nostra facta est perturbatio, ut non tam ad hostile quàm intestinum bellum pertraheretur ipsa dissensio. Multi enim ea quæ à patre pueri hujus ut beneficiarii acceperant, in hac perturbatione ceu propria usurpabant. Quo tempore quidam nobilis prosapiæ EILBODO Curtracensi territorio præsidebat, cujus uxor IMMACIN, nobilis æquè prosapiæ, dicta fuit. Ipso autem Eilbodone defuncto, BALDUINUS qui ex successione hereditaria in principatu monarchiæ Flandrensis gratiâ Dei jam convaluerat, Comitatum Curtracensem ditioni suæ, ut etiam postea fecit, subdere cogitabat. Sed Curtracenses cùm aliquanto tempore rebellâssent, Harlebecenses vicinos, qui dominio Balduini Marchionis parebant, hostiliter sæpe aggressi sunt. Illis verò fortiter repugnantibus, Curtracenses quindecim suæ partis homines in hoc ipsum conjuratos noctu miserunt, & ut villam Harlebecensem igni succenderent, sacramento adegerunt. Qui primâ vigiliâ noctis advenientes, villam, ut juraverant, omni ex parte succendunt. Flammæ autem, vi ventorum impellente, domos domibus cohærentes consumebant, Ecclesiámque S. Bertulfi ita repentè invadebant, ut nihil aut parum omnino suppellectilis ecclesiasticæ inde posset auferri. Erat autem in Ecclesia pars non minima ossium ejusdem sancti Confessoris, quam dudum venerabilis ipsius Ecclesiæ Sacerdos Theodradus à Magno, ut suprà dictum est, impetravit Arnulfo, eo videlicet tempore, cùm ab eodem glorioso Marchione sanctissimum Sancti corpus Blandinium transferebatur. Quæ quidem sacræ Reliquiæ, cùm multis diebus magno ab incolis loci ejusdem honore fuissent affectæ, tunc igni videbantur absumendæ non sine maximo omnium dolore. Adstabat tunc ipsius Ecclesiæ Sacerdos, BUGECINUS nomine, summa animi dejectus mæstitudine. Decidente autem pro immensitate ignium omni Ecclesiæ tecto loculóque, in quo Sancti continebantur pignora, flammis consumto, cùm jam miserabilis de ereptione sanctarum Reliquiarum omnes invaderet desperatio, ideóque lacrymabilis ad Deum sanctúmque Bertulfum omnium fieret obsecratio, ecce inter ipsas flammas cœpit crepitus quidam fragórque immensus audiri, videbatúrque quasi congestus in unum formicarum acervus sensim efferri: qui leviter ex ipsis flammis emergens, repentè sursum est elatus, statímque super expansum Sacerdotis vestimentum cunctis mirantibus est depositus. Qui diligenter intuens quidnam esset, ossa vidit humana, in superficie quidem tactu ignis denigrata, & non, ut efferebantur, sibi invicem cohærentia, sed ut meliùs agnosci possent, alia ab aliis disjuncta. Tunc incunctanter adstantes hæc S. Bertulfi intelligentes fuisse

in incendio Harlebecensi divinitus servata.

[a] Scilicet Berengarii II, qui post annos regni duodecim ab Ottone I Imperatore exutus principatu, in Germaniam abductus est.

pignora, virtute divina & subvectione angelica ex ipsis ignium flammis elata, ad comparationem tanti thesauri, detrimenta rerum suarum ignibus absumtarum, quasi nihil pendebant, Deóque tam gloriosè Sanctum suum glorificanti laudes & gratias toto corde referebant. CIRCA AN. DCC V. FEBR. V.

38. Igitur Harlebecensis Ecclesiæ cives eas ipsas sancti Bertulfi Reliquias navi impositas, quoniam & Ecclesia propria cremata fuit, & hostilis incursionis metus imminebat, per Legiam fluvium ad Vivium [a] castellum, tunc temporis munitissimum, deportârunt. Post aliquantum verò temporis placuit ipsis referre Reliquias, iterúmque navi impositas ad propriam parochiam reportare instituebant. Sed inter eundum quibusdam incidit dubitatio, utrum verè quæ ab eis deportabantur, S. Bertulfi essent Reliquiæ. Quod memoratus illorum Sacerdos Bugecinus qui interfuit, intelligens, omni cordis intentione Deum oravit, ut pro misericordia sua evidens hujus rei signum ostendere dignaretur. Tum ecce grex avium desuper volitans apparuit, in cujus extremo agmine ales quædam candidi coloris, quæ ceteris præstantior esse videbatur, apparuit. Quam diligentiùs Sacerdos intuens, In nomine, inquit, Dei tibi præcipio, ut si verè hæc sancti sunt Reliquiæ Bertulfi, tu super ipsas sine mora descendas. Quo dicto, avis illa relicto præeuntium agmine descendit, & in gremio Sacerdotis Reliquias sanctas tenentis resedit. Quam ille blanda manu quamdiu placuit, cunctis admirantibus contrectavit. Itaque absterso à cordibus illorum omni dubitationis scrupulo, liberè abire permisit. Vivium primò delata, [a]

39. His agnitis, Rozala, quæ & Susanna, divæ memoriæ domina, cum Balduino filio adolescentulo Marchione advenit, consilióque cum suis habito, Reliquias sanctas inde absportavit, & in Blandiniensi Ecclesia reliquæ parti corporis ipsius Sancti apposuit, parte quadam ex eis Ecclesiæ nuper crematæ reddita. Hæc ita esse cùm multi ex ore progenitorum suorum loquantur, quædam tamen fidelis mulier etiamnum superest, quæ cum jurejurando se præsentem his interfuisse memorat, & quæ jam diximus, vera esse viva voce testatur. Et hoc satis tam auditu quàm visu quisquis eadem Sancti membra inspexit, comperire potuit, non nisi virtute Dei ex ipsis ignium flammis sacras Reliquias ereptas esse: quia, ut in ipsis apparet, omni Ecclesia & loculo in quo continebantur exustis, ita sunt ab igni comprehensæ, ut nullâ humani ingenii industriâ extrahi potuerint, & nisi angelica virtute abducerentur, in favillas vel cineres usque redigi oporteret. Sed jam ad perscribendum sanctæ translationis ordinem redeamus. pòst Blandinium advecta.

40. In transferendis S. Bertulfi Reliquiis, gloriæ ejus gloriam hanc Christus adjunxit, ut sicut gaudii Sanctorum consors est in cælis, ita etiam Reliquiarum eorumdem secum transferendarum consors fieret in terris. Cui hoc speciale mox transferendo decus fuit, quòd sacratissimam Christi virginem Amalbergam hac sui translatione sociam habere meruit. Quod ut factum sit, lectori paucis indicare non pigebit. Erat in Orientali sanctæ Blandiniensis Ecclesiæ apside scrinium immensa ætate in abdito repositum, quod à quibusdam Fratribus devotè eò admissis est apertum, & in eo quiddam divini horroris repertum. Nam erat in eo cernere omnem pæne virginei corporis virginis Christi Amalbergæ pulverem, & plures castissimorum ostium ipsius particulas unà cum vestimentis ejus & peplo, pera quoque & baculo, cilicio etiam & sacrato pretiosi operis colorísque velo; velo, inquam, quo divinitus per B. WILLIBRORDUM sanctámque Gertrudem legitur velata, Deóque consecrata. Fratres ad tam sanctum spectaculum secretiùs admissi, Amalbergæ Reliquiæ quî inventæ.

[a] Geminus est, inquit Bollandus, ad utramque Legiæ ripam pagus inter Harlebecam & Deinsam: qui ad dexteram, *S. Eligii Vivium* dicitur; *S. Bavonis Vivium* ad sinistram.

CIRCA AN. DCC V. FEBR. V.

reperto tam pretioso thesauro non parum gaudebant, eúmque cum corpore S. Bertulfi collocare dignum ducebant. Quod & factum est.

Bertulfi Reliquiis adjunctæ.

Nimia pluvia tum repressa.

41. Ea siquidem tempestate, quæ sacram S. Bertulfi Reliquiarúmque virginis Christi Amalbergæ translationem præcesserat, inundationis incommodis universa regio laborabat, adeout à sidere Arietis usque ad Geminos, nec pluviales cælo nubes, nec terræ deessent imbres. Sol Aquarium exibat, propè sidus Cancri respiciebat, & tamen Aquarius plus solito imbres non cessabat effundere. Cerneres inundationem circumquaque grassari inexhaustam, & laborantibus agricolis omnem futuram messis spem adimi. Et ecce ante translationis diem, cùm se ad perscrutandum sancti Confessoris loculum Fratres quos diximus contulissent, eúmque cum fide & tremore aperuissent, imbre suspenso serenitas mox redit, itaut unum idémque esset, Fratres loculum aperuisse, cataractásque cæli pluvias retraxisse. In apertione quippe loculi Sancti sui, misertus est Dominus populi sui, sinum illi misericordiæ suæ aperiens, tempestatémque jubens facessere. Renovantur hîc in Sancto Dei antiqua miracula, quæ non minùs defuncto quàm olim viventi familiaria fuere. Qui enim jampridem sub divo positus, pluviæ incommoda non sensit, hic etiam ad artuum suorum attrectationem, imbrium suspendit inundationem: tanto nunc miraculis & virtutibus excellentior, quanto divino conspectui præsentior. Nec alienum à fide est, Deum Sancti hujus translationem mox futuram sic disposuisse, quem pro ea disponenda tempestatis insolentiam compescuisse credimus. Gradere nunc, bone JESU, nobiscum, & ad peragendam sanctarum Reliquiarum Confessoris & Virginis tuæ translationem, puram nobis tribue devotionem.

Translatio hæc quo ritu facta.

42. Sacratissima dies Pentecostes XIV Kalend. Junii lucescebat, cùm adventum sancti Spiritûs Ecclesia generaliter celebrem habuit. Qua die placuit Fratribus sacrosanctum corpus Bertulfi cum S. Amalbergæ Reliquiis ad Memoriam quam antè memoravimus, Fidelium defunctorum deportare, & die crastino de locello vetusto in novum transferre. Quod consultò quidem ab eis definitum est, videlicet ut animæ Fidelium defunctorum in adventu Spiritus-sancti, lætificarentur etiam adventu corporis Sancti. Nam & hac celebri die plus solito confluentem plebem recepit Ecclesia, sacra ibi Missarum sollemnia celebraturam. Innotuit etiam res populis quæ agebatur de deportatione sanctissimi corporis: unde complures tam hujus rei pia novitas, quàm sacra Paracleti sollemnitas invitabat, tanto liberiùs confluentes, quanto diu optata tandémque hujus meritis concessa serenitate impensiùs lætabantur. Et tertia quidem diei hora, qua se Spiritus-sanctus discipulorum olim cordibus infudit, ante Missarum sollemnia Fratres ad sancta Sanctorum cum thymiamateriis & hymnis accedunt, loculum quo sacratissimum corpus continebatur, deponunt, ac prosequente psallentium choro Memoriam, quam diximus, Fidelium defunctorum adeunt, novóque altari eum imponunt, nocturnas illic in honorem Dei Sanctíque hujus acturi vigilias, crastinúmque exspectaturi diem ad transferendas illius sanctæque Virginis, quæ simul advectæ sunt, de theca in thecam Reliquias.

43. Crastina porro dies populis optatissima illuxit, quæ ad divinum illud spectaculum illos undecumque invitârat. Magnam & præclaram hac die jucunditatem, magnam æquè Sancto suo Omnipotens prærogavit sollemnitatem. Clerus omnis de adjacentibus Ecclesiis, Monachorum chorus de Cœnobiis, tam plebs urbana de urbibus, quàm vulgus promiscuum accurrit de rure, ut in futura sanctissimi hujus corporis translatione, optata visione fruantur. Nec piguit & sanctissimi corporis Reliquiarúmque virginis Amelbergæ reverentiam, circumjacentium Sanctorum corpora suam præsen-

tiam exhibere. Nam sanctum *Livinum* Martyrem, & beatam Pharaildem Christi virginem, sanctúmque quoque Gerulfum æquè Martyrem singuli de suis locis obvios exhibuere, in magnáque populi prosequentis frequentia gaudii nostri participes esse voluerunt. Præterea aliæ complures Reliquiæ longo illo translationis sanctissimi Patris nostri Bertulfi, sanctæque virginis Amelbergæ itinere processêre obviàm. Novum quippe gloriosúmque genus spectaculi hunc invitavit populi conventum: qui sanè tam frequens accurrit, ut nec ambitus, nec atrium Ecclesiæ eum caperet sufficeret. CIRCA AN. DCCV. FEBR. V.

44. Exspectantibus interea in Ecclesia populis, Sacerdotes ad Memoriam Fidelium defunctorum procedunt cum infulis, minoresque Ecclesiæ gradus cum crucibus & thymiamateriis. Populus quoque qui tam multus convenerat, visu quo potuit, se ad spectandum ingessit, vel religione, vel rei novitate, aut etiam spe impetrandi aliquid pro benedictione de Sancti corpore incitatus. Et præmissâ Litaniâ, adjunctis etiam laudibus tam divino operi congruentibus, ac Sacerdotibus qui huic sanctissimo negotio aderant, ad altare accedentibus, pretiosissimi thesauri loculus aperitur. Corpus sanctissimum sindone involutum altari imponitur, sigillo rupto, titulus pretiosæ glebæ testis legitur, cunctísque quibus accedendi vel videndi liberior facultas erat, palam exponitur. Oculis hæc cernentibus lacrymas pias pia æquè lætitia exprimit, atque hæc cernentes spe cernendi etiam majora afficit. Locellus deinde minor coràm exponitur; sigilli item titulus quem prædiximus, audientibus cunctis legitur. Cúmque hinc corpus sanctissimum, inde quod corpori deerat, modicè igne tactum conspiceretur, testibus titulis unà cum sigillis veteri manu descriptis; facilè id quod visum est, populo fidem fecit, membra sanctissimi Confessoris Christi Bertulfi integro [a] ferè numero illic reposita adservari.

45. Ex consequentibus hinc causis constat, sanctissimi Patris hanc translationem majoris illi per Christum honoris fuisse occasionem: cujus pignora, quia aliquanto negligentiùs usque ad id temporis habita fuêre, majorem solito deinceps habuêre reverentiam. Neque enim decuit hanc Christi lucernam sub modio, sed super candelabrum poni, ut ingredientibus in Ecclesiam Dei, in edito carissimam prætenderet præsentiam. Et ut latiùs sanctitatis suæ diffunderet odorem, aliquantam pignorum suorum per Ecclesias Dei passus est distributionem fieri. Quod ut fieret, devotio, non temeritas; non superbia, sed humilitas promeruit. Nam inspirante Spiritu-sancto animis Fidelium ad translationem ejus devotè confluentium, persuasum est pro benedictione aliquid de pignoribus illius expetere, ut vel in modica Reliquiarum ejus portiuncula singuli Sanctum quasi totum præsentem colerent, cujus ope & intercessione nihilominus se juvari confiderent. Nec fefellit poscentes Fratrum benigna caritas, nec elusa est piè poscentium devota humilitas: dum & illi quod poscebatur, sine damno de pignoribus Sancti concedebant, & isti pro magno suo lucro vel parum aliquid de Reliquiis ejusdem Patris accipiebant. Unde & apud singulos tanti hodiéque habitus est, quasi apud singulos totus esset corporali præsentia, qui singulis utiquè totus, fideli præsens est benevolentia & amore. Particulæ nonnullis concessæ.

46. Accessit quoque gloriæ ejus ingens aliorum Sanctorum gloria, quam in terris per homines Deus Dei sapientia procuravit. Nam ad Sancti sui glorificationem multorum cum eo pignorum fieri voluit translationem, licèt

[a] Et tamen earum media pars dicitur concessa Adalberoni Remorum Archiepiscopo, qui eam Mozomi in Monasterio B. Mariæ à se instituto collocaverit *anno nongentesimo septuagesimo primo*. Quamquam nulla hujusce Translationis fit mentio in Chronico Mozomensi Tomo 7 Spicilegii Acheriani.

Circa An. DCC V. Febr. V.

minùs idoneè per nos humiles administratam, affectu tamen quo potuimus consummatam. Enimverò cùm beatissimi Patris nostri Bertulfi corpus linteaminibus mundis involutum, diligenter obsignatum; & de theca in thecam esset translatum; accedunt Fratres tam studiosè quàm religiosè ad transponenda in eamdem in qua Sanctus hic repositus erat thecam, aliorum Sanctorum Reliquias, eáque attestantibus illarum titulis, his qui adsuerant, coràm exponuntur: adfixísque sigillis diligenter cum corpore Sancti reconduntur. Acta est hæc translatio anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo tertio, Indictione undecima, ALEXANDRO Papa Apostolicæ Sedi, & Ecclesiæ Noviomensi Pontifice RADBODO præsidente, regnante Francorum Rege PHILIPPO, & ROBERTO Flandriæ monarchiam tenente. Translatus est autem hic sanctus Pater & pretiosus Christi Confessor Bertulfus cum supradictis admirandæ virginis Amelbergæ, multorúmque Sanctorum pignoribus de Orientali sanctæ Blandiniensis Ecclesiæ parte ad altare, quod in medio ipsius Basilicæ ædificatum, & consecratum est in memoriam sanctæ incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis & adscensionis Domini nostri JESU-CHRISTI, & in commemorationem omnium Fidelium defunctorum: atque à Domno Abbate FOLCARDO cum iisdem S. Amelbergæ, aliorúmque sanctorum Reliquiis [a] in locello novo collocatus, ipso cum Fratribus sibi creditæ congregationis hanc eamdem translationem administrante anno regiminis sui tertio, XIII Kalend. Junii, coram multitudine copiosa Monachorum, Clericorum ac utriusque sexûs hominum. Ceterùm quia hujus diœceseos Antistes huic sanctæ translationi, diu licèt exspectatus aliásque occupatus interesse non potuit, proximo suo ad nos adventu tam præsentibus per se, quàm absentibus per litteras, diem hunc festivè celebrem constituit, ad laudem CHRISTI Sanctorúmque suorum, in quibus cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Translatio facta anno 1073.

Festum ab Episcopo indictum.

[a] S. Bertulfi aliorúmque Sanctorum Reliquias istic à seditiosis hæreticis dissipatas fuisse, testatur Sanderus in suo Gandavo.

Ann. Chr. DCC V. Julii VII.

S. HEDDÆ EPISCOPI DORCICESTRENSIS APUD WEST-SAXONES

ELOGIUM HISTORICUM.

Gevissis ad Fidem conversis,

I.  GENS Occidentalium Saxonum quæ antiquitus Gevisse vocabatur, regnante Cinigilso Fidem Christi suscepit, prædicante illis verbum Birino Episcopo, qui cum consilio Papæ Honorii venerat Britanniam; *inquit Beda in lib. 3 Hist. cap. 7. Cinigilsus ab ipso baptizatus, & Osvvaldus Northanimbrorum Rex, qui Cinigilsum de sacro fonte susceperat*, donaverunt ambo eidem Episcopo civitatem quæ vocatur Dorcica ad faciendam inibi sedem Episcopalem: ubi factis dedicatísque Ecclesiis, multísque ad Dominum pro ejus labore populis advocatis migravit ad Dominum. *Alia est* Dorcica *seu* Dorcicestria, *vulgò* Dorchester, *urbs provinciæ Merciorum in Comitatu Oxoniensi ad Tamam fluvium, qui in Tamisim influit; alia* Dorcicestria, *itidem* Dorchester, *urbs Occidentalium Saxonum, Dorcestriæ provinciæ caput, ad australem Fromii fluvii ripam; in Antonini Itinerario* Durnovaria *dicta. Huic præfuit S. Hedda, non alteri, uti adversus Iohannem Spedum demonstrabimus infrà.*

Birinus Dorcicæ fit Episcopus.

2. Primus

2. Primus *ergo* Occidentalium Saxonum Antistes BIRINUS; *secundus* AGILBERTUS; tertius exstitit WINI, *uti Beda in lib. 4 cap. 12 loquitur*; quartus LEUTHERIUS. Cúmque mortuus esset Cenwalh quo regnante idem Leutherius Episcopus factus est; acceperunt Subreguli Regnum gentis, & divisum inter se tenuerunt annis circiter decem: ipsísque regnantibus defunctus est & ille: & Episcopatu functus HEDDI, pro eo consecratus à Theodoro in civitate Londonia, *anno scilicet* DCLXXVI. *nam in Monastici Anglicani Tomo I, Leutherii decessoris sui chartæ subscripsit* Abbas *anno* DCLXXV. (*ita enim scribendum, ut patet ex nota marginali & ex Vuillelmo Malbesburiensi;*) *at verò diplomati Cedvvalæ Regis jam* Episcopus *anno* DCLXXXII. ANN. CHR. DCCV. JULII. VII. Successores. Hedda quintus, pag. 51.

3. *Heddi seu Hedda ante Episcopatum* Monachus fuerat & Abbas, *testante Vuillelmo Malmesburiensi in lib. 2 de Pontif. Angl. cap. 3. cujus verò Monasterii? non expedio. Quidam existimant ipsum esse* ÆTLAM *Bedæ memoratum in lib. 4. cap. 23, qui ex Streaneshalensi Monasterio adsumtus*, in Episcopatum Dorcicestre fuit ordinatus. *Verùm alius omnino ab isto est. Siquidem Ætla non à Theodoro, ut Hedda, sed ab S. Vuilfrido post Theodori mortem ordinatus est Dorcicestrensis Episcopus, ut postea dicemus. An verò Glastoniensis Monachus fuit S. Hedda? Certè* ipsius nomen inter aliorum præclarorum virorum & Abbatum nomina olim ibidem in pyramide scriptum habebatur, *teste Vuillelmo Malmesburiensi in lib. de Antiq. Monasterii Glastoniensis: tametsi in Monastico Anglicano, ubi Glastoniensis Abbatiæ viri pii & illustres recensentur, S. Hedda non exprimitur. In charta Leutherii, sive Lutherii Occidentalium Saxonum Episcopi anno* DCLXXX *concessa Cœnobio Meldunensi seu Malmesburiensi*, Hæddi Abbas *subscripsisse reperitur. Unde intelligitur, eum cuidam Vuest-Saxonum Abbatiæ præfuisse.* antè Monachus & Abbas.

4. *Quid rei egerit S. Hedda in Episcopatu per annos fere triginta, antiquorum silentium nos ignorare facit. Venerabilis Beda in lib. 3 cap 7 ait*, Hedda in Episcopatu agente *S. Birini corpus fuisse translatum* in Ventam *civitatem, nunc Vuintoniam* appellatam*, atque in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli positum. *Forsitan istuc sedem Hedda transtulerat. Theodoro Cantuariensi Antistite mortuo anno* DCXC, Ætla *seu* Ecla, *quem alii* Ædam *corruptè vocant, à Theodoro eruditus, reversus è Romana peregrinatione* divertit ad provinciam Wicciorum, cui tunc Rex Osric præfuit; *& in locum* Boseli infirmitate depressi, jubente Æthilredo Rege, per Wilfridum tunc temporis Mediterraneorum Anglorum Episcopum ordinatus est, *auctore Beda in lib. 4 cap. 23, & quidem* in Dorcicestrensem Episcopatum, *non Occidentalium Saxonum, sed Merciorum, uti ex Gervasio Monacho Dorobernensi discimus. Is in libro de Pontif. Cantuar. ita de S. Theodoro scribit.* Per hunc etiam Theodorum, Merciorum provincia in quinque parochias divisa est. Bosel ab eo ordinatus est ad Wictiam, habens civitatem Episcopalem in civitate Wigornia; Cuthwinus ad Lichefeldensem; Saxulfus ad Mediterraneam Angliam, cujus sedes est in civitate Loëgria; Ethelwinus ad Suthangliam, habens sedem in Sedena *; Etla habens sedem in Dorkecestre. *Vides Æthlam in urbe Dorcicestria provinciæ Merciorum sedem habuisse, non in alia Dorcicestria provinciæ Occidentalium Saxonum, cui S. Heddam tum præfuisse constat. Certè* Ætla *teste Beda in lib. 4 cap. 23, post mortem Theodori à Vuilfrido ordinatus est in locum Boseli*, qui tanta erat corporis infirmitate depressus, ut officium Episcopatus per se implere non posset: *qui Boselus decessorem habuerat* virum strenuissimum & doctissimum Tatfridum, *etiam* de Streaneshalensi Monasterio electum. *At verò Hedda à Theodoro consecratus, successerat Leutherio in sedem Dorcicestrensem provinciæ Occidentalium Saxonum:* Quid in Episcopatu egerit. * Vvinchester. Bromton in Lindeseia.

ANN. CHR. DCC V. JULII VII. *Leutherius verò Vuinam, Agilbertum & Birinum decessores habuerat. Porro sedes Dorcicestrensis in provincia Merciorum Lincolniam postea migravit; alia verò Occidentalium Saxonum in duas parochias seu diœceses divisa est, ut mox dicemus.*

S. Guthlacum ordinat Sacerdotem. 5. *Quod reliquum est, S. GUTHLACUS ab Hedda Episcopo Presbyter consecratus fuisse dicitur in ipsius Guthlaci Vita, infrà ad ann. 715, quod intelligendum de Hedda nostro, tametsi Crulandia insula in qua Guthlacus degebat, longè à provincia Vuest-Saxonum remota erat.*

Moritur. 6. Anno Dominicæ inc. DCCV, *mortuo* Aldfrido *Northanymbrorum Regi successit* Osredus: *cujus* regni principio, *inquit Beda lib. 5 cap. 19* Heddi cælestem migravit ad vitam. *Ipsius elogium paucis ita complectitur:* Bonus

Laudatur. quippe erat vir ac justus, & episcopalem vitam sive doctrinam magis insito sibi virtutum amore, quàm lectionibus institutus exercebat. *Vuillelmus Malmesburiensis ad hæc:* Unde, *ait*, moveor scrupulo, quippe qui legerim ejus formales epistolas non nimis indoctè compositas, & Aldhelmi ad eum scripta maximam vim eloquentiæ & scientiæ redolentia. *Ejus consilio Ina Rex Vuest-Saxonum leges suas se condidisse fatetur. Hedda annos triginta regiminis tribuit Vuillelmus Malmesburiensis: ejúsque obitum signant recentiora Martyrologia Nonis Iulii.*

Miracula patrat. 7. *Pergit Beda:* Denique reverendissimus Antistes PECTELM, qui cum successore ejus ALDHELMO multo tempore adhuc Diaconus sive Monachus fuit, referre est solitus, quòd in loco quo defunctus est, ob meritum sanctitatis ejus, multa sanitatum sint patrata miracula: hominésque provinciæ illius solitos ablatum inde pulverem propter languentes in aquam mittere, atque hujus gustum sive adspersionem multis sanitatem ægrotis & hominibus & pecoribus conferre. Propter quod frequenti ablatione pulveris sacri fossa sit ibidem facta non minima.

Successores ejus. 8. *Denique* Hedda defuncto Episcopatus provinciæ illius in duas parœcias divisus est: una data est Danieli, quam usquehodie regit; altera Aldhelmo, cui annis quatuor strenuissimè præfuit. *Hæc Beda. De S. Aldhelmo infrà ad ann. 709.*



CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII.

VITA S. LANDEBERTI EPISCOPI TRAJECTI AD MOSAM, ET MARTYRIS,

Auctore GODESCALCO Diacono Leodicensi sæculo VIII.

Ex libro de Gestis Pontif. Leod. Henrico Canisio & MSS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ scriptores. * de Mastrich. 1. SANCTUS LANDEBERTUS *seu* Landbertus, Lantbertúsve, *posterioribus* Lambertus, *Trajecti * Mosani Episcopus, plures habuit Vitæ suæ scriptores.* GODESCALCUM *Diaconum Leodicensem subparem;* STEPHANUM *Episcopum Leodicensem ineunte sæculo X;* ANSELMUM *ejusdem Ecclesiæ Canonicum medio sæculo XI;* NICOLAUM *itidem Canonicum, &* REINERUM *Monachum sæculo XII; denique* ÆGIDIUM *Aureæ-vallis Cœnobitam medio sæculo XIII. Felicior certè futurus si vel unicum, eúmque diligentem habuisset. At S. Landeberto id quod pluribus Sanctis accidit, ut dum Auctores, alius post alium, ipsius res gestas illustrare exornando amplificandóve moliti sunt, eas econ-*

trario incertis ac fabulosis narrationibus ineptè obscurarunt, atrocibúsque mendis fœdaverunt. Auctores inspiciamus. CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII.

2. GODESCALCUS Diaconus *Leodicensis*, ipsius congregationis Clericus, *teste Rainero Monacho*, Vitam S. Lamberti primus jussu Agilfridi Episcopi scripsit, ut à majoribus accepimus, *inquit Nicolaus Canonicus in Prologo* : & fuit tempore Pippini & Caroli Magni. *quod priùs Anselmus Canonicus tradiderat cap 32. Res à S. Landeberto gestas, à* Theodoëno *ipsius discipulo accepisse se fatetur Godescalcus num. 4, qui Theodoënus Sancto maximè familiaris erat, ut qui unus cum alio socio apud Stabulaum exsilii comes fuit. Scripsit etiam Godescalcus libellum de sancti Antistitis miraculis, & Translatione primaria Leodicum facta: quam utramque, seu potiùs unam lucubrationem primus edidit Henricus Canisius Tomo 2 lect. antiq. & post eum Jacobus Chapeavillus Tomo 1 de gest. Pontif. Leod. verbis nonnihil immutatis : ejusdémque fragmentum Andreas Chesnius Tomo 1 Hist. Franc. Nos eumdem Auctorem ad MSS. codices exactum hîc edere sat duximus, aliis omissis, quorum auctoritas à Godescalco pendet, aut sicubi deficit, dubia est.* Godescalcus.

3. STEPHANUS *anno tertio supra nongentesimum Ecclesiæ Leodicensis Episcopus creatus, Vitam à Godescalco scriptam expolire tentavit, orator haud minùs rudis, uti ex subjectis Prologi sui verbis apparet.* Domino Patri HERIMANNO Archipræsuli *Coloniensi* STEPHANUS humilis Tungrorum Episcopus. Cùm cotidie aliorum explorari concertetur actio, ac si quid reprehensibile infuerit, maculare non differt probrosa intentio ; detergenda penitus diffinitur merito culpata contagio, per quam & blasphemantium jam cesset cachinnalis irrisio. Nam à quibusdam nobiscum agentibus festum S. Lamberti, qui litterarum videbantur sibimet scientiâ præditi, non minimùm sumus despectuosis risuum injuriis lacessiti : quandoquidem priscorum haudquaquam Catonis eloquio edita legebatur apud nos præfati Patris Vita & Passio, atque nulla propria Officiorum cantabatur modulatio. Abhinc sanè frequenti Fratrum nostrorum precamine rogatus, sæpissimis vocibus exstiti coactus ea omnia suscipere innovanda proprii impensione sensûs, notámque hujus infamiæ à nobis propellendam. *Et infrà* : Enimvero neque fastu superbiæ tumens, neque quemquam Patrum contemptui habens, quinimmo prælibatæ utilitati parêre libens, stilo præpollentioris ingenii tandem acceleravi comens. Exinde musicæ artis ratione authentica subnectuntur cum Antiphonis Responsoria nova, in quibus ordini lectionum series respondet tonorum, quo tenus sibi æquando extenditur numerus horum. Adhuc etiam animi nisu exstat delectabile in tanti Patroni immorari laude. Cantica quapropter museo compta lepôre succinctim replicavi, ac ejus gesta renarravi. Quæ omnia, Pater, tuo sensui corrigenda committo, &c. *En flores & occasio nova scriptionis, quæ apud Surium & Chapeavillum exstat. In ea si quid probandum videatur, probanda est utique Stephani religio, qui nihil in Godescalci relatione præter verba immutavit.* Stephanus.

4. ANSELMUS *Leodicensis Canonicus in historia sua de gestis Pontif. Leod. quam ad annum usque* M XLVIII *perduxit, actus S. Landeberti compendio excepit : eique varias additiones seu commentationes apposuit.* ÆGIDIUS *Aureæ-vallis in diœcesi Trevirensi Monachus Cisterciensis, qui anno* M CC LI *scribere desiit. Anselmus primus attulisse videtur alteram martyrii Sancti Landeberti causam, de qua postea agendum erit.* Anselmus. Ægidius.

5. NICOLAUS, *itidem Leodicensis Canonicus, aliam lucubrationem de vita S. Landeberti scribere eggressus est ob eam rationem quam in Epistola nuncupatoria ad Vvedericum Letiensis Ecclesiæ Abbatem anno* M CC XXIV *electum, exponit in hunc modum.* Dilecto in Christo & verè diligendo domino suo WEDERICO Letiensis Ecclesiæ venerabili Abbati NICOLAUS Ecclesiæ S. MARIÆ sanctíque LAMBERTI, quæ est in Leodio, Canonicorum & Diaconorum ultimus, salutem. Sicut nihil est quod amicis & Fratribus honesta petentibus negare debeamus ; ita & eorum est à nobis non exigere, quod nimis arduum tarditate aut tenuitate ingenui adsequi non valeamus. *Et infrà.* Quod equidem opus non cujuslibet levitatis motu seu jactantiæ fastu me insumsisse sciat vestra Paternitas : sed quidam ex dominis & prioribus nostris parvitatem meam sæpiùs sunt exhortati, quatinus digniorem passionis causam beati viri, & gesta ejus vetustate jam obruta diligenter pervestigarem, & conscribendo tamquam in lucem retraherem ... Parui itaque injunctis, & inter multiplices occupationes meas insumsi hoc opus plenum laboris & sollicitudinis : quia nihil penitus ex hoc (*nempe digniori causa martyrii*) inveniri poterat in libris eorum qui priùs Vitam & martyrium B. Lamberti conscripserunt, quibus etiam apud nos maximam auctoritatem non levis, sed venerabilis sanxit auctoritas. Horum primus (ut Nicolaus.

Circa An. DCC VIII. Sept. XVII. à majoribus nostris accepimus) fuit GODESCALCUS quidam Ecclesiæ nostræ Diaconus tempore Karoli primi ex Francorum Regibus Imperatoris Augusti, & Agilfridi Episcopi nostri. Secundus verò felicis memoriæ STEPHANUS decimus post B. Lambertum Leodicensis Episcopus, qui cùm de vita & sanctissima conversatione ejus quædam magnificè satis differuerint, mirandum valde est, cur gloriosam & tanto Sacerdote dignam martyrii ejus causam silentio prætericrint, conscribentes eam quæ & gloriam obscurare videtur Martyris, & subsannandi occasionem præbere calumniatoribus & incredulis. Nec tamen eorum scriptis derogo, aut opusculum hoc meum memorabilibus virorum venerabilium dictis comparo: in quo non ostentationem eloquentiæ, sed verbis simplicibus veritatem polliceor, omnino declarare cupiens, quorum Principum tempore, vel à quibus parentibus B. Lambertus nativitatis exordium sumserit, quo doctore sacras litteras didicerit, quibúsve in pueritia miraculis floruerit; quàm ordinabiliter ad Episcopatum promotus, quàm irrationabiliter ab Ecclesia Tungrensi ejectus, quámque gloriosè iterum inthronizatus, semper tamen humilitatem & patientiam tenuerit; qua ætate claruerit, & quomodo post conversionem Taxandrorum post multa sanctitatis ejus opera vitam martyrio finierit; qualitérve horam & gloriam passionis ejus Romanus Pontifex per Angelum manifestè cognoverit. *Hæc equidem partim* ex Gestis Regum Francorum, partim ex Chronicis REGINONIS Prumiacensis Abbatis, & SIGEBERTI venerabilis Monachi de Cœnobio Gemblacensi, partim ex Vita B. Landoaldi Presbyteri, seu S. Landradæ virginis, partim ex relatione majorum & scriptis virorum fidelium excerpere curavi. *Quam ob rem verò lucubrationem suam Vvederico Abbati Letiensis Monasterii*, Liessies *in Hannonia ad Helpram fluvium Ord. S. Bened. dedicaverit, rationem reddit his verbis.* Et quoniam vestra Letiensis Ecclesia B. Lamberti patrocinio gloriatur, ejúsque Reliquias pio amore complectitur, hoc parvitatis meæ opusculum sanctitati vestræ transmitto, Pater venerabilis. *de quibus Reliquiis inferiùs agemus. Quæ Nicolaus de altera causa martyrii S. Landeberti commemorat, hausit sine dubio ex Reginone; quæ de miraculis à S. Landeberto puero patratis, ex Vita S. Landoaldi: at quæ de Sergii Papæ visione refert, nescio à quo didicerit; nam apud Godescalcum, Stephanum, & Anselmum altum ea de re silentium.*

Rainerus. 6. *Eadem quæ Nicolaus recitat ejus æqualis* RAINERUS *Monasterii S. Laurentii prope Leodicum Monachus Benedictinus, additque Grimoaldi cædem in Basilica S. Landeberti factam, quam Nicolaus omiserat. Sic verò scriptionem suam claudit.* Vitam S. Lamberti primus jussu Agilfridi Episcopi scripsit Godescalcus Diaconus ipsius congregationis Clericus, qui fuit tempore Pippini & Caroli Magni. Et gesta quidem ejus veraciter prosecutus, de causa martyrii parum libero ore locutus est. Quod hac de causa fecisse creditur, ne sui temporis Regibus culpam majorum suorum videretur exprobrare. Ex illicito quippe Pippini & Alpaïdis conjugio natus est Carolus Martellus, de Carolo Pippinus tertius, qui ex Principe in Regem Francorum promotus est, de Pippino Carolus Magnus, &c. *An eadem ratio Stephanum Episcopum Godescalci expolitorem annis centum ac quinquaginta posteriorem ad silentium adegit? de hoc inferiùs agendum.*

Landebertus Martyr. 7. *At quæcumque demum fuerit causa necis S. Landeberti, à mediæ ætatis scriptoribus, sicut & à posteris numquam non* Martyr *& creditus & vocatus est, sive pro more illorum temporum, quibus homines pii qualibet ex causa interfecti dicebantur* Martyres; *sive ob defensionem justitiæ ac religionis, quæ ipsi mortem ac nomen Martyris paraverit. Venerabilis Beda in sincero quod in Martio Bollandiano habetur Martyrologio*, Martyris *nomine Landebertum exornat*, XV Kalend. Octobr. Natalis S. Landeberti Episc. & Martyris. *Florus addit*, qui sectando justitiam adeptus est martyrii palmam. *Eumdem titulum ei tribuunt Auctor veterrimus de Gestis Franc. cap. 50, & Fredegarii continuator cap. 103, tum Alcvvinus Epigr. 70 & 133, denique Usuardus, Vvandalbertus, Ado, aliique Fastorum conditores & Auctores.* Apud Leodicum *(Usuardi verba sunt)* B. Lantberti Episcopi Tungrensis, qui à nocentibus innocenter occisus, aulam cælestis regni perpetuò intravit victurus. *Certè villa Leodicus tantopere miraculis B. Landeberti brevi illustrata est, ut anno post obitum ejus tertiodecimo, translato istuc per S. Hucbertum sacro corpore, eò translata sit etiam ab eodem sedes Episcopalis: quæ primò quidem Tungris instituta, tum dirutis Tungrorum mœnibus à B. Servatio in civitatem quæ* Trajectum * inferius *& Mosanum dicitur, illata, demum à S. Hucberto ob S. Landeberti celebritatem invecta est Leodicum* *: *quæ nunc civitas est amplissima, eleganti Basilica in B.* MARIÆ *& S. Landeberti honorem decorata, cujus Episcopus inter*

* *Mastrich*
* *Liege*

Imperii Principes locum habet. In metrico Martyrologio Bedæ nomine recens edito Tomo 10 Spicilegii, S. Landebertus celebratur Nonis Junii hoc modo: CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII.

Junius in mundo Nonis miratur Adeptum *,
Et sancti Lantberti, animam trans sidera verti.

8. *Inquirendum superest, an S. Landebertus Monasticum gestaverit habitum; nam eum in Cœnobio Stabulensi septem annos exsulem vixisse constat. Atqui tum temporis mos erat, ut etiam relegati seu retrusi in Monasteria, religiosas vestes susciperent. Testes sunt S. Leodegarius, Ebroinus, Luxovii; Childericus Francorum Rex Sithiu, ejúsque filius Theodoricus Fontanellæ, in Monachos attonsi. Quanto magis id adfirmare licet de Landeberto, qui licèt de sede sua pulsus sit, volens Stabulaum secessit? Hinc Stephanus Episcopus in ipsius Vita:* Inter quos, *inquit, Monachos scilicet Stabulenses,* venit novissimus ordine, sed primus exstitit sanctitate: postremus numero, sed præcipuus devotionis studio. *Denique in Chronico Sigeberti nonnulli codices MSS. sic habent ad ann. 662,* S. Lambertus Monachus efficitur. an Monachus?

PROLOGUS AUCTORIS.

1. SI Pagani figmenta sæva & nefanda prolixâ studeant pompâ & plurima mendacia codicibus suis commendare, ut eorum vana gloria discurrat; cur nos Christiani salutiferi taceamus miracula Christi, cùm possimus vel tenui sermone ædificationes de historia Sanctorum pandere hominibus? Ergo quamvis tantæ rei narratione sancti viri LANDEBERTI Pontificis opera indigni videamur loqui, auctorem tamen Christi caritas poposcit; frequenter etiam favor mihi quæ ab adolescentia comperta est, & per viros prudentes cognovi adfirmantes, non leporem animo inquirens sermone, sed devotione plenissima ipsius animatus precibus, enarrare tentabo: ejúsque cursum vitæ vel gloriosum peractum martyrium, inquantum ad nostrum pervenit auditum, licèt inculto sermone, ferre conabor in publico, ut cujus vita est cum Christo, memoria gloriæ relatu celebretur in mundo; præsertim cùm traditione ecclesiastica & apostolica admonemur auctoritate, Sanctorum vitas seu virtutes nonnullas commemorare, ut scriptum est: *Memoria Sanctorum cum laudibus.* Et illud: *Laudemus viros gloriosos* qui contemserunt regna mundi. Ergo dignum esse credimus, ut quotiescumque Sanctorum sollemnia curriculo anniversario celebramus, ex eorum gestis aliquid ad ædificationem convenientibus Christianis in Domini laudibus debeamus recitare: quoniam revera Christi muneris est, quidquid in Sanctis ejus laudabile invenitur. Igitur sancti ac beatissimi Antistitis Landeberti, adjuvante superna gratia, quamquam imperito sermone & impolitâ loquelâ, Vitam & virtutes exordiri procuro. *Prov.* 10. *Eccl.* 44.

INCIPIT VITA.

2. GLORIOSUS igitur vir LANDEBERTUS Pontifex opido Trejectinse oriundus fuit & alitus, ex parentibus [a] locupletibus secundùm sæculi dignitatem inter præsides venerandis, & longâ prosapiâ Christianis. Ipse verò erat in pueritia formosus & nobilis, electus in gente & progenie sua, crescebat benignus inter famulos & cognatos suos vultu fulgenti, & omni affectione pollebat eminenti ætate. Cùm vidisset autem pater ejus tantam industriam filii, & à cunctis dilectum, exsultabat & gratias agebat Deo: lætabatur in gaudio pro eo quòd decoratam videbat prolem. A prima fere ætate tra- Landebertus Trajectensis, literis imbuitur.

[a] Herigerus in Vita S. Landoaldi, & ex eo Nicolaus & Ægidius in Vita S. Landeberti, patrem ipsius nuncupant APRUM *virum illustrem & Comitem*; matrem verò HERISPLENDEM æquè nobilitate claram.

Circa An. DCCVIII Sept. XVII.

didit eum ad viros sapientes & storicos [a] sacris litteris edocendum: ille verò cum magno studio, officio usus assiduo adhæsit, & velociter ipsum consummavit. Cùm autem imbutus fuisset à prudentissimis, reversus est ad domum patris sui: pueritiæ annos excedens, ævum adolescentiæ cum industria senectutis gerebat. Spiritus sapientiæ & humilitatis gratia resplendebat in eum, augebatúrque cotidie in bonis operibus.

Theodoardo magistro succedit in Episcopatum,

3. Eodem tempore opido Trejectinse cathedræ pontificali præsidebat summus Pontifex THEODOARDUS divinæ dispensatione providentiæ. Protinus pater ejus commendavit eum jam supradicto Antistiti, divinis dogmatibus & monasticis disciplinis in aula [b] regia erudiendum. Erat enim adolescens sapiens, adspectu amabilis, conloquio affabilis: recta conversatione tam cum Pontifice, quàm & in domo regia militare cœpit. Etiam cùm esset formâ præcipuus, fortis & velox, agilis & multùm firmus in bello, animo clarus, specie ornatus, caritate, castitate & humilitate fundatus, etiam & ad opus * lectioni vacabat. Tantam denique gratiam in conspectu Pontificis invenire meruit, ut quasi filium heredem & successorem sibi eum adoptaret eligere, si licitum ei fuisset propter institutionem canonicam [c]. Interfecto itaque præfato Antistite Theodoardo, copiosa multitudo virorum in regione illa habitantium cognoscentes Landeberti prudentiam & opera atque conversationem nobilissimam, clam locutione invicem eligere eum disponebant ad pontificalem sedem. Ergo Optimates viri & illustrissimi qui eo tempore Rectores palatii videbantur, glorioso Domno CHILDERICO Regi famam beati viri innotuerunt, & actus ejus non silentes, testimonium perhibentes quòd dignus erat Sacerdotio fungi, & onus pontificale accipere. Habuit itaque effectum eorum petitio, libentérque obtinuerunt quod devoti postulaverunt. Tunc plebs inspirante Spiritu-sancto, uno accepto consilio, simul cum Regis imperio, favente Domino à quo jamdudum electus fuerat, subrogatus est, ut Pater esset Ecclesiæ Trejectinsis [d]. Ipse verò timore Domini repletus, officio sumto opus bonum augebatur cotidie. Porro Rex cùm almitatem & prudentiam ejus agnovisset, diligebat illum super omnes Pontifices & Optimates suos. Erat autem Landebertus Pontifex staturâ procerus, facie decorus, cæsarie formosa, inclytus oculis, manibus honestis, digitis longis, carne candida: à planta pedis usque ad verticem capitis fuit inreprehensibilis. Erat autem in consilio perspicax, & omnem sapientiam cum cura & moderatione gerebat. Apud Regem summum tenebat locum.

* *al.* cùm opus erat

Childerico probante.

Stabulaum relegatus, ibi manet annos septem.

4. Igitur cùm interfectus fuisset ab impiis gloriosus Rex Childericus [e],

a Id est *Historicos*; sic enim antiqui sæpiùs hanc vocem aliásque similes decurtabant, *Spania* pro Hispania, &c. Quosnam verò præceptores in sacris litteris habuerit Landebertus, Godescalcus reticet, exprimit S. Landoaldum Vitæ ipsius Auctor, quem Nicolaus Ægidiúsque sequuntur. Neque obstat, quòd Theodoardo Trajectensi Episcopo commendatus paullo infrà dicitur: *divinis dogmatibus & monasticis disciplinis imbuendus*. Alios enim præceptores habuit puer, alios adolescens. Rursus Herigerus in libro de Episc. Leod. cap. 51, Landebertum B. Remacli discipulis adnumerat. De his sentiat quisque quod libet. Apud scriptorem Vitæ S. Landoaldi dicitur *Aper ejusdem Lamberti pater prædium Vvintershoven super Archa fluvium positum Landoaldo ad inhabitandum & Ecclesiam construendam concessisse, & eumdem puerum divinis dogmatibus imbuendum cum eo manere constituisse: ubi Landoaldus cum puero Lamberto fontem limpidissimum invocato Christi nomine ebullire* fecerit, & Lambertus ipse prunas ardentes *in veste illæsa deportaverit*. Quod utrumque à Godescalco & Stephano prætermissum Nicolaus, Ægidius, aliíque deinceps retulerunt.

b Hîc *aula regia* nomine ædem Episcopalem interpretor. Neque enim veri simile est, Theodoardum virum sanctum assiduè in aula Regis versatum fuisse. Nisi fortè quis dicat, Landebertum quidem commendatum Theodoardo, qui eum *divinis dogmatibus & monasticis disciplinis in aula regia* per Abbatem Monachósque Palatinos erudiri curaverit.

c Huc spectant Apostolorum vulgatus canon 76, Concilii Antiocheni canon 23, & Parisiensis quinti canon 2. Coadjutorum usus necdum tunc invaluerat. Lege adnotata in Vitæ S. Biscopi lib. 1 Sæculo 2 ad annum 690.

d Landebertus, si Ægidio credimus, Theodoardo successit *anno ætatis suæ vigesimo primo*.

e Anno DCLXXIII in autumno cæsus est Childericus; Landebertus eodem vel insequenti sede sua pulsus, post annos septem exstincto Ebroïno restituitur per Pippinum Haristallensem dictum.

tunc invidus omnium bonorum diabolus festinus insurrexit contra beatum virum cum adversariis sævissimis iniqua & falsa consilia machinantibus, ut eum de sede pontificali dejicerent. Ita autem prævaluit iniquitas eorum, ut deponerent eum de sede sua sine causa, & privatus est honore suo absque culpa. Post hæc FARAMUNDUM [a] in cathedram illius constituerunt. Electus autem Dei Landebertus Pontifex perrexit ad Monasterium qui vocatur Stabulaus, nec ampliùs in obsequium ejus remanserunt quàm duo pueri. Qui unus ex ipsis nomine THEODOENUS, qui multum nobis de vita & opera ejus solitus est narrare, qualiter per annos septem ibidem vitam sanctam & angelicam conversationem duxit devotione intentissima in laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, in caritate, in longanimitate: & in omni custodia Sanctorum exemplum imitabatur. Pater verò Monasterii diligebat eum valde, & omnis congregatio cum magna pietate atque benignitate venerabatur illum. Constantiæ itaque virtus magis fulgebat in eum.

CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII.

Noctu surgens, ob sonum excitatum, nudus orat ad Crucem.

5. Et dum esset vir venerabilis Landebertus Episcopus in præfato Monasterio, contigit eum mediante nocte pro consueto ordine expergefieri, ut ad solitariam orationem pergeret devotus: porrectáque manu, arreptísque sandalibus, de quibus unus elapsus corruens de manu ejus cecidit in pavimentum, sonúsque ejus quiescentium aures inquietavit. Hæc audiens Pater Monasterii, nesciens quis hoc egisset, ait: Qui istum sonum fecit, statim ambulet ad Crucem [b]. Tunc Sacerdos religiosus ilico obedientiam sine mora sequens, relictis omnibus quæ habebat in manibus, nihil secum portans, nisi tantùm unum asperum quo erat indutus cilicium, nudísque plantis discalciatis pedibus, clam de lectulo exsiliens, moto vestigio festinus cucurrit usque ad locum ubi fuerat ei imperatum. Erat autem media hieme nimio frigore, vehementissimúsque algor: brumalis circulus ingruerat, itaut glacies congelaret, & nix raro flueret. At ibi Dei famulus immobilis persistens, protensis manibus, inflexibilibus brachiis diutius immorabatur. Psalmorum cantus efficaciter persolvens, & interim tantam jugiter nivem decidentem desuper talos ipsius Pontificis excrevit. Nec Dominus immemor qui cuncta prævidet, & omnia scit antequam fiant, laborantem servum suum diutissimè prospexit, unde in quadragesimo primo psalmo canebat: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei.* Cui Dominus *Psal. 41. 3.* paratus ad ignoscendum audivit illum orantem, & à Domino factum est, ut solebat in nocturno tempore, citiùs gallorum cantus adfuit: nec morâ Fratres Monasterii pulsato signo ingrediuntur ad vigilias. Officio peracto exierunt de Sanctuario * festinanter præ nimio frigore, introgressi utique *id est Templo* domum sibi ad calefaciendum. Interim Sanctus Domini fortiùs certando semper statuit junctus ad Crucem. Tunc Pater Monasterii requirens ait: Et si habemus omnes Fratres nostros? E quibus unus dixit: Ego te audivi hac nocte judicare Crucem, sed nescio quis fuisset. Adhuc illo loquente alius de Fratribus intravit dicens: Verè Domnus Landebertus hac nocte diutiùs ad Crucem discalciatus perseverat. At ipse Abbas pavefactus & in timore conversus dixit ad Fratres: Ite velociter, & postulate eum humiliter ut veniat ad nos. At illi procurrentes invenerunt eum

a Reinerus habet, *Faramundum quemdam, ut dicunt Coloniensem Clericum*, &c.

b *Hæc Crux*, inquit Reinerus, *lapidea erat inter Oratorium, ad hoc statuta, ut respectu ipsius Crucis hi qui erant Christi, devotiùs carnem suam crucifigerent cum vitiis & concupiscentiis: & si quando graviusculis delinquerent excessibus, ad hanc addicti regulariter pœniterent.* Eodem loco exstat in hunc usque diem Signum Crucis in facti memoriam. Hinc in principali Ecclesia Leodicensi mos iste inolevit, Nicolao & Ægidio testantibus, *ut intra claustralia septa sub divo vexillum Crucis Dominicæ perpetuò stabiliretur, licèt nonnullæ hoc Ecclesiæ usurpare videantur alio quidem religionis genere.* Lege vitam S. Austrebertæ ad ann. 702.

CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII. stantem ad Crucem. Erat autem caput ejus & humerus coopertus nive per totum. Ipse verò Domnus Apostolicus tunc ore promebat: *Cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Illi verò qui missi fuerant, dixerunt: Domne, Pater noster precatur, & Fratres suggerunt, ut ambules in hospitium ad illos. At ille ambulavit cum illis. Et statim ut introivit, Pater Monasterii unà simul cum Monachorum agmine ad pedes Pontificis provolvitur genibus, veniam postulans ait: Ignosce mihi, Pater, quia nesciens peccavi quod sic insipienter egi: da indulgentiam tuis devotis famulis. At ille: Data sit vobis à Deo indulgentia, ut Paulus dixit, quia in frigore & nuditate subjicio corpus meum. Et continuò Fratres balneum paraverunt ei, & mutaverunt illi vestimentis aliis, & osculantes manus & pedes ad invicem mutuò dicebant. Noluit Dominus nobis in hac nocte notum facere, sed pro augenda gloria & lucri promerenda pœnitentia, absconditum fuit à nobis.

Psalm. 50.

Sedi suæ restitutus, 6. Igitur pòst septem annis expletis, depositus est FARAMUNDUS de sede pontificali, & ejectus est de provincia Trejectinse. Tunc agmina Clericorum & vulgus populorum unâ pariter voce ingenti postulabant Dominum, ut Pastorem eorum Domnum Landebertum reciperent. In illo tempore erat Princeps. PIPPINUS super plurimas regiones & civitates sitas in Europa. Auditis operibus beati viri, sub unius diei articulo jussit eum cum magno honore ad primam sedem revocare. Longum est enarrare quanta exsultatio in universo populo fuerit, quantæ laudes & hymni in adventu ejus. Tripudiantes psallebant Sacerdotes cum Levitis, Monachorum agmina & universi Clerici laudes Christi vociferantes, advenæ & peregrini, inopes & pauperes, viduæ cum pupillis per urbes lætantes. Ita omnis terra lætabatur, quasi unum ex Apostolis Christi suscepissent. Regressus autem Domnus Apostolicus ad urbem propriam, institutionis suæ normam cotidie augmentabat in melius.

boni Pastoris munia exsequitur. 7. Sed qualem se demum quantúmque se præstiterit, quis dignè valeat explicare, vel quis tantâ copiâ verborum instruere existimat, aut quæ oratio tantæ affluentiæ ubertatem exundans, quæ cuncta ejus bona ut decet queat prosequi? Erat enim in lege Domini sine lassitudine persistens, nulla conversatione noxia se inquinabat. Actus vitæ suæ omni hora custodiebat, oculum mentis suæ ad Dominum semper defixum habebat, consilium & opus suum semper ad Dominum convertebat; pedes ejus directi erant ad orationem, & ad evangelizandum pacem. Etiam sicut fidelis servus & prudens à Domino constitutus, ut ejus familiæ tribuat cibum in tempore opportuno; sic ille populum sibi commissum omnimodis festinabat spiritali reficere cibo. Clementer docebat, ordinabiliter instruebat: à consuetudine peccandi omni virtute retrahere nitebatur. Operibus ornatus & valde clarus, inter divites & pauperes medius, non respiciebat ad personas potentium, sed potiùs ad morum elegantiam. Quantum vivere unumquemque sanctiùs videbat, tanto eminentiùs illum honorabat. Ipse quoque pauperibus fenerabatur cibum, & oculis adspiciebat cælum: vulnus tendebat ad dandum, mercedem procul dubio exspectabat ex alto. Quando verò Monasteria visitabat, eleemosynam prædicatio secuta est. Quidquid in illa conferebatur, contulisse in Deum lætabatur, semper revolvens illud quod dixit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Erat & in vestimento vilis, sed & in privato se numquam ornabat: & cùm ei vestimenta pretiosa ex more pontificali præpararentur, aliquoties retruncata & deformia ipsa induebat: quia unde alii videbantur extolli, ille studebat se ex hoc semper humiliare. Sub specie honesta animus benignus,

Math. 5.

benignus militabat. Erat itaque Christo subjectus semper & devotione armatus, Pontificio dignus & doctrinâ munitus, honorem sæculi recusando humilis, subjectus in suscipiendo, in corrigendo vehemens, & fortis in periculo, patiens in adversis, gloriosus in misericordia, strenuus in disciplinis, justitiæ severitate terribilis, ad gratiam promtus, ad ignoscendum paratus, in castitate corporis perseverans, nutritor gregis, Pastor Ecclesiæ perfectus, plebi monita Christi præcepta præbens, cura pastorali sollicitus, lustrans urbes, & municipia circumquaque sibi commissa Evangeliorum coruscabat lumine, augens fidem Christianorum, & crebrò miserabilem errorem Gentilium nidoribus fætidis ejiciebat: cognitóque errore illuc intrepidus & cum calore fidei inflammatus pergebat.

8. Introivit itaque aliquando in Texandriam [a], ubi plurima templa & simulacra destruxit. Fremitum ergo Gentilium quasi signifer bellator, corporis timore abjecto, inermis fidei fervore roboratus ingerebat, Christi caritate securus, prædicatione sanctâ sufficienter corda errantium replebat, & ad viam veritatis adducebat. Illi autem qui primùm velut ferocissimæ bestiæ discerpere cupiebant, postmodum adtendentes sancti viri bonitatem, tanta mansuetudine conversi & in fide Christi confirmati erant, ut ipsum imitari optarent. Sicque demum quasi cælitus lumen ostendebat & illustrabat, ut radius solis partes illas, Barbarorum usu abjecto. Itaque fœtores idololatriæ odore suavissimo quasi ex aromatibus adspergebat. Cum omni auctoritate Gentibus prædicabat, & semper suavissimam habebat de his quæ Dei sunt adlocutionem. Apostolicam normam habebat in doctrina humana, ostendebat contra vulnera regulam honestam, & rectè arguebat clementer quod credens docebat, & quod docebat imitabatur. Ipse verò roborabat se in vigiliis, in orationibus, in jejuniis, in eleemosynis. Fidem conservabat, cursum consummationis & coronam justitiæ exspectabat. Ante oculos ejus semper dies ultima versabatur. Hujusmodi Landebertus Pontifex exercitatus virtutibus, divinâ gratiâ comitatus, uberiùs multa & magna operatus est, perficiens bona quæ non sufficit evolvere lingua [b].

a Texandros ad Fidem adducit.

9. Et jam cùm Dominus vocasset S. Landebertum, ut propter tanta opera dignam redderet ei mercedem, insurrexerunt duo pessimi homines, GALLUS & germanus suus RIOLDUS, in adversitatem ejus, sævientes Ecclesiæ suæ in tanta opera perversa, ut nullus eos ferre posset, nec evadendi erat locus ante illos. Repleti autem amici Pontificis irâ & tristitiâ, & calamitate magna compulsi & humanitate nimia, interfecerunt eos ex merito eorum. In diebus illis erat DODO domesticus jam supradicti Principis PIPPINI, proprius consanguineus eorum qui interfecti fuerant; & erant ei possessiones multæ & in obsequio ejus pueri multi. Cùm audisset autem

b Ob necem quorumdã qui Ecclesiæ bona diripiebãt.

a Addit Nicolaus, *quæ à Trajectensi opido versùs Septemtrionem vix tribus miliaribus disparatur.* Texandria seu Taxandria, quæ olim ad tertium miliare à Trajecto incipiens, ad Mosæ Vacalísque confluentes expandebatur, hodie nomen amisit, ac sub ditione Leodicensi comprehenditur.

b Multa hîc inserit Nicolaus de congressu S. Landeberti cum S. Willibrordo Episcopo Trajecti quod Inferius dicitur; & de discipulis S. Landeberti. *Si antiquorum relationi creditur*, inquit Nicolaus, *locus est in pago quem Testebrantum dicunt, haud longè à Mosa, aliquanta arborum amœnitate inumbratus, ad quem B. Lambertus adscito in opus Evangelii viro Dei Willibrordo solitus erat sæpius descendere, & confluentibus ad se noviter baptizatorum turbis opera Christianæ Religionis exponere. In eodem loco Ecclesia in honorem B. Lamberti dedicata, tanta usque hodie venerationis est apud incolas regionis illius, ut singulis annis illuc ad impetranda Martyris beneficia concurrentes, etiam ipsas arbores quæ atrium occupant, ferro attrectare sacrilegium reputent.* Deinde pluribus agit de S. Landrada ejúsque sepultura; déque S. Hucberto, necnon de S. Oda ejus amita, quos S. Landeberti monitis profecisse scribit.

Circa An. DCCVIII. Sept. XVII.

Landebertus Leodici commoratus,

necem proximorum, collegit magnam copiam virorum fortissimorum ad bellandum, móxque irruit ad interficiendum B. virum Landebertum Pontificem in villa cui vocabulum est Leodio, sita super fluvium qui vocatur Mosa. Appropinquavit autem Pontificis gloria, & domestici pœna. Tunc adveniens vir Dei Landebertus Pontifex in villa jam supradicta quæ vocatur Leodio, circa verò mediam noctem (sicut solebat) exsurgens, solitarius, relictis discipulis solus ibat in nocturno ad orationem devotus, totam spem suam Deo committens; psalmorúmque canticis ac vigiliarum studio propè ad lucis ortum orando usque perduxit. Postea verò veniens, & cum baculo quem in manu tenebat pulsans ostium cameræ, vocans discipulos ait: Expergiscimini & levate, jam adpropinquat, & hora est ut psallemus Domino in matutinum lætitiæ. Conlevatísque Fratribus tunc unà cum illis Domino Matutinorum reddidit obsequia: officióque peracto & Cursu expleto reversus est domum, & pro tantis laboribus & multis operibus quæ semper ab exordio suæ infantiæ feliciùs peregit, & in ipsa nocte, sicut erat consuetus, in vigiliis diutiùs immoratus est, & multas Domino querulus fudit preces.

à Dodone cum armatorum manu irruente,

10. Præ nimia autem lassitudine (erat quippe valde gravatus) ad lectum vadens cupiebat quiescere paullulùm. At ille in stratu suo recubans, adhuc felici somno exspectabat dormire. Manè verò facto cùm fulgens aurora diei daret initium, unus quidam puer ex famulis ejus nomine Baldoveus, cujus ad vigilandum in ipsa nocte ante Domnum Apostolicum [a] fuerat jussum, exivit foras in accubitu domûs ipsius, & vidit turbam multam hostilis exercitus venientis, per turmas & cuneos, quam nebula sequens tegebat: & nonnulli qui sequebantur de ipso exercitu, viderunt super domum ubi ipse Domnus Apostolicus erat, sursum in altitudine inter cælum & terram Crucis dominicæ signum clariore auri metallo fulgens. Et erat multitudo copiosa virorum pugnatorum ad bellandum, & erant induti loricis & cassidis, clipeis & lanceis, gladiísque præcincti, & sagittas cum pharetris habentes. Armati verò præcedebant filium perditionis impiissimum Dodonem ferratis dentibus, sicut lupi rapacissimi ad degluttiendum & ad immolandam ovem Domini, quam Christus permisit in medio luporum ponere. Cùm verò Dodo & plurima multitudo sodalium ejus cum eo appropinquâsset, & intrare cœpisset, januis fractis, ostiis & sepibus disruptis, desuper adscendere cœperunt. Cúmque hoc vidisset memoratus puer, subitò currens nuntiavit Pontifici. Qui Pontifex in soporem conversus adhuc exspectabat felici somno dormire, nesciens quòd ad agonem properaturus esset. Tunc Sacerdos Dei Landebertus ilico discalciatis pedibus, ut fortissimus prœliator adprehendens gladium in manibus suis, ut contra hostes suos pugnaturus accederet. Sed Christus quem semper in auxilium sibi postulaverat, non longè ab illo erat. Sed apud Altissimum in quo consilium vivit sempiternum mansurum, tacita mente confisus, nec mora commutans gladium de manibus suis projecit in terram dicens: „Si fugero, gladium devitare possum: si autem perstetero, aut cadendum est, aut vincendum. Sed nec aliquando perdam victoriam meam; quia melius est mihi mori in Domino, quàm super iniquos manus

[a] En *Domni Apostolici* nomen quod aliàs Romanis Pontificibus aptari solet, etiam Landeberto Episcopo attributum.

injicere. Hæc eo dicente, ecce subitò venerunt impii ad ostium domûs ejus, & lanceas suas in parietes defixerunt. Tunc duo nepotes ejus PETRUS & AUDOLECUS * surgentes, arreptisque fustibus cœperunt fortiter percutere qui ingressi fuerant domum, & mox expulerunt eos à facie domûs. Tunc ait vir Dei Landebertus ad nepotes suos & ad juniores suos qui ibidem in domo erant: Si me verè amatis, Christum sicut ego diligite, & Domino JESU-CHRISTO peccata vestra confitemini: me oportet dissolvi, & cum Domino vivere. E quibus unus ex nepotibus suis nomine Audoënus, ait ad illum: Et non audis, domine mi, quòd foris inimici Dei clamant: Ignem mittite ut succendatur domus, & ardeant vivi? Tunc vir Dei Landebertus ait: Non timeamus persecutorum insidias, quia ignis erit illis perpetuus, qui manducabit carnes eorum usque in medullis suis donec deficiant: nos verò in Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Et ait ad nepotes suos: Recordate quòd rei & noxii vos in crimine isto fuistis. Nescitis quòd Deus non judicabit bis peccatores, nec peccata dimittit injudicata? sed quod tunc egistis injustè [a], modò recipite justè. Quid ad me vos venitis? ambulate ante conspectum illorum, & ibi quod dedistis recipite. Melius est carnes vestras ad lacerandum tradere, & manus vestras servare innoxias, ut spiritus vester salvus fiat in æternum. Tunc respondit unus ex nepotibus suis: Lege modò in voluminibus Domini tui, & perfice opus tuum quod cœpisti feliciter: & ut Dominus vult, ita erit de nobis. Tunc sanctus vir Landebertus arrepto psalterio istum versum primum reperit: *Quoniam requiret Dominus sanguinem servorum.* Sicut Zacharias quem interfecerunt inter Templum & altare, dum moreretur ait, Videat Deus & requirat: ita & iste invictus & firmus permansit. His dictis, omnibus extra cubiculum ejectis, prostravit se in terram extensis brachiis in cruce [b], orationem fundens cum lacrymis: & subitò pervenerunt carnifices, & ingressi domum interfecerunt in ore gladii omnes quos ibidem invenerunt. Unus autem ex ipsis adscendens super tectum cubiculi ubi sanctus Landebertus orabat, in ictu teli jaculavit eum: qui cursu beato consummato reddidit spiritum [c]. Cujus famulatui Angeli præstant obsequium, & cum magna claritate efferunt animam ejus. Corpus itaque beatissimi viri Landeberti pauci qui fideles erant & evaserunt ex famulis ejus, posuerunt illud in navicula sub vili tegmine operto, & navigantes venerunt usque ad sedem Pontificatûs sui Trejectensis.

Margin: CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII. — * *sic MSS.* — *Psalm. 9.* — occiditur cum suis. — Corpus ejus Trajectum delatum.

11. Audito hoc nuntio per opida, quòd Domnus Landebertus consummatus esset martyrio, contremuit universa regio, & in pavore conversa est, & loquebantur ad invicem mutuò: Si diutiùs in mundo habitasset, aucta potiùs opera incrementasset. Ideo utinam cum ipso interemti fuissemus, absentiam ejus ferre non possumus. Et ista sermocinantes, nullo modo quibant temperare à fletu: subitóque currente nuntio omnes plateas implevit rumor, civitas tota simul lamentabatur, repleti omnes tristitiâ & metu proceres cum silentio flebant amarissimè. Ergo cùm corpusculum ad portam pervenisset, petierunt eum ex more deponi de

a Hinc manifestum est, Landebertum necis Gallo & Rioldo inflictæ non fuisse participem, sed nepotes ipso inscio hanc cædem patrâsse.

b Addit Nicolaus, *ante altare SS. Martyrum Cosmæ & Damiani*: hoc est in loco ubi tempore Nicolai altare SS. Cosmæ & Damiani cernebatur. Non enim in Oratorio, sed in cubiculo necatus est S. Landebertus.

c Nempe XV *Kalend. Octob.* ut scribit Stephanus cum aliis Auctoribus & Martyrologis: & quidem anno circà DCC VIII, uti postea probabimus. Mortem S. Landeberti Sergio Pontifici Romano cælitus nuntiatam fuisse, Nicolaus dixisse primus videtur. at Sergius longè antè desierat.

CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII. in Ecclesia S. Petri sepelitur.

nave in feretro: quem inditum in Basilicam S. Petri deferunt Clerici, cum hymnis populi clamantes, ibique excubias vicissim agentes noctem pervigilem ducunt. Crastina autem die non fuerunt ausi decoratum parare sepulcrum, sed cum magno metu in tumba patris unà cum ipsius cadavere mancipatus est, & multùm festinanter saxo coopertus: ibique sub magno servatur honore, vallatus tumbâ resurrecturus jacet cum gloria. Ruit in obsequium funeris pæne omnis civitas. Tali pompa Pastor fudit cruorem in fine, & sic constipatus repositus est in sepulcro. Cujus Angeli Dei custodientes monumentum, diebus ac noctibus psallentes in ipsa Basilica, & adinstar vocis ipsius sancti ac beatissimi Landeberti cum aliis ejus simili modulatione dulcissima resonantes. Quem multi ex locis illis audientes & mirantes, cupientésque introïre Basilicam, nullo modo erant ausi intrare. Etiam cùm nonnulli adpropinquarent ad sanctum locum, ut certiùs audita intelligerent, mox paullatim silebant voces psallentium; cùm regrederentur longiùs, resonabat cantus audientium: sicque permanebat famulatus angelicus. O ineffabilis potentia Creatoris generis humani! quis potest investigare potentiam & misericordiam, qui tanta dignatus es ostendere servis tuis, ut non solùm animas eorum, sed & cadavera permittis custodiri ab Angelis tuis? Quis dubitare potest de promissis tuis, Redemptor sæculi, qui humanum non sinis genus perire.

Angelicæ voces ad ad ejus tumulum auditæ.

OBSERVATIONES

De causa, & anno martyrii S. Landeberti, ac loco ejus sepulturæ.

Variæ de causa mortis sententiæ.

1. *DE causa necis S. Landeberto illata variè sentiunt Auctores. Godescalcus, Vita primaria scriptor, à Dodone Pippini domestico id factum dicit in vindictam cædis Galli & Rioldi, quos Ecclesiæ infestos è medio sustulêre Landeberti nepotes. Godescalco subscribit Stephanus Leodicensis Episcopus in secundaria scriptione. Alii, in quibus Ado Viennensis Episcopus in Martyrologio, & Regino Prumiensis Abbas in Chronico, aliam proferunt causam, nempe* reprehensionem domûs regiæ: *id quod Sigebertus in Chronico, & Anselmus Leodicensis Canonicus interpretantur de correptione Pippino facta ob consuetudinem ejus cum Alpaïde, quam rejecta Plectrude legitima conjuge in thorum adsciverat. Vtramque rationem admittunt Nicolaus, Reinerus & Ægidius. Et primam quidem rejici non patitur Godescalci auctoritas: in secundam hîc paullisper inquirere juvat.*

2. *Venerabilis Beda in Martyrologio, Alcuvinus in epigram. 70, & quos in observationibus prævìis laudavimus Auctores veterrimi, Landebertum* Martyrem *quidem appellant, at nullam ejus martyrii adferunt causam. Primus post Godescalcum occurrit* HRABANUS Maurus, *qui ea de re ita loquitur in Martyrologio suo:* XV Kal. Octob. in Gallia prope civitatem Trajectum, in villa Liudovico *, passio Landeberti Episcopi, qui ab infantia Dei servitio mancipatus fuit Hunc verò Dodo, domesticus Pippini, machinatione pessima occidi fecit. *Quibus verbis Hrabanus cum Godescalco videtur consentire. Regino Abbas Prumiensis in Chronico ad ann. 622 aliam proponit facti rationem.* Ea ætate, *inquit*, claruit Landebertus Tungrensis Ecclesiæ Episcopus, qui dum regiam domum zelo religionis accensus increpasset, ab iniquissimo Dodone & aliis viris de palatio missis improvisò conclusus, intra domum Ecclesiæ in Leodico vico occiditur. *Eadem fere usurpant Ado & Notkerus ejus æquales in Martyrologiis suis. Sic enim habet vetustum quod penes nos est Adonis apographum:* XV Kal. Octob. natalis S. Lantberti Episcopi Tungrensis, qui cùm regiam domum zelo religionis increpasset, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquissimis viris de palatio regio missis improvisè conclusus intra domum Ecclesiæ occiditur: cujus demum sepulcrum creberrimis miraculis illustratur. *Obscuram horum scriptorum mentem ita explicavit post*

* l. Liudico

Anselmum Sigebertus Monachus Gemelacensis ad ann. 698. S. Lambertus Pippinum Principem increpare ausus, quòd pellicem Alpaïdem Plectrudi legitimæ uxori suæ superduxerat, à Dodone fratre ipsius Alpaïdis Leodii martyrizatur, & Trajecti tumulatur. CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII.

3. *Placuit hæc interpretatio sequioribus historicis, Nicolao Canonico Leodicensi, Reinero & Ægidio Monachis: qui licèt Godescalci sententiam probent, aliam nihilominus præferunt, utpote* digniorem passionis causam. *Inprimis verò Nicolaus Landebertum à Pippino Jopilæ commorante invitatum ad epulas scribit, & Alpaïdis scyphum sicuti & aliorum, signare jussum, id constanter abnuisse, atque indignabundum excessisse palatio, nec adduci potuisse ut rediret, aut Pippini cum Alpaïde commercium, matrimonii nomine adumbratum probaret. id quod Pippino & Alpaïdi excandescentiæ, Landeberto necis causa exstiterit. Quæ omnia ita narrat Nicolaus, homo annis ampliùs quadringentis posterior, quasi ipsi convivio interfuisset. Addunt Auctores isti, hanc S. Landeberti martyrii causam à Godescalco & Stephano fuisse dissimulatam, ne Pippini posteris Francorum Regibus parentis crimen exprobrari videretur.*

4. *Verùm ut hæc ratio valuerit in Godescalco; cur eam causam dissimulavit Stephanus, qui sub extremis Carolinæ stirpis Regibus vivebat? Sanè longè atrocior erat fabula de Caroli Martelli damnatione: quam tamen Hincmarus Remorum Archiepiscopus, Adrevaldus, aliique Auctores, imperante Carolo Calvo Martelli abnepote, in vulgus jactare non dubitarunt. Unde omnino incertum videtur, an Landebertus ob increpitum de pellicatu Pippinum cæsus sit: at verò alienum omnino videtur à tanti Principis bonitate & clementia, ut cædis istius fuerit auctor. Quod si exploratum esset id quod Carolus Cointius demonstrare contendit, Pippinum non ampliùs adhæsisse Alpaïdi, quum Landebertus martyrio affectus est; ab eo longè removenda istius facti invidia. Si conjecturis agere licet, factum illud hoc modo contigisse videtur. Gallus ac Rioldus, regii ministri,* in Ecclesiam sæviebant tot perversis operibus, *teste Godescalco*, ut nullus eos ferre posset, nec locus esset evadendi. *Landebertus forsan Pippinum ea de re admonuerat, ipsósque Gallum ac Rioldum redarguerat. At cùm nihil proficeret, ipsius nepotes utrumque cædunt. Dodo Pippini domesticus, Galli ac Rioldi consanguineus, istam cædem Landeberti nece porro vindicat. Certè Landebertus in Actis S. Hucberti tum ab anonymo ejus temporis æquali, tum à Jona Leodicensi Episcopo scriptis, pro ovibus* suis mortis dispendia subiisse *dicitur.*

5. *Quo anno sancti Pontificis martyrium acciderit, æquè incertum. Eum sedi Trajectensi* annos quadraginta *præfuisse tradit uterque Vitæ Hucbertinæ scriptor, & qui de gestis Pontificum Leodicensium agunt Auctores: at quo anno sedem inierit, controversia est. Sic verò eam componimus.* Remaclus *Amando successit in sedem Trajectensem anno circà* DC LII, *uti Sæculo 2 probavimus ad ann. 664, eámque tenuit annis decem, qui exprimuntur in Trudoniano Chronico MS. Remaclo post annos decem Stabulaum secedenti suffectus est* Theodardus, *qui Nemeti ad Childericum aditurus, prope ipsam urbem à nefariis satellitibus interemtus est. Childericus verò non statim à patris Chlodovei obitu, sed anno fere* DC LX *Austriæ Regno impositus, & anno* DC LXIX *Chlothario fratre mortuo etiam Neustriæ principatum obtinuit in annos quatuor: quo tempore non in Austria, sed in Neustria Regni sedem habuit. Theodardo necato* Landebertus *Childerici nutu subrogatus circiter annum* DC LXVIII: *qui cùm Trajectensem Ecclesiam per annos quadraginta (computatis exsilii annis septem) administraverit, ad annum* DCC VIII *pervenisse dicendus est. Neque audiendus Sigebertus, qui ejus necem ante annos decem collocat. Cujus error ex eo consequitur, quòd S. Amandi abdicationem removet ad annum* DC XXXVIII, *licèt Martinus Papa quo Pontifice Amandus secessionem fecit, Romanam Ecclesiam regere cœperit anno* DC XLIX. Annus martyrii expenditur.

6. *Neque seriùs anno* DCC VIII *remitti potest S. Landeberti martyrium. siquidem anno* DCC XIV *Leodici in ejus honorem jam erecta erat Basilica, in qua dum Grimoaldus pro Pippini patris ægrotantis sanitate preces funderet, à Rangario cæsus est, uti liber de gestis Francorum testatum facit cap. 50. Jam ergo ante annum* DCC XIV *quo Grimoaldi cædes contigit, posita erat S. Landeberto Basilica in martyrii loco: tametsi eò nondum corpus ejus illatum erat, ut postea dicetur. ac proinde Landebertus minimùm ante quinque aut sex annos sublatus è vivis fuerat.*

7. *Sepulturæ primariæ locum describit Nicolaus Canonicus in hunc modum.* Erant in ipso opido Trajecto duæ celebres Ecclesiæ, quarum una B. Mariæ perpetuæ virginis, Tungrensium Pontificum eo tempore secunda sedes habebatur. altera verò B. Sepulturæ locus.

Circa An. DCC VIII. Sept. XVII.

Apostoli Bartholomæi, quæ sanctissimi Confessoris & Episcopi Servatii meritis & corpore magnificè decorabatur. Sed in his venerabile beati viri corpus tumulare minimè præsumserunt, ne claritas loci augere videretur gloriam & honorem sepulti. Unde mane facto feretrum ejus sine aliqua funeris pompa intulerunt in quamdam Ecclesiam S. Petri Apostolorum Principis, in qua vir illustris Apra, quem S. Lamberti suprà memoravimus patrem, in lapideo sarcophago corpore requiescebat. Erat autem solitaria, sita fere in ipsa Mosæ ripa ad Orientalem clivum montis, quem incolæ Castra vocant, habens inter se & Trajectum quasi quemdam tramitem Jecoram fluviolum. *Postea verò Sancti corpus Leodicum translatum est, ut patet ex historia sequenti.*

LIBER DE MIRACULIS ET TRANSLATIONE.

Fur cælitus castigatur.

1. POSTHÆC in præfata villa Leodio, infra cubiculum ubi Sanctus Dei felicem fudit cruorem, luminaria ex divina accensa potentia resplendebant crebriùs: itaut omnis domus illa tota refulgeret quasi radius solis. Itaque remanserat ibidem pecten Pontificis optimus valde. Mulier autem quædam videns eum, cupiditatis stimulo exagitata rapuit eum, atque in propriam contulit mansionem. Quadam autem nocte apparuit per visum beatissimus Landebertus cuidam viro marito hujus feminæ, nomine Theodoëno, & ait illi blando eum compellans sermone: Reddat uxor tua pectinem nostrum, quem retinet injustè. Ille autem cùm à somno evigilasset, ordinem visionis conjugi suæ narravit. Illa autem visionem hanc pro nihilo habens, absque tædio utebatur ipso. Post modicum secundò apparuit præfato Theodoëno, & magna comminatione quod priùs mandaverat, ingeminando subnexuit, & quasi è navi exiens, baculum manu tenens, subito ictu per visum percussit illum in pectus: cui mox apparuit vulnus insanabile in ipso loco, & manet in eo tabes cum sanguine mista. Tunc cum metu reddidit quod blandè intellexit.

Cæcus visum recipit.

2. Igitur in supradicta villa Leodio cæcus quidam erat nomine Baldegisilus. Ille admonitus fuit per visum surgere & excubare ad locum, ubi vir Dei pro Christi nomine per martyrium sanguinem suum fudit. Expergefactus à somno statim lumina propria recepit, quasi numquam orbatus fuisset, & injunctam obedientiam perfecit, magnificans Dominum & S. Landebertum, pro cujus merito lumina vitæ præsentis recepit.

Item alius.

3. Item alius in eodem loco nomine Raginfredus duobus capitis luminaribus amissis, admonitus in somnis emundare locum pro sancti Pontificis martyrio reverendum, ubi se ad hoc opus incipiendum accingit, lumen recepit: sanus demum ab ipso loco non discessit, sed ad ipsum locum servire disposuit. Quo audito cœperunt homines Sanctum Dei debita veneratione de die in diem jugiter expetere, & cum magna diligentia locum illum venerari. Et jam cùm Basilicam populus ibidem cœpisset ædificare, auditis miraculis per universam regionem illam quæ Dominus pro servo suo dignatur ostendere, omnis populus laudes dabat Deo.

Basilica Leodici erigitur.

Oda cæca lumine donatur.

4. In illis diebus erat quædam virgo cæca nomine Oda, quæ cùm intellexisset signa & virtutes Dei manifestas, cum magna fide cœpit iter carpere ad sanctum locum. Cùm autem appropinquâsset, & qui cum ea erant locum illum cernerent, indicaverunt quòd jam propè esset de eo. Illa cum gaudio ex intimo corde nomen sancti viri invocare cœpit; continuò misericors Deus atque propitius omnibus qui invocant eum, reddidit ei quod antea numquam habuit, lumina scilicet præclara in oculis suis. At illa gratias agens Deo pervenit ad locum prædestinatum. Item ex hoc

amplius concurrebat mistus vulgo populus utriusque sexus, senes & parvuli, ad Basilicam Sancti ædificandam: sicque velociter consummata est. Similiter ubi virgo lumen ex fide recepit, credentibus in testimonium Basilica in ejus nomine est constructa & assiduè venerata. Etiam Fideles & devoti composuerunt lectum; & fabrili arte ornaverunt illum: & sic posuerunt illum in locum ubi jaculatus fuerat Pontifex. Ibi Dominus magnas & absque numero virtutes atque mirabilia operatur cotidie.

Circa An. DCC VIII. Sept. XVII.

Alia Basilica S. Landeberto posita & ara.

5. Post anni circulo expleto in visione nocturna S. Landebertus thesaurario Amalgisilo, qui olim judex ejus fuerat, apparuit; & leniter cum eo loqui cœpit. At ille causam adventus ejus diligenter interrogando inquirebat. Sanctus autem Landebertus respondens dixit illi: Fuimus visitare Romam, & inde reversi solliciti sumus de amico nostro Dodone & sociis ejus. Est enim tempus ut debitum exsolvant, & digna recipiant eorum quæ olim in nos impiè fecerunt. Visionem ablatam; confestim verba hujusmodi opera sunt secuta. Igitur Dodo qui primus & princeps in necem Antistitis cucurrit, ultione divina percussus, omnibus infra arcana repositis per os suum putrefactis & fœtidè projectis; infelicem & pessimam vitam finivit præsentem, post tantam pompam sæculi in profundum inferni retrusus sine fine cruciatur. Alii quorum numerus non est computandus; proximi consanguinei qui ibidem fuerunt [a], ininvicem gladiis sunt interemti. Ille autem qui propriis manibus pupugit eum, à germano suo crudeliter interfectus, in inferno funditus manet vallatus. Alii autem ex eis à dæmonibus vexati, & diversis generibus vocum ululantes quæ humana natura contremiscebat, audire Landeberti nomen & auscultare formidabant: & paucis ex eis expleto anno remanentibus, ceteri omnes pessima & turpissima morte præventi; miserrimam & amarissimam vitam amiserunt, & in igne perpetuo qui diabolo & angelis ejus præparatus est, pœnis & tormentis ineffabiliter cruciantur. Sanctus autem Landebertus insignis Martyr palmâ victoriæ coronatus, cum Angelis & Archangelis & cum omnibus semper exsultat in sæcula Justis.

Landebertus Dodonis interitum prænuntiat.

6. Suffragante Domino narrare volumus, quod nuper post aliquot annos S. Landebertus per visionem cuidam viro venerabili apparuit, ut sine aliquo cunctamine corpus suum ad Leodicum deferretur: & hoc idem Sacerdotibus & fidelibus viris Deum timentibus, multis revelatum est modis. Sanctus autem Hucbertus qui quondam Landeberti discipulus fuit, quique illo tempore in hac regione Pontifex erat, auditis his miraculis cum timore Dei festinans, ordinem rei diligenter inquisivit. Et cùm omnia sciscitatus esset, cum senioribus loci illius consilium iniens, & sciens quòd Dei nutu omnia revelata sunt, jussit ut corpus beati Pontificis absque ulla dilatione ad locum prædestinatum cum magno honore deferrent. Præparavit etiam vestimenta ornata quæ necessaria essent de sacratissimi corporis cura: & accessit cum multis Sacerdotibus & Levitis & ceteris Clericis psallentibus, & cum magna præterea Christianorum multitudine, quæ circa beati Martyris corpus psalmos & hymnos & cantica secundùm divinæ Religionis ritum pia devotione decantabat. At venerabilia membra Christi Martyris odore suavissimo fragrantia Hucbertus Pontifex solida & inlibata reperit, & cum timore & honore maximo de sepulcro elevans, in pretiosis vestimentis illa involvit: ea quoque quibus dudum fuerat indutus, sub sigillis cum magna cura reposuit. Hinc inde Fratrum fideliter psallentium chori cum cymbalis canoris organisque suavissima modulatione so-

Translatio S. Landeberti Leodicum.

a Clariùs apud Canisium. *Satellites autem Dodonis & consanguinei ejus crudeles qui in opere & in consensu S. Lambertum peremerunt, tumultuoso impetu inter se dimicantes, invicem se interfecerunt.*

CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII.

nantibus concinebant. Et hinc Angelorum agmina in excelsis psallentium, & omnipotentem Dominum de triumpho Martyris Landeberti laudantium, ab idoneis testibus visa & audita sunt. Porro omnis plebs vario concentu & intermisto gemitu, antiphonarum quoque sonitu concinens, & præ magnitudine tristitiæ vix hæc verba sequentia explicare potuit: O Pastor bone, cui hanc plebem servandam committis? ô dulcedo pauperum, ô illuminator gentium, noli deserere nos, quos divinis verbis, exhortationibus spiritualibus, sicut pater unicum filium admonebas & consolabaris.

Miracula in via facta.

7. His autem dictis turba multa rectum iter carpens, S. Landebertum prosequebatur. Refocillata autem plebe in loco qui dicitur Nivialla [a], contigit ut alius pauper cæcus cupiens feretrum attingeret, & lumen recepit, & cum magno gaudio laudes Dei vociferans & gratias ei & Landeberto referens pergebat. Egressæ inde turbæ corpus sanctum in villam cujus vocabulum Herimala * vexerunt. Dúmque ibi commorati essent paullulùm, ad augendam populi fidem, & ad famam Sancti accumulandam instigante Domino alius contractus in conspectu populi allatus est: qui cùm adspexisset feretrum, subitò omnes compagines membrorum ejus solidatæ & confirmatæ sunt, atque illo Landebertum prosequente omnis populus glorificabat Dominum. In præfatis autem locis in quibus Dominus has virtutes operari dignatus est, à fidelibus & devotis Christianis Basilicæ venerabiles in honore S. Landeberti ædificatæ sunt.

* Harralt

Basilica Sancto erigitur,

8. Posthæc turba universa cum Sancto ad optatum locum pervenit, ac omnes habitatores loci illius gaudentes ac exsultantes in occursum desiderati corporis exierunt, & cum honore magno susceperunt, & dignam ei præparaverunt mansiunculam, quæ opere artificum mirabili & copiosa mole auri & argenti & gemmarum & lapidum pretiosorum ac diversis structuræ speciebus in eumdem locum à potentibus collatis ita fabricata est, ut vix sermo narrantis sufficiat exponere. Ibíque, ut decebat, urbana & venerabilis mirifica Memoria [b] hac prægrandi Ecclesia composita est, ampliúsque cotidie devoti Christiani eum venerantur. Ibi cæci lumine recepto, leprosi plurimi scabie mundati, paralytici læsione corporis mundati, à dæmonibus vexati resipiscentes, divina largitate & gratia sani efficiuntur. Sed si quis singillatim omnia mirabilia quæ ibidem Deus per merita S. Landeberti assiduè operatur, ut gesta sunt nunc enotescere voluerit, fastidium legentibus introgabit. Pauca verò quæ de vita & de virtutibus [c] ejus narravimus, omnibus auditoribus fidem certam præstare debent, dum hodie juxta tumbam ejus in argumentum rerum probandarum cippi fracti ostenduntur, & plurimæ catenæ & compedes rumpuntur, claudi gressibus solidatis & diversis infirmitatibus vexati, omni languore de corporibus & anima eorum ablato, incolumes ad propria loca revertuntur. Dum autem in parvis præcedentibus temporibus multa quidem miracula sunt gesta;

miraculis celebris.

Cippi cum catenis ad Sancti tumulum appensi.

a Distinguendus hic locus, inter Trajectum & Leodicum situs, ab alio Nivialla etiam dicto in Bracbanto, ubi S. Gertrudis Cœnobium Virginum ædificavit, ut Sæculo præcedenti ad ann. 658 vidimus. S. Hucbertus Leodicensis Episcopus capturæ piscium *in prædio quodam Nivella cognominato* operam dedisse memoratur in propriis Actis, & hospitatus fuisse *in villa cui Haamula nomen est*, de qua paullo infrà.

b Memoria non rarò significat Oratorium aut altare, cujusque Sancti memoriæ dicatum. hîc sumitur pro tumulo seu loculo; siquidem Obertus Episcopus *Memoriam beati Martyris in quo jacebant sacratissima ejus Reliquiæ, auro coopertum excrustâsse dicitur* in primo Triumpho ejusdem Sancti.

c Hinc manifestum efficitur, eumdem esse Auctorem qui S. Landeberti Vitam, & qui hæc miracula descripsit. Et quidem Auctor in Prologo promiserat, se narraturum *Sancti Antistitis vitam ac virtutes*. Porro ejus qui hæc miracula litteris mandavit, ætas deprehenditur tum ex hoc loco, dum *parvis præcedentibus temporibus multa miracula gesta* fuisse commeomrat; tum ex anonymo S. Hucberti discipulo ejusque Vitæ scriptore, qui miracula in Translatione S. Landeberti facta scire cupientem, *ad schedulam gestorum ejus* remittit, uti hîc legere licet.

quis

quis modò digna æstimatione comprehendet; quanta & qualia per prolixa temporum spatia gerenda erunt; dum numquam juxta beati Præsulis atque gloriosi Martyris tumbam usque in hodiernum signa & mirabilia fieri cessent per auxilium Domini nostri JESU-CHRISTI, qui cum Patre vivit & regnat Deus in unitate Spiritus-sancti per omnia sæcula sæculorum, Amen. CIRCA AN. DCC VIII. SEPT. XVII.

FRAGMENTUM DE TRANSLATIONE S. LANDEBERTI

Ex Vita S. Hucberti Leodicensis Episcopi ab anonymo ejus discipulo scripta.

ANNO ordinationis S. HUCBERTI duodecimo crebras sibi prodidit perlatas sub noctis quiete visiones, quibus se commonitum fatebatur, uti à Trajectensi opido ossa levaret S. Landeberti, & in locum quo celebratam ejus passionem nosset, iterum humanda reduceret: quarum admonitio ejus animum inæstimabili recreavit gaudio. Attamen in quodam meditullio positus, cùm neque visioni certam fidem tribueret, neque omnimodis ei diffideret [a]; quod sic erat occultum, judicavit à Domino quærendum. Nam cunctis tam Monasterialibus indicto, quàm & civitatis Clericis, necnon & laicis jejunio, quæ sibi divina voluntas de his agere præciperet, magnopere requirere studuit. Tandémque edoctus, ancipiti submota sententia, tertiodecimo anno [b] Præsulatûs sui, cœtu sibi Clericorum adjuncto, necnon populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Episcopis & Sacerdotibus, tumulum viri Dei adiit, ibidémque spirituales observantes excubias, Divinitatémque pulsantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, ut quæ Antistiti suo facienda mandaverat, quò perficerentur cœptis annueret, secundósque proventus attribuendo suam voluntatem ut taliter fierent cunctis palàm ostenderet. Quorum piis votis omnipotentiæ Divinitatis annuere libuit. Nam cum maxima veneratione urnam qua sanctissimus cinis conditus servabatur, adeuntes, absque aliqua difficultate busta beati viri ex loculo protulêre, & cum magno gaudio quà venerant referentes, in loco quo passus est, terræ mandavêre [c]. Quantis autem qualibúsve miraculis Dominus suum velle in tali facto per omne iter reversionis eorum commendârit, schedula gestorum ejusdem sancti Pontificis adnotata continet. Fabricâ ejusdem Basilicæ quâ beati viri conditæ sunt Reliquiæ, qualiter ab eodem sancto viro Hucberto ordinata sit, quia oculis videntium se offert, de ea aliquid dicere supersedi [d].

Translationis tempus & modus.

a Imitanda sanè religio pii Antistitis, ut non facilè Sanctorum corpora loco moveantur. Nec licèt specie loci honestioris id impunè tulit S. Quintianus Episcopus Rutenus teste Gregorio Turon. in lib. de Vit. PP. cap. 4, qui *auctâ B. Amantii Antistitis Basilicâ, sanctum corpus in eam transtulit, sed non fuit Sancto acceptabile hoc opus. Unde factum est, ut per visum apparens diceret ei: Quia ausu temerario artus in pace quiescentes visus es amovisse, ecce ego removebo te ab hac urbe, & eris exsul in regione altera.* Lege Præfationē hujus Sæculi & præcedentis.

b Anno scilicet DCC XX, aut insequenti. S. Hucbertus obiit; non anno DCC XXXV, ut scribit Sigebertus; sed anno DCC XXVII. Siquidem S. Hucberti Translatio facta memoratur *anno* ab ejus obitu *sextodecimo*, *Carolomanni tertio*: qui annus convenit in annum Christi DCC XLIII. Historiam Translationis S. Hucberti in Monasterium Andaginense referemus Sæculo sequenti ad ann. Christi 825.

c Vides Sanctorum Reliquias etiamtum non sublimibus locis positas, sed humo fuisse mandatas.

d His addit Reinerus Monachus cædem Grimoaldi, quam malè post paucos annos *Translationis S. Landeberti* collocat, cùm eam præverterit, ex dictis. Incertum est id quod subdit Reinerus de auctore cædis: *Perimitur*, inquit, *à quodam Satellite Rabbodonis Ducis Frisionum, cujus filia à patre sub Pippino sibi desponsata connubium exspectabat. Sed Rabbodo id impune non tulit, cujus instinctu innocens occubuit Grimoaldus. Nam non multò post idem Rabbodo mirabiliter à dæmone ludificatus, periit subita & æternali morte.* Certè ante mortem suam Grimoaldus *uxorem habebat in matrimonio nomine Teusindam, filiam Ratbodi Ducis*, ut testatur auctor libri de Gestis Franc. cap. 50. Et Ratbodus post Grimoaldi cædem annis quinque supervixit.

Anno Ch. DCC VIII. Sept. XVII.

APPENDIX

De aliis S. Landeberti Miraculis & Translationibus.

1. PRÆTER *ea quæ hactenus de S. Landeberto adduximus, alia referuntur miracula, Translationésque seu delationes Reliquiarum S. Landeberti, tum apud Anselmum & Ægidium in lib. de Gest. Pontif. Leod. tum in duobus libris singularibus, qui uterque* Triumphus S. Lamberti *inscribuntur. Duplicem illum Triumphum exintegro hîc repræsentare non visum est opera pretium; sed ea dumtaxat quæ ad S. Landebertum pertinent, carptim excerpenda duximus, ne bella & pugnas Leodicensium Episcoporum ibi fusè descriptas repræsentare videamur. Vtramque istius Triumphi historiam edidit Jacobus Chapeavillus Tom. 2 de Gest. Pont. Leod. quem consulant Lectores, si velint. Audiendus primò Nicolaus Leodicensis Canonicus, qui sic loquitur cap. 12.*

S. Landeberti miracula.

2. Est insula quædam in Baugaria, continens Monasterium in Sancti honore constructum, ubi quòd sæpissime ad Memoriam Martyris miracula fiant, fama referente cognovimus. In Werzeburgensi pago vicus est habens Ecclesiam B. Martyris ac Pontificis nomini dicatam, ad quam annuo passionis ejus die confluens cum diversorum munerum xenio provincialium concio, dum devotè student offerre carnalia, cum spiritualibus animarum subsidiis, leprosorum quoque corporum sæpissime gaudent inde se reportare medicamenta.

Nortmannorum tempore anno 881.

3. *Ægidius Monachus eodem loco addit.* Processu temporis FRANCONE Præsulatûs Leodiensis functo dignitate, Nortmanni, gens scilicet beluina, feritate spirans, Leodium violenter irruperunt, & municipiis confractis atque combustis, civibus etiam immoderata cæde fusis & substantiis eorum sublatis, ad ultimum Ecclesiam S. Lamberti incendio consumserunt, eam solo coæquantes, sola ruinæ & combustionis vestigia reliquerunt. Deinde ad locum in quo sanctum corpus venerabatur, barbarica præsumtione volentes accedere, & optima quæ invenirent diripere, divinitus incussa formidine resilientes aufugerunt. Qui fugientes hoc modo fugam suam consolabantur, dicentes sibi dispendium venisse, quòd solam & non adeo pretiosam circa Martyris corpus micantem fabricaturam non abstulissent. Detecto itaque Sanctuario, & Sancti sepulcro flatibus ventorum & pluviis exposito, mirabilis virtus Omnipotentis apparebat in laude sui Martyris, quòd toties compluta undique imbribus terrâ, & circumquaque nivibus opertâ, super sepulcrum ejus nec pluviæ gutta defluebat, nec crispata nivium conspersio insidebat. Mirum erat & insolitum, quòd locus corporis sacri nudo aëri patens, siccum aërem suscipiebat, humidum verò respuebat.

Stephani Episcopi.

4. Tempore verò Præsulatûs domini STEPHANI, qui vitam illius eleganti narratione exposuit, cæca à nativitate mulier divinitus per visionem admonita est, ut B. Martyris Monasterium adiret, & aliquid potabilis haustûs sibi peteret: quo gustato ipse haustus ad oculos ejus saluberrimus adscenderet, eósque illuminaret. Credidit illa visioni, & lucem hactenus inexpertam accepit.

5. *Tum Anselmus.* Villula quædam est Lovaniensi opido proxima, cujus etiam participans nomini Lovaniolum est appellata. Continetur illic Ecclesia, cujus Presbyter retulit multa se vidisse & audisse in eodem loco gesta per merita S. Pontificis miracula, *&c.*

6. *Hactenus Anselmus & Ægidius. Nunc primi Triumphi historiam defloremus.*

Occasio primi Triumphi S. Landeberti.

7. Anno Inc. Dominicæ M XCVI, *inquit anonymus Auctor illius temporis*, regnante HENRICO III hujus nominis Romanorum Imperatore, anno regni illius XL, factus est concursus innumerabilium Occidentalium populorum ad civitatem Hierosolymorum, quæ à Paganis possessa, in opprobrium Christianæ Religionis eorum sacrilegis ritibus contaminabatur. Erat ea tempestate Dux Lotharingiæ GODEFRIDUS Godefridi Gibbosi ex sorore nepos, ea intentione quâ ceteri, sed majori devotione quàm plures alii, *istius expeditionis ergò* possessiones suas vendebat, & earum pretium secum deferebat. Huic inter cetera possessionis suæ prædia erat castrum Bullonium * nomine, naturæ opere valde munitum, quod inter confinia duorum Regnorum positum, Francorum videlicet & Lotharingorum, adjacentibus utriusque Regni provinciis hinc inde non minùs damnosum erat quàm terrificum. Rupes enim adjacenti flumine Simoï indirectum procedens, & in enormem se attollens magnitudinem, inaccessibilem se profitetur. *Castrum illud emit* OBERTUS tunc temporis Ecclesiæ Leodicensis Episcopus, conditione interposita, ut si infra tempus præfinitum à Godefrido vel à successoribus ejus tribus non redimeretur, dein-

* *Bouillon*

ceps possessio Ecclesiæ adsignaretur. Episcopus miseriis pauperum compatiens, Memoriam B. Martyris, loculum scilicet in quo jacebant sacratissimæ ejus Reliquiæ, auro coopertum excrustavit, & in majori Ecclesia & omnibus totius Episcopii Ecclesiis, aurum, gemmas, &c. detraxit, & mille trecentis argenti purissimi marcis undecumque corrasis prædictum castrum emit. Dux quidem & fratres sui Hierusalem adierunt, ubi strenuè rem vitámque consummaverunt, heredes subscripti diem obierunt; & sic possessio Bullonii in jus ditionémque Leodicensis cessit Episcopii. Sub duobus sanè post Obertum Præsulibus idem castrum cum pace & quiete possessum est. Turbato rerum statu in toto fere orbe Romano sub duobus Apostolicis INNOCENTIO & ANACLETO, nactus opportunitatem quidam Comes Barrensis, RAINALDUS nomine, Bullonium corruptis custodibus intravit, ALEXANDRO *sedem Leodicensem regente*: post cujus excessum Clerus & populus subrogavit sedi Leodicensi ALBERONEM Primicerium Mettensis Ecclesiæ. *Hic* adeptus sedem pontificalem Romam adiit, querelam suam in auribus B. Petri deposuit. At Rainaldus hoc pridem sibi caverat. Quapropter Episcopus secundò rediit, nec apud Regem, nec apud Vicarium B. Petri ullam consecutus misericordiam. *Quin Rainaldus irritatus*, opidum quod à situ loci Fossis dicitur, occupavit & incendit. *Albero modis omnibus frustra tentatis, Bullonium armis repetere statuit; & obsidione facta, Landeberti Reliquias rogatu militum suorum in castra deferri præcepit: quo facto arcem obtinuit. Hic est primus S. Landeberti Triumphus, carptim ex verbis Auctoris descriptus: cetera legesis apud Chapeavillum.*

ANN. CHR. DCC VIII. SEPT. XVII.

8. *Posterioris Triumphi hæc fuit occasio.* HUGO *Leodicensis Episcopus* castrum de Moha *ab Alberto Comite primùm quidem pia donatione, postea etiam pecunia summâ adhibitâ obtinuerat. Alberto mortuo* HENRICUS Dux Brabantiæ, ejus consanguineus, convenit Episcopum, volens in castro de Moha custodes suos ponere. *Episcopo abnuente, Dux Brabantiæ convenit* OTTONEM Regem filium Ducis Saxonum apud Maguntiam *comitia celebrantem* anno Domini MCCXI, habitóque consilio hanc ab ipso lætus accepit sententiam, aut cives Leodienses voluntati Regiæ omnino submittere, aut ipsorum civitatem divitiis spoliatam incendio cremare. Congregato Dux immenso suo exercitu, castrum de Moha obsidere se velle simulans, cognito Episcopum advenisse, irrupit Leodium, Waleranni ductus & fretus consilio. Anno igitur Verbi incarnati MCCXII in Adscensione Domini, pariter & Inventione S. Crucis, horâ sextâ, oppressa est civitas Leodiensis à propriis filiis Brabantinis, qui irrumpentes in urbem, nec Deo, nec Ecclesiæ, neque ordini, ætati aut sexui deferentes, majoris Ecclesiæ gazophilacium spoliaverunt fregerúntque Sacrarium. Corpus Dominicum de vase in quo erat sine ulla producentes reverentia, sanctas ibidem effuderunt hostias, insuper sacræ Unctionis effuderunt oleum. Et ut paucis concludam singula, omnes fractæ Leodiensis urbis Ecclesiæ, libri, vestes, vasa sacra sublata sunt omnia. Universa quoque loca Ecclesiæ contaminata & confracta sunt præter nostri mausolæum Martyris, beati etiam Nicolai cryptulam, necnon & B. Ægidii Basilicam. Convocato autem Episcopus apud Hoïum concilio omnium Prælatorum totius suæ diœcesis, super his quæ contigerant, coram eis deponit querimoniam, ipsum Ducem Comitem quoque Guelriæ & eorum complices & fautores excommunicans in præsentia singulorum. Decretum est in ipso concilio, ut imago Crucis & Sanctorum Reliquiæ spinis circumdatæ in omni prosternantur Ecclesia totius diœcesis: organa suspendantur, & singulis Dominicis festivisque diebus fiat proclamatio pro prædicto scelere, insuper in Ducem & in omnes complices præfata sententia sollemniter renovetur. Est igitur primitus in majori Ecclesia imago Crucifixi deposita, & SS. Theodardi & Maldabertæ virginis Reliquiæ ad ejus dexteram sunt positæ: ad sinistram verò Petri & Andoleti & S. Floriberti Episcopi & Confessoris. Anno MCCXIII. in custodia *de Steppes commissum est prælium ab Episcopi copiis adversus Ducem.* Leodienses Patroni sui Lamberti nomen invocaverunt; cujus audito nomine statim hostes terga dedêre fugantibus, &c.

Triumphi posterioris occasio.

NOTA.

9. A cæde barbarorum diœcesano revertente exercitu decretum est ex communi consensu Capituli, ut in omni hebdomada apud majorem Ecclesiam B. Martyris agatur memoria, sicut & sabbatis de beata statutum est Virgine. Anno MCCXIX rogatus à Duce Pontifex ipsâ triumphi vigiliâ intravit Ecclesiam, festum ipsum prohibens ultrà fieri, quod jam per septennium fuerat celebratum: convocatísque majoribus & adsensum præbentibus voto suo, sic recessit. Facto mane Clerus unanimiter convenit Episcopum, prohibitioni factæ nequaquam ultrà consentiens: & sic reversus ad Ecclesiam, sollemnitatis residuum, hoc est Missam & Vesperas celebriùs quàm potuit exsecutus est. Ex eo autem tempore Triumphi hujus annua facta est memoria.

S. Landeberti commemoratio per hebdomadam præcepta.

NOTA consensum Cleri ad festum rescindendū.

ANN. CHR. DCC VIII. SEPT. XVII. Reliquiæ translatæ.

10. *Sæculo medio inter utrumque Triumphum, hoc est* anno M C XLIII, quartodecimo Kal. Januarii, *teste Jacobo Chapeavillo in Notis ad Prologum Stephani Episcopi ad Vitam S. Landeberti*, facta fuit Leodii repositio Reliquiarum B. Lamberti Martyris de vasculo in quo post passionem à S. Huberto Episcopo locatæ fuerant, in vas aliud quod in honore ipsius decenter fabricatum fulgebat, præsente Alberone secundo Ecclesiæ Leodiensis Episcopo, adstante frequentia procerum & Cleri. Huic repositioni cum aliis interfuit quoque Wedericus tertius Letiensis Abbas, electus anno M C XXIV, pòst Abbas Monasterii Vedastini apud Atrabates: atque inde maxima & pretiosa dona Letiam retulit, videlicet os de corpore ipsius Martyris, & de cinere tam carnis ipsius quàm vestimentorum & lectuli in quo primò sepultus fuit, quæ x Kalend. Januarii cum gaudio Letiis exceptæ sunt, & in vasculo argenteo reconditæ hactenus possidentur. *Certè in minutis additionibus ad Bedæ Martyrologium hæc leguntur apud Bollandum ex MS. cod. Letiensi desumta:* Decimo Kal. Jan. Adventus Reliquiarum S. Lamberti Mart. atque Pontificis, quas venerandæ memoriæ Domnus WEDRICUS hujus loci Abbas tertius ab Episcopo Leodiensi Alberone II devotissimè impetravit, Eccclesiæ Lætiensi x Kalend. Jan. sollemniter invexit, sollemnitérque ipsius diei memoriam quotannis celebrandam instituit. *Aliæ Reliquiæ S. Landeberti in majori Ecclesia Leodicensi B. MARIÆ ipsíque Landeberto sacra adservantur: caput quidem in scrinio peculiari, cetera in theca pretiosissima.*

ANN. CHR. DCC VIII. OCT. XVI.

REVELATIO SEU APPARITIO

S. MICHAELIS ARCHANGELI

IN PARTIBUS OCCIDUIS,

hoc est in monte Tumba in Gallia.

Scripta ab Auctore anonymo ante sæculum X.

Ex MSS. Codd. nostro Germanensi & Chesniano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *NON ab re fuerit paullum digredi extra metas, ut locum demus celebri S. Michaëlis Apparitioni, quæ rebus Ordinis nostri non parum attulit splendoris. Hæc quippe occasionem præbuit exstruendo perinsigni Monasterio S.* Michaëlis in monte Tumba, *seu* in periculo maris *dicto, quod* RICHARDUS *primus Nortmannorum Dux Monachis Benedictinis concessit, exclusis ob vitam solutiorem Clericis, qui montem antè à Monachis occupatum incolebant. Auxit loci famam & frequentiam religio Monachorum, qui in angusta montis abrupti crepidine magnificam condidère Basilicam, ducentorum & triginta octo pedum longitudine, altitudine centum supra triginta quinque; regulares autem ædes paullo infra-circum Basilicam, quibus accessit in declivi montis latere aquilonari opidum, Patroni sui præsidio & situ loci firmissimum adversus Galliæ hostes munimentum. Istuc voti causâ frequentes ex universa fere Europa concurrunt peregrini: quos inter Galliæ Reges non pauci, nempe Ludovicus VII, & S. Ludovicus, Philippus III, Carolus VI, Ludovicus XI, adeòque Henricus II Angliæ Rex, suam loco præsentiam exhibere dignati sunt. Istic Ludovicus XI jam dictus S. Michaëlis equestrem Ordinem instituit, cujus generalia comitia quotannis eòdem convocari diu moris fuit. Guillelmus Major Andecavorum Episcopus electus anno* M CC XCI, Colinum *quemdam removit ab incesta consuetudine, eâ pœnâ impositâ,* quòd ipse in die Pentecostes publicè in Ecclesia sua peram & baculum à Sacerdote, ut moris est, acciperet, inde iturus nudis pedibus ad montem B. Michaëlis in monte Tumba: qui Sacerdos exponat ibidem populo causam, quare dictus Colinus sic vadit in montem B. Michaëlis, & quòd sit ei ex parte nostra injunctum in pœnam dicti publici incestûs, *inquit Guillelmus ipse in libro de gestis suis cap. 19 Tomo 10 Spicilegii Acheriani.*

2. *Tempus factæ Apparitionis revocant loci veteres chartæ ad annum* DCCVIII; *Ecclesia vero à S. Autberto constructa dedicationem ad annum insequentem, quum Childebertus tertius Francis imperabat. Rodulfus Glaber in Vita Roberti Regis* Ecclesiam B. Michaëlis *laudat*, quæ, *inquit*, constituta in quodam promontorio litoris Oceani maris, toto orbe nuncusque habetur venerabilis. *Sanè* Edelredus Angliæ *Rex teste Vvillelmo Gemeticensi Monacho in lib. 5 cap. 4*, satrapis suis regio more præcepit, ut euntes totam Nortmanniam rapinis & incendiis exterminarent, solummodo Archangeli Michaëlis monti parcerent. *Quinetiam Angliæ Præsules in Oxoniensi Concilio statuerunt anno* MCCXXII, ut dedicatio S. Michaëlis in monte Tumba à Rectoribus Ecclesiarum devotissimè celebraretur: *quod in tota provincia Lugdunensi secunda & plerisque aliis Gallicani Regni Ecclesiis olim observatum.* ANN. CHR. DCC VIII. OCT. XVI. Apparitionis tempus & memoria.

3. *Qui subjectam Apparitionis & dedicationis historiam descripsit Auctor anonymus, vixit paullò post id temporis quo res contigit, certè antequam istuc inducerentur Monachi, hoc est ante annum* DCCCCLX. *Et quidem codex noster Sancti-Germanensis* * *quo usi sumus, scriptus fuit jussu* ADRALDI, *anno* MLX *Abbatis Cœnobii S. Germani de Pratis, uti faciunt fidem hi versus ab Ingelardo Monacho exscriptore exarati:* Scriptor. * n°. 468.

Abbatis Domni nutu probitate decori
ADRALDI, Monachus quidam Prior arte modestus
Libris intentus, horum reparator amœnus
SIGVVINUS, scribi librum præceperat istum.
Quem si quis tulerit, maledictus fine peribit.
Hunc INGELARDUS decoravit scriptor honestus.

Præter hanc Anonymi lucubrationem, est & alia ejusdem argumenti scriptio in Bibliotheca Cœnobii S. Michaëlis, quibusdam locis interpolata.

1. POSTQUAM gens Francorum Christi gratiâ insignita longè latéque undique per provincias superborum colla perdomuisset, CHILDEBERTO Rege monarchiam totius occiduæ & septemtrionis, necnon & meridiei partis strenuè gubernante, quia omnipotens Deus non solùm in omnibus gentibus, verumetiam in omnibus mundi quem ipse fecit subjectorum spirituum partibus principatur; beatus Archangelus unus ex septem in conspectu Domini semper adsistentibus, qui etiam & paradisi præpositus salvatorum animas in pacis regione collocaturus legitur, post eam manifestationem qua se in monte Gargano [a] ad adorandum ac glorificandum quomodo & qualiter voluit, sicut in scriptis habetur, ostendit; his, ut comprehensum est, per B. Archangelum patratis, inluminatis Christi gratiâ cunctis gentibus, in Orientalibus Romaniæ partibus accipe quibus sese indiciis manifestare idem beatissimus Princeps civium supernorum voluerit Præsulem Occidentalium populorum: ut qui quondam benedicto in patriarchis populo Israëlitico defensionis attribuerat opem, ipse custos exsisteret ac prævius vocatis filiis per adoptionem. Namque legitur in visione Danielis Prophetæ dicente eidem Angelo: *Nemo est adjutor meus in omnibus his nisi Michaël Archangelus Princeps vester.* Princeps, inquit, vester, populi videlicet Judæorum. Christo verò Domino in propria venienti, atque à suis non recepto, quin potiùs prodito, ipso ad Patrem remeante, dum aboletur observatio priscæ legis, constabilitur adnuntiationis Evangelicæ admirabile sacramentum, dum exeunte per omnem terram sono Apostolorum, cerimoniæ transferuntur sacrorum per ministeria Angelorum. Aiunt etenim historiæ Ecclesiasticæ, quòd post passionem & adscensionem Domini ad cælos, post diu exspectatam Israëlitarum plenitudinem, cùm appropinquaret tempus desolationis civitatis & templi quam Salvator sacro venturum prænuntiaverat eloquio cum fletu humanitatis, Ecclesia apud Hierosolymam monitu Divinitatis per cunctum orbem gentibus evangelizatura diffunditur. Cúmque congregatus undique ex omnibus locis populus Paschalis festivitatis præstolaretur diem, Sacerdotibus solitas excubias observantibus, voces subitas vigiles audivit dicentes: Migremus ex his sedibus. Voces verò subitò per Angelos emissæ, quæ enuntiaverunt beatorum spirituum demigrationem, angelicum ministerium insinuarunt ad Ecclesiam gentium transferendum. Ex quibus patenter insinuatur, quòd beatus Michaël Archangelus ministerium quod exercuerat in Dei quondam populum, eumdem sortitus sit apud Gentium ele-

Childeberto Rege, [a] apparet S. Michaël in Gallia, Synagogæ quondam, nunc Ecclesiæ Patronus. Dan. 10 21.

[a] Mons Garganus sexto miliari distat à Siponto novo seu Manfredonia Apuliæ urbe maritima, Gelasio I summo Pontifice S. Michaëlis Archangeli apparitione & cultu consecratus.

ANN. CHR. DCC VIII. OCT. XVI.

ctionem. Hæc ita esse devotio credit Fidelium propter ostensionem signorum. Notum enim se fieri voluit mortalibus ætatis nostræ temporibus, quo se humanum genus in electorum spirituum societate cognosceret devocatum. Denique advertendum est, quo mysterio locum mortalibus præviderit in partibus occiduis, ubi ex omni orbe confluit venerantes angelicum imprecatura subsidium religiosa multitudo Fidelium.

CAP. I. *De situ loci.*

a

*al. *Sei* vulgò *Sée*

* *Selune*

**id est* Arca Noëmi

* *Avranches*

b

c

* nunc *Beauvoir*

2. HIc igitur locus Tumba [a] vocitatur ab incolis, ideo quòd in morem tumuli quasi ab arenis emergens in altum, in spatio ducentorum cubitorum porrigitur, Oceano undique mari cinctus locus, angustum admirabilis insulæ præbet spatium, inter ostia situs, ubi immergunt se mari flumina Segia *, necnon & Senuna *; præbens quoque habitantibus hinc inde non breve nimiùm spatium. Longitudine verò ac latitudine à radice qua prominet non multùm distat (ut conjicitur) ab eo opere *, quo salvatum, immo servatum est humani generis incrementum. Qui ab Abrincatensi * urbe sex distans milibus, Occasum prospectans, Abrincatensem pagum dirimit à Brittannia. Nulla ibi exerceri valet actio mundalis; his solis congruus exstat locus, qui Christum sedulè venerari disponunt: & hos suscipit, quos ad æthera ardens virtutum amor evehit. Copia tanta piscium ibidem reperitur, quæ plerumque fluminum marisque infusione congeritur. Procul verò cernentibus nihil aliud fore quàm spatiosa quædam, immo speciosa turris videtur. Sed & mare recessu suo devotis populis bis inde desideratum iter præbet beati petentibus limina Archangeli Michaëlis, qui primùm locus, sicut à veracibus cognoscere potuimus narratoribus, opacissimâ silvâ claudebatur longè ab Oceani [b] (ut æstimatur) æstu milibus distans sex, altissima præbens latibula ferarum. Et quia secretiora cæli per contemplationem subtilitatis rimari volentibus gratissima esse solent remotiora eremi loca, inibi olim inhabitâsse comperimus Monachos, ubi etiam usque nunc duæ exstant Ecclesiæ [c] priscorum manu constructæ. Nam ipsi Monachi ibidem Domino servientes dispensatione cuncta regentis Dei sustentabantur, Presbytero quodam de villa quæ dicitur Asteriacus *, taliter eis ferente auxilio. Nam ut illis sine quo humana non potest exigi vita, deerat victus, fumo signifero discurrente altàque cæli petente, onerabat asellum dapibus dilectione vera farcitis: sicque duce invisibili prævio, per loca ibat invia, ac redibat ferens Domini jussa illisque necessaria. Sed quia hic locus Dei nutu futuro parabatur miraculo sanctique sui Archangeli venerationi, mare quod longè distabat paullatim adsurgens, omnem silvæ magnitudinem sua virtute complanavit, & in arenæ suæ formam cuncta redegit, præbens iter populo terræ ut enarrentur mirabilia Dei. Jam verò ad illud veniendum est, qualiter idem beatorum Princeps spirituum angelica revelatione dedicaverit prædictum locum.

II. *De constructione loci per angelicam revelationem.*

d

1. Joh. 4. 1.

3. QUODAM tempore cùm religiosissimus & Deo amabilis præfatæ urbis [d] Antistes AUTBERTUS nomine sopori sese dedisset, admonitus est angelica revelatione, ut in jam dicti summitate loci sancti construeret in honore Archangeli ædem: ut cujus celebrabatur veneranda commemoratio in monte Gargano, non minori tripudio celebraretur in pelago. At Sacerdos dum revolvit illud Apostoli, *Probate spiritus si ex Deo sunt*, iterata est admonitus visione, quò perficeret quod jubebatur. Et quia spiritus Prophetarum non semper est Prophetis subjectus, distulit adhuc Præsul constructionem, sed adhibuit intercessionem, quatenus istiusmodi negotium Domini nostri JESU-CHRISTI simùlque beatissimi Archangeli agnoscere valeret deliberationem. Contigit per idem tempus ut taurum cujusdam, quem furtim quidam instinctu pravitatis subtraxerat, in ejusdem deponeret saxi cacumen, ut dum is qui amiserat juvencum, reperiendi amitteret spem, turpe latrunculus lucrum efficeret ex eodem. Interea

a Montem *ad duas Tumbas* appellant Odo Abbas Glannafoliensis in epistola ad Adelmodum, & alii quidam, ob duas videlicet montis crepidines. de quibus infrà. Hîc mirari subit audaciam Pseudo-Chronologi sub nomine & larva Lucii Dextri, qui hæc omnia ad Hispaniam detorquet, ad annum Christi 516.

b Codex Chesnianus habet: *ab Oceano (ut æstimatur) octo milibus distantibus*, &c.

c Nempe una in honorem S. Stephani protomartyris, alia in honorem S. Symphoriani, quæ ampliùs non exstant.

d Non Camaraci, ut putavit Baronius, cognominis Autberti longè antè Camaracensis. Episcopi vocabulo deceptus.

tertia admonitione venerandus pulsatur Episcopus austeriùs [a], ut qui non adquieverat bis admonitus, locum adiret celeriùs, à quo tamen se sciret egrediendum nullatenus, priusquam perficeret quod fuerat jussus. Ad cujus fidei confirmationem monstratur etiam ibidem usque in præsens petra quasi digito hominis inscripta, super quam memoratus Episcopus resedit, quousque opus ad finem adduxit. Percunctanti igitur Episcopo qui ædificationi congruus posset videri locus, angelica in hunc modum est responsione dictatum, ut loco eo ædificaretur ædes, quo inerat taurus absconditus & religatus. Cúmque de loci requireret amplitudine vel quantitate, eisdem cognovit responsis ædificationi eum debere statuere modum, quem videret juvencum in circuitu protrivisse. Posthæc jussum est ut suo præreptus domino restitueretur taurus. Venerabilis ergo Episcopus de visione certissimus, cum hymnis & laudibus prædictum locum ingressus, exercere imperatum opus adgressus est: congregatáque rusticorum maxima multitudine locum purgavit, atque in spatium complanavit: in cujus medio duæ præeminebant rupes, quas operantium multorum movere non poterant manus, nec à suo divellere statu. Qui cùm diu hærerent, nec omnino quid facerent invenirent, nocte insequuta visio apparuit cuidam homini nomine BAINO in villa quæ dicitur Icius *, qui duodecim filiis ampliatus magnam inter suos tenebat dignitatis gloriam. Hic ergo per visum monitus vt cum laborantibus & ipse labori insisteret, festinus ad locum cum filiis venit, impleturus quod fuerat jussus. Quò cùm pervenisset, fretus auxilio sancti Michaëlis Archangeli, quod humana non poterat virtus, mirum in modum tam facilè molem tantæ magnitudinis removit [b], ut nullum pondus inibi esse videretur. At omnes in commune laudantes Deum sanctúmque Archangelum Michaëlem, cœpto attentiùs insistebant operi. Cúmque jam dictus Episcopus de magnitudine construendæ fabricæ adhuc dubius cogitaret, nocte media, sicuti quondam Gedeoni in signum victoriæ, ros jacuit super verticem montis; ubi autem fundamenta locanda erant, siccitas fuit, dictúmque est Episcopo: Vade, & sicut signatum videris, fundamenta jace. Qui statim omnipotenti Deo gratias agens, sanctíque implorans Archangeli Michaëlis auxilium, exsurgens gaudens & lætus opus illud adgressus est.

* Huynes

4. Exstruxit itaque fabricam non culmine sublimitatis celsam, sed in modum cryptæ rotundam, centum (ut æstimatur) hominum capacem, illius in monte Gargani volens exæquare formam, in modum prærupti silicis angelico apparatu facta terrigenis ad laudem & gloriam Dei habitatione: manifestè docens semper in cælestibus divini muneris opem esse poscendam, altóque contemplationis intuitu penetrare ætheris astra, non terrenis limosisque paludibus rotantia hominum ponere corda. Quod cùm post non multum tempus esset opem ferente Deo ædificatum, viro Dei Autberto Episcopo manente anxio, proinde quia cernebat sibi deesse sancti Archangeli pignora, beatus eumdem Sacerdotem Michaël admonuit, vti Fratres celerrimè usque ad locum quo memoria venerabiliter colitur sanctissimi Archangeli, dirigeret in Gargano, & eam quam Angelo patrocinante referrent benedictionem *, cum summa exciperet gratulatione.

* id est munus.

III. *Qualiter à Gargano sit sanctum delatum pignus.*

5. INTEREA missi nuntii adeunt locum: qui benignissimè ab Abbate loci illius suscepti vestibúsque mutati, ac tanti itineris fatigatione sublevati, cuncta quæ suæ contigerant regioni, simúlque ad quod venerant pandunt. Quæ verba cùm ipsius loci [c] Abbas suo retulisset Antistiti, uberrimas omnipotenti Deo laudes uterque retulit, qui pro lapsis naturæ fragilitate terrigenis adsistentium sibi ministrorum dignatur præbere suffragium. Hinc cum qua decebat veneratione sumtis à loco pignoribus, quo beatus Archangelus sui memoriam Fidelibus commendaverat, partem scilicet rubei pallioli quod ipse memorandus Archangelus in monte Gargano supra altare quod ipse manu sua construxerat, posuit, & partem scilicet marmoris supra quod stetit, cujus ibidem usquenunc superexstant in eodem vestigia, jam dictis Fratribus usque ad sacrum locum referenda contradidit, conditione interposita, videlicet ut quos una angelicæ revelationis sociaverat causa, una quoque æternaliter necteret connexio caritatis.

a Hîc certè locus erat agendi de impressione illa, quâ Michaël Autberti cunctabundi caput ad penetrationem usque percussisse dicitur.

b Nimirum Bainus cum duodecim filiis. Et tamen vulgi traditio fert, infantem unum impulsu pedis id præstitisse.

c Nunc locum occupant sexdecim Canonici sæculares, quos Garganicos vocant.

ANN. CHR. DCC VIII. OCT. XVI.

IV. *De adventu Reliquiarum* *.

*al. *de exceptione angelici patrocinii.*

6. SUMMI interea nuntii repedantes, post multa itineris spatia, ad locum quo digressi fuerant, ipso die quo fabrica completa est in monte jam dicto in occiduis partibus, quasi novum ingressi sunt orbem, quem primum veprium densitate reliquerant plenum. Quo dum appropinquant, Sacerdos Domini Autbertus occurrens cum multis laudibus, cum canticis spiritalibus, cum ineffabili gaudio omnium in sacro monte angelica mortalibus devehit profutura præsidia. Dici verò non potest quantum in adventu (ut ita dicam) Angeli circumjacentes provinciæ gavisæ sunt lætitia & gaudio: quippe quia sibi divinitus providebant inæstimabile supernum tribui donum, in hoc quod beatum Michaëlem Archangelum cælestis militiæ Principem merebantur obtinere signiferum; cognoscentes etiam signa & mirabilia quæ Dominus per ministrum suum operatur mortalibus, itaut per hujus itineris spatia duodecim cæci inluminati, plurésque diversis infirmitatibus acti pristinæ sunt redditi sanitati. Et quod his addendum est, mulier quædam orbata luminibus, de villa quæ dicitur Asteriacus, dum prosequitur pretiosissima munera summi Archangeli Michaëlis, mox ut attigit planitiem arenæ maris [a], divinitus factum recepit visum, admirans se de tenebris subitò in lucem mutatam. Sed & usquehodie per summum ministrum suum hæc eadem Dominus cotidie ad laudem & gloriam nominis sui in eo loco operari non desinit.

7. Igitur eo die, quod est XVII Kalend. Novembris, veneranda completa Templi dedicatione [b], vir Domini Autbertus postquam sagaciter omnia sub ordine disposuit, officia quoque servientium Clericorum [c] constituit, deputans hos inibi sub numero consistere duodecim, qui legitimis observationibus perpetualiter in beatissimi Michaëlis Archangeli persisterent famulatu, quamvis non ejusdem numeri in eodem loco à successoribus beati viri sint Clerici constituti. Simul etiam de Episcopio suo eidem loco servientibus villas contradidit, videlicet jam dictam villam Icium * & Genitium *.

* *Huyne* * *Genet*

V. *De obtenta aqua per angelicam revelationem.*

8. INTEREA idem Præsul cuncta pervidens congruo patrata ordine, hoc unum quod poterat valde videri difficile, à Sancto censuit expetendum Archangelo, aquæ scilicet elementum, sine quo constare nequit vita mortalium. Super hoc ergo Domini nostri JESU-CHRISTI simulque sancti Archangeli dum expetit simul cum grege sibi commisso auxilium, ut qui quondam produxerat sitienti populo de petra poculum, ipse à servis suis amovere dignaretur aquæ penuriam; tandem angelica ostensione locum didicit, ubi in prærupto silice dum concavum foramen exciditur, mirum in modum aquarum mox abundantia repetitur, quæ possit habitantibus competentem præbere usum. Eadem verò aqua profluens quòd sit haustu salubris, multis est ostensum modis. Celerem namque fere febricitantibus opem, quoties desiderium provenerit sumendi *.

* *Hactenus codex noster.*

VI. *De miraculis in eodem loco patratis.*

9. APUD beati verò Basilicam Archangeli, ipso opitulante virtutes efficiuntur innumeræ: illuminantur namque ibidem cæci, gressum recipiunt claudi, merentur auditum surdi, fugantur ex obsessis corporibus spiritus immundi, Domino Deo nostro præbente auxilium per ministerium Angelorum. Autbertus autem Præsul venerabilis quia memoratum locum sub honore sanctissimi dedicaverat Archangeli Michaëlis: alias verò quæ nunc videntur in undenarium crevisse numerum, crescente devotione & amore, Fidelium exstruxit manus, ubi divina præstantur beneficia adjuvante Domino nostro JESU-CHRISTO.

a Nunc locus à lumine feminæ restituto vocatur *Beauvoir*, qui olim Asteriacus.

b Nihil hîc de ritu dedicationis ab ipso Christo Servatore (ut ferunt) celebrato. immo Autbertus ipse locum dedicasse dicitur infrà cap. 6.

c Odo Abbas Glannafoliensis in Epistola ad Agelmodum Cenomannicum Episcopum de inventione Vitæ S. Mauri, meminit *cujusdam Clerici qui Petrus vocabatur, qui Romam ex pago Abrincatino de loco S. Michaëlis qui ad duas vocatur Tumbas, perrexerat.*



VITA



CIRCA AN. DCCIX. JANU. XV.

VITA S. BONITI EPISCOPI ARVERNENSIS IN GALLIA,

Auctore anonymo ejus æquali.

Ex variis MSS. Codd. Surio & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *QVI hanc S.* BONITI * *Vitam scripsit Auctor gravis, ætatem suam passim indicat. Interfuit supplicationi à Bonito indictæ num. 8, & Translationi ejus corporis ex civitate Lugduno in urbem Arvernorum, quam modò Clarum-montem * vocant, num. 34. denique opus suum inscribit* ADELPHIO *Abbati Magnilocensi, &* EUTERIO *seu* EUCHERIO, *qui Adelphius Boniti comes Romanæ peregrinationis fuerat. S. Boniti Acta Notis illustravit Franciscus Lanovius in libro de sanctis Franciæ Cancellariis: & post eum Johannes Bollandus. Mirum est hoc in opere silentium de* Casula S. Boniti, *quam à B. Deipara dono accepisse dicitur apud Vincentium Bellovacensem lib. 7 cap. 97, quam etiam* Domnus Herbertus Præsul Norwicensis, *qui testante Matthæo Monacho Westmonasteriensi decessit anno* MCXIX, sibi visam & manu tactam *adfirmat, ut legitur in quodam rhythmo edito* [a]*pud Bollandum. Eamdem in cathedrali B. Mariæ Ecclesia Arvernica hactenus adservatam confluenti populo Canonici die festo S. Boniti ostendunt.* — Auctoris ætas. * S. Bon, S. Bonet * Clermont — S. Boniti Casula.

2. *S. Bonitum commendat in sincero Martyrologio Usuardus his verbis:* XVIII Kalend. Febr. civitate Arvernis, S. Boniti Episcopi & Conf. cujus vita virtutibus refulsit. *Et Ado:* Arvernis natalis S. Boniti Episc. & Conf. cujus vita & virtutum meritis ac miraculorum gloriâ inlustris fuit. *Alio nomine dicitur* EUSEBIUS *in Vita S. Menelei S. Bonitus, qui &* Bonitum Sacerdotem & cubicularium *habuit, num. 13. Plures habet vicos sui nominis apud Arvernos, Ecclesiam seu Prioratum Lutetiæ Parisiorum, Abbatiæ S. Maglorii addictum.* — Memoria in Fastis, & nomen.

3. *Bonitus abdicato Episcopatu monasticam vitam amplexus est in Magnilocensi Cœnobio, cui post* EVODIUM *Abbatem primum* ADELPHIUS *suprà memoratus præfuit.* — Monastica professio.

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. CUM dies sanctæ Theophaniæ immineret, & vigiliarum jam sollemnia celebrarentur; imperii vestri nostræ imputantes segnitiei, ô beatissimi Patres ADELPHI & * EUTERI, cur beati Sacerdotis & Confessoris BONITI prætermissa acta haberentur, luce clariora: cùm Antistitum hujus sedis Confessorúmque ELIDII & GALLI luculento sint stilo prolata. Et hæc dicentes jussistis, ut quamquam simplici & inculto sermone, meo eliciam stilo. Quod verens opus aggredi, hactenus, hoc est biennio distuli, temerarium judicans inusitata præsumere. Sed orationum vestrarum adminicula erunt mea nunc hinc indéque solatia, per quæ antiquus ille dierum & sator bonorum omnium pulsatus meæ linguæ abstergat rubiginem; qui Prophetæ Isaiæ purgavit calculo labia, & meam non dedignetur purgare immunditiam. Sed dum tantum me ingero in periculum, si quamcumque in partem deviavero, vestrum in me credatis erràsse judicium. Nam laudes si fuerint dignæ, vestræ erunt, qui orationum meritis, ac fidei imperiique vestri me totum committo. Me idoneum hoc in Opere à mendacio ideo ubique defendere puto, si quod ego scribendum adsumsi, vestro examine approbetis. Nam mallem sub silentio reticere torporis, quàm fallaciæ subire discrimen. — * al. Eucheri — Isai. 6. 7.

Circa An. DCC IX. Janu. XV.

INCIPIT VITA.

Bonitus Senatorii generis, [a]

2. INclyta Bonitus progenie Arvernicæ urbis oriundus fuit, cujus pater Theodatus, mater verò Syagria [a] vocitata eſt; è Senatu dumtaxat Romano, nobili proſapia. Hic itaque antequam naſceretur magnum ſalutationis à quodam ſancto Sacerdote nomine Fregione fertur accepiſſe præſagium. Qui Sacerdos cùm paternam veniſſet ad domum, & à genitrice magno eſſet ſuſceptus cum gaudio, & illa juxta morem benedictionem petiviſſet; ita fertur ab eo audiſſe ſalutationis gratia reſponſum: Tu mihi, inquit, benedic, Dei ſacer atque venerabilis domine. Quod cùm genitrix audito percepiſſet ſermone, & tacitè conſiderans volveret in pectore; tandem ſciſcitans ſervum Dei, intulit dicens: Quid eſt, inquit, quod loqueris, Pater? an ignoras ſexui meo talem à quocumque viro indignum fore ſalutationem proferri? Et ille: Non tibi, inquit, ut tu putas, petii benedictionem; ſed ei qui eſt in utero tuo: quia ſummum video à Deo prælectum Sacerdotem. Et illa ovans ait: Rogo, Pater, ut orationibus tuis proveniat quod locutus es.

litteris datâ operâ, Pincernæ & Referendarii munus obit. [b]

3. Poſtea verò cùm natus adoleviſſet, & eſſet præfatâ cum parentibus in urbe conſtitutus, Grammaticorum imbutus initiis, necnon Theodoſii edoctus decretis, ceteróſque coætaneos excellens, à Sophiſtis probus atque prælatus eſt. Cùm verò adhuc pubentibus eſſet in annis, genitore jam defuncto, Deo gubernante, Regis ad aulam uſque proceſſit; ſéque Sigiberti Principis miniſterio tradidit. Cúmque ab eo obnixè diligeretur, prinpem eum pincernarum eſſe præcepit. Non multò poſt anulo ex manu Regis accepto, Referendarii [b] officium adeptus eſt. Quod ita ſplendidè ſibi commiſſum peregit, ut cunctis ſibi palatii miniſteriis traditis, Principi & cunctis Proceribus placens eſſet & cariſſimus. Erat quidem corpore pulcher, ſed pulcrior mente, pollénſque caſtitate.

[c] Præficitur Maſſiliæ provinciæ.

4. Nec multo pòſt accepit à Principe magnum honorem cum gratia. Poſt cujus obitum, filiiſque defunctis [c], pronepos ejus ſuſcepit ſceptra. Cujus conſpectui ita apparuit gratus, ut eligeretur præfecturæ Maſſiliæ primæ provinciæ. Sed idem cauſas ſibi commiſſas ita peroravit, ut jam non ut Judex, ſed ut Sacerdos fore videretur. Non multo pòſt inibi, ut moris erat, homines venumdari, atque exſulitatis captivitatiſque pœnâ damnari, ſuo nuſquam præcepit fieri decreto; ſed magis eos quos reperire potuiſſet venditos, ſicut ſemper agere conſueverat, redimendo ad propria reducebat. Sed inter iſta jejuniis & orationibus inſiſtebat, ut jam non uni, ſed multis futurus ſummo Sacerdotio dignus videretur. Erátque in ſermone lenis, inter diſcordes patiens, & ad concordiam ſemper reducens.

[d] S. Avito fratri Epiſcopo ſucceſſor deſignatur.

5. Per idem verò tempus germanus ejus Avitus [d] Pontifex, vir exterioribus ſtudiis eruditus ſacriſque litteris omnibúſque officiis divinis præpollens, ter quinis fere ampliùs annis cum magna alacritate Arvernicam ſibi commiſſam rexit Eccleſiam. Qui non poſt multum languore correptus, ad extremum eſt uſque deductus: cernénſque ſuæ migrationis imminere diem, divino afflatus ſpiritu acceptóque conſilio, ſibi Eccleſia concor-

[a] Hinc corrigenda inepta quædam quæ de Boniti origine ex Abbatiſſa corrupta leguntur in nonnullis MSS. Bollando lectis.

[b] Aimoinus lib. 4 cap. 41, *Referendarius ideo dictus eſt, quòd ad eum univerſa publica deferrentur conſcriptiones, ipſéque eas anulo Regis ſive ab eo ſigillo ſibi commiſſo muniret atque confirmaret.*

[c] Unicum reliquit Sigibertus filium Dagobertum, qui in Hiberniam relegatus, poſt mortem Childerici aliquot annis apud Auſtraſios regnavit. Eo ſuperſtite Bonitus Præfecturam Maſſilienſem geſſit conferente Childerico Rege, qui Sigiberti *pronepos*, id eſt fratris Chlodovei filius dicitur.

[d] Is eſt Avitus ſecundus, S. Præjecti ineunte anno DC LXXIV occiſi ſucceſſor, qui Avitus *præfuit non plenis annis quindecim*, uti Hugo Flaviniacenſis in Chronico ſcribit. Avito proinde ſuffectus eſt Bonitus anno DC LXXXVIII, id eſt poſtero anno quàm Pippinus exſtincto Berthario Præfecturam palatii in ſolidum conſecutus eſt.

dante, virum Dei sibimet successorem suæque sedis dignissimum judicat Sacerdotem. CIRCA AN. DCC IX. JANU. XV.

6. Eodem tempore sub THEODERICO principe PIPPINUS Regni primatum tenens, curámque palatii gerens, cunctáque gubernacula suo dispo- nebantur arbitrio. Cúmque vir Dei supradictus germanus ejus relationem pro adipiscenda auctoritate regia direxisset, & illi petitionem sibi commissam peroràssent, ita favente Domino cuncta prospera meruerunt, ut ex regio jussu ejúsque præcepto idem roboraretur consensus. Domino enim Princeps hæc imperante peregit, qui Ecclesiæ suæ profuturum Pastorem atque adversus rabiem immanis belluæ defensorem parabat. Unde negare non valuit, quia scriptum est: *Cor Regis in manu Dei*. Qui cum gaudio regressi, vota sua ad effectum cum magna alacritate perduxerunt, & Præsulatûs cathedrâ beatum virum sublimârunt, summa cum gratia & lætitia cunctorum.

Theoderico probante,

Prov. 21. 1.

7. Suscepto itaque Episcopatu non se arbitratus est suscepisse honorem, sed onera. Unde sui cursus augmentavit laborem; in jejuniis videlicet & vigiliis persistens atque pernoctans, necnon lectioni silentióque ac remotis, maximéque Quadragesimæ tempore ita studens, ut non solùm Sacerdotem dignissimum crederes, sed & monasticam vitam degere dignè prædicares. Biduo triduóque metam explebat jejunii; nonnumquam verò quatriduanum eum agere cognovimus.

Munus rite implet.

Secessum potissimùm Quadragesimæ tempore colit.

8. Quodam tempore cùm nimio caloris æstu fatigari Sacerdos cerneret populum, itaut magnorum fluminum alvei siccitatis calore torrerentur; vir Dei hoc cernens & suæ formidans civitatis periculum, velut bonus Pastor sui gregis, ab omnipotente Deo deposcit remedium. Exinde monens, ut more Ninivitarum omnes ad Ecclesiam convenientes, & juxta quod unicuique virtus valebat, aut bidui triduique jejunium peragentes, Domini misericordiam supplices exorarent; qui verò neutrum frugalitatis valebant explere decretum, in pane & aqua vel tantùm usque Solis occubitum, cum cordis contritione jejunium explerent. Intantum ejus fidei favens exstitit divina clementia, ut cùm juxta morem Ecclesiæ crux foras egrediens, & eam manu Dei Sacerdos gestaret; nec mora ubi beati Levitæ & Martyris Laurentii [a] Ecclesiam ingressi sumus, & ibi quæ Dei sunt peregisset Sacerdos, subitò pernici cursu, flante Austro, aëris serenitatem nubium conglobatio densissima texit. Quid dicam? eadem nocte intantum aquarum sunt onere ponderatæ, ut ex imbrium inundatione vix alia die Dei Sacerdos cum plebe valeret recedere. Qui cùm tantæ difficultatis sui itineris vidisset obstacula, Sacerdotum sibi adstantium fidei constantiam pius explorator aggreditur: Quid, inquit, vobis videtur? en adspicitis quòd difficilis nobis præ imbre exstat egressus. Nonnulli inquiunt: Melius est nobis absque labore intra Ecclesiæ ambitum cum psallentium modulatione contineri, quàm tantæ effusionis vim subire mærori. Tunc conversus ad reverendissimum BOBONEM atque venerabilem Magnilocensis Monasterii Abbatem, ait ad eum: Tu quidem, inquit, consilium evidenti adsertione deprome. At ille ut ei semper moris erat, reverendissimè atque constantissimè intulit dicens: Et si tanta Domini nobis non merentibus misericordia subvenit, oportet nos non solùm in cœptis persistere, sed nostrum magis ampliare laborem. Vir autem sanctissimus gavisus, quòd sibi congruens depromsisset consilium, magis ac magis plebem tam per se quàm etiam per eumdem virum, ut perseveranter agerent, admonere intentiùs studebat. Ipse verò juxta morem quatriduani

Supplicationibus pluviâ cælitus impetrat.

[a] Duplex hujus nominis erat Basilica in civitate Arvernica. nam Ecclesia Cathedralis olim dicebatur *Ecclesia S. Mariæ & S. Laurentii*, ut probat Johannes Savaro in lib. 1 de Eccles. Claromont. §. 1; & alia Ecclesia S. Laurentii sita erat prope Basilicam B. Mariæ de Portu, §. 3. De secunda hic locus intelligendus. nam ab Ecclesia Cathedrali in aliam directa fuit supplicatio.

CIRCA AN. DCC IX. JANU. XV.

jejunii in oratione pernoctans, humillimus atque abjectus peregit, ut psalmi sententia impleretur, quæ dicit: *Elegi abjectus esse in domo Dei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Itaut cum in Ecclesiam quisquis ignarus ingressus adesset, Episcopum minimè crederet: & nonnulli in eum, ubi sedens psalebat, pedem offenderent.

Psal. 83. 11.

Præditus dono lacrymarum, benignus in pauperes.

9. Lacrymarum ei gratia in sacro non deerat officio: itaut amphibali summitas, qua caput tegebatur, ex profusione earum madida videretur. Sed inter hæc erat Dei Sacerdos peregrinorum lætus sæpissime conviva: & juxta Apostolum non præponebat pauperi divitem, neque aureum habentem anulum; sed præponebat sordidam vestem gestantem. A largitate verò eleemosynæ, quantum in ipso erat, nullum vacuum à se ire sinebat. Sacerdotum Fratrumque flagrans amore, Canonum sæpe per collationem Presbyteris normam tradebat, & ut castè dignéque viverent, crebriùs admonebat: plebi reliquæ per dignos Sacerdotes declamando prædicabat, ut timerent supplicium, ad cælestem patriam anhelarent.

Sacros Canones suos docet Presbyteros.

S. Tillonem consulit de abdicando Episcopatu & Monasterio petendo.

10. Posthæc magis ac magis à Spiritu-sancto accensus, timens ne qui à præfato ejus germano [a] per donum sicut acceperat, grave sibi eveniret judicium; necnon plus apostolicam sequi desiderans sectam, qui relinquentes patrem cum retibus cæleste regnum mercati sunt. Qua de re pergit ad quemdam opinatissimum Dei famulum TILLONEM [b] cognomento PAULUM, ut ab eo accepto consilio, voto compleret quod mente conceperat. Quò cùm pergens Sollemniacense tenus pervenisset Simnionem [c], hoc est Monasterium, miro cum gaudio à Fratribus atque officiosissimè susceptus est. Quo ducto ad præfatum virum Dei, magnam habentes inter se collationem, pervenerunt ad id unde Dei Sacerdos agebat: percunctantes utrobique sancti Spiritus igne succensi, altiori arrepto consilio, Nihil, inquiunt, melius quàm quod temerè contra sancta Canonum instituta usurpatum est, declinando postponi. Et ille non immemor Evangelici præcepti pollicentis, Qui reliquerit domum, aut agros, & omnia quæ possidet propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit; tunc apud se ipse diffinivit, ut non solùm sedem, sed etiam patriam, parentes, res omnes exsulando relinqueret. Sed hoc cùm ad locum ordinis venero, qualiter gesserit explicabo.

Matth. 19. 29.

Aquâ, quâ laverat manus, æger sanatur.

11. Nunc subjungam qualiter Dominus illo in loco egerit suæ virtutis miracula. Cúmque resurrectionis Dominicæ illuxisset dies, eum petierunt Fratres, ut eis Missarum ageret sollemnia. Sed dum, ut moris est, manus ad altare latice ablueret, & venerabilis Pater ADELPHIUS tunc Levita, sed nunc præfati viri BOBONIS (cujus superiùs fecimus mentionem) successor Monasterii Magnilocensis, qui eo tempore coram altari viro Dei adsistens Diaconi fungebatur officio; quidam Frater incommodus nomine AUDERAMNUS * advenit, & ipse Levitam petiit, ut ex Sacerdotis manibus aquam ei ad bibendum præberet. quâ haustâ saluti pristinæ restitutus est, statímque cum Fratribus lætus sedit ad mensam.

* al. Audemarus

Item alius.

12. Sed & alium itidem in eodem Monasterio Fratrem nomine Natolenum,

a Duplex erratum contra Canones, & quòd germanus germano, & quòd successor vivo Episcopo suffectus. Et tamen Petrus Damiani in Epist. 9 ad Nicolaum II, & 10 ad Alexandrum II Pontifices, ait Bonitum cessisse dignitate, *quoniam de manu Regis, laïci videlicet hominis, traditionem Ecclesiæ susceperat.*

b S. Tillonis meminit Gaufridus Prior Vosiensis in Chronico his verbis: *Tillonem Sollemniacenses venerantur, qui ab infirmitate Hermenum Episcopum liberavit.* Acta ejus habes Sæculo 2 ad ann. 690.

c Bollandus legit *Symmionem*, notátque in MS. cod. Sirmondi legi *Simnionem*, in Ambianensi Symnionem: quomodo etiam hæc vox scribitur in nostro Compendiensi. Legendum videtur *Simnion* seu *Semnium*. Nam Græcis σεμνεῖον est Sanctuarium, Monasterium. Occurrit hoc sensu apud Johannem Hierosolymitanum de Instit. Monach. & in Vita B. Agnetis de Bohemia. Johannes Savaro in lib. de Orig. Claromont. gallicè vertit *Sommon*, ratus nomen esse proprium cujusdam Monasterii, cui Tillo Abbas præfuisset. Tillonem qui tum Sollemniaci degebat, nusquam Abbatem fuisse constat.

cùm ex eadem aqua accepiſſet, quamplurimi eum à vi febrium aiunt eſſe ſalvatum. Sed hæc quæ ſupra retulimus, venerabili Patri Adelphio narrante cognovimus. Sed & cetera quæ noſtro ſtudio huic paginulæ indidimus, ipſo exorante atque probante conſcripſimus. CIRCA AN. DCC IX. JANU. XV.

13. Cúmque ex eo Monaſterio digreſſus Sacerdos ad propria remearet, quidam in eodem itinere claudus poſt tergum cum quo poterat conamine ſequens clamabat: Exſpecta, domine, exſpecta. Vir quoque Domini protinus ejus infirmitatis miſertus, paullulum ſubſtitit, ignarus quid poſceret homo. Et ille: Huic infirmitati meæ, quæſo, tuæ impoſitionis manus tactu præbe remedium. Et ille ſubridens ait: Non abnego quod poſcis: ſed acſi bos te pede contingat, ita à meo tactu es ſuſcepturus ſalutem. Tamen hæc dicens, infirmitatis locum vexillo crucis munire curavit. Ipſe verò qui infirmus advenerat, lætus cum ſalute diſceſſit. Et rectè, ut reor, vir Domini ſe bovem prædixit: quia in agro Dominico, jugo Chriſti accepto, uſu fructuoſi laboris deſudans, atque in area ſanctæ Eccleſiæ magno cum ſtudio triturans, & ſuo exemplo vivendi præbuit modum, ut lucrum magnum cæleſti conferret in horreo. Sed ea quæ ſuprà commemoravimus, vir fideliſſimus ac viri Dei cubicularius DOMIO nomine, nobis ſe vidiſſe teſtatus eſt; & BONITUS vir induſtriâ clarus, atque præfatæ Eccleſiæ ſacrarii cuſtos necnon & Sacerdos, curioſiùs ac diligentiùs poſtmodum requirens, ita reperit hominem Dei gratiâ ab infirmitate ſalvatum. Tactu claudum curat.

14. Quodam verò die dum vir Dei iter ageret, ei duo dæmoniaci obvii facti, eum, ut eis confirmandi gratiâ manus imponeret, deprecati ſunt. Sed ille ignarus, quòd eos æmula adverſarii vexaret inſania, orans atque eis manus imponens [a] confirmatis iter quod cœperat peregit. Sed ii qui cum eo erant, poſt tergum reſpicientes, atque curioſiùs inveſtigantes, eoſdem cruorem fundentes à dæmonibus adfirmant eſſe ſalvatos. Confirmatione dæmoniacos liberat.

15. Per idem tempus cùm fama beati Pontificis celeberrima haberetur, ut non ſolùm in vicinis urbibus, ſed etiam Oceani partibus citra maris litora inſulam, quam Britannorum gens ſita æquor continens vallat, pervenerit. Nam in eadem provincia mulier quædam erat nomine Blanda, quæ dudum lumen oculorum amiſerat, necnon manuum & pedum officio deſtituta manebat. Quadam namque die cùm gentis ſuæ peregrini in domo ejus hoſpitalitatis gratiâ declinâſſent, & eam ita corporis difficultate laborantem cernerent, aiunt ad eam: O mulier, ſi adſertioni noſtræ accommodares fidem, ut B. Boniti Arvernicæ urbis Epiſcopi interventionem apud Deum commendares, nos credimus, nec dubium eſt, quia vir ſanctus poteſt apud Dominum tuum hunc alleviare laborem. At illa audito gaviſa ſermone, foras ſe in remotiorem locum duci præcepit: ſtatímque ut ex oratione à terra ſurrexit, lumen oculorum ac membrorum recepit ſanitatem. Videnſque erga ſe ob viri Dei meritum Domini tantæ pietatis ineſſe virtutem, relicto proprio ſolo parentibúſque ſuis omnibus, ad beatum virum Arvernorum glebatenus pervenit. Cúmque propter urbem pæne jam peregrina graderetur, vir Domini inopinatus ei obviàm factus eſt. Ipſe autem Rubiacenſe [b] Monaſterium quod hinc indéque montibus ſeptum ab Oriente pandit aditum, & haud procul eminet urbi, viſendi gratiâ conſulendíque adire properabat. Mulier in ipſo itinere humili eum atque ſupplici voce compellans, ſe peregrinam & ob ejus famam adveniſſe prædixit. Cúmque ille, ut ei moris erat, indigentem cognoviſſet, paullulum ſubſtitit, & quid Britannicæ feminæ lumen reddit.

[a] Nulla hîc mentio chriſmatis adhibiti ad Confirmationem. Lege notationem ad caput 32 Vitæ S. Cuthberti Epiſcopi Sæculo 2 ad ann. 687.

[b] *Royac* vernaculè appellant, tum Sanctimonialium Cœnobium, nunc Prioratus Ord. S. Bened. Mauzacenſi Cœnobio ſubditus.

Circa An. dcc ix. Janu. xv.

vellet requisivit. At illa adventûs sui causam per ordinem pandit, eúmque suæ salutis apud omnipotentem Deum auctorem declamat. Ille ejus fidem atque devotionem miratus, eam secum ad Monasterium ire præcepit, atque Matri ipsius Monasterii tradens suæque nepti in cœtu virginum commendavit. Ubi aliquamdiu degens, post discessum beati viri ad proprium repedans solum, id est ad Britannicum rus regressa est.

Nodobertum sui loco substituit Episcopum.

16. Per idem verò tempus sanctum Dei virum industrium atque excellentissimum, ingeniόque sagacissimum, genealogiæque nobilis apice clarum. Nodobertum petiit, ut sibi successor plebisque sibi commissæ exsisteret Rector, atque patriæ tutor suo robore Deo juvante constanter maneret. Qua de re ad Principem Regni dignos tali opere cum plebis Ecclesiæque convenientia dirigit oratores, id est Cautinum * Archileviticæ ministrum, necnon reliquos ejus dignos itinere comites aptavit. Qui cum suæ petitionis effectu ad virum Dei regressi, cum cum magno favore cunctorum sanctus Sacerdos suæ cathedræ solio sublimavit.

* al. Cantiuum

Magniloci fit Monachus. Descriptio Monasterii.

17. His ita peractis, vir Dei in Magnilocensi [a] Cœnobio sub sancto habitu atque cultu, sicut semper optaverat, aliquantum temporis deguit. Qui locus tam remotus aptúsque sanctæ sophiæ apparet, ut eum omnes sui nominis auctorem adfirment. Nam omni ex parte collium tuitione munitus, nemoribus obumbratur: comis frondentibus densis, amœna virent rigante amne florida erga hortulum Cœnobii prata: patétque largus ab austro aditus, triplici valvarum itinere clauditur limes. Jubare perlustrante splendent sanctorum Martyrum aulæ: insignis micat sanctæ semper virginis Deíque genitricis Mariæ, atque celsior eminet turris pentagona, quadrangulo emergens fulcro: supragrediens ceteris præeminet una. Quater sena centra [b] decora inferiùs superiùs connexa surgunt, celsáque fastigia micant. Apostolorum aula non minùs interea fulget, quasi nota trigona, Sanctorum altaria nitent. centra hinc indéque geminata connectunt columnæ priscorum sculptæ fulgretine [c], emergunt more mirè elatæ cameræ. Tigna laqueariis adfixa consistunt, necnon & domorum candido decore rutilant muri urbis modo: inter nemorosa pomarii sistunt infra biquadrum claustra geminâ munitione, crebrísque arcuum maceriæ foraminibus * manent: columnarum capitibus sculpta * depictis variáque picturâ superficies nitet. Arboribúsque generis diversi suo in tempore poma magnitudine virgæ dependent; vite frondes detritæ, veluti serta particulæ * haud densissimæ manent. Odora lilia cum rosis rubentibus candent, necnon & reliqui florum aurea luce splendent. Unde tibi gratias, omnipotens Pater, quem trinum cum Filio Paraclitóque Spiritu-sancto unius substantiæ essentiæque fatemur, Patrum Nicænensis Concilii secuti decreta, repudiamus omnium hæresum nemus falsáque commenta: qui hæc utilitati nostræ pro alumni facimus pœna, solari tantis non desinis bonis. Quem superiùs præfatum locum dudum Genesius [d] nobilissimus Pontifex, Cœnobium in propria constituit gleba, atque virum venerabilem Evodium instituit Patrem.

* id est fenestris
* f. sculpturâ
* al. detecta
* al. præacutæ aut

18. Eo in tempore Novatiana hæresis per incuriam vel ignorantiam,

a Magnilocense Monasterium Ord. S. Benedicti, à S. Genesio Episcopo Arvernico ad Doram fluvium exstructum, vulgò *Manlieu*, S. Sebastiano sacrum hactenus subsistit: de quo plura in Historia Translationis S. Sebastiani Sæculo proximo.

b Centra hîc dici subsidiarios illos arcus qui fornicem sustentant, docuit me vir humanitatis & eruditionis eximiæ Carolus Fresnius D. *du Cange* Quæstor Ambianensis. unde & nostratibus vulgò *cintres* appellari.

c Sic legitur in apographo Sirmondi, in duobus nostris quibus usi sumus *fulgratine* & *fulgratina*, in aliis apud Bollandum ac in nostro Compendiensi *fulgretidine*, uti & in exemplari Fuliensium Parisiensium. Vossius in lib. 3 de vitiis sermonis, *fulgretidine* seu *fulgetrudine* pro *fulgore*; & *fulgretine* pro *fulgredine* positum existimat. Huc etiam spectat conjectura Domini *du Cange*, qui ex voce *fulgorus* ab Vgutione usurpata formari posse ait *fulgoritudo* & *fulgoredo*, contractè *fulgritudo* & *fulgredo*.

huic Arvernæ se emerserat urbi, seu Joviniani incontinentia frugalitatis indignè atque improbè comparuit. Qua de re in præfato Magnilocensi Monasterio contra easdem hæreses edita exstat Epistola, quæ forsitan aut nunc, aut futuro in tempore necessariò erit prodenda: quia sicut ex parte jam cernimus, ante adventum horribilis Antichristi multæ hæreses emergendo habent procedere. *Duæ*, ut ait sancta Scriptura, *gentes ante eum dimicaturæ pugnabunt, id est Gog & Magog*. Nam Gog & Magog, ut B. Hieronymus interpretatus est, non specialiter gentes his nominibus denotantur; sed Gog, inquit, & Magog interpretantur tectum vel detectum. Per hoc enim hæreticorum personæ propriè designantur: eoquòd eorum nequitiæ, quæ nunc versutiâ vel fraude teguntur, in adventu gloriosissimi Domini nostri Jesu-Christi cunctæ ad eorum confusionem vel damnationem patebunt. Et sicut Catholicis & Fidelibus erit gloriosa & sempiterna pro fide constantia, ita & illi æternis trudentur gehennæ suppliciis pro tanta controversia & perfidia. Hæc ideo suprà retulimus, quia his temporibus forsitan simplicioribus Fratribus contra ventura mala proficiunt ad cautelam; prudentioribus verò præstantiora consistunt. Sed jam nunc redeamus ad ordinem.

Circa An. DCC IX. Janu. XV. — *epistolâ confutatâ.* — *Apoc. 20.* — *In 38. Ezech.*

19. Cúmque ibi sanctus Sacerdos aliquantisper demoratus fuisset, relictis omnibus, patriâ, parentibúsque unà cum sodalibus, rebúsque omnibus Ecclesiis ac Monasteriis distributis, Romæ sanctorum Apostolorum limina peregrinaturus, ac pauperiem Christi secuturus, arripuit iter.

Romam pergens Bonitus,

20. Sed cùm Arvernorum glebâ relictâ Lugdunensem pervenisset in urbem, ibique ab opere solito non vacans, ipsius urbis Præsulem atque Burgundionum Ducem rebellémque Principem suo adiit consultu: ut & hunc fidelissimum, & illum ex tyrannide placidum redderet, ac fidei vinculo connexis firma stabilitatis jura manerent. Cùm inibi aliquamdiu in Monasterio quod Insula-Barbari [a] vocatur aliquantulumque demoratus fuisset, memoriæ digna atque jucunda gessit miracula. Nam quadam die cùm per amnem Araris vehiculo sedens vir sanctus graderetur, & inter se qui cum eo erant mæsti dicerent, quia victui nulla nobis est hodie substantia; ille audiens increpánsque eorum diffidentiam, dixit: Si haberetis fidem, poterat omnipotens Deus vobis sine mora conferre necessaria. Necdum vir Dei verba finierat, statímque piscis è gurgite exsiliens, navem inopinatus intravit, qui eodem die eis alimentum præbuit vitæ.

Episcopum Lugduni & Principem Burgundiæ reconciliat. — *Piscem divinitus accipit.*

21. Nec illud silendum puto miraculum, quòd cùm quadam nocte ad vigilias surrexisset, lumen lampadis in eadem Basilica, ubi more solito sanctas peragebat excubias, deficiendo exstinctum est. Cúmque ejus minister ignem requirens unde eamdem iterum accenderet non reperisset, Sacerdos Dei ad lampadem accedens, quasi signaculo suo illustravit spiritu: & ita cuncti, qui cum eo erant, gavisi peregerunt Divinitatis obsequium. Hæc autem venerabili viro Arivaldo Abbati ejúsque in eodem itinere comiti, audita suprà retulimus.

Lampas miraculo accenditur.

22. Posthæc dum quadam die viri Dei pueri ad piscandum abissent, & per totum diem frustrato labore fatigati nihil cepissent; revertentes ad Monasterium, obviantes suprascripto venerabili Adelphio, qui eo in tempore virum Dei ex devotione hactenus secutus fuerat, & in ejus degebat obsequio, ait ad eos: Quid est, quòd ita mæsti revertentes nihil defertis? Et illi expo-

[a] Insula-Barbara aliis dicitur, vulgò *l'Isle-Barbe*, paullo supra Lugdunum, in medio Araris fluvii situm, ab anno MDXLVIII sæculari toga donatum, de quo in Vita S. Leobini Episcopi jam egimus Sæculo I, dicturi iterum de eo Sæculo proximo in Vita S. Benedicti Anianæ Abbatis, qui istud Monasterium ad severiores S. Benedicti leges revocavit.

Circa An. dcc ix. Janu. xv. In ejus nomine secunda piscatio.

nentes ei quòd nullum piscem in alvei fluminis captura cepissent. Et ille: Ite, inquit, ad amnem, & in fide beati viri mittite rete: credo quòd per ejus merita mæror vester ab omnipotente Domino vertatur in gaudium. Qui mox ei obtemperantes, ad flumen pernici cursu redeunt. Sed statim ut aquam lino cinxere, piscem muscipulæ inditum magno cum gaudio Præsuli detulerunt.

a Agaunum venit.

23. Deinde cùm ad Agaunense [a] venisset Cœnobium, ibíque Sanctorum expetens patrocinium, Fratrúmque orationibus semetipsum cum non parva largitate eleemosynæ commendavit. Et non solùm ibi, sed ubicumque in eodem itinere Monasterium reperisset, sacrum ita peregit.

b Ariperto Lãgobard. Regi victoriam obtinet.

24. Posthæc Italiam ingressus, à Rege [b] Langobardorum multùm devotè gratéque susceptus est. Qui dum Rex sancti Sacerdotis palatio residens collationi mutuæ miscerentur, superveniunt nuntii qui urbem exercitu circumvallari contendunt. Qui mox sedili exsiliens, inopinatus intra urbem ad bellum secum populos exire jubet, atque adversus acies inimici cuneos armatos instare præcepit; quíque humillimè ad virum Dei conversus ait: Rogo te, Pater, ut pro me Dominum exores, quia causa mihi cum adversariis exstat: adventûs tui merito tropæum à Domino merear obtinere. Qui mox ut egressus est urbe, prœlium cum adversariis arripiens, ita partibus Ariperti favens stetit Christus, ut multis cæsis atque prostratis, Rege in genitalibus vulnerato atque capto, cum magno tripudio ad virum Dei regressus, & ei gratias pro suæ orationis adminiculo referens, iterum semetipsum ejus precibus obnixiùs humillimus commendavit, eíque in suo Regno fecit præbere necessaria.

Tempestatem sedat.

25. Exinde digressus cùm tenus maris litore pervenisset, carinâ susceptus, fluctuante cærulo minaces fluctus terrorem nonnullis qui cum eo erant, incutiunt mortis: atque nave quæ simul gradiebatur separatâ, indivisis homines tabulis inditi, vix pauci ad litus pervenire potuerunt. vidénsque vir Dei suorum diffidentiam Fratrum, blandè eos consolari cœpit. Illi verò metu mortis declinantes in navim prostrati corruerunt. Alii sumtum alimentum aut aliud quod in navi intulerant, in undis ad sublevandum vehiculum projicere cupiebant, si non Dei Sacerdos restitisset, dicens: Nolite, nolite hoc, Fratres, facere, melius est, inquit, pauperibus & egentibus vobísque servetis. Et hæc dicens oculos ad cælos cum solito lacrymarum imbre suspendit, & pro salute omnium Dominum supplicavit: statímque ejus puncto horæ undarum impulsu, ceu pennigero volatu, longiùs litore scapham unda protraxit.

Romæ sacra loca visit.

26. Posthæc Romam cum magna alacritate perrexit, ibíque Apostolorum excubias atque sanctorum circumquaque Martyrum loca percurrens, eorum sibi patrocinium atque suffragium supplici atque inæstimabili devotione poposcit. Captivorum exinde redimendo non modicam secum turbam reduxit.

Captivos redimit. Cæca visum recipit. * Chiusy

27. Cùm vir Dei regrediens ex Roma Clusinam * Tuscorum pervenisset in urbem, mulier quædam cæca ab ejus ministris petiit, ut aquam ex manibus Sacerdotis pro remedio unde oculos sibi ablueret, largirentur. Cúmque illi hanc gratiam poscenti præstare cuperent, vir Domini juxta morem aquam manibus ablutis diffundi præcepit: unde vix modicam furari guttam

a Agaunense Monasterium S. Mauritio sacrum in pago Sedunensi, etiam tum Monachis parebat: postea cessit Canonicis sæcularibus nono (ut videtur) sæculo. In quadam charta Rodulfi Burgundionum Regis anno cm xciii data in Bibliotheca Sebusiana, *Canonicos* Agaunenses lego. Tandem verò Canonicis Regularibus Augustinianis Abbatia attributa est.

b Ariperto secundo scilicet, qui Ticini tum morabatur, ubi *pugnavit cum Liutberto Rege* legitimo testante Paulo Vvarnefridi lib. 6 de gest. Langob. cap. 19. Hanc pugnam refert Baronius in annum dcciv, Sigonius in sequentem.

potue-

potuerunt, quam mulieri tribuentes dixerunt: Vade, & in Basilica B. Petri, quæ in ista urbe sita est, sequenti nocte cum hac aqua vigila, & mane oculos ex fide sicut petisti continge: credimus quòd tibi proveniat ad salutem. Quorum mulier præceptum secuta ita peragens, lucem, quam toto cordis desiderio quærebat, oculis reseratis adspexit. Proinde ad viri Dei comites cum magna impensa alimoniæ pro largitione suæ salutis perrexit, & Deum pro sancti viri merito laudans benedicebat. Sed & Sacerdos videns ipsius in peregrinis obsequium, valde ei placuit ejus devotionis affectus, & mulierem collaudans benedixit. Ipsa vero benedictione percepta ad propria remeavit. Nam virtutis miraculum quod virum latebat, nullus indicare præsumsit. Cúmque posthæc eum infirmantium turba ubique prosequeretur, sed ille jactantiæ vitium cavens, ubicumque potuisset semetipsum hospitiolo trudebat, & infirmos ex oleo quod ex B. Petri sepulcro pro benedictione levari jusserat, ungi præcipiebat: móxque sanitatis gaudio incommodi percepto, Deum ad propria remeantes jure debito collaudabant. O beatum commercium, quod vir egerat sanctus: dedit terrena, accepit cælestia; pauper divitiis, sed dives virtutibus fuit.

CIRCA AN. DCC IX. JANU. XV.

27. Jam verò eo in tempore ei in eleemosyna quod tribuere posset nihil remanserat, & ita juxta Evangelium nudus erat, ut nec duas quibus indui posset tunicas haberet, & juxta B. Petri Apostoli exemplum, aurum & argentum ei non erat: sed divinis virtutibus refertus gratiam sanitatum pretiosiùs erogabat. Ecce quod Veritas dixit in Evangelio: *Qui reliquerit omnia propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Centuplum accipiet, qui in sanctitate atque caritate Dei fundatus, perfectionis tectum conscendit. Unde B. Paulus dicebat: *Nostra conversatio in cælis est.* Non sicut nonnulli dicere solent: qui reliquerint in præsenti, centuplum accipient in honoribus aut rebus terrenis, & vitam æternam possidebunt. Nec hæc dicens ignoro, quòd sancti viri in præsenti honore sint prælati; sed non arbitrantur hoc illi retributionis præmium, sed dispensationis officium. Sicut nec beatus Sacerdos in præsenti, qui multa reliquerat, aliquid postmodum terrenum quæsivit aut meruit: sed centuplum accepit, quia perfectionis gratiâ claruit, & nunc vitam æternam possidet cum Sanctis in gloria.

In eleemosynas sua impendit.

Matth. 19. 29.

Phil. 3. 20.

28. Cúmque posthæc Lugdunum rediens bis binos annos [a] ibidem demoratus fuisset, bonum semper quod egerat, Deo juvante, ad finem usque perducens, diem clausit extremum. Beatus igitur Bonitus, dum obitûs sui per revelationem imminere jam cerneret diem, cum sibi successore [b] atque æmulo pacis vincula nectit. Non multos post dies lectulo tentus, quam Græco vocabulo podagram vocant, ingravescente molestia, ad extremum usque pervenit. Nam sacer Episcopus ad cælestia anhelans, antequam beatum caperet iter, fenestram cellulæ in qua quiescebat, reserari præcepit: & solito oculos imbris rore perfundens, psalmum qui eâ horâ juxta morem canendus erat, incœpit: sicque sancta illa anima carne soluta cæleste læta penetravit arcanum: Sanctorum, quorum vitam egit in terris, eorum nunc consortio fruitur in cælis.

a Lugduni moritur.

b

29. Posthæc cùm eum ad sepeliendum juxta morem deferrent, & quidam paralyticus advenisset, sacrúmque corpus super ægrum transisset, salutem corporis redintegrari meruit. O beatum virum, qui tantâ Domini potitus est gratiâ, ut hîc gloriosum relinqueret nobis suæ virtutis exemplum, & ibi

Sanatur paralyticus.

a Hinc colligimus S. Bonitum naturæ concessisse anno circà DCC IX. Siquidem in itinere Romano Ticini exceptus est ab Ariperto Rege, ut superiùs adnotatum. Eumdem annum signat Savaro.

b Id est cum Nordoberto atque Nordoberti æmulo quodam, ut rectè Bollandus interpretatur. nam Nordobertus Bonitum semper amicum habuit, ex num. 16 & 31.

CIRCA AN. DCCIX. JANU. XV.

perpetuum patrocinium nostris pro noxis præberet ad Dominum! Reliquit omnia, ut tamquam nihil habens omnia possideret. Luxit pro tempore, ut in perpetua Angelorum lætitia gauderet. Suorum parentum nobilium ac sodalium est fraudatus adspectu, sed Sanctorum gloriosum est adeptus consortium. hic infirmus, sed illic potens: hic ad tempus voluntariè pauper & inops, laudánsque nomen Domini; sed & hic & ibi dives: quia hic fulget per miracula, & ibi manet in gloria.

30. Hunc imitentur Proceres; hujus si placet sequantur exemplum Sacerdotes. Hujus mortificationis vel frugalitatis mansuetudinem omnes & si forsitan imitari non possumus, saltem lacrymabiliter recordemur. Mirentur alii virtutes & signa, quas Dominus dignatus est per eum ostendere, ego nihil opinor magis mirandum, quàm ejus longanimitatem ac patientiæ in eo virtutem constantem. Quia Dominus ad Apostolos vel ad discipulos suos non dixit aliud à se disci, nisi quòd mites essent & humiles corde. Quam gratiam nobis suis vir beatus intercessionibus ad Dominum postulet exorando: & quæ nostra non merentur adipisci precamina, suæ opitulationis interventu nobis conferantur opportuna.

TRANSLATIO EJUSDEM SANCTI.

Nordobertus cogitat de revehendo corpore Arvernos,

31. CUMQUE B. Confessoris Boniti annis ter binis Lugdunensi artus haberentur conditi urbi, recordatus isdem successor ipsius NORDOBERTUS Præsul ejus * exsulitatis vel benevolentiæ quam erga se vir beatissimus exhibuerat, legationem ad virum beatissimum Godinum ipsius urbis Præsulem misit. Cúmque hi qui missi fuerant petitionem sibi peroràssent commissam, ille respondit: Quod mihi à Deo commissum est., nequaquam me meósque tanti muneris pati permitto dispendium. Unde iidem qui missi fuerant, magno cum mærore ad propriam regressi sunt urbem, facta sui itineris Præsuli nuntiaverunt. Tunc ille blandè eos alloquitur, dicens: Et mihi in eadem nocte quâ vos opidum Lugdunense introistis, vir Domini in visu veste, quâ aliquando solitus erat indui, apparuit, qui & dixit mihi: Quid, inquit, agis, mi frater Nordoberte? Putásne bene gregis tibi commissi curam geris? Et addidit: Noli me, ait, inquietare modò, quia cùm redire voluero, ego nuntiabo. Unde certum tenui, quòd petitio nostra non meruisset effectum.

* al. utilitatis

sed frustra.

Proculus id exsequitur.

32. His ita gestis cùm vir venerabilis PROCULUS Præsulatûs cathedrâ Arvernicæ urbis post virum Dei loco tertio [a] sublimatus fuisset, bonum statim suæ militiæ dignúmque arripuit opus. Nam cùm B. Mauricii [b] Basilicam omni ex parte reperisset incultam, atque ipsius ædis nonnulla diruta; miro modo non solùm ad statum pristinum revocavit; sed etiam sublimiùs atque præclariùs imminere fecit. Móxque consilium ipsum cum Sacerdotibus atque civibus fuit, ut iterata vice ad deferendum beati viri corpus mitteretur, ut ex ejus adventu urbs munita maneret, & B. Martyris nobilitando ditesceret aulam.

33. Eodem tempore cuidam viro beatus Sacerdos in somnis in eadem B. Mauricii Basilica apparuit, dicens: Vade & dic confratri meo Proculo Episcopo, hic & hic ita peragat. Etiam sui ingressûs locum designavit, dicens, quia per hunc locum ego regrediens intrabo. Unde certum tenens gaudénsque promissum, ad eum deferendum dignos dirigit Sacerdotes. Venerabilem scilicet ADELPHIUM Monasterii Magnilocensis Abbatem, necnon &

[a] Et tamen indices Episcoporum Arvernensium inter Nordobertum Boniti successorem & Proculum interponunt Bubum.

[b] Nunc S. Boniti seu S. Ferreoli dicitur, estque parochialis Ecclesia in suburbio, teste Savarone lib. 1 cap. 4. Hinc translatæ S. Boniti Reliquiæ in Cathedralem, in qua hactenus servantur, & caput quidem scrinio argenteo inclusum.

EOALDUM Volvicensis Cœnobii Patrem, MODERATUMque Teclatensis Monasterii Rectorem, unà cum reliquis Sacerdotibus ac Monachis, qui ad tale officium arbitrati sunt digni. CIRCA AN. DCC IX. JANU. XV.

34. Cúmque Lugdunensem urbem ad industrium virum FULCOALDUM qui eo tempore Præsulatûs officio erat prælectus, perventum fuisset atque suggestum, ille intulit dicens: Voluntatem Dei implorate, cui nullus resistere neque obviare potest: & si ipse vestræ petitioni favens atque propitius esse voluerit, ego contraïre non valeo. Sed cùm nostris hæc optio data fuisset, inchoato, ut oportebat, jejunio circumquaque Sanctorum orando redubias [b] peragrantes, interventum suæ petitionis apud Dominum cum magna contritione deposcunt, verentes ne frustrato labore ac vacui ad propria redirent. Jam die transacto cùm in eodem Monasterio [c] ubi vir Dei quiescebat, vigilias celebrare voluissemus, nobis aditum nullatenus Mater ipsius congregationis permisit. Tunc consilii fuit, ut in Ecclesia B. Stephani Protomartyris pernoctantes, sanctæ agerentur excubiæ. Unde cùm ante diluculum in eamdem urbem regressi fuissemus, nec mora duo ab eodem prælecto Sacerdote missi sunt, qui nobis optatum ac nimiùm desideratum nuntium detulerunt dicentes: Ite, inquiunt, & sicut petistis Reliquias vel artus beati Sacerdotis absque mora levate: quia ipsi quòd voluntas omnipotentis Domini foret, per scriptos probaverant breves.

35. Posthæc cùm ad locum sacri tumuli perventum fuisset, & venerabilis pater ADELPHIUS inibi sacrificium offerens altari adsisteret, duo gesta coram omnibus fuêre non silenda miracula. Venientes itaque ipsius civitatis Sacerdotes unà cum sacrificio ac Clericorum dignitate, necnon cum modulamine cantûs, juxta morem sanctæ Crucis præferentes vexillum; mox Ecclesia B. Stephani ita contremuit, ut à summitate cacuminis usque ad fulcra maceriæ casura videretur. Quæ Basilica B. Martyris juxta eamdem B. Petri Apostoli, in qua vir Domini quiescebat, geminata consistit. Unde quis dubitet, quòd sanctus Sacerdos cum Sanctorum cœtu suo adventu partibus suorum civium esset favens, ut æmula corda tanto miraculo ab altercatione cessarent? Quod in sequenti de ejus præsentia idoneo patet miraculo.

Ecclesia contremiscit.

36. Nam quædam puella Deo dicata ad sepulcrum beati viri paralytica reptando cunctis videntibus venit: ubi cùm sopore depressa jaceret, nec mora unus ex nostris eam concitè surgere compellit; quia cancellum, quod super viri Dei corpus inerat, aliam in partem transponi non poterat. Ipsa ergo ut ex somno surrexit, continuò pedibus suis stetit, ac membrorum quod amiserat officio reddita est, atque ad Matrem Monasterii regressa est, & ita narravit dicens: Ego vidi beatum Sacerdotem, & mihi hunc in modum tibi suæ jussionis verba deferre præcepit: Vade, inquit, & dic Abbatissæ DIDÆ [d], ut partem amphibali mei quo caput tegitur, secum retineat. Hæc ideo Sanctus vir Dei intulit, ut & ipsa & cuncti qui aderant, patulè cognoverint, quòd ipse ad propriam remeare urbem, & plebem quam superstes dereliquerat, Reliquiarum suarum consolari cuperet adventu. Quæ res magnam nostris contulit eum levandi fiduciam.

Paralytica curatur.

37. Móxque cuncti nostris partibus faventes, magna adminiculi præstiterunt solatia: usquequo Arvernorum finem ingrederemur, ita eorum prosecu-

Lugduno avehuntur Reliquiæ.

[a] Savaro lib. 2 cap. 2 interpretatur Camalariense, ubi *S. Thecla requiescere* dicitur. De Camalariensi Monasterio & Volvicensi dictum in Vita S. Præjecti Sæculo 2 ad ann. 674.

[b] Redubiæ seu reduviæ ac rediviæ sunt exuviæ ac reliquiæ.

[c] Nempe S. Petri, infrà num. 34, quod hodie quoque Sanctimonialibus Benedictinis subditum est, instauratum à Leidrado Lugdunensi Episcopo, ex ejus Epistola ad Carolum M.

[d] Didam Beatis adnumerat Saussaius in supplemento Martyrologii ad 15 Januarii, ubi eam non bene Arvernensem Parthenonam appellat.

CIRCA AN. DCCIX. JANU. XV.

tio perseveravit. Sed in eodem itinere quanta infirmantium multitudo fideli concursu ad corpus sancti Sacerdotis velut ad scholam probatissimi Medici confluebat, numerari difficile puto. Et verè bonus ille Medicus, quia naturaliter bonus: nec umquam potest aliter esse quàm bonus, qui tales habet discipulos, qui non solùm superstes, sed & post discessum non solùm corporum, sed etiam animarum vulnera curando ad salutem revocavit pristinam. Sed & quàm plurimi in eodem itinere sanitatis commoda meruerunt, nobis incognitum manet: quia vir Sanctus sicut in præsenti studuit vita, ita & nunc peragit miracula. Nam si aliquis accepta suæ salutis optata alicui referens intimasset, statim quæ recesserat adveniebat insania. Nam ego ea quæ oculis vidi, aut à probatis viris didici, quamquam simplici atque inculto meo eliciam stilo. Sed quid plura dicenda sunt? sicut alibi quidam Sapiens dixit: Cui pauca non sufficiunt, nec multa proderunt. Nam dum humeris veheretur, sicubi corpus ejus quievit depositum, statim vexillum Crucis conseptum remansit, & rarum ubi non Ecclesiæ fabricatæ miro modo gratulentur.

Miracula etiam mortuus vult celari.

38. Sed cùm Arvernorum tellurem fuissemus ingressi, quanti nobiles viri ac feminæ occurrentes, eum suis humeris magna cum alacritate & devotione ferebant! Erátque inter eos pia altercatio, ut aut quis primus, aut quis plus pio in opere laboraret. Cúmque propinquiùs urbem accederent, magis magísque suæ ad eum oves confluebant, atque ex nimio gaudio flentes nonnulli clamabant: Ecce, domine, inquit, urbem quam reliqueras recognosce, gregem tibi à Deo commissum tua intercessione custodi. Posthæc cùm jam viri Dei Reliquiæ urbi eminus graderentur, cum qua devotione atque apparatu sacratissimo occurrisset Episcopus, intimari posse difficile puto. Nam in utraque parte tanta erat populi cum Clericis multitudo, ut exercitum coadunatum aut nundinas crederes celebrari. Cúmque in ejus occursum Sanctorum idem Episcopus ex urbe pignora humeris deferens graderetur, tam diligenter ac reverenter occurrit, ut corporaliter Sancti Dei sancto Sacerdoti occurrisse viderentur.

Magna devotio Arvernorum.

Occurrit Episcopus cum sanctis Reliquiis.

39. Exinde cùm ab Episcopo in Eclesia B. Mauritii portaretur, in ipso ingressu quidam claudus, nomine Valdinus, in foribus jacens, sancti Sacerdotis præstolabatur adventum. Sed mox ut super eum viri Dei corpus transiit, ipse sanitatis gaudia sensit, & in eadem Ecclesia usque hodie permanens valvarum custos exsistit.

Claudus sanatur.


40. Posthæc sancti Sacerdotis membra dignæ sepulturæ sunt tradita, juxta beatorum Apostolorum Petri & Pauli atque S. Andreæ altare, quorum Reliquias præfatus Pontifex ex urbe jussit deferri: & magna cum devotione locum ipsum dedicans, ac pridie carie depositâ renovavit. Et dignum erat, ut quorum flagravit amore sancto igne succensus, eorum semper ejus etiam sepulcrum jungeretur altario. Deinde mausoleum beati Sacerdotis auri argentíque mirificè decoravit metallo, ubi multa Domino opitulante infirmis præstantur beneficia. Sed nunc è pluribus unum in præsenti narrabo miraculum.

Ornatur sepulcrum.

41. Quidam ex Burgundionum provincia, nomine Ceronius, cæcus advenit. Cúmque ad sepulcrum sanctum suæ debilitati popościsset salutem, nobis videntibus lumen recepit. Et non solùm ipse, sed & quicumque ex eadem provincia Burgundionum incommodi advenissent, sospites ex infirmitate ad propria remeârunt.

Cæcus aliique ægri sanantur.

42. Hactenus velut quoddam indiculum colligentes edidimus: sed credimus quòd à vobis prudentioribus elegantiùs, sicut necesse est, atque omissa requirendo diligentiori studio miracula, alium forsitan libellum cudere potestis.





VITA S. TETRICI EPISCOPI AUTISIODORENSIS IN GALLIA,

CIRCA AN. DCC IX. MARTII XVIII.

Ex Historia Episcop. Autisiod. scripta ante annos 800.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ,

1. MOS est in Ecclesia Autisiodorensi * peræquè laudabilis ac antiquus, ut mortuo Episcopo ejus gesta primo quoque tempore in litteras redigantur. Id si aliæ servâssent Ecclesiæ, non esset tanta ignorantia in historicis rebus, ut ne vacua quidem cujusque sedis Episcoporum nomina in numerato habeamus. Historiam Antistitum Autisiodorensium nostro Georgio Viollio à se interceptam edidit Philippus Labbeus Tomo primo Bibliothecæ novæ, in capita 94 distinctam. Exstat egregium hujusce rei quam dicimus testimonium in capite 65, quod partis posterioris est primum. Prioris partis capitula minimùm quadraginta compendiosè atque commaticè elucubratis paginis indiderunt RAINAGOLA & ALAGUS, collaborante HERRICO Theosopho simul & Monacho Cœnobii S. Germani in eadem urbe: à quibus gesta S. TRETICI * seu Tetrici mutuabimur ex cap. 24. Antè verò quàm id præstemus, juvat quasdam res de ista Ecclesia notatu dignas hoc in limine exponere. Mos Ecclesiæ Autisiodorensis. * Aucerre. * S. Tretic

2. Primum est, eo tempore quo Tetricus eidem sedi præesse cœpit, hoc est vertente seculo VII, collegium Ecclesiæ primariæ Canonicorum, quos Clericos Dominicos appellabant, non adeo numerosum fuisse, ut sufficere posset tum juvando Episcopo, tum sacro concentui persolvendo. Vnde hic beatus vir primo anno ordinationis suæ habito concilio constituit, qualiter Abbates vel Archipresbyteri in Ecclesia S. Stephani divinum persolverent officium, singulis in singulas turmas per unamquamque hebdomadam distributis. Observatio 1 de officio divino.

3. Alterum est, ritus in cujusque Episcopi institutione observari solitus: ut scilicet in vigilia jaceat in Monasterio S. Germani, ex cap. 79; ubi Episcopi eligi & consecrari soliti, cap. 49: & in crastino in cathedra portetur per Comitem Autisiodorensem, Baronem de Donzeïo, dominum de Thoceïo, dominúmque de S. Verano in Puisaïa: qui ad hoc officium tenentur ex natura & debito feodorum suorum, cap. 67. Quod adeò non refugiebant olim nobiles illi viri, ut Comes Flandrensis, ratione Baroniæ de Donziaco, in Petrum de Mortuo mari id præstare non erubuerit, cap. 69. Erat is annus MCCCXXV, quo Ludovicus II Flandriam administrabat. Ne verò quis putet, recentiorum temporum hunc esse morem: id factum legitur in Gerannum procedente seculo X, quod etiam Episcopo Andecavensi in simili causa tribuitur in libro de gestis Guillelmi Majoris, Tomo 10 Spicilegii Acheriani. Quo autem ritu Episcopus Autisiodorensis in Ecclesia sua possessionem veniret, insigni exemplo patet cap. 79. 2 de Episcopi institutione.

4. Tertium porro est, Canonicorum Ecclesiam forsitan esse nullam in orbe Christiano, quæ plures Episcopos habuerit Monachos instituti nostri, eósque fere ex S. Germani Cœnobio adsumtos: ubi & plerique Episcopi sepulturæ suæ locum elegerunt. Omnino quatuordecim lego Episcopos Autisiodorenses qui Monachi fuêre: & sex quidem ex-Abbatibus Monasterii S. Germani, Palladium scilicet & Tetricum, utrumque sanctum, Quintilianum, Abbonem, Gualdricum, & Hugonem primum; ac Richardum ex-Monacho; Christianum Drutmarum ex-Monacho Corbeiensi; Bettonem ex-Abbate Cœnobii S. Columbæ apud Senones; Hugonem ex-Abbate Pontiniacensi, & Alanum ex-Abbate de Ripatorio, utrumque Cisterciensem; Heribertum secundum & Robertum, qui monasticum habitum in extremis susceperunt. Quod de Christiano Drutmaro dictum est, aliàs discutiendum erit. nam neque Christianus Drutmarus hactenus Episcopus viris eruditis creditus est; nec Christianus qui Episcopus Autisiodorensis fuit, Drutmarus in vulgatis indicibus cognominatur. 3 de Episcopis Monachis.

5. Monasterium S. Germani, in quo Tetricus eductus fuit, primùm quidem erat exiguum Oratorium, quod S. Germanus in suo ipsius prædio, Martyris Mauritii meritis dedicato, Saturno discipulo delegaverat, ut sub professione sacerdotalis tituli Martyrum Monasterii S. Germani initia & incrementa.

Circa An. dccix. Martii xviii.

memoriis inibi deserviret, *ubi & Germanus sepultus est*. Progressu temporum venerabilis Chrotechildis Regina, magni Principis Chlodovei uxor, supra sancti tumulum Pontificis, ingentis fabricæ atque operosæ amplitudinis exstruxit Basilicam: ac ipsa tempestate cum præfata Augusta S. Lupus Episcopus venit de superioribus Burgundiæ partibus, quique non multo pòst ad xvi Kal. Julii die functus supremo, ex Reginæ placito in eadem Ecclesia decenter ac religiosè compositus requiescit. quod pario penes nos impressum marmori cuiquam legere cupienti scriptura prodit antiquior, *inquit Herricus in lib. 1 de mirac. S. Germani capp. 25 & 26.* Exinde, *addit cap. 27*, major Chlotharius, prænominatæ Chrotechildis filius, super adorandam beatissimi Germani Memoriam per manus S. Desiderii * ejusdem tunc urbis Episcopi, regalibus expensis fredam, *id est ædiculam quatuor columnis subnixam* composuit: quæ auro argentóque elegantissimè decorata, in nostram, *ait Herricus*, duravit ætatem, auctorem ministrúmque operis insculptarum sibi designans suffragio litterarum. Quinetiam ejusdem Chlotharii conjux, Ingundis nomine, sepulcro B. Germani per idem tempus plurima vasorum palliorúmque obtulit ornamenta, inter quæ calicem egregium, &c. *Demum verò* Chonradus Princeps *cum ex morbo quo affligebatur, S. Germani meritis convaluisset, adjuvante* Adheleide *conjuge novam Basilicam exædificasse dicitur in lib. 1 cap. 2 & seqq. Perstat etiamnunc istud Cœnobium sub Ordine Benedictino & Congregatione S. Mauri, orbatum quidem (sudario excepto) Patroni sui Reliquiis, quas hæretici nostri temporis sacrilegè flammis tradiderunt: at multorum Sanctorum ejusdem sedis Pontificum sacris exuviis locupletatum, quorum tumuli visuntur in cryptis subterraneis, sanctitatem & horrorem spirantibus. Lege Acta posteriorum Abbatum auctore Guidone Abbate in Tomo 1 Bibliotheca nova Labbeana. Floruêre isto in Cœnobio S.* Walaricus, *pòst Abbas Leuconaënsis;* Remigius *&* Herricus *Monachi, viri doctrinâ & pietate illustres, principatu Caroli Calvi, cujus filius* Lotharius *ibidem* educandus fuerat commendatus, *teste eodem Herrico in prologo ad Vitam metricam S. Germani, ubi ipsum Lotharium Abbatem præmaturè exstinctum luget. Per id temporis studia litterarum eo in loco vigebant.*

** Desiderius erat Episcopus regnante Chlotario secundo, non primo.*

S. Germani vestes.

6. Antequam hinc discedam, temperare non possum quin referam id quod legi in MS. cod. Thuaneo n°. 63 de S. Germani reliquiis in hæc verba. In Christi nomine notitia de vestimentis Domni Germani, quod accepit Wineradus Diaconus in thesauro anno xlii, regnante Domno Chlothario. hoc est casula fuscana renelena 1, sagia fusca 1, caligas albas iv, sagia de haira 1, calcias filtrinas paria 1, calcias renelenas paria 1, pallas iv, antemanicias paria 1, supersellio vellono 1, capsella cum reliquiis de ipso Domno Germano. Reliquiæ incognitæ quas nullus audet videre: unde quidam volens eas videre, amisit lumen oculorum. Manica S. Germani Autisiodorensis, quam S. Genovefæ misit. Cilicium S. Germani integrum & genicula ejus. *Hæc relata sunto ne excidant, si tanti.*

Tetricus Abbas,

1. Treticus seu Tetricus sedit annos xv, menses iii. Hic fuit temporibus Romanorum Præsulum Leonis, Benedicti, Johannis, Cononis, Sergii sub Childeberto juniore Francorum Rege qui appellatus est justus, vir mitissimus & omni bonitate ornatus. Nam & ante episcopatum exstitit Abbas Monasterii S. Germani. In quo officio positus talem tantúmque se exhibuit, ut meritò ab omnibus summo frequentaretur studio. Erat enim largus, pius castus atque misericors. Deo igitur favente omnis populus à minimo usque ad maximum divina inspiratione permoti, cum in Pontificum ordinem elegerunt: sicque à Basilica sancti Germani extractus, Deo dignus Pontifex est electus & ordinatus Sacerdos. Cœpit enim mox accepto Sacerdotio prædicationibus insistere, Ecclesiámque sibi à Deo commissam spiritaliter erudire. Hic beatus vir primo anno ordinationis suæ, habito Concilio constituit, qualiter Abbates vel Archipresbyteri in Ecclesia sancti Stephani divinum, persolverent Officium. Taliter verò ordinavit, ut deservirent.

Episcopus electus prædicationi vacat. Officia divina instituit.

Kalend. Ianuarii 1 hebdomada, Basilica S. Germani [a].

2 hebdomada, Basilica sancti Amatoris [b].

3 hebdomada, Basilica sancti Petri [c].

4 hebdomada, Basilica Monasterii sancti Iuliani [d].

a nunc Monasterium. b S. Amatre Ecclesia parochialis in suburbanis. c Canonic. Regul. d Sancti-monial. Benedictin. extra urbé.

Kalend. Februar. 1 hebdomada, Basilica S. Mariani [e].
2 hebdomada, Basilica sancti Eusebii [f].
3 hebdomada, Basilica sancti Martini [g].
4 hebdomada, Basilica sanctæ Mariæ [h].
Kalend. Martii, 1 hebdomada, Basilica S. Nazarii.
2 hebdomada, Monasterium Longoretense [i].
3 hebdomada, Monasterium Sesciacense [k].
4 hebdomada, Scolius Vicus.
Kalend. Aprilis, 1 hebdomada, Bacerna Vicus.
2 hebdomada, Vendosa & Gaugiacus.
3 hebdomada, Nanteriacus & Licaiacus.
4 hebdomada, Tauriacus.
Kalend. Maii, 1 hebdomada, Chora Vicus.
2 hebdomada, Corcedomus & Oratorium S. Memmii.*
3 hebdomada, Troia & Cornacus & Auciacus.
4 hebdomada, Varciacus.*
Kalend. Iunii, 1 hebdomada, Bargiacus & Nantoniacus.
2 hebdomada, Massua.
3 hebdomada, Condida.
4 hebdomada, Dactriacus & Soliacus.
*Kalend. Iulii, 1 hebdomada, Novus-vicus *.*
2 hebdomada, Brioderus.
3 hebdomada, Giemus & Laoderus.
4 hebdomada, Blanoilus.
Kalend. Augusti, 1 hebdomada, Clerici dominici.
2 hebdomada, Elmiacus.
3 hebdomada, Baugiacus.
4 hebdomada, Tauriacus [l].
Kalend. Octobris, 1 hebdomada, Clerici dominici.
2 hebdomada, Basilica sancti Germani.
3 hebdomada, Basilica sancti Amatoris.
4 hebdomada, Basilica sancti Petri.
Kalend. Novembris, 1 hebdomada, Domiciacus.
2 hebdomada, Monasterium sancti Iuliani.
3 hebdomada, Basilica sancti Mariani.
4 hebdamada, Basilica S. Eusebii.
Kalend. Decembris, 1 hebdomada Basilica S. Mariæ.
2 hebdomada, Basilica sancti Martini.
3 hebdomada, Basilica sanctorum Gervasii & Protasii.*
4 hebdomada, Monasterium Longoreti & Sesciaci.

2. Hac itaque constitutione roborata constituit, ut Abbates, Presbyteri cum Clero ad suprascriptum officium peragendum convenientes, ex dominico cellario ab Oeconomo [m] Ecclesiæ stipendium sufficiens accipiant: si verò tardi occurrerint, aut negligenter apparuerint, XL dies à vino absti-

CIRCA AN. DCC IX. MARTII XVIII.

e Capella. f parochia & Prioratus Canon. Regul. g exigua parochia extra urbem. h nunc Præmonstratensium dicta *N. Dame là dehors.* * *S. Mammet* parochia in urbe. * *Varzy*

* *Neuvy*

* Prioratus extra urbē

Annonam adsignat præsentibus, absentibus pœnam.

i Monasterium Longoretense in loco Longoreto vulgò *Longret* Ligerim versus situm, evasisse in collegium Canonicorum sæcularium, monuit me venerabilis vir D. Natalis *Damy*, cathedralis Ecclesiæ Canonicus, antiquarum rerum studiosissimus. Istud Monasterium distinguendum est ab alio cognomini in Biturigibus, nunc S. Sigiramni dicto, de quo in ejusdem Sancti Actis egimus Sæculo 2.

k Monasterium Sesciacense, nunc Prioratus à Cœnobio S. Germani Autisiodorensi dependens, duodecim miliaribus Gallicis distat ab urbe Autisiodoro, in loco vernaculè dicto *Saissy les bois*. quam observationem eidem viro humanissimo debeo.

l Hic nulla mentio facta mensis Septembris: forsitan quòd tempore vindemiarum Clerici feriarentur.

m Oeconomus universas Ecclesiæ res, Vicedominus Episcopi domum administrabat. Lege Morinum de sacris ordinat. parte 3, exercitat. 16, capp. 5. & 8.

Circa An. DCC IX. Martii XVIII. neant. Vice-dominus autem, aut Celarius, si quod jure ministrare debent, in aliquo subtraxerint, retrusi in Monasterium per annum dimidium pane & aqua contenti debitam pænitentiam persolvant. Is itaque beatus Episcopus villam quæ ei ex successione parentum advenerat, Maximiacum nomine, sitam in pago Senonico, cum ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, & universis appendiciis suis, Basilicæ sancti Stephani, cui Deo auctore præfuit, habendam delegavit.

Cæditur à Regenfredo. 3. De cetero, consummato feliciter vitæ suæ cursu, à quodam instigante diabolo, ut fertur, Archidiacono suo, nomine REGENFREDO, dum scamno sopore resolutus quiesceret, gladio verberatus martyrio vitam finivit XV Kalend.[a] Aprilis, & sepultus est cum summa devotione Fidelium in Basilica sancti Eusebii Martyris. Nam de eodem Ragenfredo antiqua relatione vulgatur, quòd mox ut à domo, in qua suum interfecerat Pontificem, est egressus, subito turbine raptus nusquam comparuit. Fuit autem civitas sine Episcopo annis III. (Sedes vacat.) Nam de scamno super quod interfectus est, plures ex dolore dentium ob meritum sancti viri obtinuere remedium. (Miracula.) Sed & in eodem loco ob memoriam & reverentiam Martyris, à successoribus ipsius ejus est nomine constructum Oratorium [b], quod hactenus Fidelium devotione veneratur & colitur. Exstant hodiéque tabulæ ejusdem scamni, ejus martyrium designantes [c].

a Non ergo XVII Kalend. Aprilis, ut legitur in Martyrologio Benedictino: neque pridie Idus ejusdem mensis, ut alii existimant, freti auctoritate Breviarii Autisiodorensis, quod Herrici Monachi auctoritate niti deberet. Annus mortis incertus. Tetricus decessores habuit proximos Vigilium & Scopilionem. Scopilio cæsus fuisse dicitur *à Vuaratone Principe palatii, qui Ebroino in eodem principatu successerat*; proindéque post mortem Ebroïni, qui non ante annum DCLXXXI exstinctus est. Vigilio successit Scopilio, qui sedit annos VIII: cui suffectus Tetricus Episcopus in annos XV.

b Visitur in hunc usque diem istud Oratorium in vico qui à Sancti martyrio dicitur *Scamnum*, vulgò *Escan*, duobus miliaribus supra civitatem.

c Gualdricus Episcopus Autisiodorensis, qui anno DCCCCXXXIII obiisse dicitur, III. *Kalend. Augusti corpora Sanctorum Pontificum* PALLADII *&* TRETICI *in Ecclesia S. Eusebii diu humata, ut à populis venerarentur, & ipsi alacriùs subvenirent, cum hymnis & laudibus à bustis propriis erexit, & super altare posuit.* S. Tetrici Reliquiæ adservari dicuntur in cryptis ejusdem Ecclesiæ Eusebianæ, quæ nunc parochialis est & Prioratus Canonicorum Regularium S. Augustini.



Circa An. DCC IX. Sept. V.

VITA S. BERTINI ABBATIS
SITHIVENSIS IN MORINIS,

Auctore, ut videtur, FOLCARDO Sithivensi Monacho, sæculo XI.

Ex MSS. Codd. Bertiniano & Vedastino.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. MULTI *gesta S. Bertini Abbatis in litteras retulêre. Sex omnino invenio hujusce argumenti lucubrationes. Prima est anonymi cujusdam, quem ceteri postea secuti sunt. Secunda* FOLQUINI *Abbatis Lobiensis, qui Acta SS. Audomari, Bertini, Folquini Episcopi, Vuinnoci & Silvini* WALTERO *Abbati Bertiniano, anno* CMXCVI *mortuo nuncupavit. Tertia & quarta auctorem habent* FOLCARDUM *Sithivensis Cœnobii Monachum. Quinta & sexta metricè composita sunt, una quidem ab* Anonymo *quodam, alia ab* SIMONE *(ut putant) Abbate Sithivensi sub finem sæculi* XII, *quamquam Johannes Iperius de Simone Abbate agens, ejus rei (nî fallor) haud meminit. Quatuor postremas Scriptiones è Monasterio Sithivensi accepimus beneficio tum viri religiosissimi D. Johannis* le Pecqueur *Subprioris,*

prioris, tum humanissimi D. Gerardi du Val *Cœnobitæ. Hîc unicum exhibemus* Folcardum, *de aliis Auctoribus pauca dicturi.* CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

2. Anonymum *Vitæ Bertinianæ scriptorem perantiquum laudant Auctor libri de gestis S. Vvinnoci Abbatis, Folcardus & alii:* Folquinum *Jacobus Malbrancus passim, maximè in Scholiis ad cap. 1 lib. 3 de Morinis: ubi ait, Folquinum in Actis SS. Audomari, Bertini, &c. multa præteriisse quæ apud alios reperire est: quia solummodo ea inserere in votis habuit, quæ lectionibus Breviarii possent adaptari. Hunc putant esse* Folquinum *Levitam & Monachum Bertinianum, qui Principum ac Regum diplomata aliáque instrumenta in unum retulit, & annis Regum annos Dominicæ incarnationis aptavit: qua in re à vero calculo passim aberravit. Anonymum legit, & cum subjecta Folcardi iucubratione contulit D. de* With *Cœnobita Bertinianus, ante annos triginta vitâ functus: cujus animadversiones à D. Gerardo* du Val *communicatas in ora marginali apponemus.* Anonymus. Folquinus.

3. Folcardus *Bertinianus Monachus primò quidem compendio scripsit Vitam S. Bertini, quam postea fusiùs à se reddendam promisit. Sic habet in prioris lucubrationis Epistola dedicatoria.* Domino suo BOVONI Patríque desideratissimo FOLCARDUS nulli inserendus paginæ, quod summum est coram summo Pontifice. Fortassis, Pater mi, in tuum vernaculum tuo quondam lacte tuísque educatum alimentis meritò frequentiùs stomacharis, quòd solùm terram occupem ut ficus illa inutilis; nec quidvis tuæ quâ quondam puerum insevisti, promam institutionis. Jus, fateor, esset, quæ insevisti, etsi non digno, tamen quocumque pullulare germine: sed cupido vires deficiunt, Pater optime, quo cogor inter privatos ignobilis delitescere. Hinc te sæpiùs rite indignatum meæ inertiæ concesserim, hócque à te summum in me beneficium libens conceperim. Unde quæ hactenus minus consultè egi, ad jussum Paternitatis tuæ in melius transferre curavi. Quod meditanti occurrit in medio Vita beatissimi Patris nostri Bertini, quam rescribere orsus sum, impellente causa multiplici. Quod si sic ex re constabit, examinis tui trutina probabit. Bona siquidem dicturus facturúsve, à nullo malui quàm à te principium sumere, qui tot commodis inservis nobis omnibus quotidie. Dein verò quod quorumdam Fratrum devotæ petitioni oportuit me satisfacere: qui dum aliquid apud tantillum videntur petere, magis imperare ex ipsa noscuntur petitione. Nec eò, fateor, ipsi petunt, ut reor aut ego subaudio, ut veteri posthabito sive neglecto hoc opus rapiatur in publico: quod absurdum nimis esset, me tale aliquid inter tot & tales (ut ita dicam) nubigenas moliri. Sed si ita jubes, secundùm illud quod lignea & fictilia vasa cum aureis aiunt in Templo Domini; sic hæc meæ parvitatis descriptio servetur cum veteri. *Dein sequitur alius Prologus hoc exordio:* Deificæ Trinitatis clementia, *&c. qui Prologus diversus est in exemplari Cisterciano. Sic verò incipit Vita:* Beatus puer Bertinus generosa progenitorum stirpe ortus traditur in Constantiæ finibus, *&c. Demúmque ita librum concludit:* Hæc dicta sufficiant pauca è pluribus, quæ compendiosa quidem terminavimus diffinitione, sed patentioris textûs serie disponimus elucidare. *Vides hîc promitti prolixiorem scriptionem. Et infrà librum de miraculis S. Bertini à se scriptum iri pollicetur his verbis:* Lectoris ergo nos accommodantes satisfactioni, acsi jam de Vita refecto Patris clarissimi, subsequenter scriptis textum exsequemur signorum, quæ per eum gessit Dominus Deus virtutum. *Quod utrumque præstitit, editis libris de Vita & miraculis S. Bertini, quos hîc primùm typis donamus. Etsi enim libri manu exarati Auctoris nomen haud præferunt, id tamen colligimus ex ejus ætate, quam ipse indicat libro 1 Mirac. cap. 11. Quamquam liber secundus de miraculis à principio antiquiorem sapit Auctorem, cui cetera Folcardus adjecisse videtur. Ordericus Vitalis in Eccl. hist. lib. 11 ad ann. 1108 laudat* Fulcardum S. Bertini Sithiensis Monachum, multa eruditione validum, quem Guillelmus Anglorum *Rex subactâ Angliâ* Torneïæ præposuit, *ubi Fulcardus* fere XVI annis absque benedictione Abbatis vices supplevit. Hic affabilis, *inquit,* & jocundus fuit atque caritativus, Grammaticæ artis ac Musicæ peritissimus. Unde pretiosa peritiæ suæ monumenta reliquit in Anglia futuris generationibus. Nam plures dictatus memoriâ dignos edidit, & S. Oswaldi Guigornensis Episcopi aliorúmque Sanctorum, quorum propago de Albione processit, delectabiles ad canendum historias suaviter composuit. Ortis postmodum quibusdam simultatibus inter ipsum & Lincoliensem Episcopum recessit, *nempe in Monasterium Sithivense, ubi Vitam S. Bertini exornandam suscepit.* Folcardus.

4. BOVO *Abbas Bertinianus, cui Folcardus primam scriptionem suam dedicavit, auctor fuit elevationis corporis S. Bertini, à Folquino Morinorum Episcopo loco secreto reconditi ob Nortmannorum infestationes: ejúsque facti Relationem litteris mandavit,* Bovo.

CIRCA AN. DCCIX. SEPT. XV.

quam ex MSS. codd. erutam publicamus post Folcardum, qui eamdem historiam in libro 2 Miraculorum præstrinxit. Bovo Monasterio Sithivensi præfuit ab anno MXLIII *ad* MLXV, *uti discimus ex Joannis Iperii Chronico Bertiniano cap. 37. qui Iperius etiam gesta S. Bertini in Chronicon suum retulit cap. 1.*

5. *De duobus Poëtis* ANONYMO *&* SIMONE *nihil est quod adnotemus. Eorum lucubrationes typis committere non visum est operæ pretium.* Simon *Bertiniano Monasterio præfuit ab anno* MCLXXVI *ad* MCLXXXVII, *quo Abbatis dignitatem abdicavit, febre quartana aliisque molestiis affectus, in quatuor annos superstes. Lege Johannis Iperii Chronicon cap. 103. Simonis carmen de S. Bertino incipit hoc modo:*

Filius & frater meritò tuus, ô pia mater,
Laudibus immensis celebremus plebs Sithiensis.
Unam cùm reputem tibi non satis esse salutem,
Me conferre putes tibi cum Patre mille salutes.
Ergo fave SIMONI, quæso, Pater alme, LEONI,
Cui quod concepi dudum, modò scribere cœpi
Laude Dei festa nostri Patris inclyta gesta.

Bertinus laudatus in fastis sacris.

6. *S. Bertini memoriam celebrant sincera Martyrologia Usuardi, Adonis, & Flori additamentum ad Bedam.* Nonis Septembr. *inquit Usuardus*, in pago Tarvennensi S. Bertini Abb. *& Ado eodem die:* Natalis S. Bertini Abbatis, magnæ sanctitatis & innocentiæ viri. *Florus verò:* Depositio S. Bertini Confessoris & Monachi, qui in divinis rebus prudens, & in malis simplex, virtutibus claruit divinis. *Præterea S. Bertini absconsio à Folquino sæculo* IX *facta antiquis Kalendariis inscribitur* XVII Kalend. Augusti; *Elevatio sæculo* XI *celebrata à Vvidone Remorum Archiepiscopo* VI Nonas Maii; *Translatio denique in thecam pretiosiorem sæculo* XIII *per Petrum Morinorum Episcopum* XVII Kalend. Augusti, *de quibus infrà suis locis.*

An primus Abbas Sithivensis.

7. *An Bertinus Monasterii Sithivensis primus Abbas fuerit, meritò dubitari potest. Scriptor Vitæ S. Audomari Episcopi Tarvennensis edita Sæculo 2 Bened. primum locum tribuit Mummolino, Bertino secundum. Johannes Iperius è catalogo Abbatum Sithivensium penitus expungit Mummolinum, quem Bertino postponunt Sammarthani in Gallia Christiana, at immeritò certè. Siquidem Mummolinus B. Eligio successit in sedem Noviomagensem anno* DCLXIX, *eique præfuit* per viginti & sex annos, *testante Auctore Vitæ S. Audomari: proindéque longè ante S. Bertinum vivere desiit. Veri simile est, Mummolinum per annos* XIV *ante initam sedem Episcopalem præfuisse Abbatem* Veteri-Monasterio, *quod nomen ipsius hactenus retinuit; & curam habuisse fabricæ novi Monasterii Sithivensis; non tamen eo loci rexisse Monachos, nisi fortè ad breve tempus: eoquòd vixdum perfecto Cœnobio raptus sit ad Episcopatum; mox verò Bertinum fabricæ supremam imposuisse manum, & coloniæ Monachorum præpositum fuisse.*

Monasterii status.

8. *Sithivense seu Sithiense Monasterium anno circà* DCLX *ædificari cœptum in pago Tarvennico, à prima sui origine amplissimum, hactenus S. Bertini nomine celebratur, inclusum muris Audomaropolis, quæ urbs à Monasterii celebritate orta, ab annis centum cathedra Episcopali donata est, excisâ Tarvennâ. Duplex ferè à Cœnobii primordiis conventus Monachorum istic fuit, unus quidem in S. Petri Basilica, constans Monachis centum & quinquaginta; alter in S. Mariæ Ecclesia cœmiterii loco ædificata, habens Cœnobitas quadraginta, quos Fridogisus Abbas sæcularis sæculares Canonicos fecit. In hac demum S. Mariæ Basilica sedes Episcopalis erecta, in alia cœtus Monachorum perseverat. Procedente tempore istic etiam, ut & alibi passim, admissæ sunt Sanctimoniales, quas* Conversas *appellabant, Gregorio nono Pontifice per Romanum S. Angeli Diaconum Cardinalem expulsæ.* Erant tunc, *inquit Iperius cap. 46 parte 20*, in hoc Monasterio Moniales quæ dicebantur Conversæ sub habitu Religionis, non tamen sub professione regulari inter duas portas Monasterii, juxta Ecclesiam S. Martini commorantes, de eleemosyna Monasterii viventes, in hospitali pauperibus servientes, vestes sacras & ornamenta Ecclesiæ cùm opus esset consuebant & abluebant. Et quia non licebat mulieribus ingressus intra Monasterium Monachorum; matres, sorores & propinquas nostras quum ad nos veniebant, recipiebant.

Ecclesiæ plures.

9. *Ut verò intelligas ea quæ de variis Monasterii principalis Basilicis dicuntur, juvat Iperii verba è cap. 3 hîc attexere.* Notandum est, quòd Ecclesia ista diversis successivè temporibus diversimodè nominata fuit. Primò enim dicta fuit *Sithiu* à nomine villæ vel loci qui *Sithiu* dicebatur, quam Ecclesiam B. Bertinus fundavit in honore B. Petri Apostoli, qui adhuc nunc est & Pater & Patronus. Deinde B. P. Bertino numero Sancto-

rum adaucto, quia ipse primus fundator noster exstiterat, ab eo denominatus est locus Monasterium S. Bertini Sithiensis. Et ut nominis recompensatio fieret, constructa fuit Ecclesia B. Petro ad occidentalem partem Templi ad plagam septemtrionalem, à qua adhuc nominatur porta S. Petri ibidem. Beato verò Martino facta fuit Ecclesia juxta illam quæ nunc est parochialis Ecclesia S. Martini in insula. Et inter duas has Ecclesias sanctorum Petri & Martini factum est hospitale pauperum seu domus eleemosynæ; via quoque patens, per quam de una Ecclesia ad aliam, ac de hospitali ad utramque patebat ingressus. Demum igne fortuito consumtis Ecclesiis beatorum Petri Apostoli ac Bertini, tempore Domni Roderici Abbatis, *qui anno* M XXI *præesse cœpit*, ordinatum fuit, (quod adhuc hodie servatur) quòd Templi nostri majus altare, immo ipsummet Templum semper consecratur in honore B. Mariæ Virginis, beatorum Apost. Petri & Pauli atque B. Bertini Confessoris Christi; secundum verò altare in quo solet dici missa matutinalis, semper appropriatur & consecratur in honore S. Martini Turonensis Episcopi. *Hactenus Iperius.* CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

10. *Istud Asceterium tanta religione & sanctæ Regulæ cultu per varias alternantis humanæ conditionis vices floruit*, ut de viginti duobus Sanctis illius Ecclesiæ Monachis jam sollemnizet Ecclesia, *inquit Iperius in Prologo. Viginti quinque numerat Locrius in Chronico Belgico, nimirum* BERTINUM *Abbatem & Cœnobii conditorem*, EBERTRAMNUM *Abbatem Veromandensem*, WALBERTUM *Comitem, ejúsque filium* BERTINUM *parvum*, MUMMOLENUM *Noviomagensem Episcopum*, WINNOCUM *Abbatem Vuormholtensem cum* QUADANOCO, INGENOCO, & MADOCO *ejus sociis*; ERKENBODONEM *Sithivensem Abbatem quartum hoc sæculo* VIII; HUMFRIDUM *ex-Monacho Prumiensi Abbatem Bertinianum*, & FULCONEM *Remensem Archiepiscopum itidem Abbatem*, WOCARDUM, WINEBALDUM, RAGENARDUM & GERWALDUM *Monachos Martyres sæculo* IX; GRIMBALDUM *Vuintoniensem Abbatem cum sociis* JOHANNE & ASSERO, *ac* GERARDUM *Abbatem sæculo* X; LAMBERTUM, SIMONEM & LEONEM *Abbates Sithivenses cum* JOSCIONE & BERNARDO *Monachis sæculo* XII. *De quibus agemus locis opportunis.* Viri pii,

11. *Ex eodem Asceterio prodierunt quamplures alii qui ad infulas Episcopales evecti sunt. Istic etiam sæculi pompam & dignitates abdicàrunt viri spectatæ nobilitatis*, GUNTBERTUS clara stirpe, patre Gorberto, matre verò Ebertruda progenitus, *inquit Iperius, cap. 11 parte 3*; HONROCUS Comes, Adalardi Abbatis pater, *cap. 13 parte 3*; ZOPPO Regis Caroli Calvi Vicarius *cap. 15 parte 1*; MEGENFRIDUS puer nobilis, à patre Ruodwaldo oblatus *cap. 16, & alii: quibus addendi* CHILDERICUS *Rex ultimus Merovingicæ stirpis* in Sithiu Monasterio tonsus, & GUILLELMUS *Flandrensis Comes, qui morte instante religiosam vestem induit, & in Sithivensi Monasterio sepultus est, teste Orderico Vitali in Hist. lib. 12, ubi ejus epithaphium refert ad annum 1127.* & illustres.

12. *Præterea ex hac Abbatia originem sumserunt, seu (ut verbis Iperiani Prologi loquar)* sunt derivata quatuordecim honesta Monasteria, *adeout Sithivensis Ecclesia* patriæ sedem primam obtineret post cathedralem *Morinorum. De Monasteriis Vuormholtensi, Bergensi, Alciacensi, Hunulfriccultensi & aliis è seminario Sithivensi profectis, lege sæpe laudatum Iperium.* Monasteria ab isto orta.

13. *Non tantùm Sanctorum seminarium fuit iste locus, sed etiam Sanctorum asylum & confugium. Istuc se recepère SS. Anselmus & Thomas Cantuarienses Archiepiscopi. Admissi etiam non semel Monachi Cantuarienses à Regibus pulsi, primò quidem in S. Thomæ odium ab Henrico IV, deinde verò à Johanne Rege anno* M CC VII. *De primis agit Iperius cap. 44 parte 2, de aliis cap. 46 parte 12, ubi hæc verba:* Quibus adventantibus D. Abbas & conventus inobviam eis cum cruce, candelis & thimiamateriis processionaliter incesserunt usque ad Ecclesiam S. Dionysii, & eos huc in Monasterium adduxerunt. Erant Monachi septuaginta, familiares autem usque ad centum: qui omnes insimul per dies duodecim hîc apud nos manserunt, donec per Abbatias circumquaque bini vel terni à suo Priore missi sunt, ipso Priore cum sedecim Monachis plusquam per annum nobiscum remanentibus, *&c. Egregium sanè Christianæ caritatis & religiosæ hospitalitatis exemplum!* Sanctorum asylum.

Circa An. DCC IX. Sept. v.

PROLOGUS AUCTORIS.

Ex antiquiori anonymo.

1. DOMINO omnipotenti bonorum munerum largitori multiplices gratiæ laudésque sedulò sunt referendæ, qui omnium creaturarum visibilium & invisibilium conditor & gubernator exsistens, filium suum unigenitum Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM ad docendas redimendásque omnigenas gentes misit ad terras: *& cetera ut in Vita S. Audomari Sæculo 2.*

CAPUT I. *In qua provincia natus est B.* BERTINUS, *& quòd in pueritia Monachus factus est.*

2. BEATUS puer BERTINUS generosa progenitorum stirpe ortus traditur in Constantiæ finibus, quam Rhenus subterfluens sub ejusdem urbis muros in Apotamo lacu ferme tribus stagnatur millibus: quæ hinc è vicino Bajoariam, illinc Burgundiam, ab Austro autem Alpina suspicit juga. Hic itaque suis pignus admodum dilectum progenitoribus nutriebatur diligenter infantulus, uti tantus in Domino pòst futurus. cui cùm ad mundi gloriam à Deo terrena nobilitatis suffragaretur dignitas, ab ipsis infantiæ cunis major servitutis Christi côadolevit caritas. Quod exhibens mox ut ad id ætatis pervenit, pueritiæ suæ principia evangelica perfectione Deo dicavit. Parentibus enim & patriæ Dominum secuturus abrenuntiavit: & ut perfectionis nil Domini servo abesset, Monachum in Luxoviensi Cœnobio sub patre EUSTACHIO professus est. cujus vita & doctrinæ institutio quàm spiritualis gratiæ compos fuerit, scire datur in ipsa excellentia gregis cui præfuit: præsertim nunc cùm evidentioribus sanctitatis eorum pateat signis, quos pluribus terris coram Domino suis scimus patrocinari meritis. Horum teneram vitam morésque Bertinus puer quidem ætate, sensu autem senior, imitari Spiritu-sancto inspirante contendit, quem postquam suæ gratiæ charismatibus mancipavit, inter tales tantósque Patres, ut eorum exemplis instrueretur, adscivit. Omnibus tandem perfectioribus vità auctum muniis in pueritia, inexhausto cælestis desiderii vigore præditum provexit in adolescentia.

II. *Quòd adhuc adolescentulus ad S. Audomarum pervenit.*

3. ERGO cùm jam Dominus militem suum mundo manifestiùs propalare disposuisset, ne in absconso lucerna tantæ claritatis lucens tot mortalium spiritualia commercia differret; egressus duobus tantùm comitibus MUMMOLINO & EBERTRAMNO, magnæ scilicet sanctitatis viris, tertius adjunctus, perfectus sanctæ Trinitatis cultor in Galliam usque pervenit [a]. Videntes igitur prædicti viri sancti, Bertinus scilicet & socii ejus, ibidem messem quidem multam, operarios autem paucos, cœperunt longè latéque verbum vitæ instanter per totam Galliam disseminare. Adhæserunt autem eis quamplures viri religiosi, qui ab eisdem à mane usque ad vesperum æternæ vitæ pabulis reficiebantur: nec minùs quoque palatini Proceres intermissa ad tempus regali servitute ad eos

[a] Cistertiense exemplar sic habet. *Morinensium fines pervenit, quibus tunc ejus compatriota & (ut fertur) consanguineus, egregius Christi Præsul Audomarus larga divinorum dogmatum fluenta propinabat.* Consanguinitatem istam probat Johannes Iperius cap. 1 parte 1 & 5. ubi Audomarum & Bertinum ex S. Arnulfi prosapia descendisse adfirmat. Lege hac de re, si tanti est, Malbrancum lib. 3 de Morin. cap. 1.

confluebant, eorúmque modestam conversationem in rectè vivendo ad exemplum sibi proponebant. CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

4. Tempore illo LOTHARIUS filius LUDOVICI Regis Regni Francorum monarchiam gubernabat, cujus aures cùm jam suorum Procerum relatione pulsaret sanctorum Bertini sociórumque ejus eximiæ conversationis crebra opinio, mox eos suis adstare jussit conspectibus. quibus illatis à Rege vir Domini Bertinus & ejus socii honorificè sunt suscepti, & longo tempore intra Regis palatium summâ diligentiâ subrogati. Post longum autem temporis intervallum præmemorati viri S. Audomarum tunc Tarvennensem Episcopum (cujus compatriota & consanguineus erat S. Bertinus) adierunt, ut ei in prædicando essent comites, quatenus in æterna retributione à Deo mererentur fieri æqualis gloriæ participes. Sanctus verò Audomarus eosdem Dei famulos gratificè recipiens, omnipotenti Deo gratias egit, qui tales sibi ad prædicandum Evangelium adjutores misit. Erant enim in Fide perfecti catholica, & in ecclesiasticis disciplinis atque in divina scriptura eruditi. Subibant igitur officium legationis suæ labore prædicationis continuæ.

III. *Traditio* ADROALDI.

5. INTEREA quidam vir nobilis valde prædives opum, ADROALDUS nomine, nullum habens filium, tractare cum B. Audomaro & prædictis Dei famulis cœpit, qualiter possessionum suarum Ecclesiam heredem faceret. Quem B. Audomarus inspirante gratia Spiritus-sancti hortatus est, ut S. Bertino sociísque ejus prænominatis quæque habere poterat conferret, quatenus ibidem Cœnobium in honore B. Petri Principis Apostolorum construendo, turbam Monachorum non modicam coadunarent. Quod Adroaldus præsente B. Audomaro cunctísque Proceribus urbis Tarvennæ magnâ cordis alacritate complevit, tradens villam suæ proprietatis nuncupatam *Sithiu*, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo sexto,[a] anno autem undecimo regni CHLODOVEI filii DAGOBERTI, octavo Idus Septembris. In territorio igitur quodam ipsius villæ Monasterium ædificare cœperunt, qui locus usque hodie Vetus vocatur Monasterium. *de verbo ex antiquiori anonymo.* a

IV. *Quare aptiorem locum sanctus vir Dei quærebat.*

6. INTEREA decedente ACHARIO[b] Episcopo urbis Noviomæ ad Episcopatum ejusdem urbis venerabilis vir MUMMOLINUS provehitur, & Ebertramnus Cœnobio S. Quintini à Mummolino præficitur: sanctus verò Bertinus in loco sibi à Domino collato annis quatuordecim[c] resedit. Et quoniam locus ille permodicus minúsque spatiosus erat, ut constructionem alicujus magni caperet apparatûs, sanctus vir Dei Bertinus cœpit cum suis sibi coadunatis ædificandi Cœnobii aptiorem quærere locum. Sed di- *ex eodem.* c

a Folquinus in Chron. lib. 1 cap. 2 scribit, anno XI Ludovei, Christi DC XLV. rectiùs anno DC XLVIII, aut insequenti, cui Chlodovei annus XI illigatur. Hujusce rei diploma ab Adroaldo confectum exstat apud Miræum cap. 3 Donat. & apud Johannem Iperium in Chronico, uti in Vita S. Audomari ad ann. 657 observavimus.

b Non Achario, sed B. Eligio in sedem Noviomagensem successit Mummolinus, ut in Vita S. Audomari adnotatum.

c Annorum numerum haud exprimit Auctor primus. hæc verò addit: *Vt enim situm ejus loci loquamur nescientibus, hinc idem locus in humili colle situs fluvium Agnionam cum aquis palustribus, illinc silvam longis supereminentem habet tractibus.* S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus patrium solum vertere coactus, dicitur venisse *ad Vetus-Monasterium, eremitorium quondam gloriosi Confessoris Bertini*, ubi per tres dies latuerit; & die quarto in Sithivensem Abbatiam se recepisse, apud Iperium cap 44 parte 2. Nunc vicus S. Mummoleni, vulgò *Saint Mummolin* appellatur, uno miliari ab Audomaropoli.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V. ctum Dominicum animo revolvens, *Sine me nil potestis facere*, perfecto hujus consilio Dei providentiæ cuncta disponenti sese ex animo committens, protinus navim conscendit sine gubernatore & remige per spatiosum stagnum, cui adhæret prædictum Monasteriolum. Dei tantùm nutu navis agebatur, Angeli quoque ministerio cerneres carinam contra fluenta præcipitis fluvii impingi, quousque aptum tenendo portum consisteret, & venerabilis vir Bertinus hunc versiculum ex ordine decantati psalterii promeret: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Cognoscens igitur à Domino sibi locum illum electum, sine mora navim relinquens, Monasterium nomine *Sithiu* in eodem loco in Dei nomine & in honore S. Petri ædificare cœpit. Confluentibus undique religiosis viris, intra modicum tempus multitudinem Monachorum, videlicet centum quinquaginta [a] coadunavit, cum quibus multis in Dei servitio vixerat annis, turbámque sibi à Domino creditam sub districto sacræ Regulæ jugo mente sollicita pervigil custodiebat Pastor, sciens quòd scriptum est: "Cui plus committitur, plus ab eo exigitur." Beatis enim Dei famulis sub sua cura consistentibus Dominica atque Apostolica prædicando mandata, sua quotidie districta conversatione ac religiosis actibus magnum bene vivendi præbebat exemplum, implens quod scriptum est: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra & glorificent Patrem vestrum*, ne secundùm Apostoli præceptum aliis prædicans, ipse reprobus inveniretur. Nec deerant providente Domino vitæ eorum necessaria. Affines enim & quique nobiles Christo devoti ejus admonitione & doctrinâ, plurima terrarum fundorúmque illi conferebant donaria, sicut inferiùs patebit.

Iohan. 15. 5. — *Psal. 131. 14.* — *S. Bened. Reg. c. 2.* — *Matth. 5. 16.*

V. *Traditio de Villa de* Worinhoud.

deest in antiq. anonymo.

7. POST prædictam etiam venerabilis memoriæ Adroaldi traditionem, qua se in ejusdem loci constructionis primitias primum exhibuit, quidam prædives HEREMARUS suæ proprietatis villam *Vvorinhoud* [b] dictam, Deo sanctóque Bertino contulit. Qui scilicet beatus vir tantorum divinæ largitatis impensorum non ingratus, quidquid sibi à Dei conferebatur Fidelibus, eorum saluti revera consulens supernis sancivit usibus. Nam in prædicto fundo sanctum WINNOCUM à puero suâ disciplinâ instructum cum ejus aliis commilitonibus direxit, quibus ut ad pauperum receptionem cellam Ecclesiámque in honore S. Martini ædificarent jussit: quod prædicti viri unanimes in Domino instanti labore compleverunt tempore modico. Statuto etiam Fratrum conventiculo, suum in omni sanctitatis exercitio æmulum discipulum, sanctum scilicet Winnocum præfecit, quia de ejus vita & moribus non dubitabat, quem secum ab infantia sub Dominica Monasterii schola nutrierat. Taliter ergo B. Bertinus omnium Cœnobiorum Tarvennensis territorii auctor & pater exstitit, tantóque germine in provectu Ecclesiæ Christi fructificavit. Omissis tandem omnibus, quantâ industriâ cuncta necessaria loco propriæ habitationis curavit providere, subsequenti narrabitur serie.

VI. *Qualiter cimeterium adquisivit.*

8. OMNIBUS igitur commodis ejusdem loci sui Fratribus perquisitis, cimeterium parare non potuit, uti in palude. Super qua re sui in

[a] Exemplar Cistertianum habet *ducentos Fratres.*

[b] *Vvorimbolt* dicitur in Vita S. Vvinnoci infrà ad ann. 717.

omnibus adjutoris dilecti Dei Antistitis Audomari consilium & opem non distulit quærere. Qui præclarus Pontifex solita caritatis adfuit exhibitione, ejúsque consilio communicato & labore, fossâ ambiens cimeterium, eidem Cœnobio consecravit in prædicti collis vertice, constructa in ejus medio Basilica in veneratione sanctæ Dei genitricis MARIÆ. Quam communi perfectam opere S. Bertino ejúsque Cœnobitis concessit integrè anno sexcentesimo sexagesimo incarnationis Dominicæ, donationem suam confirmans facta per privilegii descriptionem traditione, in qua se ejusdem beati Patris cunctorúmque Fratrum sub ejus patrocinio Deo servientium orationibus commendavit, petiítque ut in eodem cimeterio, eo totius carnis viam ingresso, corpus exanime humarent. Cujus privilegii exemplar hîc inscribere curavimus, uti tunc temporis à præfato Christi Præsule Audomaro factum accepimus. CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

Exemplar chartæ S. Audomari de cimeterio.

DOMNIS sanctis ac venerabilibus in Christo mihi adhærentibus Fratribus tam Abbatibus quàm & Presbyteris vel Diaconibus vel omni Clero Tarvennensis Ecclesiæ, seu viris illustribus, Optimatibus, sublimibus personis vel reliquis quampluribus AUDOMARUS Christi gratiâ Tarvennensis Ecclesiæ Episcopus. Licèt nos antiqua regulæ constituta salubri observatione custodire conveniat, tamen divina largitate inspirante utili provisione pertractare constituimus, ut quod sacris deliberationibus non derogat, intrepida observatione conservetur. Quare placuit nobis juxta fraternalem consensum, & visceralis pietatis affectus ita cor nostrum intrinsecùs mollivit, ut Basilica in insula *Sithiu*, ubi antea Monasterium in Dei nomine ædificatum esse videtur, ubi regulariter viventes aderant Monachi sub libertate constituti ibidem, pariter cum ipsis Monachis pro eorum consolatione vel adjutorio Basilicam communi opere ad corpora eorum vel nostrum quiescenda ædificavimus in honorem S. MARIÆ genitricis Domini nostri JESU-CHRISTI, ut in suprascripta Basilica juxta eorum Fratrum plenissimam caritatem, in ejus locello corpusculum meum post obitum meum ibidem depositum vel conditum deberet inter ipsorum corpuscula Monachorum, qui religioso habitu ad omnipotentis Dei verbum convenerunt de dissimilibus gentibus, de spatiositate mundi in unius gremio sanctæ Ecclesiæ pro amore Christi consolidati sunt, ut ab jugo mundi colla mentes excutiant, omnia deserere, terrenæ curæ pondera deponere, atque ad cæleste desiderium latiùs animi sinum laxent, vitam remotam pro superna retributione petierunt, ut in ea sanctis virtutibus deti & vetustatem cordis à societate sæcularium strepitûs disjungere, & in igne amoris Domini conflati, ut ad cæleste gaudium contemplandum se innovent. Proinde ego piâ fiduciâ provocatus, intercessores meos apud clementissimum & omnipotentem Dominum ut suis precibus præbere mihi dignentur adminiculum humiliter deposco, & taliter ab ipsa congregatione supplico, ubi & ubi locus evenerit, in quo Dominus de hac luce me migrare jusserit, consocia caritate juxta quod in auribus vestris patefecimus, quod voluntas nostra taliter decrevit, ut cum ipsis peregrinis in ipsa Basilica, quam pro eorum adjumento construximus, ibidem me requiescere secundùm ipsorum Monachorum voluntatem & Dei adjutorio licentiam habere debeam, & ipsi Fratres de quibuslibet locis in præfata insula corpus meum adducere, & ibidem recondere debeant. Per quod decerno & juxta consensum Fratrum Clericorum Tarvennensis Ecclesiæ, vel illustri- *Ex Chron. Folquini.*

Circa Annum DCC IX. Sept. V.

» bus viris interdico, ut ipsa Basilica sub umbraculo patrocinii Abbatis Bertini, qui nunc temporis in antedicto Monasterio præesse videtur, seu à successoribus suis sub eorum gubernatione regenda cum divino cultu affectúque piissimo & dilectione qua decet, & cum omni integra soliditate insulæ *Sithiu* Monasterio in sui juris obtineant vigore, arbitrioque, vel rebus in ibidem adspicientibus, ut neque ego, neque ullus Episcoporum successorum meorum, neque privilegio aut muneris causâ pro ejus adjutorio servorum Dei, vel ipsorum libertate integra reservanda, requirere non præsumat. Et sicut antiquorum vel in novo tempore Monasteria propria Privilegia sunt consecuta, ita & hoc à successoribus custodiatur, ut quidquid in ipsa Basilica vel ejus Monasterio ibidem offertur, ipse Abbas vel Monachi ibidem servientes absque ullius contrarietate vel repetitione Episcoporum liberi cum Dei adjutorio hoc possideant: & juxta quod decretum est, quidquid prædictæ Basilicæ Monachi sub libertate Evangelica regulariter viventes, regio munere seu à quibuslibet Christianis in agris, mancipiis, auro argentóve, sacrísque voluminibus, vel in quibuscumque speciebus, quæ ad ornamentum divini cultûs; vel ad opus eorum Monachorum pertinere noscuntur, vel in ceteris rebus collatis aut deinceps collaturis in præsenti vita nostris temporibus seu successorum meorum, neque ego nullúsque sibi Pontifex, aut aliquis ex ordine Clericorum ordinator Tarvennensis Ecclesiæ, suis usibus usurpare aut minuere, aut ad civitatem aliqua specie deferre non præsumat. Et quidquid ad ipsum altare in Dei nomine fuerit oblatum, à quibuscumque Deo inspirante transmissum, nihil sibi exinde pro reverentia S. Mariæ, in cujus honore ipsa Basilica vel reliquorum Sanctorum constructa esse videtur, Pontifex aut ejus Archidiaconus, vel quilibet ordinator Ecclesiæ Tarvennensis audeat vindicate à præfato Monasterio. Neque in agris ipsius convivia ego vel Pontifices successores nostri vel Archidiaconus præparare non præsumat, nisi ab Abbate sæpe dicti Monasterii *Sithiu* spontanea voluntate fuerit rogatus, & peracto divino ministerio, absque ullo incommodo in sua studeat habere regressum. Neque ulla alia potestate in ipso Monasterio, ut diximus, neque in rebus seu mysterium aut ornamentum ipsius, neque in personis donandi aut commutandi pro reverentia S. Mariæ, vel Petri & Pauli Apostolorum, vel pro eo ut quieti sub Regula Sancta ipsi Monachi vivere debeant ad ipsum Monasterium deservientes, ut de perfecta quiete ipsa congregatio valeat, duce Domino, illæso tramite per tempora exsultare, & ad portum quietis æternæ feliciter pervenire. Et sicut plura Monasteria sub libertate viventes, ut pro statu Ecclesiæ & salute Regis vel stabilitate Regni & tranquillitate patriæ valeant in ipso loco vel ad eorum Reliquias Sanctorum plenius exorare, & juxta decreta antiquorum Patrum Domino adjuvante valeant perseverare, quatenus hanc epistolam cum Privilegio concesso atque indulto, sub ea (ut diximus) libertate, sicut plurima Monasteria, ut Monachi ibidem consistentes debeant in perpetuum permanere firmissimè, ut jam dicti Monachi à * sæpe dicto Monasterio ejúsque cellulas *: quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quidquid domesticis fidei pro tranquillitate pacis vel reverentia Sanctorum tribuitur: illud etiam placuit addere, ut absque introïtu Pontificis ipsi Monachi sub Religione vel Regula (sicuti superius diximus) vivere debeant Christo protegente, qui adjuvet hanc epistolam conservantibus, & qui destruat infringere eam præsumentibus. Quam definitionem constitutionis nostræ nostris & futuris temporibus ut valitura sit, manus nostræ subscriptione roboravimus, & Fratribus nostris & illustribus viris ut & ipsi perfirmare deberent rogavi. Actum in

* l. in
* l. cellulis

in Basilica ipsa sub die decimaoctava Maii, anno sexto [a] regni domini nostri CHLOTHARII Regis. In Christi nomine quamvis peccator ego AUDOMARUS nomine absque merito Episcopus hanc epistolam voluntarius dictavi & recensere audivi, & qui subteriùs scribere deberent rogavi. Hæc abocellis [b] feci, & alius manum meam tenens scripsit, & subscripsit. In Christi nomine MUMMOLINUS acsi peccator, Episcopus indignus subscripsi, rogatus pro indiculo domni Audomari. In Christi nomine AUDEBERTUS indignus subscripsi. In Christi nomine DRAUSIO indignus Episcopus subscripsi. BERTEFRIDUS peccator hanc epistolam subscripsi. In Christi nomine GRAVANGERUS Episcopus indignus subscripsi. In Christi nomine AUDOBERTUS Episcopus subscripsi. AMLANCHARIUS in Christi nomine peccator Episcopus subscripsi. BAGINUS acsi peccator Episcopus subscripsi. In Christi nomine ego ABEL acsi indignus Abbas subscripsi. Ego RAMNEBERTUS peccator hanc epistolam subscripsi. Ego LANDEBERTUS acsi indignus Monachus hoc privilegium rogatus scripsi & subscripsi.

CIRCA ANNUM DCC IX. SEPT. V.

9. Igitur decedente domno Audomaro Episcopo, trigesimo quinto anno post prædicti cimeterii & capellæ donationem in villa Waurantis dicta, distante à *Sithiu* Cœnobio fere quatuor miliaribus à domno Bertino secundùm ipsius beati viri in hoc privilegio rogatum exinde deportatus, in supra scripta Basilica, ante altare sanctæ Dei genitricis est humatus, ac deinceps ipsa Basilica domno Bertino fuit subdita.

10. Largus igitur bonorum operum retributor contra diabolicas persuasiones indefessam sui militis Bertini adspiciens pugnam, (oculi enim Domini adspiciunt super justos, & aures ejus in preces eorum) magnámque ejus de ovibus sibi creditis intuens curam, almificis eum signis ac virtutibus glorificavit, de quibus favente Domino pauca subsequenti narrabimus sermone.

VII. *Traditio Walberti.*

11. FUIT igitur quidam vir nobilis honorificus & Comes secundùm vanam hujus sæculi dignitatem nomine WALBERTUS, uxor verò ejus REGENTRUDIS fuit nuncupata. Huic verò Waulberto & conjugi suæ pater confessionum [c] beatus fuit Bertinus, necnon & compater fuit secundùm sæculi laudabilem ritum inter Christianos ad conjungenda fraternæ caritatis fœdera conservatum. Beatus igitur Bertinus utrisque verbum sæpe prædicabat divinum. Quapropter pius vir prædictus Walbertus ad B. Bertinum sæpe venire solebat, ut à beato viro divina præcepta audiret, & ut à sacro ejus ore post communicationem Corporis & Sanguinis Christi more benediceretur solito. Quadam igitur die ad Basilicam sanctæ Dei genitricis sempérque Virginis MARIÆ, ubi etiam B. Bertinus S. Audomarum sepelivit, supradictus Walbertus veniens, ibidémque orationem complens, aliqua eum necessitate subitò retrahente ad beatum

verbatim ex antiq. anonymo.

[a] Id est anno Christi DCLXI. quo Mummolinus Noviomagensi, Audebertus Camaracensi, Drausio Suessionensi, Bertefridus Ambianensi, Audebertus Silvanectensi, Amlancharius Sagiensi Ecclesiis Episcopi præerant. Gravangerus seu Ravengerus & Baginus seu Bainus fuerunt postea Episcopi Morinorum, uti in Actis S. Baini inferiùs dicemus. Nec inde hanc chartam arguas falsitatis. Sollemne enim antiquis erat, ut diplomata ab Episcopis aliisque viris in dignitate positis concessa, ab successoribus confirmarentur, aut novi privilegii concessione, aut certè primarii instrumenti subscriptione.

[b] Id est cæcus. nam Audomarum appetente ætate oculorum lumine privatum fuisse legimus.

[c] Confessarium vocant: quo de munere seu officio lege Præfationem huic Sæculo præfixam.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

neglexit venire Bertinum, sed ad suam propriam incautè remeaverat domum. Tunc suus discipulus nomine DODO beato nuntiavit Bertino dicendo: Valde venerabilis Pater, admiror, quòd vester fidelis in Christo amicus Walbertus in proximo nobis hodie iter faciens sine vestræ benedictionis petitione ad suam insolenter perrexit domum. Tunc sanctus Christi Confessor Bertinus prophetico spiritu plenus prædicto ait discipulo: Antequam, fili, ad suam Walbertus perveniat domum, ad quam nunc properando se credit citò esse venturum, valde pænitebit, quòd hodie sine nostræ benedictionis munere de hoc perrexit loco. Quod secundùm beati viri præscientis verbum effectus probavit rei. Eodem enim die post Solis occasum nuntius à Walberto velociter secundùm domini sui præceptum equitando ad beatum venit Bertinum, statímque postquam ad sancti viri præsentiam venit, ejus provolutus vestigiis, tremula ad eum ait voce: Domine, vester benevolus in Christo amicus Walbertus modò in confinio mortis & vitæ positus vos in Dei postulat nomine, ut pro eo secundùm solitam vestræ caritatis pietatem misericordem deprecemini Dominum, ut per vestras in conspectu æterni Regis gloriosas preces de mortifero periculo quod sibi nuper accidit, solamen recipiat. Postquam enim in hac die sine vestra benedictione ad suam volens properare domum perrexerat, subitò in medio viæ spatio de suo in quo velociter equitabat equo dejectus, super petrosam incautus corruit terram, multísque in ejus corpore membris collisis, femoréque ejus, beatissime Pater, penitus confracto, mortem sibi subditam adesse putat, nisi illum, ut credit, per vestras sacras orationes pietas liberet divina. Scit enim quòd hoc sibi periculum per suam contigit negligentiam, quia sine vestræ benedictionis tutamine per hostis callidi astutiam, aliqua se necessitate retrahente de hoc hodie loco perrexit. Idcirco vos in Dei nomine de prædicta negligentia veniam petendo precatur, ut potum vestro sacro ore benedictum sacrísque manibus signatum ad eum antequam moriatur transmittere dignemini. Tunc venerabilis senex casu fidelis amici commotus, suo incunctanter jussit discipulo ex œnophoro * quod in sacrario positum fuerat, vinum propinare, ut ad ægrotantem celerrimè mitteretur amicum. At juvenis leviter sancto respondit Abbati: Est, ut reor, beatissime Pater, spatium mensis integri, aut eo amplius, quo nec in eo de quo dicis vasculo una phiala fuerit vini. Huic sanctus Christi Confessor & fide perfecta & caritate plenus suo dixit discipulo: Vade, fili, in Dei nomine ad illud de quo dicis vasculum; Dominus enim noster cui omnia possibilia sunt, qui adest in opportunitatibus, (prope est enim Dominus invocantibus eum) nostro ægrotanti amico, credo, salutiferum dabit potum. Tunc juvenis sancti viri præcepta secutus, in prædictum intrando sacrarium, illud vas de quo paullo ante sancto dixit Abbati, quòd nec una in eo fuisset vini phiala, divina largiente gratia hac vice plenum optimo invenit vino, cujus mirabilis odor prædictam compleverat domum. Tunc sanctus Christi Confessor Bertinus immensas omnipotenti Domino gratias agens, Walberti ait puero: De hoc vino aliquid tecum portando ad tuum velox recurre dominum. Tunc ille in eadem nocte immenso repletus gaudio ad suum reversus est dominum, totúmque ei quod factum fuerat narrando miraculum, salutiferum sibi potum de prædicto propinaverat vino. Postquam verò de eodem benedicto biberat potu, in eadem hora, divina medente manu sanus effectus est, immensásque omnipotenti Deo salutis suæ auctori gratias referens, cordísque compunctione repletus, magnam hereditatis suæ partem, villam scilicet Arkas & multa alia

* id est vase vinaceo

ſicut antiquitas adſerit) prædia B. Bertino tradidit, & uſibus Fratrum in *Sithiu* Chriſto famulantium perpetuò delegavit. Sicque paullatim rebus ſæcularibus renuntians, omníque ſtudio cæleſtibus inhians, jámque Monachus fieri deſiderans, S. Bertini hortatu & conſilio fretus, in Luxovio [a] habitum Religionis ſuſcipere irrevocabili ſpondet devotione.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

VIII. *Traditio de* Hunulfricurt.

12. VIR quidam inclytus nomine AMALFRIDUS tradidit domno Bertino Monaſterium quod ipſe conſtruxerat in proprietate ſua, nomine *Hunulfricurt*, in pago Cameracenſi ſuper fluvio *Scald*, ubi & filia ipſius illuſtris viri, AURIANA nomine, Abbatiſſa Sanctimonialium Rectrix eſſe videtur; eo tenore, ut hoc ipſe dum adviveret, per precariam haberet, & poſt ſuum obitum ac filiæ ejus Aurianæ, ſupradictus Abbas Bertinus ſeu ſucceſſores ſui hoc habeant, teneant ac poſſideant: & quemcumque Præpoſitum ibi præponere voluerint, licentiam habeant, ſicut etiam exemplar illius traditionis apud nos hactenus conſervatum teſtatur, actum anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo [b], Indictione ſexta.

deeſt in antiq. anonymo.

I X. *Quòd plurima ſigna, licèt nos lateant, per eum fecit Dominus.*

13. PRÆTEREA per ſanctum virum mira Divinitas egit, quamvis partim ipſe celandi ſtudio, partim tunc præſentium negligentiâ occuluerit. Sed omnibus miraculis labor in Dei ſervitio indeficiens eſt præferendus, & cura pervigil animarum ſibi commiſſarum. Omni itaque tempore vitæ ſuæ in præparatione loci ſibi à Deo traditi ſudavit, cujus labori adeo divina gratia adfuit, ut ſuo tempore priſcis Monaſteriis regiâ affluentiâ conſtructis, & numero pignerum Sanctorum, & rerum abundantiâ coæquaretur. Sanctus igitur Chriſti Confeſſor Bertinus poſtquam Adroaldus in *Sithiu* locum tradiderat, quinquageſimum ſeptimum annum regiminis ſui agens, virum venerabilem ſuum Monachum RIGOBERTUM nomine, ſucceſſorem ſibi ordinavit: ipſe verò privatim agens reliquum vitæ ſuæ, in divina ſe contulit contemplatione. Ædificaverat etiam Oratorium quoddam, adhuc vivente ſuo prædilecto Audomaro Dei Antiſtite, quod ab orientali plaga Templi S. Petri conſtructum dedicari fecit ab eodem Pontifice in veneratione ſanctæ Dei genitricis MARIÆ, quo potiſſimùm pernoctans in precibus dies non minus indefeſſus Chriſti miles ſupplebat jejuniis. Venerabilis igitur Abbas Rigobertus vices excubiarum ejus in gregem Domini induſtriâ exſequens, ejuſdem Patris juſſu Monaſterium [c] in honore B. Martini paucis temporibus magno opere ædificavit. Erat enim ſummæ devotionis in hunc Confeſſorem Domini, ejúſque memoriæ plurimùm inſerviens & dilectioni.

de verbo ex antiq. anonymo.

[a] Hinc inferunt nonnulli, Vvalbertum hunc non alium eſſe quàm S. Vvalbertum Abbatem Luxovienſem: quod rejecimus in hujus Elogio Sæculo 2 ad ann. 664.

[b] Rectiùs Iperius. *Actum Viromandis, quando fecit Februarius dies* VIII, *undecimo regni domini noſtri Theodorici glorioſiſſimi Regis*, id eſt anno Chriſti DC LXXXIV. Addit Iperius cap. I parte 14: *Quod Amalfridus regali privilegio confirmari fecit, quod ſic incipit: Quoties recta poſtulatio, &c. Datum Kalend. April. anno* XIV. *regni noſtri, Bariſiaco palatio. Deinde Amalfrido Aurianáque defunctis, Moniales ibi ſuccedere, S. Bertini ſucceſſores inhibuerunt, & Monachos ibi ſtatuerunt. Quomodo verò ſit alienata, & ab hac obedientia noſtra receſſerit, ſcripta noſtra non continent.* Lege Vitam S. Auſtrebertæ ad ann. 704.

[c] Id eſt Eccleſiam S. Martini quæ nunc parochialis eſt. ſic *S. Petri Monaſterium*, id eſt Baſilica, infrà num. 14. quæ Baſilica ampliùs non exſtat.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

X. *Qualiter vir Dei tentatus fuit à diabolo in specie mulieris, & per S. Martinum visitatus.*

14. FERTUR siquidem à senioribus nostris, eumdem virum Dei quodam sabbato sanguine minutum, à maligno spiritu sub specie puellæ regiæ personæ tentatum, nec primùm dolos tantarum percepisse insidiarum. Sed cùm jam Fratribus eum ad Mandatum Domini [a], quod apud Monachos singulis sabbatis ex more celebratur, opperientibus vellet abire, illáque eum retinere tentaret, loquens quasi de Monasterii necessaria utilitate, magis autem anhelans ut si posset captivum duceret servum Domini sua turpi commixtione; prædictus Dei Pontifex S. Martinus ei apparuit, fratrem & amicum dulci compellans affatu, insidiantis in pellice inimici cavillationes dolósque retexit, quod mox idem tiro Domini à se crucis signo abegit; surgénsque Fratres se ad Mandatum Domini postulantes, Deum laudans super ejus tanta pietate petivit. Tanta nimirum de ejus sanctitate lætitia erat cælicolis, ut non modò eos intercessores apud Deum mereretur in superis, sed etiam ut salutis ejus obsequio inservire præsentialiter parerent in terris, ne videlicet tantum remunerationis & gloriæ suæ coheredem amitterent in cælis. Considerans ergo pius Pater omnino Monachis non expedire sexu femineo quovis modo communicari, penitus exclusit sub anathemate [b] ingressum feminarum de aditis ejusdem Cœnobii. Quod nostro tempore à quadam religiosa servatum muliere, ut scilicet ulteriùs nollet ire quàm ipsum virum Dei didicerat constituisse; eâ quoque mortuâ corpus servavit exanime. Nam eam in feretro positam ferentes, cùm in ipso ejus antiquæ adventionis pervenisset limite, tanto confestim divinitus figitur pondere, ut ultrà ferri non posset, coacta etiam ad ferendum præsentium multitudine. Sicque anus præceptum quod ad reverentiam Sancti excoluit dum vixit, defunctum corpus ad votum viventis animæ transgredi non potuit. NOTA.

XI. *Quòd* ERLEFRIDO *post* RIGOBERTUM *Cœnobium suum commisit.*

ex anonymo antiq.

15. POST paucorum annorum sudorem RIGOBERTUS impetratâ pii præceptoris sui indulgentiâ, & ipse se in otium spirituale contulit, perfectúmque se tanti Patris discipulum doctrinâ ejus & exemplis instructum hac sui mutatione ostendit. Qui egregius Pater ERLEFRIDUM suum à puero nutritum Abbatem successorem ordinavit, qui alteri non inferior, à paterna institutione non degeneravit.

XII. *De transitu B. Bertini.*

16. CONDIGNA sancti viri laboribus Christus rependere præmia volens, vocatum ad se transire fecit plenum dierum perfectorúmque meritorum: quem præfatus Abbas Erlefridus omnísque cœtus Monachorum

a Ex præcepto Regulæ S. Benedicti cap 35 id officii ministri mensæ aliis præstabant.

b Istius interdicti usus perseverabat adhuc sub finem sæculi tertiidecimi., ut patet ex Iperio cap. 52 parte 4. Confer. lib. 2 Mirac. cap. 12.

cum honore maximo, ut tantum decebat Patrem, conditum sepelierunt in Cœnobio proprio, quod constructum erat in honore sancti Præsulis Christi Martini. Transiit autem idem Dei Athleta nona Septembris, anno incarnati Verbi sexcentesimo [a] nonagesimo octavo, ætatis verò centesimo duodecimo, CHILDEBERTI verò Francorum Regis quintodecimo, anno ex quo eumdem locum construere cœpit quinquagesimo nono. Eodem autem tempore venerabilis Rex Childebertus cum regnâsset annis sexdecim, migravit ad Dominum, regnavitque DAGOBERTUS puer filius ejus post eum annis quinque: sub cujus tempore prædictus Abbas Erlefridus Basilicam S. Martini supra S. P. Bertini cumulum ampliori opere reædificare cœpit, constructâ venerationis arâ ad caput tumuli, ubi plurima per beati viri merita Dominus peregit miracula, è quorum numerositate Domino favente paucissima promemus.


CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

a Annus quintusdecimus Childeberti Regis convenit cum anno Christi DCC IX, cùm jam elapsi essent anni novem supra quinquaginta ab origine Monasterii Sithivensis. Quamquam Folquinus Bertino annos regiminis dumtaxat LIV tribuit in Chron. lib. I cap. 21, an librarii errore?

LIBER PRIMUS MIRACULORUM

ab eodem Auctore compositus.

CAPUT I. *De piscatore sanato.*



TRES viri in piscationis arte periti nocte Dominica in Rhodano flumine juxta beati Mauricii Martyris Monasterium (servi enim erant illius loci) navim adscendentes, retia ad capiendos extenderunt pisces: dein insolita eorum retia in eadem nocte intravit multitudo, ita etiam ut nec illis per prolixa annorum spatia, quibus in prædicto flumine retia extendere solebant, tales magnitudine apparuerunt pisces, nec tantam antè piscium multitudinem una cœperint nocte. Hinc læti navigantes ad portum, quem soliti erant post piscationem intrare, nequiverunt se de prædicta movere navicula. Duo enim ex ipsis pedum & manuum officio privati toto fuerunt corpore contriti, Tertius autem officio pedum privatus surdus effectus est; super eos enim propter noctis Dominicæ resurrectionis transgressionem ultio supervenit divina. Hinc ille qui auditum & ambulandi amisit usum, duobus nitendo fustibus, atque aliorum comitantium suffragio fultus, loca sancta orationis causâ circuire decrevit, ut amissam corporis sanitatem per gloriosa Sanctorum merita recipere mereretur. Post intervallum igitur temporum, multis ab eo peragratis locis, ad prædicti Confessoris Christi Bertini in *Sithiu* Monasterio positum venerabile venit sepulcrum. Et cùm Fratres in prædicto loco commorantes nocte Dominicæ resurrectionis in eadem Ecclesia, in qua corpus beati pausat Bertini, nocturnas cantarent vigilias, prædictus vir immensa ægritudine correptus à suis sociis in Ecclesiam deductus est. Et cùm longo spatio cum lacrymis orando suam sanitatem per merita sancti Patris Bertini à Domino postulasset, quando lectio Evangelii more solito recitata fuit, vidit circa se lucere multa luminaria, paullatímque à se sentiens infirmitatem recedere, auditu recepto pedúmque recuperato officio, subitò divina largiente gratia in prædictorum præsentia Fratrum sanus effectus est. Et post synaxim omnipotenti Domino & B. Bertino gratias agens, suis gradiendo pedibus lætus & sanus propriam repedavit ad domum.

Ex antiq. anonymo.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

II. *De quodam sacrilego.*

ex eodem. QUIDAM homo ex parte nobis incognitus, sed sicut postea probavit eventus, maligno spiritu repletus, cùm cujusdam religionis se esse simulâsset, per tres continuos dies quasi orandi gratiâ Ecclesiam prædicti Patris nostri Bertini ingressus, multoties se humo prostravit quasi compuncto corde funderet preces: sed quoties exiit, seras valvarum diligenter consideravit, aliud tamen in præsentia custodum fingens. Nam aliquando se incurvavit, quasi ibi dissolutas religaret corrigias: aliquando verò casum simulans manicarum, in eodem exitu curvatus collegit. Expertus tamen totum quod voluit, notavit horam qua Fratres post sextam causâ refectionis ad panem percipiendum peterent refectorium. Sícque aggressus cultro arrepto pressit lignum per juncturas valvarum, quo ambæ in transversum stringebantur, cùm aliunde ferreo pessulo firmatum non esset, itaut capite vectis ejusdem sursum elevato aditum præberet intrandi. Tunc miser ille, sed non miserabilis, malitiæ suæ pandebat effectum. Nam ingressus furatus est vasa argentea, quæ sub coronis ac lampadibus coram retróque pendebant altare. At dum egressus cœpisset quærere aditum portæ, mirum in modum vidit, sicut postea narravit, quamplurimos sibi terribiles adsistere inimicos. Nam tentatus à diabolo, permissus quidem est avidus rapere prædam, sed penitus auferre non est permissus. Unde contigit, ut dum portis patentibus minimè pateret sibi regressus, revertens per medium Monasterium iter arriperet, insulámque peteret, quæ intra paludem ejusdem Monasterii sita est, ut ibi apud quemdam sibi cognitum reponeret, quod furtim à sacris abstulerat. Interea custodes Ecclesiæ unà cum Fratribus refectorium exeuntes, dum prospiciunt sacrorum damna vasorum, mox coadunatorum concursus factus est Monachorum, & intantum sunt mente consternati, ut quid dicerent, vel quid agerent, quò se verterent, non reperissent; sed suis hoc exigentibus peccatis evenisse concorditer clamabant. Misericors autem Dominus meritis S. Bertini Confessoris sui non diu est passus jugiter sibi servientium animos periclitari. Fur enim infelix jam memoratus dum hinc cuneos inimicorum, inde aquarum ac paludis impedimenta cerneret; (nam ut nescientibus loquar, locus ille talis est, ut per mille passus & multo ampliùs nisi navigio non habeat ingressum, exceptâ unâ portâ ab Occidente, per quam pedites & equites plaustráque ducentes liberum solent habere ingressum) consitos quasi per præcipitia parietum atque tectorum cœpit dare saltus. Quod cùm vidissent ibidem degentes, sublata prorsus ambagine totius dubitationis, hunc esse reum, hunc clamitant sacri furem exstitisse thesauri; & ideo taliter à dæmonio agitari. Cùm autem detinuissent eum, quolibet ingenio interrogatus est, quid sibi evenisset, vel quare dementâsset: & statim exposuit totius rei veritatem. Quid plura? prævaluit contra eum arbitrium ejus, unde missus est in Nervium [a], in loco famoso, castello videlicet Menapiorum. Condoluit autem super eo unanimitas jam dictæ congregationis, miserúntque ad Comitem ejusdem loci, & redditum est ei liberum exire. Sed quia in aliis quampluribus tentus erat flagitiis, ut postea compertum est, ideo fortè permodicum habuit pænitentiæ tempus: septimanam enim

a Turnacum *Tournay*, ad Scaldim fluvium in confinio Hannoniæ & Artesiæ, quam *urbem Menapiorum* vocat Philippus Bonæ-spei Abbas in Vita S. Amandi Episcopi. Et Julius Cæsar de bello Gallico lib. 2 cap. 4, lib. 3 cap. 3, & lib. 4 cap. 38, Menapios Morinis adjungit. Hinc corrigenda Ferrarii sententia de Menapiis.

tantummodo supervixit. O quàm breve est præsentis vitæ tempus ad comparationem æternitatis! Hortamur ergo omnes qui hæc audierunt, omittere mala, sectaríque bona. CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

III. *De quodam fugitivo, nomine Benjamin.*

MULTIS igitur sæcularium hominum turbis ad sæpe dictum Monasterium ob amorem Dei confluentibus & monasticæ religionis desiderio ardentibus, inter ceteros Benjamin nuncupatus, generis secundùm sæculum nobilitate pollens, plurimum ex hereditate propria Monasterio conferens, aditum petiit conversionis, laudabilísque, ut facie tenus videbatur, simplicitate totum se contulit Monasterio. Susceptus itaque hic atque inter Fratres collocatus est ceteros. Sed non post multum temporis sagittâ percussus diabolicâ cœpit sua mala opera defendere, ac nimio instinctu inimici illudi, mortiferísque persuasionibus consensum præbere. Cúmque à Fratribus spiritalibus sæpissime corriperetur, non modò non emendatus est, verùm exosos eos habuit, quos ob suam perversitatem plurimum contristari conspexit. Diu itaque in hac perversitate toleratus, tandem de Monasterio est egressus. Igitur Monasterium relinquens cœpit lustrare domos propinquorum, & quærere qui illi secum habitandi adsensum præberet, nequam scilicet ejus operibus consentiendo. At cùm nullum reperiret, omnésque eum propter remissionem propositi sui exosum haberent; cœpit demum frequentare furta, cœnosísque nimiùm inquinari stupris, & alia ineffanda exercere facinora. Cùm talia ergo solibus insequeretur quotidianis, omnipotentis clementia Domini quæ ingratos quosque per flagella vocat ad regnum, fecit eum ex nimio capitis dolore lumen amittere corporale. Vix autem post tam diram carnis afflictionem obtinuit à propinquis suis, ut quocumque illis videretur modo, solatium ei propinquitatis aliquod impenderent. Susceptus ergo est ab illis, sed jugiter verborum contumeliis verberatus. Propter salutem enim suam misericors Dominus lumen ei abstulit oculorum, & solatia non sivit adesse propinquorum. Quadam igitur die cùm valde contumeliâ frequenti mæstus foret, divino compulsus instinctu, ducatum sibi ad Monasterium B. Bertini præberi rogavit. Quod cùm factum fuisset, coram Ecclesiæ januis prostratus, quotidie Dominum de præteritis negligentiis placare studuit, insistens jejuniis & orationibus lacrymísque assiduis, psalmodiánsque dicebat: Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis: tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, exaltabis caput meum. At Pater Monasterii ejus videns humilitatem, à Domino cor ejus intellexit visitatum, & ad portam eum collocavit præbendo victum quotidianum. Ille autem, sicut jam dictum est, in pænitentia perseverans, animum ut arcum habuit extentum, quatenus sæpissime humum lacrymis rigans mereretur audire: Dimissum est peccatum tuum. Quadam ergo die cùm synaxis horæ tertiæ à Fratribus cantaretur, memoratus Frater juxta altare quod in media Ecclesia situm est, ubi venerantur reliquiæ dominicæ Nativitatis, stetit, casúque subitaneo in terram proruit. Quem Fratres citissimè accurrentes à terra levaverunt, eúmque aciem oculorum clarissimè protendentem videntes protinus rogitavere, qualiter sibi à Domino foret salus data visionis. Dicebat autem eis, quòd cùm pura mentis intentione Dominum exoraret, duas faculas ex sepulcro S. Bertini vidit jactatas oculis suis clarissimum lumen infundentes, sicque lumen oculorum fore reparatum. Tunc omnibus claruit, quòd per merita B. Bertini pristinæ redditus ex eodem.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

sit sanitati: statímque sine mora eum in priorem revocavere locum, propensiùs majorem honorem quàm in primis initiis vitæ monasticæ venerationem adhibentes. Ille verò nec in priore dejectione delapsus, nec præsentis honoris cumulo in se elevatus, rectissimæ pede fidei per semitam bonæ operationis exhinc agebat itinera Christi, ac ei frequenter concinebat: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec dilatâsti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamavi ad te, & sanâsti me. Domine, eduxisti ab inferno animam meam. Sícque paullatim crescendo pervenit ad caritatem, quæ perfecta foras mittit timorem. Igitur post hoc in sancta conversatione plures duxit annos, positus gratuitâ misericordiâ Domini Christi, qui est benedictus in sæcula.

IV. *De quodam pœnitente à vinculis ferreis soluto.*

ex eodem.

QUIDAM vir civis Aurelianensis, Adam nomine, de vico Pruniaco *, ob fratricidium [a] jussu Episcopi urbis Aurelianensis ferreis nexibus ventrem brachiáque constrictus, cùm per plures annos Sanctorum loca visitando, tantæ incommoditatis molem sustineret, tandem à B. Petro Apostolo cujus limina Romæ frequentabat, duorum nexuum solutionem adeptus, per visionem, ut ipse testabatur, admonitus est, ut Cœnobium Christi militum Audomari atque Bertini per longa terrarum spatia exquirendo, eorum se patrociniis devotè committeret. Qui monitis ejus parens, per diutinos anfractus locum designatum adiit, & nocte octavæ Apostolorum secundo Nonas Julii, in Basilica S. Petri Fratribus nocturnas laudes celebrantibus, primámque lectionem lectore pronuntiante, horrore non modico circumfusus protinus cecidit, statímque ferreus nexus confractus, longiúsque è brachio propulsus est. Quem vocibus lacrymabilibus Deo & sancto Bertino gratias referentem Fratres à terra levaverunt, simul etiam ipsi auctori Deo & Patrono suo Bertino debitas grates laudésque referentes.

** Prunay*

V. *De quadam puella contracta.*

ex eodem.

PUELLA quædam de familia ipsius Sancti, de territorio nuncupato *Mellingasele*, à primævo tempore officio ambulandi penitus privata, itaut vix manibus rependo spatia necessaria sibi manibus permearet, octavo Kalendas Julii concurrentibus nostris provincialibus more regionis ad festivitatem Johannis Baptistæ, ipsa quoque adminiculo necessariorum fulta interfuit. Et cùm signum vespertinæ synaxis jam tertium sonaret, ipsa procul ab Ecclesia quousque feminarum accessus licitus est, sese in terram dedit, & omnipotentem Dominum per beati viri patrocinium propitiari sibi deprecabatur. Statímque horrore concussa, omnibus cœpit membris distendi, protinúsque erepta pedum recepit officia, Creatori suo gratias agens, qui eam meritis sancti Patroni sui Bertini diu optatæ reddidit sanitati *.

** Hic desinit antiq. anonymus.*

[a] Sic passim homicidia luebant illius temporis homines: alii verò dato pretio, quod *Vvergildum* appellabant; alii verberibus & membrorum mutilatione. Qui ad Ecclesiam confugiebant, aut deprecatores mittebant, leviùs puniebantur, aut ferreis nexibus, aut pecuniæ multâ. Eginhardus in Epist. 18 ad Marchradum Vice-dominum deprecatur, ut Williranno & Otberto qui ad limina SS. Marcellini & Petri fugerant, *liceat solvere Vveregeldum pro fratre suo*, qui quemdam socium suum occiderat, *& ut ei membra perdonentur.* Et Epist. 25 pro alio qui eòdem se receperat homicidio perpetrato, *ut indulta membrorum integritate verberúmque pœná, liceat illi solutione pecunia componere atque emendare quod mala voluntate commisit.* Ex quibus patet, non fortuita solùm, sed voluntaria homicidia, non pœnâ capitis, sed levioribus pœnis expiari tum solita; & pœnas diminui ob confugium in loca sancta. Lege Miracula S. Bertæ infrà ad ann. 725.

VI. *Quòd*

VI. *Quòd Fridogisus expulsis Monachis Canonicos instituit.*

MULTA quidem & alia signa fecit JESUS per merita Confessoris sui Bertini, quæ non sunt scripta in libro hoc. Quare autem prætermissa sunt vel neglecta, ignoramus, nisi fortè propter incuriam Scriptorum, vel propter maximas persecutiones & inconvenientia, quæ tunc temporis sancta mater Ecclesia, & maximè in isto loco passa est. E quibus omnibus unum solum incommodum seu infortunium ad posterorum memoriam hîc duximus inserendum. Glorioso igitur Imperatore LUDOVICO Caroli Magni æquè Imperatoris filio regnante, cùm eatenus hoc antiquum & tunc regale Cœnobium ex tempore beatissimi Bertini ejusdem fundatoris præcipui sacra monastici ordinis religione admodum nobilitaretur, atque secundùm instituta canonum Fratrum adoptione ipsius regimen commendaretur; contigit ut quidam FRIDOGISUS [a] genere Anglus & Abbas S. Martini Turonis anno Verbi incarnati octingentesimo vigesimo, & præfati Regis Ludovici septimo, Abbatiam Sithiensis Cœnobii regia donatione susciperet gubernandam. (anno 820.) Qui in initio tyrannidis suæ cùm cerneret Abbatiam universam tot Monachorum usibus delegatam, utputà centum & triginta Monachorum inter utraque Monasteria S. Bertini scilicet sanctique Audomari degentium, nihilque suarum voluptatum usibus sequestratum; avaritiæ jaculo cæcatus, Monachorum impudenter tentat vitam destruere, ut res eorum usibus à Fidelibus traditas suæ lasciviæ potuisset faciliùs mancipare. Quod diabolica suggestione mente conceptum, nefanda est ab illo perpetratione peractum. Nam in capitaneo Apostolorum seu S. Bertini loco, ubi octoginta & tres Monachi deserviebant Domino, sexaginta pro humana potiùs laude quàm pro Dei amore retinuit; reliquos districtioris vitæ viros, quos suæ perversitati putavit non consentire, de Monasterio expellens abire permisit. In S. Audomari [b] quoque Monasterio, ubi regulariter viventes aderant quadraginta Monachi, triginta Canonicos ibidem ad serviendum deputavit in ministerio Christi. At posthæc totius Abbatiæ circuiens villas, & quia duplex exstabat Monachorum numerus, duplam eis portionem villarum est largitus; Canonicis autem quia pauciores erant numero simpla contra Monachos est data portio: ipse ea quæ sibi maximè placuerant, ad suæ perversitatis usum reservavit. Et quia Canonicus erat, cum Canonicis in S. Audomari Monasterio sæculariter vivebat. Quid plus hujus Abbatis referam versutiam, cùm veraci possem famine dicere hunc primum loci hujus casum exstitisse? hic etiam secundùm veridicam Veritatis vocem cùm alii laborâssent, in labores eorum introiit; nec solùm introiit, sed etiam quæ laboraverant, temeraria præsumtione destruxit. Hic etiam fraternæ caritatis utriusque Monasterii destructor exstitit, dum & Monachi sibi justum & ab antiquis Patribus traditum reverentiæ honorem vindicant, Canonicorúmque subjectionem sibi veraciter defendunt; & Canonici ab ipso Abbate Canonico fallaci adsertione principatum ad se Monasteriorum pertinere dicunt. Pro his omnibus & reliquis tyrannidis suæ actibus hactenus blasphematur ab omnibus, nec dubium quòd blasphemabitur & à succedentibus.

[a] Hic est Fridogisus qui in catalogo Fratrum conscriptorum Monasterii S. Galli apud Goldastum memoratur cum aliis Monachis de *Monasterio S. Martini Turonis*. Ergóne tum istic erant Monachi cum Canonicis? Hic primus Abbas sæcularis Sithivensium, *Canonicus sæcularis*, inquit Johannes Iperius cap. 11.

[b] Primùm S. Mariæ, quo de Monasterio seu Ecclesia lege Vitæ cap. 6.

CIRCA AN. DCCIX. SEPT. XV.

VII. *De subjectione Canonicorum S. Audomari huic Ecclesiæ.*

MORTUO verò dicto Fridogiso quartodecimo regiminis seu potiùs tyrannidis suæ anno, successit in regimen Cœnobii HUGO [a] venerabilis filius Caroli Regis magni & frater Ludovici Cæsaris. Qui Hugo anno incarnati Verbi octingentesimo quadragesimo quarto condolens infelicissimæ & miserrimæ divisioni & discissioni venerabilis Sithiensis Cœnobii ab infando Fridogiso factæ, à domno FOLQUINO tunc Morinorum venerabili Antistite unitatem Cœnobiorum pristino more reformari impetravit: quod & privilegio firmari fecit. Hujus autem privilegii hoc est exemplar.

anno 844.

Exemplar chartæ S. Folquini de eodem.

» EGo Folquinus Dei gratiâ Morinorum Episcopus omnibus Fidelibus tam futuris quàm præsentibus. Quidquid ob amorem Dei exigentes rei veritatem memoriæ futurorum noscendum reliquerimus, valde id animabus nostris profuturum speramus, dum & vera innotescimus, & falsata damnamus. Melius est enim ipsam veritatem ad laudem Dei manifestare, quàm pro lucro aut negotio terreno eam celare, ne scilicet homo peccator offensam Dei & Sanctorum ejus in hoc videatur incurrere. Igitur ego FOLQUINUS Episcopus, suggestione HUGONIS Abbatis Sithiensis Cœnobii, quod est constructum in insula *Sithiu* in honore B. Petri Principis Apostolorum, ubi B. Bertinus corpore quiescit, perpendens injustitiam lacrymabilem quam Fridogisus prædecessor suprà memorati Abbatis eidem sancto loco intulerat, tota intentione excogitare cœpi, qualiter eumdem locum ad pristinum honorem valerem reducere. Omnibus certè notum est Fidelibus, quoniam sancti Confessores Christi Audomarus atque Bertinus, dum adhuc in corpore essent, cimeterium in villa *Sithiu* in superiori loco ad tumulanda sua & Monachorum corpora communi opere fecerunt: in cujus medio Basilicam in honore S. Mariæ construxerant, quam etiam B. Audomarus S. Bertino suisque successoribus donans per privilegium quoddam Episcopale confirmaverat, & suum inter eos corpusculum sepeliri in eodem privilegio rogaverat. Quam prædictus Abbas Fridogisus non solùm S. Bertino tulit, sed etiam (quod dictu horribile est) Monachos ejus Deo honestè ibidem servientes cum magno dedecore expulit, Canonicósque ibi constituit, dum scilicet à temporibus Sanctorum Audomari atque Bertini Religio Monachica ibidem famulans religiosissimè floreret. Quorum lacrymosæ injustitiæ reclamationíque incessabili compatiens & petitioni Hugonis venerabilis Abbatis adquiescens, ædilitatem seu custodiam ipsius Basilicæ S. Petro sanctóque Bertino reddendam, & Monachum ad custodiam ibi ponendum censui & statui, ut & quatuor temporibus in anno Missarum sollemnia celebrarent stabilivi, hoc est in feria tertia dierum Rogationum, in festivitate quoque B. Johannis Baptistæ, & in depositione S. Audomari, in festivitate omnium Sanctorum: & quidquid ad ipsum altare veniret, Monachi sancti Bertini absque ulla contradictione juxta morem pristinum secundùm decretum beati Audomari, quod in privilegio de traditione ipsius loci cœnobitis scripsit & interdixit, haberent, tenerent, & in perpetuo

[a] De eo agemus in Actis S. Hugonis Archiepiscopi Rotomagensis ad annum 732.

perenni jure possiderent. Nec Episcopus aut Archidiaconus ejus, seu aliquis Clericorum, vel Judex forensium rerum, aliquid sibi exinde vindicent. Denique jam quidam emerserant audaciâ temeritatis decepti, dicentes primatum locorum ad se pertinere debere. Quorum præsumtuosæ superbiæ resistens, per descriptionem capitularem coram quibusdam Primatibus regalis palatii & hujus patriæ eos huic loco subegi, & conatum eorum annihilavi. Hoc etiam scriptum posteris relinquendum fore ratum duxi, ut per hoc quandoque resistatur inimicorum malæ voluntati, & hoc infringere volentium iniquo conatui. Quod quicumque futuris temporibus vel annihilare, vel infringere præsumserit, quod absit, auctoritate Patris & Filii & Spiritus-sancti anathema sit, nisi dignâ pænitentiâ resipuerit. Actum est anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo trigesimo nono, Indictione secunda; imperii autem Ludovici Regis anno vigesimo sexto, præsulatûs quoque nostri anno vigesimo tertio [a], in Ecclesia sanctæ Mariæ, duodecimo Kalendas Julii, præsente universali synodo. Ego FOLQUINUS ex consensu & præcepto domini Ludovici Imperatoris hæc voluntariè firmavi, & cum episcopali interminatione subscripsi. Ego MAXIMUS Archidiaconus subscripsi. Ego HUGO Abbas subscripsi. Signum ADALARDI Monachi, signum AMALBERTI Monachi, signum MORI [b] Monachi, signum HENRICI *Comitis, signum ODGINI Advocati, signum EVERWINI militis, signum BERARII militis. Ego GUNTBERTUS [c] Levita & Monachus jussu domni Folquini Præsulis hanc chartam scripsi & subscripsi.

Circa annum DCC IX. Sept. V.

anno 839.

* al. Unrici.

VIII. *De Translatione sive relatione S. Audomari.*

SUB hac tempestate invenimus ita adnotatum in decemnovennalibus annorum Dominicæ Nativitatis, quod est octingentesimo quadragesimo tertio, Indictione sexta; quòd postquam Hugo Abbas jam memoratus, exceptâ causâ quam refero, vir per cuncta laudabilis, locum hunc sua constitutione laudabiliter stabilivit, qua & Canonicos S. Audomari Monachis S. Bertini etiam per descriptionem capitularem justè subjugavit, Monachúmque ab inferiori Monasterio ad S. Audomari custodiam (ut suprà dictum est) deputavit; diabolicâ sagittâ jaculatus cœpit excogitare, qualiter S. Audomari corpus, cujus ope & auxilio unà cum sodali suo Bertino Tarvennicus gubernatur populus, Vermandis ad S. Quintini Monasterium, quoniam hoc ipsum gubernabat, posset deferre quantociùs. Metuens tamen animositatem plebis, congregata Vermandensium multitudine, tentat vi abstrahere, si forsan impediretur à plebe. Accessit interim, & Monacho quodam Moro nomine exstante custode, sacrum sancti Præsulis ac Patroni nostri corpus sumens, villam usque *Liczensburtz* * nomine cum sua deportavit multitudine. Dei autem providentia operante, triduo in præfata villa manserunt cum sacrato corpore. Quod cùm sancto Præsuli Folquino nuntiatum esset, cum maxima multitudine populi per totum triduum congregati insequitur prædictum Abbatem cum suis usque

* Iperio *Lisbourg*

[a] Hinc colligas Folquinum Sedi Morinensi impositum fuisse anno DCCC XVII. Consentit Johannes Iperius, qui Folquini inaugurationem reponit Ludovici Augusti anno IV.

[b] Huc spectant Iperii verba cap. 12. HUGO *Abbas* Basilicæ S. Mariæ *Ædituum constituit Monachum nomine* MORUM: *qui Morus postea corpus S. Audomari furatus est*, infrà cap. 8, *& in Privilegio B. Folquini inter testes adscribitur.*

[c] Guntbertum hunc laudat Iperius cap. 11 his verbis: *Sub Abbate Fridogiso receptus est hic in Monachum puer nobilis* GUNTBERTUS, *clara stirpe, patre* GOIBERTO, *matre verò* ERTRUDA *progenitus. Qui Guntbertus in juventute sua à patre Romam ductus est, ibique S. Petro oblatus, & ab* EUGENIO *Papa Clericatûs ordinem suscepit: quem pater exinde domum rediens, hic in Monasterio Sithiu S. Petro sanctóque Bertino obtulit Monachum.* De donationibus à patre factis & libris à Guntberto descriptis lege caput integrum.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

ad villam superiùs nominatam cum omni festinatione. At illi gestientes corpus sanctum sustollere fugámque inire, nulla hoc multitudine prorsus valebant à terra levare. Tunc absque retardatione ullius commodi accelerant fugam relicto corpore Sancti: beatus autem Folquinus dans illis locum fugiendi, accipiens thesaurum [a] illud omni auro pretiosissimum, repetito calle cum tota plebium multitudine reportavit: & præcavens in futurum ne parili modo aut alio quovis ingenio corpus auferretur sanctum, illud in insula *Sithiu* juxta corpus B. Bertini sub terra recondidit.

IX. *Qualiter corpus Patris nostri Bertini à S. Folquino primò translatum est.*

LEGITUR in hujus loci archivis publicis, quòd sanctus Folquinus nostræ Sedis Episcopus, (cujus etiam corpus magnis celebre virtutibus in hac quiescit Ecclesia [b]) grassante igne & ferro Danorum barbarie per loca maritima, paullo ante hanc vastationis diem corpus S. Bertini certa die sub terra recondiderit. Quod quando quibúsve ex causis fecerit, vel quamdiu sub terra tam sacra membra latuerint, ad laudem Dei & honorem hujus Sancti perpaucis aperiamus. Glorioso igitur Imperatore Ludovico Caroli magni æquè Imperatoris filio regnante, cùm eatenus hoc antiquum & tunc regale Cœnobium ex tempore beatissimi Bertini ejusdem fundatoris præcipui sacra monastici ordinis religione admodum nobilitaretur, atque secundùm instituta Canonum Fratrum adoptione ipsius regimen commendaretur; cuidam Canonico genere Anglo, Fridogiso nomine, ut jam prædictum est, in beneficium, prô dolor! datum, à totius sanctæ religionis candore marcescere, in exteras manus devenire, & minorari à sua cœpit integritate. Denique numerum Monachorum ibidem militantium, qui octoginta tres erant, diminuit, villas & fertiliora prædia victui Monachorum deputata in dominium sibi usurpavit: Monasterium verò S. Audomari quod cum Monasterio S. Bertini idem erat, penitus evertit, quoniam quadraginta Monachis eliminatis, triginta Canonicos loco eorum substituit, tertiámque partem omnium bonorum ad Monasterium S. Bertini pertinentium, eorum usibus deputavit. Quid igitur iste aliud quàm hujus Monasterii flagellum fuit? qui etiam à B. Bertino in numero Abbatum meritò undecimus exstitit: quia in eo quòd ea quæ à decem prædessoribus suis bene ordinata fuerant evertit, decalogi metas excessit. Tantilla verò hæc nostris tetigisse sufficiat, ut quibus peccatis à sanctuario Dei exortis tanta mala consurrexerunt, ac quibus urgentibus causis Sancti corpus margarita recondita sit, manifestiùs pateat.

X. *De divisione Regni Francorum.*

IMPERATORE præfato decedente à sæculo, filii ejus LOTHARIUS, LUDOVICUS & CAROLUS, singuli paternum Imperium æmulati, mox ab invicem dissentire cœperunt. Tandem pace facta Francorum Regnum sibi diviserunt, túncque nostræ partes orientales Carolo Regi cesserunt. Cujus pacis obtentu nequaquam mala desierunt: sed dum singuli per singula Regna principari, séque secundùm paternam magnificentiam protelare cupiunt, sese suáque confundentes dejiciunt.

[a] Sic *thesaurum* neutro genere non raró usurpant Auctores mediæ ætatis. Alcuinus Epist. 49 & Epigr. 115. *thesaura* adhibet.

[b] Obiit Folquinus *anno Domini* DCCCLV, *Regis Karoli* XV, *Adelardi Abbatis* XII, *episcopii verò sui* XL, *ad dexteram B. Bertini tumulatur. Conservamus cappam ejus unam processionalem, mitram, chirothecas atque sandalia, stolas quoque tres.* Hæc Iperius cap. 13, qui ex rerum istarum contactu mulieres partûs periculo quotidie liberari adfirmat. Elevatio corporis ejus anno CMXXVIII, Idib. Novembr. facta dicitur cap. 22 parte 2.

XI. *Qualiter S. Folquinus corpus S. Bertini sub terra recondidit.*

Circa An. DCC IX. Sept. V.

REGNANTE eodem Carolo, tertio regiminis ADALARDI [a] Abbatis anno, præfatus Præsul emeritos sancti Bertini artus anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo sexto, secretiori quàm priùs fuerat loco mirè compositum locavit. Cujus etiam sanctam Translationem distinctis temporum diebus à cuncto populo diœcesis suæ magnificentiùs celebrandam sancivit, ut quidquid in ejus sancta depositione, mense Septembri concurrente, urgente messis necessitate, minùs dignè celebrarent, hac sancta Translationis sollemnitate liberiùs exsolvere possent. Tanto igitur thesauro abditis locis adsignato, non multo pòst temporis intervallo omnes istius patriæ nationes, hinc surgentis gravissimæ famis angustia consternati, illinc subitam Nortmannicæ incursionis rabiem suspecti, omnis pæne nobilitas istius terræ præter paucos, quos opum ac fundorum copia & castellorum vel munitionum fiducia detinuerat, post dominos suos vel quòcumque tutiùs eis videbatur discedebant. Præterea residuos in manu famis, utcumque exutos periculo, demum rabida Danorum crudeliter laniatura invasit insectatio: qui postquam rabiem suæ tyrannidis exaturi huc hostiliter irruperunt, nullum hîc Fratrum, præter quatuor palmam * martyrii præstolantes, invenerunt. Quid igitur si tunc præfati Sancti corpus eminentioribus vel certis locatum locis debitè veneraretur, exportandúmne putatis in valida manu Domini eriperetur? An non tunc multo necessarium erat, quod jam dictus Sacerdos Dei tantorum malorum præsagiis in conservandis sanctis pigneribus paullo antè effecerat? Necdum locum hunc aliqua castelli vel valli defendebat munitio: & ideo, magis autem peccatorum mole urgente, huc perfacilis inimicorum irrupit incursio. Nec modò semel, verùm bis térque Sithienses fines profligare non cessârunt, donec prædicti Sancti meritis multipliciter attriti in vaginam suam compulsi sunt regredi. Tantis divinæ ultionis cladibus hanc terram ferme centum annis occupantibus, denuo quasi quodam diluvio diluitur his decocta tribulationibus. Tantorum ergo malorum Sacerdos Dei Folquinus sancti Spiritûs illustratione præmonitus, dum advixit, venerabile S. Bertini corpus ignoto loco & ubi minùs putaretur, occuluit, id nullis præter paucos cognoscentibus: ac ne palam quoquo modo detegeretur, gravibus eosdem interminationibus ac sacramentis constrinxit, sollemnémque diem hunc nobis esse sancivit, qui est septimodecimo Kalendas Augusti: ubi usque ad hæc nostra novissima tempora, scilicet ducentis quinquaginta annis [b], altor & Pastor noster latuit.

[a] anno 846.

* *de his lib. 2 cap. 1.*

XII. *Miraculum in Translatione S. Bertini factum.*

DIES festus Translationis corporis beati Patris Bertini, quæ celebratur septimodecimo Kalendas Augusti, instabat, & Presbyter futurum

[a] Hic Adalardus *filius Henrici Comitis de militia Caroli Magni, juvenis à patre suo, Deo, S. Petro sanctóque Bertino oblatus est in Monasterio Sithiu: sed postea sub Fridegiso Canonicus apud Ecclesiam S. Audomari est effectus; deinde major annis post obitum Hugonis suscepit hanc Abbatiam anno Domini* DCCC XLIV. ex Iperio cap. 13, jussu Caroli Regis abjectus anno DCCC LIX, subrogato Hugone juniore, Conradi filio, ipsius Caroli avunculo: ac post biennium restitutus, è vivis excessit anno DCCC LXIV. cui successit S. Hunfridus Morinorum Episcopus ex-Monacho Prumiensi.

[b] Eadem annorum summa legitur in relatione Bovonis, à quo Auctor ista mutuatus est. Quamquam legendum *ducentis decem annis*: siquidem S. Bertini corpus tectum est anno DCCC XLVI ex dictis, retectum anno MLVI, infrà.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V. celebrandúmque digno more ac solitâ consuetudinis reverentiâ indicebat. Eumdem itaque festum Translationis diem quædam mulier postponens neglexit, opúsque servile usque ad mediam diem peragere studuit: pòst vestes sibi munditie parandas abluere festinavit; sed aliud quàm rata erat, eadem hora sibi contigit. Nam subitò primum rubræ effectæ sunt, tum infectæ cruore sanguinem distillare cœperunt. Instat illa lotum vestes superare accrescentem nitens sanguinem: sed quo magis abluebat, eo magis ipse sanguis incremento abundabat. Nam inprimis guttatim stillavit, postea, uti per stillicidium aqua distillare solet, fluxit. Quid ageret? stabat stupefacta, supérque tanto miraculo attonita. Protinus fama signi volat, concurrunt vicini, præsentes mirantur. Et quidam ex illis verum protulit inquiens: Festum diem hunc solvisti, operata es cùm minime tibi licuisset operari. Acceleratur ad Ecclesiam, venia petitur, pænitentia indicitur, cruor fluere desinit.

XIII. *De quadam muliere festum Translationis non colente.*

ALTERA autem mulier eodem die, vanno annonam purgavit, purgatam molere volens. Verùm antequam id operis aggrederetur, à nonnullis quòd minime observaret festum diem reprehendebatur. Quorum verbis irritata fertur respondisse: Quot sunt, quótque numerantur anni soles, tot nostri Presbyteri codex inscriptas habet festivitates. Dixit, & omnino molere voluit. in primo molæ rotatu lignum palmæ digitísque adhæsit, tum brachium quoque totum diriguit. Mox etiam mola immobilis stetit, adhærens manui lignum ad sese traxit; conata est avellere, sed non potuit. Tandem rubore confessa verecundiam, dextram ligno adhærentem ostendit, noxámque errati confitens Ecclesiam adiit. Monitu Sacerdotis orationem præsentes fundunt, lignúmque cecidit, ipsa læta domum rediit. cui usque omnis festus dies timori fuit.

XIV. *De sanguine ex spicis manante.*

ALIO quoque tempore eodem celebritatis suæ die spicas avulsas sanguine affluenter imbuit, sicque humanis usibus inutiles reddidit.

LIBER SECUNDUS MIRACULORUM,

Ab alio Auctore anonymo scriptus circiter initium sæculi x, ex cap. 10.

PRÆFATIO AUCTORIS.

HIS itaque à reverendissimis Patribus nostris sui temporis omnium bonorum studiorum non solùm appetentissimis, verùmetiam status sui loci tam columnis solidissimis quàm luminibus præclarissimis non minùs veraciter quàm fideliter de virtutibus beatissimi Patroni nostri prælibatis, plurima postmodum, non (quod absit) inopiâ dictatorum, vel defectu scriptorum, sed multimoda insurgente adversitate temporum exstant intermissa relatu dignissima. Quorum è numerositate pauca, ac ne fortè frivolitatis vel mendæ notemur noxâ, solùm

ea quæ aut ipsi vidimus, aut ab idoneis personis visa cognovimus, non propriæ temeritatis fisi audaciâ, sed potiùs illius freti fiduciâ, qui linguas infantium facit disertas, quamquam minùs eleganter, subinferre satagimus humiliter. Et licèt ingenio tardi, sermone imperiti, hæc qualitercumque aggredimur notificanda, non ventosæ jactantiæ vanitate, sed simplicis animi devotione, ac præsumtibili humilitate, malentes potiùs si qui æmuli fieri volunt patêre morsibus degannientium, quàm miracula ad laudem & gloriam nominis Dei Electi sui meritis nobis præsentibus celebriter perpetrata segniter reticere, & à memoria aboleri succedentium. Unde quamquam simus inertes, nunc cordi adest proposita inchoare, & inchoata summa cum devotione pro posse edere. CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

INCIPIUNT MIRACULA, & primo *de adventu paganorum.*

TEMPORIBUS divæ memoriæ CAROLI[a] filii Ludovici, priùs Regis, postea Imperatoris, cùm sæva tyrannides paganorum emergeret, famosa flumina Sequanæ ac Ligeris advolans, & per totam grassando Neustriam, ferro igneque non tantùm circumjacentes terminos, verumetiam Armoricæ magnam partem consumeret; post non multorum tandem annorum rotatus partim ingeniosè adacti, præsertímque respectu miserationis divinæ repulsi, abscedentes repatriaverunt, protestantes nullo modo usquam se ampliùs illius Regni fines vastandi læsione repetituros. Quod tamen non multo pòst amica sibi fraude infitiati, more canino qui quanto plus alliciuntur, tanto magis insequuntur, pecuniâ avidi, rapinâ usitati, prædâ famelici, sanguinéque mentiebantur sitibundi. Nam anno Incarnationis Domini Christi octingentesimo sexagesimo immodicâ iteratò coadunata manu, plurima classe iter notum repetentes, ac toto nisu alto mari velificantes, spumantia certatim sulcabant freta, pertinacíque cursu applicuerunt in finibus Menapiorum in sinu qui vocatur [b] Iseræ-portus: & ibi prosilientes nullóque à publico pervio divertentes, incendiis quoque ac cædibus illius ergô indulgentes, ut ad famosissimum locum pausationis Christi Confessorum Audomari atque Bertini furtim properarent, aviditate thesauros Ecclesiarum latenter subripiendi ac spe servos Dei improviso inibi comprehendendi, brevibus noctium meatibus, scilicet sabbato hebdomadis Pentecostes horâ secundâ pervenerunt ad locum quo tendebant. Sed provisione jugiter in se confidentium tutantis Dei, nullos ex Fratribus ibidem repererunt: verùm monitu jubentis Domini obtemperantes, quo dicit: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam;* subduxerunt se ad tempus, servantes secundis & melioribus rebus, præter quatuor qui devoverunt se (si Deo placuisset) ibi martyrio potiùs velle vitam finire, quàm desolationi sui loci supervivere. Quod quia ex parte aliter Deus fieri disposuit, subsequenti eventu patuit. Nomina autem illorum qui se taliter devoverunt, hæc sunt: WORARDUS* & WINEBALDUS Sacerdotes, GERWALDUS, & RAYNARDUS Diaconi. Quorum Worardus qui ab ipsis pæne cunabulis sub norma monasticæ religionis educatus, & veluti tunc jam decrepitus, ita & in Christi tirocinio emeritus miles erat, diris colaphorum tunsionibus ictus nuditatéque triduana & algu fere letotenus profligatus exstitit;

[Margin: anno 860. — Matth. 10. 23. — Martyres Sithivenses. — * al. Vroradus]

a Id est Caroli Calvi, qui anno DCCXL successit in paterni Regni portionem, anno DCCCLXXV Imperator salutatus. In Chronico Nortmannico edito apud Chesnium Tomo 2 Hist. Franc. dicuntur Nortmanni bis Sithivense Monasterium diripuisse, nimirum anno DCCCXLV & DCCCLXXXI.

b *Isera-portus* Iperio cap. 14 modò Neoportus, vulgò *Nieuport*, opidum ad Iseræ ostia.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

Winebaldus autem licèt pro afflictione nimia sui corporis macrore attenuatus pro Dei nomine fuisset, acribus verberibus maceratus, atque etiam per nares infusione viscera distentus, semivivus est relictus. Gerwaldus itidem, quamquam senior, quoniam vegetior & fortior aliis videbatur, licèt diversis multóque gravioribus vexatus fuisset ludibriorum suorum irrisionibus, servante eum tamen Domino, etsi non pristinæ sanitati, saltem est vitæ concessus: ac sic non sunt fraudati martyrio, quod inhianter toto appetebant voto. Quartus proinde eorum qui & junior ac succulentior (ut prætulimus) Raynardus nomine, variis contritionibus fractus illísque abscedentibus & secum ducere conantibus, cùm viribus quibus potuit ne cum eis iret obniteretur, eligens potiùs in Christi nominis confessione, si id quoquo modo ab inimicis extorqueri quivisset, martyrio ibi animam Deo commendare, & corpus paternis cimeteriis concinerari, noménque fraternis dypticis inscribi, quàm ludibriorum suorum exsecrabilissimis spurcitiis pollui; diris tamen ut erat nexibus vinctus, miserabiliter protractus est ad villam propriæ humanitatis de matre profusionis, distantem à Monasterio tertio miliario ad aquilonalem plagam dictam *Miramo*. Stipatus itaque multitudine iniquorum ac tam pro plurima vallantuam quàm densitate noctis, quia in ipso crepusculo per eam transierunt, nesciens ubi esset, dictum est ei à concaptivis notis: Ecce è regione portæ quondam nativitatis tuæ imus. Quod cùm advertisset, subitò in terram corruit. Cúmque aversis telis ab inimicis ducentibus tundendo cogeretur ut surgeret, & ille protestaretur se nullo pacto velle, sed magis inibi pro Christo oppetere; crebris lancearum punctionibus perfossus unà cum sanguinis effusione animam efflans Christo libavit.

II. *Qualiter Dani Danos suspenderunt.*

NEc etiam reor silendum rei eventum, divino judicio meritis B. Bertini in ipsa egressionis hora peractum. Donaria enim immodica conjicientes argenti, super altare Ecclesiæ requiei ejus cumulaverunt, & uni ex jam dictis Fratribus ne ab aliquibus raperetur servandam delegaverunt. Illis autem cuneatim globatímque exire præproperè certantibus, restiterunt latenter quidam illorum, temere pecuniam involantes. Quod cum primoribus innotuisset jam egressis, subsistentes insonuerunt tubis in interstitio duûm Monasteriorum, subsistentes & coadunantes se sibi, quoadusque rei sunt requisiti & inventi corámque deducti: eisque convictis & judicio sacrilegorum condemnatis, suspensi sunt in australi parte juxta introitum portæ Monasterii, evidentissimè promulgante Domino, judicio etiam infidelium, pœna brevi, quali cruciatu plectendi sunt perpetuò sub prætentu Christianitatis, nisi resipiscant sacrilegi. Unde, carissimi, elucubratissimâ diligentiâ advertendum nobis est, quàm clementer Dominus trahentes quasi longum funem irrumpibiliter peccata nostra, improvisa, immo invisa hostium invasione dignanter castigando nos redarguit: paríque modo exactissima circumspectione considerandum, quòd misericorditer & locum tunc servavit, & habitatoribus gratuita pietatis miseratione pepercit. Meritis quoque Patronorum loci dignum adnumerari, quòd eodem tempore captivati in brevi reversi sunt gaudentes universi & læti.

III. *Quali-*

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

III. *Qualiter quidam opifex à summitate Ecclesiæ in terram ruens nihil mali sentit.*

POST discriminis præfati liberationem Fratres ejusdem Cœnobii convenientes, lacrymisque non minùs gaudii quàm mæroris illiti, pòst tamen animæquiores facti, cœperunt præcordialiter tractare, qualiter Domini offensam placabilem sibi potuissent facere, seseque ei placabiles reddere. In argumentum etiam hujus rei, veluti mansueti filii admonitionem patris pii generali pacto consenserunt, gratiosiores se super hac castigatione, immo emendatiores fieri velle. Sollerti quoque priores cura cum senioribus consuluerunt, quibus potissimùm occupationibus quivissent priorum negligentiarum redhibitionem reddere. Sicque communiter tractatum est, ut tecta Ecclesiarum vetustate consumta, ceterarúmque officinarum perstillantia non solùm resarcirent, verùm sine intermissione vel alterius negotii interpositione pleniter renovarent. Quod sicut summa devotione inchoatum, ita nostro opere ociùs quàm putabatur, Deo effectum subministrante, pulcrè strenuissiméque est perfectum. Ecclesia quoque requiei S. Bertini celerrimè exstitit miro opere plumbo cooperta. Sed & turrile ipsius licèt noviter esset superpositum, quia antiquo more erat factum, deposuerunt, & aliud miræ magnitudinis mirabilisque fabricæ studuerunt ædificare, cujus longitudo consistentis in terra æquabat altitudinem culminis Ecclesiæ, cui superponendum erat. Nec mirum, tristegum enim (ut vulgariter loquamur) trium tripodum ordinibus factum fuerat, excepta summa claxendice [a]. Itaque Ecclesiæ superposito & erecto, per singulásque compagines juncto, cùm tholus pomifer in edito unà cum triumphali signo crucis erigeretur ac in gyro ejusdem stipitis superrima rota, ubi hastulæ & tabulatæ præfatæ claxendicis superinniti ac configi debuerant, humerando copularetur; unus artificum nomine Bertus, stans super eodem circo arripuit malleum, & quasi gratulabundus pro appropinquata pæne consummatione tam miri operis, ictum veluti jactanter longiùs colligens incautè jecit. Sed eheu! resiliente rota & quatiente vacillans pedibúsque lubricans, de tanta altitudine præceps terratenus venit. Sed mirum dictu mirabiliúsque miratu, adeò nullam læsionem passus, nisi quòd tantæ altitudinis præcipitatione consternatus fuit, quatenus ambiguum fieri fas non sit, supportatum esse eum alis subventionum beatissimi Patris cui servivit Bertini. Adstipulationíque tanti miraculi apponimus, quàm risibile & plausibile responsum accurrentibus, & aquam sibi quasi pro refocillatione offerentibus sine doloris anxietate protulit, scilicet quoniam in opere suo semper & labore jucundus erat, pro certo aiebat eos scire, quòd sitim restinguere potiùs gaudebat jugiter vino quàm aqua, nec oblato tunc egere lymphæ liquore. Actutum enim quasi tanti opinione infortunii Fratres cum cetera familia mixtim manipulatímque sicut ad exsequias illius lapsi accurrentes, cùm comperissent stare incolumem, duxerunt eum gaudentes in Ecclesiam, fletus tristes in lætitiæ lacrymas permutantes; campanas solito prolixo clangore grandisonas increpitantes pariter, simulque sollemniter odas Domino auctori & B. Bertino ejusdem miraculi subventori psallendo ferentes. Artifices quoque hac virtute nedum dicamus animati, quin etiam roboratiores & audaciores effecti, inchoatum opus explicuerunt constantes & læti.

[a] Id est summo campanili, vulgò le *clocher*.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

IV. *De quodam cive Viridunensi naturaliter surdo & muto ad sepulcrum S. Bertini sanato.*

SUCCEDENTE quoque tempore accidit, ut quidam & natione & nomine ignotus, nec mirum, quia gemino miserabiliter morbo fuerat constrictus, (auditu etenim à primævæ profusionis hora exstitit vacuus, & loquela privatus) veniret peregrinando ad Monasterium præfati Patris. Qui cùm ibi multum temporis perageret, utque prætulimus quia fari non potuit, pulsatibus taratarantium tabellarum stipem mendicaret, nullóque se alicubi diverteret, ejúsque continuæ constantiæ jugitatem Ecclesiarúmque frequentiam Christicolæ loci detractantes, conferentésque non sine nutu Dei talem significantiam fieri; cœperunt eum humaniùs colligere, & in xenodochio quotidianæ receptionis pauperum delegato mansionem illi designare. Ibi autem pæne annum conversatus, post hebdomadæ dominicæ Resurrectionis completionem, decimo die, id est quarta feria, Monachis vespertina debita in Ecclesia persolventibus & cantore inchoante antiphonam ad crucem salutandam, ita incipientem, *Ite, nuntiate fratribus meis*, pueróque subsequenter pronuntiante versum, *Dicite in nationibus*, ceteris etiam sueto more ipsum tractim ac summissè persequentibus; in ipsa quasi silentii hora cœpit jam dictus surdus ac mutus blaterando imitari auditas psallentium voces. Fratres itaque ad tam insolitum horrendúmque sonum pavefacti, substiterunt annuentes œconomo pauperum, ut inquireret causam. Qui cùm solito ei annueret, nec proficeret, irascibilis ut erat, cœpit eum verbis increpare. At ille ipsa eadem verba, quia aliud loqui nescivit, blissando respondere tentabat. Tunc Fratres protinus intelligentes ei à Domino meritis B. Bertini concessum esse auditum & fatum, hymnicanoris psallentiis cum signorum pulsatibus Deo grates ac sanatori ejus totis referebant viribus. Hujúsque virtutis exhilarati tripudio, quia in primis auspiciis floridæ juventutis erat, miserunt eum ad Canonicorum scholam, litterarum studiis quantulo posset imbuendum, continuóque ubi diurnalia capitula cum vespertinalibus psalmis didicit, comam sibi capitis deponere poposcit. At non longo pòst tædere cœpit, professúsque est cordi sibi fore Romam petendi, acceptáque licentiâ junxit se Saxonibus ultramarinis Romam petentibus. Cúmque unà cum illis pervenisset ultra Lingonum civitatem, consociaverunt se eis Viridunenses negotiatores eamdem viam tendentes usque ad divaricationem viæ ducentis Hispaniam. Ibíque tunc innotuit quod antea fuit ignotum, civem videlicet ipsum esse Viridunensem: quia ibi agnovit suos, licèt difficiliter ab eis posset ipse cognosci propter insperatam reformationem ingenitorum morborum. Iter tamen cœptum strenuè peragens, indéque rediens, sine divertendi ad propria desiderio directum locum sanationis suæ revisit, ac Deo & reparatori suo gratias retulit. Nomen etiam in baptismo sibi inditum quod priùs nescivit quàm à notis didicit, tunc notificavit; ERMENFRIDUS enim vocabatur: sicque suis benefactoribus valedicens, refertus benedictionum copiâ lætus remeavit ad popria.

V. *De quodam per biennium excæcato, pristino lumini restituto.*

SICUT nonnulli suæ negligentiæ tempore periclitantur, ita divinæ dispensationis saluberrima castigatione (ut in præsenti eventu perspicuè claret) multi salvantur. Quidam enim vir coloniæ ejusdem Ecclesiæ, de

opido ei appendente nuncupato Gimiaco, Letfridus nomine, in Christianitatis devotione (ut rei congruentia pòst declaravit) ceteris communicipalibus suis minùs curiosus exstitit. Ideóque & accidit, ut dum quadam die Dominica cives illius more solito ad Ecclesiam non minùs intima mentis devotione anhelarent, quàm gressibus pedum properarent, & ipse ut solito mulcimine blandiloquii affatus à primatioribus ut secum iret, appellaretur; nedum dicamus, ivit, verumetiam monita salubria adversus audire dissimulavit, pergens ad paucula pecora quæ videbantur esse sui juris procuranda. Cui priusquàm pervenisset ad pascuarum loca, accessit angor animi cum timore intolerabili & nimia horripilatione: atque ut ab ipso pòst didicimus, videbatur ei quasi totum perfusum se fuisse calore ferventis aquæ: & veluti ignotis loquamur, quia situs ejusdem fundi ubi hoc provenit talis est, ut illic viantium obtutibus clarescat prospectus Ecclesiarum Christi Confessorum Audomari atque Bertini; miser ille licèt ob duritiam sui seu subsequens miraculum minimè miserabilis, nisus cò quamquàm serò se divertere, quatenus illorum precibus juvaretur, non potuit; sed pæne exanimis antè in terram proruit, nequaquam ut passione scotomatica * ictus, sed pro animæ illius (ut postea claruit) salvatione, immo magis nominis Dei laude, ipsiúsque dispositione luminum delectabilium visu privatus, ac bimatu vel eo ampliùs in hujus cæcitatis permansit amaricatu. Qui cùm adhuc torporis teperet desidia, quasi funditus de suæ sanitatis reformatione diffidens, hortatu tandem suorum, beatissimi Patris Bertini perrexit visitare limina, adferens quæ obtinere potuit, maximè cerea munera, quò si Deo & clementissimo jam dicto Patri placuisset, ejus meritis recipere mereretur amissa captorum orbium lumina, spondens ac confirmans quidquid super eo divinæ pietati placeret, reliquum vitæ suæ spatium ibi peragere velle. Quam ejus intimam cordis devotionem constantissimámque confessionem inspiciens occultorum cognitor Deus, meritis, & precibus clementissimi Patris reddidit illum visui & visum sibi, tanta scilicet perspicuitatis claritate, ut quoniam à pueritia in domo cujusdam nobilissimi ejusdem regionis viri adultotenus educatus & altus fuit, atque in genæcio ipsius nendi, cusandi *, texendi, omníque artificio muliebris operis edoctus, quidquid in prædicta postmodum Ecclesia pallorum ornari habuit & emendari, seu ecclesiasticarum vestium lavari, ipse sollicita intentione procuraret, anhelanter adspirans & suppliciter implorans. quo velut ipse elaborando desudat quæque emendare necessaria & emundare lurida; sic divinæ miserationis clementia delinquentiarum suarum omnium dignetur ablui inquinamenta, quò mercatur ad Auctoris suæ reformationis feliciter pervenire vocamina.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

* vertiginosa

* id est consuendi

VI. *Quòd Dani altera vice redierunt.*

EA etiam tempestate qua prægravantibus ac præponderantibus multimodis, non modò solius vulgaris populi, immo omnium dignitatum & ordinum delinquentiis, non tantùm Franciæ fines, sed etiam totius Regni principalia quæque loca Armoricáque provincia diutina (quod nunc enumerare longum est) sacrilegæ Danorum gentis oppressione crudeliter licèt justè invaderentur ab illa classe, plurimáque pro sui numerositate (veluti epitheticos loquamur) magnus exercitus ab omnibus dicebatur: anno adventûs sui in Regnum duodecimo, ab omni plaga ubi diffusus erat adunatus in loco, qui ob concursum insignium inibi aquarum Confluentia vocatur, adscendit flumen dictum Iseram, pervenítque & equitatu &

Circa An. DCC IX. Sept. V. navigio subusque Noviomam * civitatem, faciens ibi munitionem circa villam ex australi plaga, naturâ munitam, scilicet aqua & silva, vocatam Chyrisiacus, intendens si in brevi nequiret arta & diutina obsidione civitatem, quia parva videbatur, capere posse. Sed cùm hemisphærium nihil ibi prævalentes consummarent, & (nedum dicamus) aliquid proficerent, verùm magis fame ac siti omníque penuria artati pæne deficerent; consultum (ut eventum subsequens patefecit) habuerunt, ut in Regnum quondam Lotharii irent, tractantes per maritima transire, & castella ibi recèns facta obtinere, incolásque omnes, nisi se dederent, mortificare. Quo comperto pars juvenum qui sibi ceteris agiliores audacioresque fieri videbantur, numero quingenti quinquaginta, selegerunt se inscii aliis abripientes clam noctu quasi solito in aliam partem pergendo, arreptóque itinere insubsistibili cursu directim tendebant ad munitiunculam paupere (prô dolor!) sumtu parvóque licèt strenuo incolarum comitatu factam in pago Tarvanensi, in loco qui vocatur *Sithiu*, circa Monasterium eximii Præsulis Audomari, fuste, gleba & cespite sicut artificiosissimè, ita etiam firmissimè constructam, jactanter in via proludentes primo impetu eam infringere velle, ac pro tenuitate seu paucitate inhabitantium facilè capi posse. Auxiliante tamen illis Deo & patrociniis Sanctorum, qui requietionis ibi elegerant sibi locum, more solito intervenientibus, indignante Christo præsumtuosa illorum jactantia versa est comminus in dignam vindictam, ad quam promulgandam calamum nunc vertimus nostrum.

* Noyon
* al. Kyrisiacus

VII. *In quo tempore venerunt, & quòd nihil prævaluerunt.*

NAM post sanctum Paschalis resurrectionis diem transcursis quatuordecim diebus, die Dominico horâ qua cardinalis Missæ conventus publicè agebatur, apparuerunt protinus præfati invasores descendentes per clivum montis prominentis villæ, quæ Locus-Ecclesiæ [a] vocatur, pro eo quod beatissimi Martyres Fuscianus & Victoricus in fronticipio Christianitatis incolarum terræ primariam feruntur ibi construxisse Ecclesiam, respiciens contra Monasterium ex parte occidentali. Quod cernentes excubiæ, autumantésque quòd plurima totius subsequeretur, veluti priùs essendi fama percrebuit, exercitûs, protinus populo in Ecclesia consistenti notificaverunt. Illi verò non adeo tali nuntio consternati, immo magis animæquiores facti, Deo & patrociniis Sanctorum causam suî commendaverunt, & compunctive * mutua confessione rebaptizaverunt, ac humili perceptione mysterii corporis & sanguinis se munierunt, dantes invicem dextras pro libertate & loci tuitione se velle aut agiliter oppetere, aut strenuè defendere; murúmque protinus optimis (ut mos incolarum regionis est) armis præparati conscendentes, unà cum priùs præparatis bellicis instrumentis munitissimè arcem vestierunt. Tali eorum constantiâ paullo antè arrogantes inimici compertâ, necnon & parte inclusorum audacter sibi obvios ire extra munitionem visâ, Deo illos quammaximè terrificante, animositatis superbiâ mollitâ, jactantiâ pressâ, audaciâ remissâ ac liquefactâ minimè audentes aggredi cœpta, diverterunt se ad pecora per agros pascentia capienda, ociùs repedare cupientes vel cum tantilla præda: residui verò virorum nostrorum hac invasione commoti, præsertímque de

Nota.
* f. compuncti se

a Iperius cap. 20 parte 3. *Sanctus campus, vulgariter* Helechvelt, *nunc verò corrupto nomine* Helsefant *nominatur.* Hoc factum refert ad annum DCCCXCI. Distat hic vicus duobus miliaribus ab Audomaropoli.

Dei auxilio testatorúmque propriorum interventu fisi, repentè eruperunt de munitione, irrumpentes post eos, equites quidem per compendia præanticipando illos in planitie montis unde antè descenderant, quia lentim pecora minabant, habentes contemtui talia eos audere; pedites autem post tergum insequentes, ponentes hostes in medio. Itaque comperientes cunctos se undique secus fugam molientes, desperabiliter ruperunt ad orientalem plagam per sinistrum cornu vallantium, tendentes ad quemdam quercuum lucum, putantes se ibi frustra aut defendere aut effugere posse. Nostri itaque eos occidendo insequentes (hora enim fuit diei nona, quando exibant de castello) antequam pervesperasceret, omnem illam plurimam, ut ipsi jactabant, selectorum pugnatorum Dei bello consumserant, licèt non sine nostro damno, majore tamen suo. Facta est autem cædes hæc in loco nomine Windigamo*. Omnes enim ibi occisi sunt, præter quod quot de nostris mortui, tot sunt ex illis fugâ elapsi, novem autem tantummodo ex omni illa plurima evaserant, & ex ipsis etiam à persequentibus eos in via mortui sunt quinque reperti, quatuor tantùm protendentes, ut postmodum ab eis qui tunc interfuêre exercitui didicimus, pervenerunt ad socios, temeritatis audaciam vituperantes, tamquam præsumtivæ rei eventum elucubratim perscrutantes. De exuviis quoque tres divisiones fecerunt, unam Ecclesiis concedentes, aliam oratoribus & pauperibus dantes, tertiam æqua lance nobiliores cum inferioribus compartientes. Et meritò. Scrutemur enim humanitus verbi gratiâ quibus magis addicenda sit hujusmodi victoria, oratoribus an bellatoribus, &c.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

* al. Vvindingahamo.

VIII. *Quòd S. Audomarus cuidam Monacho apparuit.*

PRÆTEREA, Fratres dilecti & commilitones Christi, quibus cordium votis vel laudum psallentiis idonei esse poterimus agendis Deo gratiis pro inopinata ereptione tanti discriminis, quáve temeritate possumus dicere quod istiusmodi ausus esset cœptus, nisi magno zelo misericordis Dei fuisset instinctus? horribilis enim fuit dictu, horribilior & cœptu: quia pænè nobilitas terræ illius ex multo jam tempore ob amorem vel dominatum sibi dominorum carorum abscesserat nativitatis patriâ relictâ, præter paucos qui ita hereditariis præditi erant patrimoniis, ut non esset eis necesse subdi nisi sanctionibus publicis. Horum pars cum nobilissimis ac religiosis illius loci Monachis simúlque Deo devotissimis ac strenuissimis Canonicis, quos numquam persecutionis ulla tribulatio exterrere prævaluit, locum propositi sui derelinquendi sustentabant, paritérque confortabant reliquiarum remissos fere animos & invalidam plebeam manum. Hoc præsertim in tutissimæ spei anchoram præsumtibilísque in dominum fiduciæ; (ac quia pro vita res erat) necessariæ audaciæ indubitanter adsumentes, quòd anteactis temporibus, FOLCONIS videlicet generosissimi ejusdem loci tunc Abbatis, pòst verò sanctæ Matris Romanæ [a] Ecclesiæ reverendissimi Archiepiscopi, incolis terræ adhuc omni abundantia refertis & absque sui diminutione integerrimè vigentibus, ambitus castelli cum consensu pòpuli & procerum condictatus, mensuratus, ac per potestates & ministeria ad perficiendum distributus, recœptus ex immodica parte jam cœptus, sed

[a] Fortè Remanæ, id est Remensis Ecclesiæ, cui post Hincmarum Fulco præfuit ab anno DCCCLXXXII ad CM. Notandus hic locus, quo discimus Fulconem Sithivensis Monasterii Abbatem fuisse: cujus rei nulla mentio apud Frodoardum. Audi Iperium cap. 18. §. *Fulco, hujus loci Abbas decimus octavus, Canonicus Ecclesiæ S. Audomari, post Hilduinum est hic Abbas subrogatus*, anno scilicet DCCCLXXVII mortuo post annos octo regiminis Rodulfo, iterum Abbas electus anno DCCCXCIII.

Circa An. DCCIX. Sept. V. prô dolor ! tam præpedientibus peccatis inconsummatus, quàm pro gyri amplitudine excusatione nefaria atque infelici fuit impeditus & intermissus. Processu autem temporis, videlicet anno gratiæ octingentesimo nonagesimo

anno 891. primo, cùm tota jam terra incensa & depopulata & plurima hominum fere consumta fame attenuata, dispersionéque fugæ propulsata exstitisset; respectu tandem clementis, supérque paucas reliquias miserantis Dei, ostendens quòd non in multitudine populi salus ejus consistit, sed potiùs in misericordiis & miserationibus suis, propalans etiam quòd competentibus necestuosorum * vicissitudinibus dignatur precibus electorum suorum pro sibi votivis supplicatibus præbere effectum; voluit B. Audomarum exorabilissimum Antistitem cuidam Monacho Cœnobii S. Bertini, ædituo scilicet Ecclesiæ præfati Præsulis, memorabilis personæ viro nomine HERRICO apparere in visione. Qui, ut ipse postmodum delectabiliter multis audientibus referre solebat, proceræ erat staturæ, venerandæ canitiei, habens in fronte stigmata nitorem pulcherrimæ calvitici divaricantia, facie venustus & gracili, naso mediocriter longo & parum adunco, manibus cum digitis longissimis pulcherrima macroris tenuitate translucentibus, infula episcopali vestitus, quem sibi protestabatur dulci famine subinferre ita appellando: Gravarisne, Frater, sopore, an vigilas? Qui cùm ei pro tam insolita visitatione personæ tremens nec in totum se dormire respondisset, nec pro insita generaliter angustia (quia timor somnolentiam solet ingerere) posse se contineri, quò nimio labore fessa & anxietate laxa non refocillaret membra, exserto brachio manum quasi versùs illum porrigens subintulit: Vigilandum potiùs vobis est & animo & corpore, monitísque meis salubriùs summopere insudandum, quàm segni pigritia tricandum. Unde surge, & reliquiis populi ex asse devoti salvationis suæ tenore obnixè contestare, quatenus juxta quod sibi videtur prævalere posse, non cessent arcem die noctéque firmare. Qui cùm partim gaudio refertus, partim visionis terrore pavefactus, post consultum tamen super eo priùs idonearum personarum populo convocato, præfatam visionem Patris monentis, affectuosè hortantis, studiosè jubentis strenuè intimâsset; compunctivo corde lætantes, lacrymis gaudiosis flentes, omnes unanimiter cælo pansis utrimque votis succlamare cœperunt dicentes: Gratias omnipotenti Deo referimus, qui nos salutari visitatione Patris nostri providendo, monendo, consolandóque reficere & confortari dignatus est. monita salubria viribus quibus possent studiosissimè adimplere velle promittentes, quámque promissionem instantissimo protinus inchoaverunt cœptu, ac quam pervicacissimo quibant, perficere satagebant effectu, dignéque non modò de jam dicto, sed & quod majus multo ac periculosius fuit subsequenti discrimine tam clementis Dei provisione adjuti piíque Patris hortatu animati, immo de experta Patrum intestatorum solita & provida defensione salvati, meritò exhinc profusiùs Dominum & proprios protectores inibi devotissimè jugiter collaudant & læti.

*indigentium.

IX. *Quòd sequenti die Dominico venerit reliquus exercitus paganorum ampliori multitudine, sed meritis S. Bertini nihil prævaluerunt.*

NEc etiam longa post prædictam hostium cædem intercurrente mora, neque enim patitur ille antiquus Leviathan inexplebiliter esuriens ac sitiens humano generi moliri insidias, habere membra sua moras in persecutione ac læsione piorum. Siquidem invidiæ succensus livore quoniam nostros recenti beneficio ac summa devotione doluit fervere. Nec mirum

quia eo tempore maximè tanto adsistit infestior, quanto quosque in proposito voluntatis Dei persenserit fieri fortiores. Ideóque occumbentium cognatos vel socios contribulésque ac complures totis suæ crudelitatis viribus furendo excandescere, compulit in iram sævissimámque suorum (si Deus permisisset) vindictam. Pondus enim hostium totius Regni adunari suggessit in brevi artissimas in angustias unius fundi. Nam peracta post præfatam stragem revolutione, ni fallor, proximi dominici diei horâ secundâ, nebulâ pro natura loci manicanter * natâ adhuc aërem maculante, apparuerunt pedites inæstimabilis plurimæ [a] eodem clivo quo & anteriores descendere, cursúque concito castellum tendentes minimè introïerunt, subsequendos ante januam exterioris introïtûs præstolantes. Equites verò quasi arena innumera multitudinis diverterunt ad locum quemdam certaminis, nil secus quàm sicuti prospectu novæ visionis dolore suorum occisorum recrudescente, more elephantum qui sanguinis visione excitantur in iram ad prœliandum; ita isti exacuerunt ad suorum severiùs & crudeliùs sanguinem vindicandum. Et cùm aliquamdiu dolendo ibi deliberarent, nílque aliud proficerent, nisi quòd tabida & putrida corpora conspicerent; facto præpeti cursu tamquam primo impetu munitiunculam capturi pervenerunt ad socios: unáque rabido cum fremitu irrumpentes, peditibus decretum est dira impugnatione castellanos incendere. Equites quidem Deo tribuente properabant ad locum naturaliter munitum, scilicet S. Bertini piissimi suorum protectoris ac promtissimi maximis in necessitatibus liberatoris monasticum [b] Monasterium. Talia quoque nec sine Dei dispensatione exstitisse credimus, sicuti protinus perspicuè experti sumus nutu, ut ubi major fienda erat communis victoria & perficienda, cælitus auxilii divini copia, numerosior ibi congregaretur hostium plurima. Venientes autem statim eodem momento, remiserunt equos per pabulatores in pascua ad villarum loca, tálique studio acceleraverunt mansiones ædificare, veluti post munitiunculæ infractionem pro firmitate loci gromnarúmque [c] opportunitate longo tempore inibi velint consistere. Interim pedites ex tempore introïtûs totam diem cum agilioribus equitibus ad castelli munitionem pugnare non cessantes, diversis & insolitis artificiorum generibus per vices successionum globatim & cuneatim contrarios lacessendo respirare vel ad modicum non patiebantur. Siquidem ignita utensilia & frusta candentis ferri more grandinis fundibilis in eos jacientes; sagittarum quoque imbres in eos pluere non intermittentes; multáque alia quæ enumerare & fastidit & difficile fit, offendicula molientes; ad postremum fossas circa munitionem miræ & altitudinis & amplitudinis factas munientes, ceu vimineis parietibus stramine & omnigeno siccàmine compleverunt, conantes incendio profligare, quibus aliorum artificiis argumentorum non potuerint prævalere. Sed aliquantisper eis se subtrahentibus, nostri in eosdem straminum aggeres lignorúmque strues Deo donante prosperóque eis venti turbine flante ignem cautè immittentes, illísque nescientibus minúsque sperantibus, æquè ignem ut idipsum eis facerent inferentibus, excandescente stramine plerique eorum ustulati sunt, vix subrepti mortis discrimine. Deo autem propitio nulli ex nostris vitam prolixo scammatis * spatio magnopere periclitabantur, nisi tantùm unus Frater [d] monastici

CIRCA AN DCCC IX. SEPT. V.

* mane

* conflictûs

[a] Eadem voce non semel usus est Auctor, infrà capp. 10 & 11: suprà item non semel.
[b] Nota vocabulum, nam erant tum temporis Monasteria Monachorum & Canonicorum.
[c] Gromnæ seu gronnæ, loca palustria & herbosa. in alio ms. legitur *grumarum*.
[d] Et *Fratres* etiam tum dicebantur Clerici & Canonici. unde hîc *Frater monastici Ordinis*, discriminis ergô.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

Ordinis ictu sagittæ inter duo tabulata propugnaculi ubi stabat, percussus est sub inguina: qui & ipse convaluit. Verumtamen ad vindictam minùs armis excitati, ac ideo minùs cauti plagiatíque sui famuli, alium æquè ejusdem Ordinis Fratrem permisit retribuere hostibus dignam repensionem.

X. *De Monacho qui tyrannum sagittando occidit.*

FUIT namque tyrannus quidam partis contrariorum ceteris omnibus, ut videbatur, asperior & robustior, ac in arte pugnandi argumentosis factionibus astutior, qui nec ad punctum cessavit fortiter pugnare, aliósque quasi sine mora mœnia capturos instigare. Ex nostra quoque parte, quamquam pro crebra hostium ingestione tenaciùs instarent defensioni quàm objectioni, artibus tamen viribúsque quibus poterant & habile fuit, strenuè atque agiliter resistebant, omnes intentissimè omnimodis certantes, si quo modo infestissimum illum quivissent impedire inimicum. Sed non fuit ulli eorum tributum, pro eo quòd voluit illos Deus intelligere, & in confinio vitæ mortísque constitutis significare, ex qua parte imminentis levamen periculi deliberaret eis clementer transmittere. Ac ideo decrevit ut prætulimus monastici habitûs juvenem arcum arripere, quamquam illicitum vel inhabile sit huic Ordini arma tractare; intendénsque illum diligenti consideratione jactante prosiliendum, de propriis viribus licèt dubius, sed Dei tamen auxilio minimè ambiguus, insertâ arcui sagittâ implorans Dei auxilium tensâ chordâ traxit fortiter, ac divinæ impulsionis datione infixit fronti jam dicti tyranni viriliter. Hoc autem mortuo cessaverunt alii ab impugnationis tumultu, mittentes protinus qui eventum rei senioribus eorum nuntiarent, morando in atrio jam dicti Monasterii, curialibus tamen in Ecclesia beatissimi Petri in concilio residentibus: quod factum cùm à referentibus illis conquereretur, eosque hoc aliquantisper, non tamen magnopere gravaret, lentiúsque ac securiùs quid illo vesperi agendum esset deliberarent, in tali interstitio cucurrit aliquis ex eis, & deposuit crucem retro altare B. Bertini stantem: reversúsque ad socios, irreverens coram eis, cœpit eam defabricari stilo ferreo qui sol vocatur, unde solet excuti ignis silice. Nuntii autem præfati tantæ morositatis spatio in iram accensi, procacibus conviciis aggressi sunt eos increpare duriùs dicentes: Calumniosa multùm res fuit & indigna quam agitis. non enim de vindicta occisorum nostrorum indignamini, nec de nobis certantibus partímque pro nobis deficientibus succensemini, nec super castelli captione, quæ nihil tardaret, solùm si libuisset illos impetere studetis: insuper quoque nec de præda inhabita advertitis, quoniam si hi tantùm habuerunt spatium noctis, omnia sua aut infodient, aut in puteis, seu abditis quibusque locis abscondent: quia timent se pro certo in deditionem vel in mortem ire. Atque illi in iram versi furibundè exarserunt, continuò de sessionum locis exsilientes, suísque diis vota solventes, scilicet si munitionem illo vesperi capere potuissent, nemini masculini sexûs usque in mane parcere. Cujus fastuosæ jactantiæ superbissima verba horrendæque temeritatis minacia prolata, nulli fas est fieri ambiguum interventu B. Petri Apostoli precibúsque exaudibilis Christi Confessoris Bertini, in quorum quasi in eorum contumeliam Ecclesiis hæc fuerunt facta & dicta, ad aures pietatis Dei super his indignè ferentis fuisse suppliciter prolata. Actutum etenim jam fatus violator salutiferi signi, ut credimus, ad impe-

impeditionem tam crudelis edicti, percussus protinus est plaga insanabili. Nam os ei subitò contractum est cum aure adusque occipitium, oculíque subversione retorti, & spumans & tremens volutabatur per terram. Quod cernentes paullo antè arroganter sævientes cœperunt angustiari, pallere, tremere percussósque commanipulares dilectos priùs tunc velut abominabiles exsecrari, solum sibi asylum perfugii reputantes, si viam priùs ventam repetere concederetur. Tali itaque Dei vindicta alii icti, alii territi, præproperè arripuerunt propria vexilla parietibus Ecclesiarum innixa, quæ inibi missa byssino splendore candentia recipientes, mirati sunt piceo colore nigrantia; sicque rapido cursu per medias præcipites vacillando proruperunt Ecclesias, non vino ebrii, sed indignatione Dei & offensis Sanctorum consternati: tardúmque eis videbatur Monasterii portas attingere, itaut potiùs lætarentur tunc de exitu, quàm paullo antè super diu desiderato introïtu. Egressi verò & aliquantisper pæne elapso spiritu resumto, residuorum recordati sunt debilium. Nec tamen ullus eorum ausus est pro eis reverti, sed vocantes ad se quemdam strenuum juvenem quondam captivatum de colonia S. Wlmari, qui ab initio huic facto intererat, præceperunt ei ut quantociùs tentaret redire, ac si vivi fuissent eos adduceret. Qui reversus injuncta perficere, reperit ut antè errando huc illúcque eos palpitantes, ac contractum ut priùs jacentem fere exanimem, qui & inibi, quia egredi nequivit, remansit, plurimísque diebus miserabiliter tabescens eleemosynis bonorum hominum vixit, latratibúsque quibus valuit miracula Dei illic effecta testificatus fuit. Præfatus verò juvenis data uni ex cæcis, manu sicque unus post unum sibi hærentes, protracti sunt ad ceteros: qui etiam interim horrore mortis trepidi clangore frequenti increpare citabant, stridentibúsque tubis sonitu magis significante, immo compellente fugam quàm hortante ad pugnam. Quod audiens omnis plurima *, ubicumque fuerant sive circa castellum seu in tabernaculis vel in pascuis constituti, noto plangore fugæ pavefacti, magísque divina virtute conterriti, nec dominos, nec socios, nec notos repetentes, præcipiti fuga ubicumque visum fuerit quo ociùs aut fugere, aut abscondere potuissent tendebant. Principes autem præfati cum eis quos secum habere poterant se adunantes, & è regione munitionis per portam introïtûs sui exire velociter anhelantes, nedum dicamus quòd illò propinquâssent, nec vultum illuc divertere vel quamvis tunc vesperasceret, illa nocte infra sex milia-ria restare audebant, sed directim tendebant adusque atcem quondam opinatissimam Menapum, Domino illos Christo sicut suos misericorditer liberando, ita alienos à se dignis calamitatum cruciatibus percutiendo, divinitúsque terrendo, longè perditione tenúsque propulsando. Relatione enim eorum Fidelium qui prœlio interfuerunt didicimus, quòd pervenientes ad locum quò tendebant, in uno prœlii congressu duodecim nobilium pugnatorum de illis profligati sunt, Deo illis dignanter in numerum occisionum & sacrilegiorum meritam pensionem recompensante.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

* i. turma.

Auctoris ætas.

XI. *Qualiter labarum * paganorum positum fuit nitidissimum, & inventum teterrimum.*

* vexillum.

ANTELATIS etiam dignum cælitus transmissum & eodem in tempore visum. Post exterius atrium portæ cœnobialis Monasterii non longè retroactis temporibus à religioso quodam ejusdem loci Monacho nemus quoddam frugiferum pulcherrimè plantatum fuit: cujus in medio quasi collis tumbalis exstitit, habens in summitate sui pirum, cujus pira nimiæ

Circa An. DCCIX. Sept. V.

grossitudinis dulcissimíque saporis erant, referebatúrque à senioribus ex plantariis fuisse beatissimi Patris Bertini. Quam ob rem Patrum sancivit industria, Fratres omni anno sollemniter vestitos secundâ feriâ Paschæ cum reliquiis & psallentiis (sicut mos est totam illam hebdomadam per diversas officinas facere,) idem pomarium visitare, & in ipso monticulo completa oratione ad publica sollemnia reverti. Quod nemus quia inter duo Monasteria erat, ne fortè latibulo inimicis esset, Christiani exstirpare decreverunt. Venientes itaque, ut prætulimus, pagani, in antefati collis cacumine principale vexillum, quod labarum vocari fertur, alto stipiti pro terrore infixerunt, quò eminus prospicientibus terrorem incuteret. Sed è regione eodem in loco misericors Dominus evidentissimè declarare voluit, quòd ipse de cælo respicit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Nam labarum præfatum quod nitidissimum fuerat ibi positum, abreptum inde, teterrimum evulsum est: ac in tempore incœptionis mirabilium præfatorum, nebulosa caligo totum jam dictum texit nemoris locum, itaut nec montani ab junioribus, nec inferiores à superioribus videri possent. Columna quoque nubea in medio caliginis cælitus pendula super ipsum collem videbatur, simulans speciei suæ colore pluvialis iridis varietatem, coæquans sua etiam amplitudine suppositi collis latitudinem: nec antea se Fidelium intentè eam considerantibus subduxit obtutibus, quàm omnis illa hostium plurima * funditus discessit: evidentissimè visibiliter omnipotente monstrante, immo provocante misericorditer nos Deo, ut illuc jugiter omni mentis intentione totâque cordis devotione debeamus oculos tam exteriores quàm interiores in omnibus necessitatibus figere, quò nos pretiosissimi Filii sui sanguinis redemtione dignatus est invitare, qui cum eo vivit, gloriatur & regnat Deus in unitate Spiritus-sancti per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

* i. turma.

* Quæ sequuntur, alterius videntur esse Auctoris.

XII. *De ingressu feminarum.*

CUM venerandus Pater noster Bertinus postquam à diabolo in specie mulieris tentatus esset, & à S. Martino visitatus & liberatus, considerans omnino Monachis non expedire sexu femineo quovis modo communicari, sub anathemate ingressum feminarum de aditis ejusdem Cœnobii penitus exclusit. Quod ab ipsius B. Bertini tempore bene ab omnibus observatum est, usque ad illud tempus in quo ADALA nobilissima conjux Arnulfi Comitis & Abbatis [a] istius loci cùm sæpissime magnis infirmitatibus esset aggravata, desiderare cœpit, ut in hoc Monasterio ei licentiam Monachi darent intrare, ut coram altari sancti Bertini pro salute deprecatura liceret se prosternere. Hujus igitur rei causâ advocatis venerabilibus Episcopis WICFRIDO [b] Tarvennensis Ecclesiæ Episcopo & FOLBERTO Cameracensis, denudavit eis desiderium suum; acceptâ etiam à Monachis licentiâ anno Nativitatis Domini nongentesimo trigesimo octavo, annóque quinto LUDOVICI Regis, feriâ secundâ Paschæ introduxerunt eam præfati Episcopi in eodem Monasterio, non

anno 938.

[a] Is Sithivensis Monasterii collapsam disciplinam reformari curavit anno CM XLIV, per S. Gerardum, ex Iperio capp. 23 & 24.

[b] Frodoardus in Chronico ad annum CM XXXV. *Artaldus Archiepiscopus Vuifredum quemdam Monachum* (nempe Sithivensem teste Iperio cap. 22 parte 2) *Taruvanensi ordinat Ecclesiæ Præsulem*, quo ex Auctore discimus *Vuicfredum* Morinensem Episcopum Synodo Trevirensi interfuisse anno CM XLVIII. Lege Iperium cap. 23 parte 2.

fine tremore maximo : quoniam hoc illa prima facere præsumserat, quod antea Reginarum nulla concupiscere vel audebat. Sicque introducta, & ante altare B. Bertini prostrata, devotè oratione fusa plenam corporis sospitatem recepit. Intrando autem plurima huic loco ornamenta [a] contulit, & quamdiu vixit, numquam donare cessavit. Circa An. DCC IX. Sept. V.

XIII. *De illo, qui S. Bertino filium suum morti proximum obtulit.*

EODEM tempore Rodulfus ipsius castelli prætor urbanus, filium suum nomine Walterum, cùm morbo quem Medici variolam [b] vocant, morti videretur esse proximus, ulnis propriis sustollens ante S. Bertini altare deportavit, Monachúmque effecturum si ejus pia juvaretur intercessione, spopondit. Quem mox saluti restitutum ac Omnipotenti famulum & S. Bertino obtulit Monachum perpetualiter permansurum [c].

XIV. *Qualiter hic locus meritis sanctorum Vincentii, Audomari, & Bertini ereptus est ab incendii discrimine.*

VERIDICORUM virorum qui interfuerunt, sedula compertum est relatione, quomodo tempore viri venerabilis domni ODBERTI Abbatis locus, Sithiensis Cœnobii meritis S. Vincentii Christi Martyris & sanctorum Confessorum Audomari atque Bertini dudum divinitus ereptus sit ab incendii discrimine. Quod quia videtur adeo audientium utilitati congruere, licèt tamdiu celatum sit Scriptorum negligentiâ incuriæ, tamen dignum ducitur officio stili commendari memoriæ. Nulla istic antiquitus de præfato Christi Martyre custoditio agebatur sollemnitatis, nisi tribus lectionibus totidémque responsoriis : at ubi propria ipsius à quibusdam Fratribus huc allata devenêre responsoria, extemplo à Fratribus eorum suavis mulcedinis percepta harmonia, uti sunt admodum delectabilia, his Fratrum juventus plurimùm est delectata, atque futuræ extunc observandæ celebritati adplene instructa. Exin depositio supradicti Sancti singulis annis præter solitum duodecim lectionibus decentiùs coli cœperat, ac Fratrum devotio magis magísque erga Sanctum Dei quotidie crescebat. Quod cùm aliquorum annorum fieret revolutione, nec Fratres desisterent ab hujusmodi sancta devotione; contigit uno anno paullopost transacta decenter ejusdem celebri depositione, scilicet in ipsa S. Gregorii festivitate quæ constat quadragesimali tempore, magnam domum unius Advocatorum claustro atque Monasterio contiguam ex immortuo cerei fungo succensam ardere. Quæ ut erat valida, horribiles flammas evomens, claustrúmque illa parte qua steterat, fumo ignéque velans, omnibus Monasterii officinis excidium minabatur, Fratrésque jam de tanti loci desperati liberatione solùm ad extrahendos Ecclesiæ thesauros & quæque supellectilia occupabantur : cùm propitiâ Dei providentiâ tres columbæ instar nivis candidæ, cælitus (ut credo, utque pòst res edocuit) elapsæ,

a In his *cortinam miræ magnitudinis operísque præcipui quæ adhuc durat*, inquit Iperius cap. 28.

b Vulgò *la petite verolle*. Boam appellant Medici.

c Hîc supplendum id quod dicit Iperius in Chron. cap. 27 parte 2. *Abbas Ragenoldus jussu Comitis Arnulfi*, cognomento Vetuli, *Reliquias SS. Audomari & Bertini trans Rhenum ultra Neomagum, ubi tunc Imperator residebat, detulit, ut terras suas sibi vindicarent. In qua deportatione miraculum accidit in Tiale portu, de custode Ecclesiæ illius dictos Sanctos blasphemante, & eis ingressum Ecclesiæ prohibente, ibi à Deo percusso & mortuo.* Aliam delationem anno M. LXXXVII factam in villam Ostreselam lege apud eumdem cap. 39 parte 2.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V. campanarium palam multis videntur ter circumvolitare, & nunc hîc, nunc illic super pinnacula sessiones alternare. Quod nonnulli cernentes, à Domino talia effici existimabant, talibúsque indiciis locum istum à tanto incendii discrimine servatum iri orantes exoptabant. Cúmque adeo ingens esset, uti Principis* adeo claustro immineret, ut vix aliquod intervallum interfuisset; tantúmque incendii ex hac grassaretur, ut lòngè hinc distantia domata exinde invaderentur, magnâ etiam pars ipsius castelli consumeretur; Deo gratias, non solùm omnis hic locus à tanto periculi dispendio ereptus, verumetiam ejusdem ereptionis manifestiori revelatione non multo pòst glorificatus est. Adhuc autem duraverat illud avitum S. Petri Monasterium à S. Bertino Patrono nostro (ut dicebatur) constructum, ad quod crypta quædam permodica ab Oratorio S. Martini præbebat accessum. Quod quidam Fratrum RAMBERTUS nomine, hujus loci Monachus, ob amorem S. Petri Apostolorum Principis sanctíque Bertini ejusdem structoris recolens, singulis noctibus, peractis Matutinorum excubiis frequentare ac ibidem psalmodiis & sanctis meditationibus pernoctare solebat. Hic cùm in eodem quadragesimali tempore paullulum post præfatam illius combustionis comminationem quadam nocte peractis Matutinis talibus operam daret, & quoniam Matutini solito citiùs ipsa nocte sonuerant, vigiliis fatigatus sessum peteret, atque, sicut est infirmitatis humanæ, ibidem somno gravatus paullulum dormitare cœpisset; visum est ei videre quemdam magnificum virum dalmaticâ leviticísque cultibus candidatum sibi adstitisse, séque an dormiret rogâsse. Cùm verò præ timore nihil, ut sibi videbatur, ad hæc posset respondere; Noli, inquit is qui videbatur, metuere. Adjecítque: Sed nosti quis sim ego? Ad hæc ille: Ignoro, domine. Tunc ille; Ego sum, ait, Frater Vincentius, & gratias refero vobis pro observatione meæ celebritatis atque proba devotione, quam circa me geritis. numquid etiam vos latet, quid illæ tres columbæ super nivem candidæ quæ istic in immensum furente Vulcano apparuerunt? Cui ille. Latet nos, Sancte Dei: auspicatò nostræ protectioni à Domino talia arbitrabamur propalari. Et ille: Rite, inquit, arbitrabamini. Ego enim eram cum sanctis Audomaro atque Bertino, qui huc vobis venimus præsidio. nam quorumdam culpis exigentibus omnis locus iste in deditionem flammæ à Domino fuerat traditus, verùm causa meæ memoriæ quæ hîc in tam longinquis oris à vobis agitur, & quia tam devotè festivitas meæ depositionis observatur, ego cum Sanctis quorum hîc emerita corpora venerantur, coram majestate Domini pro vobis opportunus interventor adfui, & à benignissimo JESU ereptione hujus impetrata Cœnobii, nec mora huc adventavimus vestræ conservationi. Quæ omnia Abbati Odberto, cunctæque congregationis Fratribus detege, & ut ex his miserantis Domini objurgationibus emendatiores fiant, commone, ne aliquando districtiùs feriantur correctione, meáque ex parte magnas gratiarum actiones cunctis ne negligas reddere, quòd tantum devotionis affectum circa me gerere, quódque mei natalis observationem tam decenter támque humiliter instituerunt colere. His dictis somniator evigilavit, & is qui videbatur, disparuit. Cujus revelationis nectare Frater ille mellificatus animum, imbre perfundebatur lacrymarum. Mane autem facto cùm in utroque nutaret, scilicet utrum reticeret, an palam faceret; quemdam priorum nomine GRIMWALDUM accersitum consuluit super hoc, quid facto opus esset. Illo autem hortante ac suggerente Sancti ipsius jussionibus parendum esse, nec occultari debere; unà utrique Patri vadunt indicare,

* f. principi, id est principalis aut Principis S. Petri.

deinde ejusdem Patris jussu omni congregationis phalangulæ. Testabantur vero Fratris ipsius lacrymæ, quarum ubertim in referendo manabat inundatione, omnia quæ dicebantur vera fuisse. Cúmque inter plorandum & hæc inter dicendum audissent Fratres, gratias sibi referri ex parte tanti Martyris, actutum cuncti prorupti in lacrymis terras petiere osculis, ac plurimùm conjubilantes super his benignissimum Dominum laudaverunt & benedixerunt in canticis labiorum & citharis, qui sic placatur, & fertur in iniquitatibus nostris Sanctorum suorum intercessionibus ac meritis. Qua de re prædictus Abbas cum sibi subjectis omnimodis excogitans, quo pacto præcipuum militem Christi digniùs valerent extollere ac venerari, quatenus tantum pro se intercessorem coram divina majestate jugiter possent promereri; peracto quod nunc superest Oratorio B. Petri Apostoli, aram ipsius Martyris in eodem jussit constitui, & extunc omni anno ejus natalem in albis cum omni devotione decentissimè custodiri. Nos autem Fratres carissimi jam districtiorem prælocutæ comminationis correctionem experti, utpote qui nostro tempore omnem locum nostrum traditum desolationi oculis nostris, peccatis nostris hoc promerentibus, perspeximus igne devorari, tandem tempus visitationis nostræ in hoc nos oportet cognoscere, & quidquid in nobis Domino nostro perspeximus displicere, à sanctuario suo, hoc est à cordibus nostris festinemus auferre, atque gentes vitiorum quæ in hereditatem suam venêre, ne ponant Jerusalem in pomorum custodiam, eminus à nobis studeamus propellere. Illius quoque dominicæ super Jerusalem factæ comminationis memores simus, quòd non relinqueretur in ea lapis super lapidem, qui non esset destruendus, eoquòd non cognoverunt suæ visitationis tempus: atque post tantam incendii desolationem jam Dei gratia Monasterio nostro ac omnibus reædificatis & restauratis in melius, hoc speculo castigatiores atque emendatiores effici omni conamine procuremus, atque innumerabilium vitiorum exercitus, qui Jerusalem sanctam Domini, scilicet nos, oppugnare non cessant, diebus ac noctibus repurgantes Christo nobis Præsule effugemus, ac sacraria sua Domino nostro sanctarum virtutum decoremus ornatibus, quatenus ejus ad nos adventum quandoque promereri possimus. Sanctos etiam & Electos Dei ad nostrum jugiter invocemus auxilium, quos ita promtos per hanc revelationem novimus nobis ad succurrendum, ac eorum exempla sequentes crucifigamus nos mortificatione vitiorum & concupiscentiarum: quatenus nos Dominus noster possideat filios mortificatorum, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen. CIRCA AN. DCCIX. SEPT. V.

* Quæ sequuntur, item ab alio Auctore scripta videntur.

XV. *Miraculum in villa* de Caumont.

SANCTI Patris nostri Bertini hereditatis pars Noviomæ urbi habetur contigua. nam ibidem villa *de Caumont* adjacet, quæ tota juri ejusdem Patris debetur: tradita enim illi ab antiquo tempore titulis auctoritatis sancitur. Verùm hujus villæ colonus quidam tyrannica abutens potestate nimiúmque opprimebat bona illorum, modò vi quidem, tum autem quocumque modo poterat auferens. Hujus itaque insania ad id quidem deflectitur criminis, inque deterius evasit, ut partem coloniæ ipsius villæ invaderet, pervasámque suo juri ac ditioni vindicaret. Cujus vim invasionis cernens ministerialis qui ab Abbate positus in sui loco cuncta villæ

Circa An. DCCIX. Sept. V.

providebat, nefaria machinanti totis viribus obviabat, furibundo resistebat, atque fieri Deo sanctóque Patri injustitiam proclamabat. Tandem adeo multùm ac sæpenumero reclamante, nonnullis æquè etiam scientibus hujus rei veritatem, contradicentibúsque insano cœpto illius, in jus ventum est: tantum enim suis præsumebat viribus. Ab hoc itaque injuriæ causa demonstratur, ab illo verò minimè quidem fore injustitia denegatur. Sic sic controversia agitur & ab utraque parte discurritur. Opponitur primùm causa, ea palam statuitur, pòst eadem deliberatione sancitur. Tum demum ultima judicialis causæ res subsequitur. Si negas, inquit noster propugnator, Dei ditioni sanctíque Bertini juri hujus coloniam villæ quam injustè tibi vindicas deberi; victus tamen confitebere, suam Sancto victus reddes, & istam tuam minimè recognosces. opponam, inquit, enim caput (& monstrat dextrâ caput) periculo, tantùm ob Dei justitiam ipsius confisus auxilio. Et econtra, inquit alter, me ipsum invenies paratum certare, numquam victum fore dices. Vades [a] itaque dantur, duellum firmatur, dies statuitur. Post itaque rem tali jure firmatam minimè sui villicus obliviscitur, sed adit ODBERTUM [b] Abbatem, (is enim eo in tempore *Sithiu* regebat Cœnobium.) omnem rei seriem ordine pandit, orat sibi subveniri, ut constituto die aut idem præsens adsit, aut in sui loco aliquos boni testimonii viros illò mittat, maximè autem orabat quod idem Abbas præsens esset. Spondet is id quidem sese facturum, & auctoritate sui præsentialiter subventurum. Tum verò prostratus ante sanctum altare, Dei providentiæ sedulò diúque se totum commisit, suíque misereri oravit: ac tandem petita benedictione Abbatis, utens quasi quadam agilitate, magis solito raptim revertitur. Primùm tamen sæpe & multùm obnixè orabat, ne sui oblivisceretur. Veniente igitur statuto die se duello præparabat, tamen juxta promissum aliquos suo venturos auxilio sive ipsum Abbatem exspectabat. Itaque post celebratam à Presbytero Missam, devotè finita prece, Eucharistiâ dignè perceptâ, quod extra Ecclesiam fortè jacebat super saxum magnum adsedit, versus locum *Sithiu* superiùs dictum erigens lumina, tensas palmas, vultum tenuit, solúmque movens labia, magnè puro corde clamavit. Fortè Dei providentiâ ut declararet dignum meritum sui militis, Abbas aliàs intendens promissum neglexit. Tum verò adversarius minas ingerens, verbis lacessens, moram facientem incusabat, & nonnulli suæ parti faventes probra contumeliarum ingeminabant, cum timoris arguentes. Ille tamen manebat, exspectabat, orabat parvipendens exasperantes. Et tandem erumpens in vocem: Adhuc, inquit, unâ morulâ meum operibor dominum. Pòst verò ecce eminus adspexit, & duas columbas nive candidiores aëra secare pennis vidit. In has ita diu lumina fixa tenuit, quorsum tenerent volatum, quódve signi volatus portenderet scire desiderans. Audierat enim quondam se dignari ostendere pium Patrem Bertinum, & in visione tenere hujus avis similitudinem. Itaque veloci volatu omnem procinctum ter ambiunt, pòstque ab oculis videntium evanescunt. Ilico surrexit & horrendum tonans, clypeo fulminans, cum baculo in hostem venit. Fertur denique quia dum surgeret, versóque baculo saxum percussisset, hoc ex se sanguinis rivulum emisisse. O digna quæ roboratur

a Duellum notabile.

b

Nota.

[a] In duellis factis ad dirimendas res controversas dabantur utrimque vades, ut victori certa esset causæ oppigneratio. Gubertus Abbas de Novigento in lib 3 de Vita sua cap 14. *Datis vadibus*, inquit, *bello eum pugillaturus impetiit*. Lege Acherii notas in hunc locum.

[b] Odbertus Abbas ab anno millesimo, post annos duodecim Hemfridum habuit successorem, testante Iperio capp. 34 & 35.

adstipulatúrque altero signo, mirum dictu, mirum visu sanguinem de saxo manare, verùm quidem Dei est omnia posse. Tandem perfidus invasor crebris ictibus victus superatur & solo prosternitur. Tum adeo malè multatus se se victum multoties profitetur, injustè invasisse villæ illius coloniam proclamat. Igitur vix ereptus à manibus victoris domum deportatur, & post triduum mortuus est. Omnis vicinia hoc merito factum esse dixit, miraculi signa celebravit, sanctúmque Patrem Bertinum devotè extollendo coluit. CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

XVI. *Secundum miraculum de eadem villa.*

VERUM quod nonnunquam bonis formidini est, & unde virtuti studentes maximè corriguntur, atque interiùs divino munere nitescunt; inde reprobi exteriùs audaciam sumunt, peccatum peccato addunt verum postponentes, cæcatíque nube mortalis rei deterius sequuntur, & in eis illud propheticum impletur; *Sanguis sanguinem tetigit*, id est iniquus prava sive pessima malis sedulò factis addit. Igitur alter tyrannus innutritus sceleribus in prædicta urbe Novioma exstitit, ferox animo, immanior scelere, ante omnes alios die noctúque sanguinem sitiens. Itaque cùm talis fama foret suæ iniquitatis, dolos fraudes hac illácque expandebat. Nam strages miseri populi dabat, non viro, non mulieri, nec parvulo parcens quidem. Sed cùm jam maxima ex parte quæque villarum adjacentia devastâsset, *Caumont* villa minimè quidem secura ab ejus insania exstitit, timens valde, quod sibi timebat, postea evenit. Et cùm audisset & revera sciret peremtum sorte duelli, & injustè agentes in villam admittentésque injuriam sanctum Patrem Bertinum vindicare; nullo modo insana mens ejus à solita rabie seu ab adsueto furore requiescendo cessabat, verùm quidem opportunum locum conveniénsque tempus quo villam invaderet, volvebat. Sed cùm deesset ubi suæ rabiei audaciam verteret, (jam enim incendio, rapina cetera pæne omnia consumserat;) armat ducentos equites, versus *Caumont* villam iter arripuit. Attamen primùm per devia tendebat simultates fingens, quasi aliò festinaret, fortè è regione in villam irruit, armatis circumdedit, tum cuncta quæ infrà erant, bona diripuit. Casu omnia sua animalia, pecudes, pecora ad pastum extra villam die illo ierant: quæ cùm rediret passim pascentia campis invenit. Heu heu! duplex infortunium illis subitò advenit. Infra villam quidquid habebatur melius, diripitur; extrà verò quæcumque pecora pascebantur, abducuntur; cùm ecce Monachus, nomine WINRADUS, bonæ memoriæ vir dignus laude, missus ab Abbate RODERICO [a], utili quidem Ecclesiæ Dei nostrísque necessario temporibus, depopulatâ villâ supervenit. Duplicatur ergo clamor ejulatúsque, postquam eum vidêre: Succurre, succurre, optime vir, bone domine, iterant, accelera vadens post hostem, ad ipsum verba precantia funde, certi sumus ut quando te viderit, ilico tibi reddet cuncta quæ per se ducit, quia omnia quæ infra villam erant, deprædatus est. Tactus igitur mitis vir intrinsecùs cunctarum magnitudine querelarum, velociter post ipsum admisso equo festinavit, consecutus eum salutavit. At ille typo * superbiæ ferocitate animi minimè quidem respexit, nec salutanti Monacho servo Dei reverentiam exhibuit, quò saltem verbulum redderet. Urgens tamen isdem calcaribus equum, habenis moderans propiùs

Marginal notes: *Osee* 4. 2 — a — * typho

a Rodericus ex Monacho Vedastino Abbas post Hemfridum creatus anno M XXI. obiit anno Christi M XLIII. cui successit Bovo, dignus tanto Patre filius & heres.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V. accessit, audaciùs locutus est: Prædam hanc à villa sancti Patris Bertini abripiens injustè ducis: redde igitur ne ob injustitiæ temeritatem, ne propter injuriæ severitatem iram Dei dignè incurras. Noluit respicere, dedignatus est oranti reddere responsum. Ignorat is quid ageret: dubitabat enim ignorando, ignorabat dubitando ad quid rationis seu consilii se vertere posset. Videbat enim se contemni, cernebat preces suas despici: verumtamen præmeditabatur, quòd ferocitatem animi ejus pollicendo aliquid molliret. Duo igitur illi offerre, cæleste & terrenum bonum, sententiæ fuit. Obtulit primum, alterum quidem haud obtulit, non enim effectus, non causa, non tempus fuit. Hic equidem submissâ voce, humili oratione hæc cœpit proferre, vultu ordinis servans reverentiam, quam & habitu & mente gestabat. Oravit equidem, non autem peroravit. Verè spondeo, ait, certè promitto tibi ducentas Missas. Cùm perorare voluit, verùm ille indignans imperfectam orationem ab illius ore tulit, (& ut communi vulgarique verbo utamur) Monachus piè ducentas Missas, alter pravè despectivéque protulit ducentas fessas. Ter denique eadem verba repetit, & ferum calcaribus urgebat. Adhuc itaque verbum contemtibile in ejus ore versabatur, cùm subitò de equo cadit, in caput ruit, galea terrâ figitur, collum ruinæ casum sentit: tum quoque humana & secreta alvi per naturalem meatum erupere. Meritò ergo ex illa parte plectitur dignaque multatur pœna, unde in sanctum Patrem emanavêre opprobria: & justè dignéque quidem inferiùs putorem emisit, qui superiùs similem fœtoris causam labiis & lingua in ore revolvit. Interea sui ducebant prædam, ignorantes dominum suum passum fuisse talis casûs ruinam: & tamen fama cogente prædam dimittunt, ad dominum suum festinant, mortuum quidem & multatum vindictâ cælestis iræ reperiunt. Tandem præda reducitur ad propria, nomen Domini ab omnibus laudatur, sanctique Patris Bertini patrocinium veneratur. Hi læti insignis triumphi gaudia celebrant, illi tristia funera ducunt. O Dominum omnipotentem in sanctis suis gloriosum! ô Deum in altitudine majestatis, in potentia magnitudinis mirabilem! Quis dubitet hanc palmam nobilis triumphi adscribi posse meritis sancti Patris Bertini? In argumentum itaque fidei Monachus supervenit, accedens humiliter oravit, verba precantia coram Deo fudit, qui numquam despicit sperantes in se, superbos semper humilians, & humilibus dans gratiam, redditurus unicuique secundùm opera sua, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum.

XVII. *Tertium miraculum S. Bertini de villa* de Caumont *tempore* BOVONIS *Abbatis.*

QUIDAM Bodera nomine subministerialem agebat causam cujusdam majoris præditi potestate, advocationémque sibi vindicantis villæ proprii juris S. Bertini, *Caumont* nomine. Hic quia unà & timeri ac placere desiderabat, nimiùm nimiúmque vicicolas labore usque impensè acto premebat. Verùm pro causa hujus moliminis & pro tantæ controversia injustitiæ, quidam Monachus HERIBERTUS nomine, qui Abbati BOVONI in regimen hujus Cœnobii successit, ex [a] præcepto venerandæ memoriæ jam dicti Bovonis agens curam ipsius villæ, curavit hunc sæpius admonere, ut desisteret à nequam actu & ab omnium oppressione. At palam arguentem sceleris velut metuens fugiebat, clam autem illi detrahens

[a] Anno scilicet M LXV. ex Iperio capp. 37 & 38.

subdo-

subdolus machinamenta instruebat. Super his verò dolens Monachus, dominum illius adiit, suorúmque ac suam injuriam patefecit. Ego ipse, inquit, per me hunc primùm curabo minari: & si deinceps hæc admiserit, pecuniæ sentiet damnum. Revertente verò Monacho fortè alter jam dictus advenit. Cui dominus ejus: Heribertus, inquit, Monachus tibi succenset, dicens, quia ruricolas meo servitio subdis. Redit siquidem ille armatus præcepto domini, malúmque evomit latentis veneni. Nam apprehendit boves illius in agro pascentes, & servitio domini sui subdidit, eósque per totum triduum tenuit. Ut autem placuit, macilentos multúmque afflictos, uti fit, tot laboribus reddidit. Inde adeo motus quidem Monachus nequam hunc verbis aggreditur. Usque ad id temporis libera exstitit nostra curtis ab omni servitio, fuítque suæ potestatis, nec quis priorum ausus fuit in ea sibi vindicare aliquod jus sive vim invasionis. quamobrem ergo nostros boves abegisti, & in servitium alterius vindicâsti? Non mirum quidem si nequam prava ore profert, majus est opus ac si esset dictum: Si tuus, inquit, sanctus Bertinus bos esset, jugo meo jungeretur, súbque labore ingemeret, qui tuos quereris meo labori insudâsse. At ille inquit: Quid dixisti, nequam vir? & si cogitares quod nefas dictu est, nequaquam palam proferres. plectêre miser, meritâ plectêre pœnâ, multabere cælestis iræ virgâ. Dum igitur isdem valde motus super his pedem averteret, meritò dignâ percussus est plagâ. Nam facies illius ad posteriora ilico flectebatur, adeout occiput, quod erat sinciput, & sinciput, quod erat occiput, haberi videretur, præter quòd facies suis formis insigniri deberet: collum enim distortum & tumidum, labia æquè quidem tumentia, & aliorsum ac deberent versa, lumina quoque oculorum inversum adspicientia cernere erat. Et quid plura referam? quod mirum dictu, magísque visu est, nihil humani in eo intuebantur. talis itaque domum deportatur. At taurinos mugitus emittens omnem viciniam suæ pœnæ cruciatu movebat. Erat enim in homine videre miseriam. Verùm suis precibus aliorúmque rogatu, & quia voluit videre multatum, unà cum aliis noster Monachus Heribertus illò venit. Cujus præsentiam intelligens voce (non enim visu hunc ipsum agnoscere quiverat) quò pro se oret deprecatur intentè, ac sæpe multùm rogat. At ille compatiens misero, (quis enim mortalis hunc hujusmodi cernens non compateretur?) sciscitatur an velit amodo resipiscere funditúsque priorem vitam corrigere. Eadem, inquit, passio & incurabilis percellat me feriens, si sanè sanatus in omnibus emendari neglexero. Credidit igitur bonus vir sponsioni illius, reversus est continuò, oravit, sanitati restitutus est. Sequente autem die claris indutus vestibus, valentior atque sanior solito apparuit. Mirantur omnes qui eum novere perculsum, tam repentè convaluisse: sed ipse alia fingebat, componebat orationem aliorsum verba detorquens ac deberet. Verùm cùm sæpe mendacio contra verum stare homo adsuesceret, faciendi assiduitas aluit audaciam, audacia verò congeminavit crimen, crimen quoque meritam intulit mortem. Necdum triduo post hæc transacto, boves cujusdam pauperis rapuit, ditioni falsi juris subdidit, nimiísque laboribus pro libito sui próque temporis quantitate insudatum tenuit. Necdum boves reddiderat, & majora quidem actum ire forte cogitatu volebat, cùm fortè eadem passione qua primùm percutitur, cadit in terram, miser tum quoque non homo esse, non mortale sonare videtur. Nam pro humanis verbis mugitus dat pro planctu, pro querela rabiem agrestium ferarum imitatur; orat amicos quò pro se rogent, nec refert quidem. deprecatur nuntiis, ut sese visi- CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

Circa An. DCC IX. Sept. V. tatum veniat Monachus : id quoque minimè quidem meretur. Igitur eodem die quo rursus percussus eadem infirmitate est, vitam quam postposuerat, perdidit, mortem quam secutus fuit, vidit, invenit, sensit.

XVIII. *De Inventione corporis S. Bertini.*

MODERNIS temporibus exigentibus iniquitatibus nostris, ut oraculo cælesti ostensum est, útque digestum penes nos invenitur in memoria S. Vincentii Martyris, ultio super nos divinæ pendebat indignationis : nósque usque ad animam perculisset, nisi idem sanctus Martyr cum sanctis Patronis nostris, Audomaro videlicet atque Bertino, intercessores pro nobis coram Domino adsurrexissent. Verùm misericors Dominus Sanctorum suorum interventionibus flexus ad pietatem, indignationis suæ ad tempus distulit correptionem, confessionis plenitudinem ac sanctæ conversationis præstolans meliorationem. Hac itaque redargutione unanimiter perterriti & ad tempus pænitentiâ ducti, cùm finetenus in novi hominis sinceritatem æmulatione sancta foret enitendum, à nonnullis iteratò reditum est in luti volutabrum. Tandem iniquitatum nostrarum enormitate irritatus supernus Arbiter, exteriorem domum suam, uti longè antea divinitus comminatum fuerat, igni miserabiliter ad devorandum deliberârat, & ut dictum est, *à Sanctuario meo incipite*, ædes Dei subito igne invaduntur : qui rapacitate sua totius claustri gyrat confinia, & nihil intermisso exterminavit omnia. His ita consumtis, insecuta nocte cuidam seniorum nostrorum in somno visum est videre quemdam magnificum virum, habitûs candore niveum, vultûs splendore fulmineum, quodam loco claustri perstitisse, diligentíque obtutu circumspectis omnibus extentâ dexterâ omnem Cœnobii locum benedixisse. qua de re etiam colligitur locum à quibusdam commissis jam expiatum, demúmque in pristinum vel potiorem decorem aliquando miseratione Dei convertendum. Interea nobis dio expositis denuo necessitate cogente tecta reparantur, murísque utrimque adhuc stantibus superponuntur. Cunctis pro tempore ac pro posse reparatis seu potiùs dealbatis, ædificandæ ibidem cryptæ causâ cardinale [a] S. Martini altare mutandum fuerat, quod sine Pontificis fieri præsentia minimè decebat. Cujus rei gratiâ accitus Episcopus satis benevolè accurrit, aram destructurus cum multis accessit, illáque subversa domum rediit. Quo in loco dum uti ad locanda fundamenta altiùs foditur, dum multa terrarum copia effertur, ecce sub ipso sacrato altaris loco quoddam apogæum [b] duris lapidibus, tegulis, antiquóque cæmento operosè conditum offenditur: nec tegi, nec detegi ultra illud permittitur, ne forsan si absque bonorum virorum testimonio detectum solveretur, aut tectum aliquamdiu Fratres hujus loci occultare conarentur, quorumcumque æmulorum derogationibus criminarentur. Tandem super hoc communicato proborum consilio, pluribus idoneis testibus circumstantibus, cum processionibus, crucibus paratis & cereis acceditur, & Fratribus, ut decebat, interim litanias can-

Ezech. 9. 6. (margin note at "à Sanctuario meo incipite")

a *Cardinale altare*, infrà cap. 31 *capitaneum altare*, id est primum altare in apside seu in fronte Basilicæ ponè majorem aram locatum, in quo Missa matutinalis celebrari solita, dicta *Missa cardinalis*, suprà lib. 2 Mirac. cap. 7. Certè altare S. Martini hactenus eodem loco exsistit, & in eo Missa prima quotidie celebratur. Cardinalis ara dicitur *principalis* infrà.

b Apogæum, fornix subterraneus, crypta.

tantibus, cunctisque demirantibus apogæum detegitur, ac multo multorum sudore à prima diei hora usque in vesperum ferreis instrumentis vix dissipatur. Quod tandem apertum, plumbeum scrinium omnium adstantium oculis apparet continuisse, illoque soluto cunctis circumstantibus emerita cujusdam Sancti membra revelantur, & sub dextero ejusdem Sancti humero crux argentea reperta extrahitur, Fratribúsque ad manus profertur, has tantùm trium verborum continens notulas: SANCTUS BERTINUS ABBAS. CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

XIX. *Miraculum quod factum est eodem momento, quo sancti viri corpus inventum est. Leonis Papæ licentia pro ejusdem elevatione.*

TALIBUS ergo indiciis pretioso super aurum & topazion invento ac comperto beatissimi Patris corpore, cùm eatenus diutina & gravissima omnis terra decocta pessumdaretur siccitate, ecce eodem momento præmissis multis tonitruis atque coruscantibus fulminibus plurima subsecuta est inundatio pluvialis: quâ sufficientissimè debriata tellus, cultoribus suis in novos fructus sese rediviva spe jamjámque cœpit dilatare. Facta est autem hujus sacratissimi corporis inventio anno adsumtæ humanitatis Christi millesimo quinquagesimo, decimosexto Kalendas Julii. ANNO 1050. Sacro igitur corpore jam revelato, ut dictum est, ac detecto, eâdem urnâ suâ retegi, & loculus ut pridem fuerat, jubetur remuniri, quousque majorum consultu, quid super ipso foret agendum, posset deliberari. Hac tempestate domnus Papa LEO cognomento BRUNO sanctæ Romanæ præsidebat Ecclesiæ, cujus sagacitatis ac probitatis fama per totum orbem spirabat odorem suavis fragrantiæ: ad quem necessitate urgente, quo majorum auctoritate Fratres hujus loci corroborarentur, fidelis legatus exquisitus & repertus dirigitur, quatenus quidquid de his ipse Apostolicus cum gravioris consilii viris egregium sentiret, eis pro nomine Domini mandare eodem legato non differret. Quem cùm adiisset, ac jam coram eo admisso sibi data copia fandi esset, rem gestam per ordinem domno Papæ succinctè prout in multis tunc occupato exposuit, testimoniáque scripturæ & crucem cum sacro corpore repertam quam secum pro testimonio tulerat, obtutibus ejus præsentavit. Quibus visis, & hi qui tunc fortè secum aderant, uti qui ad Romanum Concilium tunc convenerant, scilicet Patriarchæ Aquileiæ, Archiepiscopis Præsulibus, Abbatibus, Ducibus ac primoribus demonstratis talibus ait, veritatis indiciis nequaquam debere diffidi, sed tutiùs ac firmiùs credi, præsertim cùm in multis annalium gestis satis possit inveniri, cunctos pæne Galliæ terminos, maximéque nostra ac cetera maritima loca frequentibus Danorum incursionibus, deprædationibus incendiisque populata, & ob id multa Sanctorum corpora quædam à locis minùs tutis translata, quædam, verò clanculum, sicut de sancto Bertino factum constat, vel maceriis vel terris sunt recondita. Quibus responsis Apostolici domno Abbati BOVONI Fratribúsque hujus loci ab eorum nuntio relatis, invitantur domnus WIDO Remorum Archipræsul & DROGO Morinorum Episcopus cum multis spectabilibus personis, diversique cum eis adsunt Abbates è diversis locis adventantes: innumeræ populi huc ruunt multitudines.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

XX. *De elevatione ejusdem protectoris nostri Bertini.*

anno 1052. ANNO igitur Verbi incarnati millesimo quinquagesimo secundo, sexto Nonas Maii, paratis Præsulibus, Abbatibus, Monachis atque Canonicis, quibusdam etiam laïcorum majoribus in testimonium intromissis, cum processionibus ad sanctum locum acceditur, litaniæ canendæ incœptantur, missisque operariis scrinium sacrati corporis effodi jubetur.

XXI. *Miraculum factum dum sacrosanctum corpus à terra elevaretur.*

CUM verò sanctissimi Patris Bertini membra per manus Pontificum atque Abbatum extraherentur, & ut decebat venerarentur, aquâ vinóque rorata piarentur; adstabat scorsum quidam Clericus BERWOLDUS nomine, unius oculi lumine orbatus, qui jampridem eousque utrosque oculos perspicuitate pares habebat, sed nescio cujus mali causâ antehac quamdam venam secandam contiguam oculo ut medicaretur, sibi incidi fecerat, unde omne lumen ejusdem oculi amiserat: sed id præter paucos & domesticos suos ruboris causâ pæne cunctis celaverat. Hic sancti Bertini patrocinium, ut à Domino sibi reddi lumen amissum obtineret, intimis precibus deposcebat, atque quolibet Sanctorum membrorum quæ inibi attrectabantur, tangi sibi oculum multopere anhelabat; sed appropinquare minimè sibi permitti metuebat. At Fratribus tantæ rei sollicitè psallendo intendentibus jam dictus Clericus oculi unius carens lumine, cùm sanctis artubus, ut jam dictum est, vereretur accedere, quemdam Fratrem aliquod sacrorum membrorum summotenus digitis suis obsecrat attingere, suóque cæcato oculo eisdem digitis signamen imprimere: quo facto mox ille lumine ditatur diutiùs expectato. Et sanè quod Dominus ad laudem sui nominis & ad Sancti meritum propalandum fieri concessit, in se ipse stulto pudore reticeri voluit, sed fortè tunc cuidam Arnoldo sibi familiariter adhærenti mussando intulit, bono omine suo se illuc admissum, eoquòd præsentis Sancti attactu diu amissum receperit visum, eumdem omnino obtestans ut hoc taceret, nulli umquam aperiret. Verùm alter nequaquam tantæ ejus insensibilitati adquievit, sed circumstantibus mox detexit. Quod quidam Fratrum verè contigisse comperiens, extenta manu cunctis silentium indicens, eumdem unius oculi visu diu damnatum, tunc verò meritis Sancti exspectato luminis dono clamitat reparatum.

XXII. *Secundum miraculum eodem die patratum.*

QUÆDAM mulier cum filio brachia cruráque constricto S. Bertinum pro illius salute rogatura foris extra templum perstabat in atrio: quæ etiam antehac cùm eumdem puerum duodennem Coloniam ad S. Heriberti ceterorúmque Sanctorum inibi quiescentium suffragia cogitaret devehendum, quatenus eorum meritis obtinere forsan mereretur officia membrorum; ad hæc idem, quamquam puer, inquit, se per visum jam ter admonitum, ne quòquam deportaretur, nisi priùs ad S. Bertinum latus ejusdem merita experiretur. Cúmque illuc etiam per visum ventum esset & oratum, item idem quatuor columbas candidissimas vidisse se ait avolantes foras Mo-

nasterium, ipsúmque altare concussum instar folii contremere, seséque coram eo prosternentem, nec mora inde meritis Sancti sospitem surrexisse. Id ergo puero genitrici referente jamjámque fama elevandi Sancti adsequente, eòdem cum puero multis comitata advolat, proventúmque Domini interventu S. Bertini pro foribus præstolans Monasterii, supplex cum filio perstabat. Cúmque ipsa inter comprimentes turbas ad osculandum Sancti feretrum impingeret, ac repulsa importuna repeteret, puerúmque Sancti feretro apponere multo conamine niteretur, Deo annuente idem puer brachia cruráque directus sospitati donatur. Quod multi cernentes, quidam adstantium oppressæ matri succurrunt, quidam verò puerum comprehensum efferunt. Quo facto tumultuantis innumeræ multitudinis clamor attollitur, Deus mirabilis in Sanctis suis vulgò prædicatur: quoniam puerum quem paullo ante vix repentem noverant, hunc præ oculis suis incedentem prævia matre cernebant. Fratribus interim in choro ad Missas psallentibus, hujus rei odor illis illabitur suavissimus. Quod dum ab illis utrum verum foret adhuc quæreretur, idem puer meritis S. Bertini sanatus ingreditur, erectúsque in medio illorum ducente matre coram altari secundùm modulum suum Deo gratias acturus prosternitur, & dicto Evangelio domnóque Archiepiscopo coram altari hymnum *Te Deum laudamus* inchoante atque multipliciter choro subsequente, multos Christo in re gesta conjubilantes, multos lacrymari præ lætitia cerneres.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

XXIII. *Tertium miraculum eodem die de muliere cæca.*

NECDUM verò hymno completo & adhuc multis flentibus præ gaudio, quædam etiam mulier cæca hujus civitatis mansionaria, ideo cunctis Fratribus notissima, tunc visum recepisse denuntiatur: ipsáque in conspectu omnium nuntium hujusmodi comitatur, ac puero ad laudem Dei & ad meritum S. Bertini protelandum prostrata admiscetur. Quanta verò exsultatione quantáve dignitate ea die in Domino exsultatum ac delectatum est, nullius adsertio ad plenum expedire sufficiet. His ita gestis, celeberrima dies illa cum inenarrabili gloria consummatur. Sequenti verò die item ad diem acceditur, atque testis gestæ rei cautio ordinem, tempus, personam ac testes continens, adstante innumera populi multitudine recitatur, ac perlecta cum inventa cruce sacrosancto corpori componitur: sicque compositum summi Præsulis sigillo signatur, scrinium clauditur, ferreis circulis clavisque artatur, consuitur, vincitur, indissolubilitérque connexum cum innumeræ multitudinis tripudio in Sancta Sanctorum [a] cum reliquis inducitur magnificandum: ubi nuncusque veneratur, & Domino annuente venerabitur in sæcula sæculorum. Dehinc autem sacræ elevationis diem memorialem summus Præsul ac domnus Episcopus noster à cuncto populo hujus diœceseos deinceps venerandum multáque devotione singulis annis indixerunt colendum. His ita peractis & domnis Præsulibus & Abbatibus quiddam sanctarum Reliquiarum impetratis, singuli singulis donati muneribus ad suâ remeârunt lætiùs.

a Id est in sanctuarium seu locum majoris altaris. Iperius cap. 28 Mathildis *cortinam dedit miræ magnitudinis operísque præcipui, quæ adhuc hodie durat, & est illa quâ utimur in Quadragesima sancta, distinguens à Sanctis Sanctorum.*

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

XXIV. *De quodam cæco, dente S. Bertini illuminato.*

QUORUM unus, videlicet Abbas S. Walerici [a], sanctarum Reliquiarum quiddam adeptus, postquam peracto sacræ elevationis sollemnio domum est reversus, quidam rusticus utrorumque orbium pupillis gravibus maculis obductis cæcatus, puero sibi dirigente gressus accessit ad eum, quidlibet medicationis postulaturus. Cui ille; Nihil, inquit, antidoti tali morbo novi salutiferum, præter cunctipotentis salutarísque Domini nostri JESU-CHRISTI proventum. Verumtamen cujusdam celebris Sancti sanctissimo elevationis obsequio nuperrimè nonnullis concurrentibus & ego conveni, sanctóque hujuscemodi negotio quamvis immeritus interfui, ibi quoque quanti idem Sanctus fuerit meriti, diversis miraculorum magnalibus Dominus cunctis nobis declaravit. De quo etiam unius sacrorum dentium dono ditatus huc regrediens attuli tali munere gavisus, & si fidem adhibueris ejusdem meritis Sancti te posse sanari, actutum tibi jubebo præsentari. Ad hæc ille: Confido, inquit. isque mox in conspectu adstantium adferre præcepit. quo allato & utrisque ejus luminibus adhibito confestim revelatis oculis clarè videre cœpit, atque super hoc nomine Domini benedicto sospes hilarísque domum rediit.

XXV. *De quadam muliere vinculis ferreis ligata, & ad sepulcrum sancti viri soluta.*

MULIER quædam de Lotharingia, vinclis ferreis brachia utraque habens pro pænitentia constricta, in hoc Cœnobio anno Verbi incarnati millesimo centesimo vigesimo quinto multis adstantibus precibúsque sanctissimi Patris nostri Bertini à dictis vinculis solvitur. — anno 1125.

XXVI. *De quadam puella nervis contracta.*

PUELLA quædam GODUINA nomine membra habebat integra, sed nervis contracta, ad sepulcrum beati viri anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo sexto sunt ei crura erecta. — anno 1126.

XXVII. *De Abbate Lobiensi.*

QUIDAM Abbas Lobiensis nomine LEONIUS, postea in regimen hujus Sithiensis Cœnobii postulatus & adsumtus, in parochia S. Bertini in territorio Furnensi quamdam Ecclesiam anno gratiæ millesimo centesimo trigesimo quinto sine adsensu Capituli ejusdem Sancti construxit: quam ita ventus vehemens meritis Sancti jamdicti concussit, ac de terra evolare fecit, ut nec junctura lignorum alteri remaneret. — anno 1135.

XXVIII. *De quodam Abbate de Claro-marisco.*

ANNO adsumtæ humanitatis Christi millesimo centesimo septuagesimo primo, tempore bonæ memoriæ domni GODESCALCI hujus loci Abbatis, res accidit celebri & illustri digna memoriâ, & omnibus — anno 1171.

[a] Is erat Vvaso, Abbas Monasterii Leuconaënsis seu S. Vvalarici ad ostia Somenæ in Oceanum, infrà cap. 31.

Sithiensium possessionum pervasoribus terribilis & formidanda. DAVID enim non multo postquam consecratus est Abbas in Ecclesia de Claromarisco, levato calcaneo contra Ecclesiam B. Bertini, conductus aquarum & fossata per mediam terram prædictæ Ecclesiæ in villa de Arkas molitus est facere. Quæ villa ab antiquis temporibus absque omni calumniæ inquietatione ejusdem Ecclesiæ propria & libera fuisse dignoscitur. Nec hac præsumtione contentus, insuper Ecclesiam S. Bertini ingressus, quod præsumtuosè incœperat, effectui se daturum secundùm voluntatem suam, licèt contradicentibus Monachis, superbè & arroganter comminatus est. Verùm tantæ arrogantiæ & præsumtionis impatiens ultio divina haud longè pòst subsecuta est, ut illud impleretur: CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum.

Nam sequenti die prædictum opus aggressus, operarios suos pro libito suo de conductu faciendo docturus, in eodem loco equo suo sub eo calcitrante humi prostratus est: ibique confracto crure, qui sanus equi transvectatione advenerat, famulorum manibus domum in lecticâ deportatus est, ab invasione terræ nostræ deinceps desistens, & terribile & formidandum invasoribus terræ Sanctorum (ut dictum est) exemplum relinquens.

XXIX. *De quodam homine festum Sancti non colente.*

IN burgo S. Audomari anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo quartodecimo, homo quidam Michaël nomine, professione tonsor, in die depositionis B. Patris nostri Bertini, cùm à nonnullis vicinis suis objurgaretur quòd festum Sancti non observaret, nec ideo minus operabatur, sed Sanctum verbis convicians & in contumelias prorumpens, à dæmonio correptus per longum tempus in vase ligneo quo pasta pistari solet, funibus ligatus jacuit: quem tamen aliquanta sanitate per Dei misericordiam & Sancti patrocinium receptâ, melioratum in Ecclesia nostra ante sanctum altare in choro vidimus, adstante domno Abbate JOHANNE tertio & Monachis quampluribus, Dei exorantem humiliter & devotè clementiam, & Sanctorum suffragia implorantem. anno 1214.

XXX. *De quodam sacerdote S. Bertinum & omnia ad eum pertinentia maledicente.*

CUM Presbytero de *Remynghem* anno Domini millesimo ducentesimo nonodecimo non licuerit comedere in refectorio in depositione B. Bertini, iratus in burgo comedit. Qui cùm domum rediret, cum Canonicis Watiniensibus in navi sanctum Dei Bertinum cœpit maledicere & excommunicare & omnia quæ ad eum pertinent. Quem gladius Dei vindictam sumens ab eo, ferè medium secuit, cùm in amne nescius à quo præcipitatus fuisset submersus, nisi Canonici extraxissent eum. Quod quia blasphemo ore & corde maligno iteravit, iteratò factum est. anno 1219.

Item de alio Sacerdote Sanctum Dei blasphemante.

EODEM anno Johannes Presbyter de *Rubrech* cum talis ludens ad aleas nescio seu ad scacos, dum perdidit, sanctum Dei Bertinum maledicere cœpit & omnia quæ ad eum pertinebant: & cùm improperium ejus quamplurima blasphemiæ verba protulisset, acsi ventus validus veniret, sonitum audivit, & alapam magnam in maxilla recipiens super scacarium vel alearum tabu-

Circa An. DCC IX. Sept. V.

lam recidit, & per triduum mansit incibatus, neque audiens, neque videns.

XXXI. *Copia Translationis S. Bertini.*

» PETRUS Dei gratiâ Morinorum, & ASSO Dei gratiâ Atrebatensium Episcopi, universis Christi Fidelibus ad quos præsentium notitia pervenerit, æternam in Christo salutem. Cùm ad honorem Dei » qui in Sanctis suis creditur honorari, de corpore B. Bertini Abbatis » fieret translatio à scrinio in quo per centum & octoginta quinque » annos jacuerat, sicut ex scripto ibidem reperto perpendi potuit evidenter, » inventum est sanctissimum illud corpus scrinio memorato pannis sericeis, » licèt vetustate vehementer attritis, diligenter involutum & ligatum, & » sigillis authenticis consignatum: & cùm solutum & apertum fuisset, inventa est inter ipsa sancta ossa crux argentea, in qua fuit manifestè litteris capitalibus exaratum, SANCTUS BERTINUS ABBAS. Deinde à » perquirentibus studiosiùs intra pannos prædictos inventum reconditum illud scriptum, de quo suprà fecimus mentionem, cujus tenor talis erat. » [Anno dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo secundo, Indictione quinta, regnante Francorum Rege Henrico anno vigesimo quarto, & » octodecimo anno præsulatûs domni WIDONIS Remensis Ecclesiæ Archiepiscopi, anno vigesimo nono DROGONIS Tervanensis Ecclesiæ » Episcopi, principatum Flandriæ regionis tenente inclyto Marchione BALDUINO * anno septuagesimo, anno regiminis domni Abbatis BOVONIS » quintodecimo, corpus beatissimi Patris Bertini, quod biennio necdum » expleto sub capitaneo S. Martini altari fuerat repertum, levatum est » sexto Nonas Maii ab iisdem dominis Episcopis de plumbeo scrinio ab eo » loco, ubi olim à sancto FOLQUINO translatum & reconditum fuit. Hæc » autem inventionis, immo levationis hujus fuit causa. Monasterium incendio dissipatum minabatur ruinam: cujus restaurationi dum fieret crypta, & » ejus jacerentur fundamenta, insperatò apparuit tam sanctissimi corporis » gleba. Jacuerat in sarcophago, quo ab HELFRIDO, quem ipse adhuc » vivens Abbatem ordinaverat, sepultus est, annis fere centum quadraginta » novem; in plumbeo verò scrinio, quo (ut diximus) à S. Folquino sub altare terrâ reconditus est, ducentis & sex annis usque ad tempus nostrum: » quo levatus præsentibus viris boni testimonii & vitæ probabilis, videlicet » WIDONE Archiepiscopo & DROGONE Episcopo in præsentia dominæ ATHLETÆ [a] Comitissæ, uxoris prædicti Marchionis, quæ in » hoc officio devotissimè deservivit Deo & sancto Bertino; præsentibus quoque Abbatibus his, BOVONE Abbate hujus loci, HEREMARO Abbate » Cœnobii S. Remigii, RENULDO Abbate S. Winnoci, GERVINO Abbate » S. Richarii, FOLBERTO Abbate S. Bavonis, HERIBERTO Abbate S. Judoci, WASONE Abbate S. Walrici, ALFRIDO Abbate sancti Wlmari. Canonicis verò Remensis Ecclesiæ OLRICO, CONSTANTIO, HUGONE; Tervanensis Ecclesiæ Clericis Johanne Archidiacono, Theodorico, Gozelino, Balduino, & aliis quampluribus; S. Audomari Regardo, » Norberto, Auberto, Odberto, Margero, Remboldo. His omnibus cum » innumera multitudine est levatus & in hoc scrinio repositus per omnia » benedictus. Amen.] Quo etiam die Dominus per ejus merita tria

* Insulano scil.

[a] Lege Adhelæ filiæ Roberti Francorum Regis, uxoris Balduini Insulani, quæ mortuo marito anno MLVII, *in Messinis Sanctimonialium construxit Cœnobium: & devotè limina Apostolorum visitans, à Papa Alexandro secundo vidualem suscepit habitum. Sicque reversa in Monasterio suo Messinensi humillimè vixit, & plena pietatis operibus obiit, ibique sepulta est.* Ita Iperius cap. 38 parte 2.

mira-

miracula operatus est. Igitur memoratum corpus à prædicto scrinio in aliud novum decenter transpositum translatum est à nobis, & repositum in capsam novam de auro & argento & lapidibus pretiosis ad hoc honorificè præparatam, XVII Kalendas Augusti, quartâ ᵃ scilicet feriâ ante festum Mariæ Magdalenæ; anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo septimo; regnante excellentissimo Francorum Rege LUDOVICO filio Ludovici, & fratre ejus inclyto ROBERTO Comitatum Atrebatensem obtinente in principio comitatûs sui; præeunte ab omnibus & cooperante gratia Dei Salvatoris nostri; qui Sanctorum corpora reformabit claritati sui corporis conformata. Facta est autem hæc translatio sollemniter à nobis & per nos in Ecclesia prædicti Sancti, præsentibus quampluribus Abbatibus & Præpositis ceterisque Ecclesiarum Prælatis & aliis bonis viris, JACOBO tunc Ecclesiæ B. Bertini venerabili Abbate præsidente. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillis nostris fecimus roborari, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo, septimodecimo Kalendas Augusti.

CIRCA ANNUM DCCIX. SEPT. V. — ann. 1237. — ann. 1237.

* *Hîc index capitulorum apponitur in mss. codd.*

RELATIO DE INVENTIONE ET ELEVATIONE S. Bertini Abbatis, quæ facta est anno Incarn. Domini MLII.

A BOVONE Abbate Sithiensi digesta.

Ex mss. codd. Sithiensi & Claromariscensi.



DOMINO *præstantissimo Archiepiscopo* WIDONI *Frater* BOVO *indignus Abbas Sithiensis Cœnobii, inter benedictos benedici.* Dum in corpore sanctæ Dei Ecclesiæ sub Christo summo capite eminentius membrum, domine Pater, sis constitutus, & ut ita dicam, collum te capiti oporteat uniri atque inhærere viciniùs; utriusque partis, animæ videlicet & corporis valitudine omnimodis tuam Reverentiam pollere desidero, quatinus nos suprema atque debilia membra, te salubriter mediante, tam sano capiti Domino nostro possimus concorporari: ne (quod absit) secus agentes, penetrabiliore ejus gladio scindamur juxta illud Evangelii: *Non veni*, inquit, *mittere pacem, sed gladium.* Quòd autem sublimitatem tuam talibus imperitiæ meæ convenerim verbis, haud tantum temeritatis quantum instinctu agitur caritatis, quæ juxta Apostolum *omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet.* Salus etenim Pastoris tuta spes est gregis. Nam postquam promerui ad tuæ paternæ caritatis benignitatem notificari, tametsi minimùm profuerit, semper tamen tuæ salutis sollicitus fui, & quosque ad nos de illis partibus supervenientes de fortuna tui percunctari solitus, dum incolumem ac valentem tuam haberi nobilitatem comperiebam, gaudebam; sicut è contra dum ægram, condolebam. quippe qui Pater noster spiritalis ac summus Pastor haberis. Præterea devotio Paternitatis tuæ, quæ elevandi corporis S. Bertini causis dudum tam promtè támque devotè deservivit, nos fidelitati tuæ gravioris debiti obnoxios reddidit, ut jugiter salutem tuam suspirare, eadémque continua intercessionum vota divinis auribus debemus infundere. Quæ res etiam, ut caritas tua meminit, adprimum meam exiguitatem tuæ magnificentiæ notificari compulit. Cujus

Epistola Bovonis ad Vvidonem Remorum Archiep. — Mat. 10. 34. — 1. Cor. 13. 7.

ᵃ Lege quintâ. nam eo anno dies dominica litterâ D prædita erat.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

rei gratiâ cùm tuam adiissem Paternitatem, super hoc tuæ experientiæ consultum quæsiturus, non modò ad investigationem meam satis utili consilio instructus, verùm etiam exspectata adventûs tui sponsione domum redii lætus. Ubi, domine Pater, cùm dicto die unà cum sancto Cleri tui conventu adesses, atque elevandis sacris artubus ipse satis devotè inservires, quàm honorificè quámque mirificè ipsa celebris Sancti elevatio peracta sit, nullus tuâ experientiâ profectò meliùs norit. quippe quæ celsitudinis tuæ potentiâ sublimata, auctoritate consistit subnixa. Quod cùm ita sit, ad describendum idipsum ac posteris notificandum meæ imperitiæ manum caritativa Fratrum nostrorum exactio suggerit, non quia illis quavis præstem scientiâ, cùm cuncti me probitate, nonnulli etiam intellectûs præcellant perspicaciâ: verùm ut ipsa sanctæ elevationis series dignior censeatur, si majoris nominis titulo, scilicet Abbatis nomine insigniatur. Quorum tamen conatibus nec in totum renitens, nec in totum cedens, tuæ magis judiciali sententiæ relinquo, méque sequendum profiteor quidquid super hoc potissimum judicaverit Paternitatis tuæ celsitudo: ita tamen ut si relatu dignum duxeris, meámque exiguitatem imperiosâ auctoritatis tuæ potentiâ ad id denotandum impuleris, cùm tuis sanctis promtus pro posse paruero jussionibus, tuæ Paternitatis excellentiæ utcumque congestum venerit ad manus, quæque ejus superflua apostolicæ auctoritatis confodiatur obelis, minùs dicta dilucidentur asteriscis; quatinus sicut tuâ gloriosissimâ & exspectatâ sanctæ auctoritatis præsentiâ eadem sacra elevatio magnifica habetur, sic ejusdem denotatio eodem adstipulatore ac præside corroboretur.

Vvidoni Epistola dedicatoria.

VVIDO *Remorum Archiepiscopus venerabili Abbati* BOVONI. Quoniam opera Domini narrare honorificum est, dignum ducimus tuæ consulere inquisitioni, quam pro describenda inventione pariter & elevatione corporis S. Bertini nobis effudisti. Gaudemus enim & judicamus idipsum gestis litteralibus mancipari, unde Deo placuit Ecclesiam vestram tam sublimiter insigniri. Et ut tuis apicibus denotâsti, cùm hæc tuo stilo descripta fuerint, nobis referenda mandamus, tuæ Paternitati injungentes, ut sicut verè factum est describas: quatinus descriptioni tuæ, cùm in manibus nostris venerit, nihil sit addere necessarium vel auferre. Fideliter planè veracitérque talia oportet describi, ut hæc ipsa ei placeant, qui se Veritatem innotescit. Vale.

Vvidonis rescriptum.

GLORIOSO *Dei gratiâ domno* WIDONI *Archiepiscopo cum omni sua cura credito sanctæ Ecclesiæ Remensis Clero, Frater* BOVO *peccator quem dicunt Sithiensium Abbatem, beatam cum dextra partis ovibus portionem.* Suscepto Reveriæ tuæ mandato, ô Præsul magnificentissime, quo elevationem sacrosancti Patris nostri Bertini jubes pauperis stili nostri ordiri denotatione, tum ejusdem Sancti pia devotione, tum tuæ apostolicæ auctoritatis præceptione, tum Fratrum nostrorum quotidiana obsecrationis importunitate, ne tuæ celsitudinis jussioni contrarius videar, pro captu ingenioli nostri, quamquam minùs idoneus, eam utcumque narraturus aggrediar. Cúmque veritatis viam cursurus nostræ imbecillitatis manibus jam ventis vela prætenderim, si forsan æmulæ tempestatis turbines naufragosa discrimina intentaverint, tuæ ad hæc stationis sinu recreandus excipiar, benefidæ manus tuitione defenser. Par est enim me tuæ nobilitatis tutelâ confidentem muro tuæ defensionis protegi, cujus jussu tantæ molis onera quamquam fragilis perferenda suscepi.

Dehinc vos sanctæ Remensis Ecclesiæ filios dominos nostros supplex deposco, quatinus fraterni pacti reminiscentes, nunc mihi sitis præsidio: & quandocumque hæc nostræ nugacitatis congeries apostolica porrigente dextera vestras devenerit in manus, eidem vestros reverendos ne avertatis intuitus; sed quæque ejus insulsa sale vestræ peritiæ jussu domini Archipræsulis condire non negetis, sicque fratres fratris onera ad jussum Apostoli ferre juvetis. Non autem congestum est, ut hoc sibi peritorum sollertia dignetur, sed ut in hoc vel simpliciores nostri meditantes occupentur, aut saltem parta dictandi materies inde perito cuiquam quomodocumque habeatur, ut etiam juxta Apostolum qui non laboravit sibi soli, sed omnibus, sedulò in Christo laborare volentibus series nostræ orationis ordiatur, tum verò exemplar Justi, tum quidem viri speculum pro posse nostro imitetur. Sic ergo fiat, ut & deliciosi reperire valeant quid optent, & fame sitique gravati viatores unde Dominum sibi concilient. At verò qui sunt, & quæ ac quibus infundant puer Ægyptius in via lassescens à Domino suo Amalecita abjectus congruè dilucidat: qui à David persequente repertus ac ejusdem dapibus sufficienter refectus, eidem non solùm ad insequendum Amalecitam conjungitur, sed & eo duce profanus ille inventus perimitur. Ad has quoque quibusdam invitatis dum varias occasionum suarum causas prætendunt, pauperes, debiles, cæci & claudi ad exitus viarum reperti admissi sunt. His igitur simpliciores nostri accumbentes consedeant, hi soli lac nostrum sumturi participari congaudeant. Et ne vestram magnificentiam, ô viri apostolici, illarum sufficientia divitiarum tam quotidiana támque sedula fastidiat, his abjectionis nostræ oleribus aliquantisper vobis cum vestris intendere libeat, donec examinis vestri sententiâ discernatur, utrum vel parvulorum usibus digna an indigna habeatur. Hinc affectu infantis quodcumque audierit fari volentis, sed needum verba ad plenum formare potentis, cùm nonnullas rerum convenientias scribendis gestibus antehac pervenisse meminerim, quorum plura ego ipse viderim, quædam majorum haud spernendorum virorum relatu didicerim, eadémque hîc utcumque balbutiens prælibare quàm tacere malim: quatinus his aliis admixtis, quomodo hoc tempore circa nos, in quos fines sæculorum devenerunt, mirificaverit misericordias suas Dominus, lucidiùs cunctis emicet, & ex hoc digniùs in laudes Dei sanctíque sui Bertini totus nostræ religionis incolatus tripudiet. Circa An. DCC IX. Sept. V.

Dehinc diligens Lector haud mihi nunc indignetur, si simplicioribus nostris notandi opusculi intentio prælibetur, ne cùm solito duriora legentes offenderint, extimescant; sed quomodo & ad quod dicantur significantiùs capiant. Dulcior quippe nobis est apum labor, si priùs ora tinxerit malus sapor. Gratiùs astra micant, ubi nothus nubes fugaverit densissimas. Haud secus dominicas inprimis comminationes atque castigationes re gesta cum subsequente provectu divinæ misericordiæ posterorum traditurus memoriæ, pium ac justum Judicem Dominum nostrum nos multipliciter delinquentes nunc minis suis terrificâsse, nunc duris objurgâtionum suarum immissionibus dignè multoties dixerim correxisse: quatinus nobis ejusdem mali saporis gustu ad tempus exacerbatis, pòst supervenientis grex Dei gratioribus exhilaremur donis; atque toties super nos factæ visitationis semper memores, in reliqua vitæ nostræ tempora simus emendatiores. Verumtamen non hæc dominicæ invectionis flagella cujusquam aures offendant, sed potiùs quicumque his se correxerint, in susceptionem filiorum recipiendos congaudeant, recolentes quod sacra Scriptura nos instruit: *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit,* &c. Heb. 12. 6.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

Narratio Auctoris.

1. Cunctis namque sanctæ Dei Ecclesiæ filiis habetur notissimum, civitatem Hierusalem quondam, sicut evangelica approbat adsertio, misericorditer deflevisse Salvatorem nostrum, ejusdémque civitatis comminando futuræ ruinæ cuncta prædixisse dispendia, ac postea ad dictum Domini contigisse omnia. Haud secus modernis temporibus exigentibus iniquitatibus nostris, ut oraculo cælesti ostensum est, útque digestum penes nos invenitur in memoria S. Vincentii Martyris, ultio super nos divinæ pendebat indignationis: nósque usque ad animam perculisset, nisi idem sanctus Martyr cum sanctis Patronis nostris, Audomaro videlicet atque Bertino, intercessores pro nobis coram Domino adsurrexissent. Verùm miserator Dominus piis Sanctorum suorum interventionibus flexus ad pietatem, indignationis suæ ad tempus distulit correptionem, confessionis nostræ pænitudines ac sanctæ conversationis præstolans meliorationem. Ut enim Propheta memorat, *Non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Hac itaque redargutione immaniter perterriti & ad tempus pænitentiâ ducti, cùm finetenus in novi hominis sinceritatem æmulatione sancta foret enitendum, à nonnullis more suillo iteratò reditum est in luti volutabrum. Tandem iniquitatum nostrarum enormitate irritatus supernus Arbiter, exteriorem domum suam, sed malis nostris urgentibus speluncam latronum factam, uti longè antea divinitus comminatum fuerat, igni miserabiliter ad devorandum deliberârat. Nulli autem sit dubium, utrum casu fortuito, an prælibatæ rei gratiâ hujus combustionis super nos ingruerint dispendia: cùm procul à Monasterio illo igne exsurgente ac crescente, & ventus ei consurrexerit & concreverit, ac nonnulla domata transgressus, versus Templum vehementiore flabro, immo peccato urgente impulerit. Et ut dictum est, *à Sanctuario meo incipite*, sedes Dei subito igne invaduntur, lamentabilitérque edacis flammæ voracitate liquantur; & quod diutino multóque sudore elaboratum exstitit, tunc prô dolor! unius diei hora consumsit. Dehinc rapacitate sua totius claustri gyrat confinia, & nihil intermisso exterminat omnia. Verùm, ut dictum est, nihil in terra fieri sine causa; haud credendum est Dominum domum suam dimisisse perire frustra: sed ut diutinis malis penitus expiaretur, & ut domus sua interior, ibidem videlicet commanentes, à pravis actionibus suis deterrerentur, ne si malis suis nollent renuntiare, deteriùs ignis æterni pòst in æternum punirentur damnatione. Huc etiam illud memoriæ occurrit, quòd Quadragesimæ observatione illud discrimen nobis acciderit, quando cuncti sanæ Fidei cultores potissimùm errata aliorum temporum punire, atque ab his digna pænitudine se operam dant expiare. Sic sic longanimis & multæ misericordiæ & verax Dominus illo in tempore hoc Cœnobium Cœnobitásque nos tanta incendii percussione multatos à cunctis peccati spurcitiis examinâsse, & in reliquum vitæ tempus ô utinam velit emendatiores esse: quatinus hoc rogo exstinguibili effecti castigatiores, æterni ignis cruciatus possimus evadere inexstinguibiles. Sic etenim plerumque Dei sapientia in corripiendo immissionem virgæ suæ modificat, ut & delinquentium emendanda piè puniat, demúmque in ipsa castigatione quiddam boni miseratione sua foveat, quod pòst in tempore suo opportunè demonstrat, quemadmodum loco suo diligens Lector inveniet.

Peccatis exigentibus,

Ezec. 18. 23.

incendio consumitur Cœnobium Sithivense,

Ezec. 9. 6.

Quadragesimæ tempore.

Ædificiis non sine superno omine instauratis,

2. His ita consumtis, insecuta nocte cuidam nostrorum seniorum (quem quia adhuc superest nolo nominare) in somnio visum est videre quemdam magnificum virum habitûs candore niveum, vultûs splendore fulmineum, quodam claustri loco perstitisse, diligentíque obtutu circumspectis omnibus extentâ dextrâ omnem Cœnobii locum benedixisse. Qua

de re etiam colligitur, locum à quibusdam commissis jam expiatum, demúmque in pristinum vel potiorem decorem aliquando miseratione Dei convertendum. Interea nobis divo expositis ac murorum parietibus tectorum suorum honestate nudatis, denuo necessitudine urgente tecta reparantur; murísque utcumque adhuc stantibus supponuntur. Quid plura? cunctis pro tempore ac pro posse reparatis seu potiùs dealbatis, quidam nostrorum citiùs recto non multo pòst tempore visitationis suæ obliti & ad abrenuntiata irreverenter reversi, necdúmque fece malorum suorum exinanita, demum diabolicæ malignitatis illaqueantur pedica: cùm ecce divina majestas nos territura, demum post aliquorum annorum curriculum in nos gladium suum vibravit, ac subita peste multam partem nostrorum letotenus perculit. Nec erat tunc ulla morientium requies, sed dietim corruebant velut morbidæ oves. Cùm illo vel illis defunctis adhuc eorum sepulturis inserviretur, ecce aliorum exitus subiti denuntiantur. Plurimi interim ejusdem pestis horrore affecti, atque singuli super se subitò futuræ mortis suspecti, multam malorum suorum pænitudinem iteratò cœperunt gerere, ac intimis lacrymarum suspiriis exacerbatam malis suis Domini nostri faciem placare. Tunc cerneres illud Apostolicum bene compleri: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini.* Nec minùs omnis peculiaritatis reculas in medium proferri, ante pedes domini Abbatis RODERICI cunctas exponi, dignæ pænitudinis & lacrymarum fluentis rebaptizari; & ut breviùs concludam, his cunctísque malis abrenuntiari, & omnibus bonis inniti. Nec tamen sic omni Quadragesima cessatum est ab hujusmodi lue letifera, donec undecim nostrorum defunctis, ac totius anni diebus quibus diutiùs abusi sumus in tali mærore atque anxietate decimatis, festivum Paschale sollemnium instaret, omnémque ejusdem cladis lacrymam ab oculis nostris pietas Dei abstergeret. Quod undenarius numerus ad peccatum pertineat, sacræ auctoritas Scripturæ satis demonstrat: quia sicut Decalogus denarii summâ completur, sic undenarii incremento transscenditur. Quare quemadmodum per denarium Decalogi observatio, eodem modo per undenarium peccati figuratur transgressio. Cur & hæc Quadragesimæ tempori convenerunt, & quod de eodem tempore suprà notatum sit, diligens Lector videat; ac quomodo res rebus, temporáque temporibus hîc consequantur, rationis vivacitate colligat. At paullulùm cœptæ narrationis digressus textum, ad idem jam nunc reflecto calamum.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

Peccatis iteratis pestis sævit.

Iac. 5. 16. Pænitentiâ remittitur.

3. Interea sic nobis virgâ Domini flagellatis ac meliori viæ impulsis, paucorum annorum tempore emenso, Sanctuarii parietes partim antiquitate, partim incendio cœperunt dissolvi, atque se cernentium capitibus ruinam minari. Unde consultu principum nostrorum meliorandi gratiâ ad destruendum illud manus injecimus, quatinus hoc renovato, in reliqua renovanda operam extenderemus. Interim quidam de nostris simplicioribus nos adeuntes, hortati sunt cœpto constanter insistere operi, pollicentes Dominum nobis cooperari, atque post non multum temporis Sithiense Cœnobium magnificè à Domino visitandum, & quiddam magni circa idem declarandum. Quibus tunc parvipensis, ad alia me mox convertebam, & maximè opportunis cœpti operis administrationibus sedulus intendebam. Sic inter operandum cùm tempora forent emensa quatuor annorum, ac quinto dehinc anno exterior murus jam aliquantisper exsurgeret in altum; ædificandæ ibidem cryptæ causâ cardinale sancti Martini altare mutandum fuerat, quod sine Pontificis fieri præsentia [a] minimè decebat. Quod

Bovo Abbas Basilicam instaurat,

[a] Nota religionem illius temporis, quo aram loco movere citra nutum præsentis Episcopi non licebat.

Circa An. DCCIX. Sept. V. morbo affectus.

post octavas Paschæ dum pararetur, dum absente Episcopo ingentes terrarum moles quibus ara circumcingebatur, interim jussu nostro exportarentur; subitò vehementioris ægritudinis molestia me graviter invasit, debilitatúmque sine mora lectotenus prostravit: sicque servus sciens voluntatem Domini sui & non faciens, plagis vapulavit multis. Nec credo me tantum peccatorem cuncti reatûs obnoxium tam sanctæ rei futuræ aliquomodo promereri interesse, ni priùs tanto Domini castigatus expiarer verbere. Ideóque aliquamdiu res destruendi altaris tunc differebatur, ac interim copia terræ usque ad altare circumfossæ exportabatur; cùm jejunio quarti jam me à languoris vexatione aliquantulùm convalescente, quidam seniorum nostrorum me adière dicentes, aram illam jam exportata quæ in circuitu ejus erat congerie nutare, & ni cito subveniretur casuram fore; & ob id Episcopum, quoniam tunc Tarvennæ fuerat, celeriùs mandari oportere. Cujus rei gratiâ accitus satis benevolè accurrit, sextáque feriâ ejusdem jejunii quarti aram destructurus cum multis accessit, illáque subversâ eadem die nobis invitis domum rediit. Quo in loco dum sequenti die, hoc est septimâ [a] feriâ jejunii, uti ad locanda fundamenta altiùs foditur, dum multa terrarum copia effertur, ecce sub ipso sancto altaris loco quoddam apogæum duris lapidibus, tegulis, antiquóque cæmento operosè conditum offenditur. Hoc comperto nos quidem idipsum visuri accurrimus, & videntes super eo admodum mirati sumus. Nec tegi, nec detegi ultra illud permittitur, ne forsan si absque bonorum virorum testimonio detectum solveretur, aut tectum aliquamdiu occultari conaremur, nos nostrâ imprudentiâ quorumcumque æmulorum derogationibus criminaremur. Neque ea die Episcopus attingi poterat, quoniam præterita die statim evulso altari, ut dictum est, domum redierat. Tunc huc, tunc illuc vertitur animus, quod potissimum eligat valde anxius. Tandem super hoc communicato nostrorum consilio, huc nos converti visum est melius, ut his quos eadem dies attulerat innixi testibus, ad investigandum quodcumque esset procederemus. Tunc post Vicedominum & castellanos & quosque majores Cleri directo nuntio, ut nos omnes citi adeant invito. Et quoniam sabbatum erat, quibusdam verò ad forensium legum jura convenientibus, nec mora haud contemnendus spectabilium personarum adest populus. Præterea fama hujusce modi exciente plebeïam multitudinem eadem res non quivit latère: segregatim perstrepentes accurrunt stupidè. Ut autem majoribus cessimus ad accedendum, datâ copiâ videndi loculum, actutum Landbertus Prætor urbanus, aliis itidem personatis viris conclamantibus, nequaquam se inde inquit amoturum pedem, donec rei inibi latentis dignosceret veritatem. Jam tum enim à nobis certum habebatur, quòd ibidem aliquis Sanctorum corpore detineretur: verùm de nullo minùs quàm de illo qui præter spem reperiendus erat sperabatur. Interea cunctis circumstantibus investigandæ tantæ rei gratiâ cum processionibus, crucibus, & cereis peractis acceditur, & nobis, ut decebat, interim litanias cantantibus, cunctísque demirantibus detegitur; ac multo multorum sudore à prima diei hora usque in vesperum ferreis instrumentis vix dissipatur. Quod tandem opertum grandi satis artificii molimine plumbeum scrinium omnium adstantium oculis apparet continuisse: illóque soluto cunctis circumstantibus dum panditur, emeriti cujusdam Sancti membra revelantur. deinde nondum apparente ejus Sancti nominis titulo omniúmque oculis ad hoc ipsum intentis, bis térque scrutato totius busti loculo, noviss-

Remoto altari S. Martini per Episcopum,

loculus detegitur.

[a] Nempe XVI Kalend. Julii, anno Inc. ML, ut legitur in lib. 2. Mirac. cap. 19.

simè sub dextro ejusdem Sancti humero crux argentea reperta extrahitur, nobísque ad manus præfertur, his tantùm trium verborum insignita notulis: SANCTUS BERTINUS ABBAS. Nec horret ab hujus Sancti præconio, quòd nobis adhuc insciis, neque de hoc donec contigit quidquam præmeditatis animo, satis congruè in jejunio quarti mensis tam dilecti Patris sancta contigerit inventio. Condecens enim fuit & valde commodum, ut ad tam sacrosanctum accessuri commercium, quartæ & sextæ septimæque feriæ ejusdem jejunii parsimoniâ aliquantisper effecti purgatiores, ad tam venerandos Sancti artus investigandos properaremus aliquanto digniores. Quæcumque verò antequam fiant possunt præsciri, ea pro modulo suo providentiâ valeant gubernari. Verùm ista unde nulla cuilibet nostrûm fuit notitia, quis ita disposita moderaretur, nisi solius Dei præscientia? &c.

CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V. in quo S. Bertini corpus inventum.

4. Talibus ergo indiciis pretioso super aurum & topazion invento ac comperto beatissimi Patris corpore, cum eatenus diutina & gravissima omnis terra decocta pessumdaretur siccitate, itaut universa segetum spe jam penitus sese frustrari quererentur agricolæ; ecce eodem momento præmissis multis tonitruis atque coruscantibus fulminibus plurima subsecuta est inundatio pluvialis, quâ sufficientissimè debriata tellus, mox fructificando virescere, atque cultoribus suis in novos fructus sese rediviva spe jamjámque cœpit dilatare. Itaque extunc salubri rore omnes segetes confortæ adsurgunt auris spirantibus, ac jam maturæ messi quamvis ingens vix sufficit operariorum numerus, ut instantis anni rotatus terrigenas Dei gratiâ omni segetum educaret sufficientia.

Pluvia hinc subsecuta.

5. His ita dictis, sacrum corpus jam revelatum ac detectum eâdem urnâ suâ retegi, & loculus, ut pridem fuerat, jussum est remuniri, quousque majorum consultu quid super hoc ipso foret agendum, esset deliberari. Quantis interim vexationibus, blasphemiis affecti sumus, nobis ad purgationem noscat, ac illis ignoscat Dominus. Hac tempestate domnus Papa LEO, cognomento BRUNO, sanctæ Romanæ præsidebat Ecclesiæ, cujus sagacitatis ac probitatis fama per totum orbem spirabat odorem suavis fragrantiæ. Ad quem necessitate urgente quò majorum auctoritate corroboraremur, fidelis legatus exquisitus & repertus dirigitur, quatenus quidquid ipse de his Apostolicus cum gravioris consilii viris egregium sentiret, nobis pro nomine Domini mandare eodem legato non differret. Quem cùm adisset, ac jam coram eo admisso sibi data copia fandi esset, rem gestam per ordinem domno Papæ succinctè prout in multis tunc occupato exposuit, testimoniáque scripturæ & crucem cum sacro corpore repertam, quæ secum pro testimonio tulerat, obtutibus ejus præsentavit. Quibus visis & his qui tunc fortè secum aderant, uti qui ad Romanum Concilium tunc convenerant, scilicet Patriarchæ Aquileïæ, Archiepiscopis, Præsulibus, Abbatibus, Ducibus ac primoribus demonstratis, talibus ait veritatis indiciis nequaquam debere diffidi, sed tutiùs ac firmiùs credi, præsertim cùm in multis annalium gestis satis possit inveniri, cunctos pæne Galliæ terminos, maximéque vestra ac cetera maritima loca frequentibus Danorum incursionibus, deprædationibus, incendiísque populata; & ob id multa Sanctorum corpora quædam à locis minùs tutis translata, quædam verò clanculum (sicut de sancto Bertino factum constat) vel maceriis vel terris sint recondita. Quibus responsis Apostolicis nobis nostro nuntio relatis, ex hoc ad memetipsum reversus meminisse cœpi Vitæ S. Folquini quiddam super hoc ipso loquentis: eáque allatâ quod volebam exquisitum recitabatur, quomodo idem sanctus Pontifex venerandum

Corpus humo rursus tectum,

Leonis Papæ IX obtentâ licentiâ.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

Sancti corpus translatum recondiderit, & quòd ejusdem Translationis festivum diem singulis annis agi per omnem diœcesim suam instituerit. Quod exempli etiam causâ hîc denotari placuit, S. Bertini corpus transtulit & recondidit, sollemnémque hunc diem nobis esse sancivit, qui est septimodecimo Kalendas Augusti. Diu rei etiam hoc vulgaris opinio adjecit, quòd prælibatus Præsul id nullis præter paucos agnoscentibus clanculum fecerit, ac ne palam quoquo modo fieret gravibus eosdem interminationibus ac sacramentis constrinxerit. Hoc igitur viso & necdum cujus necessitatis gratiâ vel quoto dominicæ Incarnationis anno id factum sit satis manifestato, nec mora quoslibet annales ac antiquorum gestorum historias recitando percurrens, eorúmque discerpta quæ investigationi nostræ videbantur opportuna conferens, pro nostræ parvitatis modulo commentatus sum hoc magno divinæ dispensationis præsagio factum; scilicet venerabile corpus operâ prædicti Pontificis de noto loco in secretius penetral translatum. Quod ut dilucidiùs aperiatur, eorumdem excerptorum collatio aperiatur. Sed ne cœptæ rationis ordo aliquantulum intermitti videatur, hæc aliàs pleniùs texenda conserventur.

à Folquino antea absconditum,

6. Glorioso igitur Imperatore LUDOVICO Caroli Magni æquè Imperatoris filio regnante, cùm eatenus hoc antiquum & tunc regale Cœnobium ex tempore beatissimi Bertini ejusdem fundatoris præcipui sacra monastici Ordinis religione admodum nobilitaretur, atque secundùm instituta Canonum, Fratrum adoptione ipsius regimen commendaretur; tunc cuidam Canonico genere Anglo FREDEGISO nomine, in beneficium prô dolor! data, ac totius sanctæ religionis candore marcescere, in externas manus devenire, & minorari à sua cœpit integritate. Denique numerum Monachorum ibidem Domino militantium qui octoginta tres erant, ad sexaginta diminuit, villas & fertiliora prædia victui Monachorum deputata, in dominium sibi usurpavit. Monasterium verò S. Audomari quod cùm Monasterio S. Bertini idem erat, penitus evertit: quoniam quadraginta Monachis eliminatis, triginta Canonicos loco eorum substituit, tertiámque partem omnium bonorum ad Monasterium S. Bertini pertinentium eorum usibus deputavit. Quid igitur iste aliud quàm hujus Monasterii flagellum fuit? Qui etiam à beato Bertino in numero Abbatum meritò undecimus exstitit, quia in eo quòd ea quæ à decem prædecessoribus suis bene ordinata fuerant evertit, Decalogi metas excessit. Omne enim peccatum undenarium dicitur, quoniam quandocumque aliquod illicitum committitur, Decalogi summa quantum in peccante est violatur. Meritò igitur præsumtor iste, Fredegisus videlicet, quasi Frigidus vocatus est: quia nisi cordis ejus aquilo ille possessor exstitisset, ad hujusmodi præsumtiones nullatenus adspirasset. Quia ergo præsumtio hujus Frigidi Monasterio huic tanti excidii caput & causa exstitit, actio ejus perversa & peccatum fuit, & pœna peccati, & causa alterius peccati. Peccatum etenim vel etiam sacrilegium fuit, cùm illud quod mensæ Monachorum delegatum erat, in jus alterius cessit. Pœna quoque peccati exstitit, quia nisi in Fredegiso aliquod peccatum gravissimum præcessisset, unde cùm sordidus esset magis adhuc sordescere deberet, numquam eum Dominus adeo excæcari permisisset, ut de tanto sacrilegio cogitaret. Causam verò alterius peccati illud idem peccatum Fredegisi successoribus propinavit, quia quod ipse in dominium sibi vindicavit, apud omnes successores ipsius usque ad modernum tempus inextricabile perduravit. Tantilla verò hæc pueris nostris me tetigisse sufficiat, ut quibus peccatis à Sanctuario Dei exortis tanta mala consurrexerint pateat, ac quibus urgentibus causis sancti corporis margarita recondita sit, manifestiùs pareat.

pareat. Imperatore præfato decedente à sæculo, filii ejus Lotharius, Ludovicus & Carolus, singuli paternum Imperium æmulati, mox ab invicem dissentire cœperunt, atque ferocissimâ inter se pugnâ insertâ in pago Autisiodorensi bellum cruentissimâ commiserunt: ubi cum Francorum proceribus & cum cunctis nationibus sibi subjectis mutua se cæde prosternentibus, tandem Lodoïcus & Carolus fugato Lothario triumphum adepti sunt. Cujus seminarii discordia durante per quinquennium, ubi pæne omnes Francorum regiones cum habitatoribus suis ad nihilum redacti sunt, tandem pace facta Francorum Regnum sibi diviserunt, tuncque nostræ partes occidentales Carolo Regi cesserunt. Cujus obtentu pacis nequaquam mala desierunt: sed tripertito paterno Imperio, dum singuli per singula Regna patrizare, séque secundùm paternam magnificentiam protelare cupiunt, séque suáque confundentes dejiciunt. Non enim verbum Domini excidit: *Omne Regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Regnante eodem Rege Carolo, tertio regiminis ADALARDI Abbatis anno, præfatus Præsul emeritos S. Bertini artus anno dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo tertio, secretiori quàm priùs fuerat loco mirè compositum * locavit: sicut paullo antè S. Audomari venerabile corpus furtim ereptum, sed suæ diligentiæ divinitus concessum loco suo restituit, ne hæc patria tanto umquam fraudaretur Patrono, haud dissimiliter abditioribus locis mandavit. Quorum etiam sanctas Translationes distinctis temporum diebus à cuncto populo diœcesis suæ magnificentiùs celebrandas sancivit, ut quidquid in eorum Depositionibus sanctis mense Septembri concurrentibus urgente messis necessitate minùs dignè celebrarent, his sanctarum Translationum sollemnitatibus liberiùs exsolvere possent. Tanto igitur thesauro abditis locis adsignato, non multo pòst temporis intervallo omnes istius patriæ nationes hinc surgentis gravissimæ famis angustiâ consternati, illinc subitam Nortmannicæ incursionis rabiem suspecti, omnis pæne nobilitas istius terræ præter paucos, quos operum ac fundorum copia & castellorum vel munitionum fiducia detinuerat, post dominos suos vel quòcumque tutius eis videbatur discedebant. Præterea residuos immani famis utcumque exutos periculo demum rabida Danorum crudeliter laniatura invasit insectatio: qui postquam rabiem suæ tyrannidis exacturi huc hostiliter irruperunt, nullum hîc Fratrum præter quatuor palmam martyrii præstolantes invenerunt. Quorum tres quantis pœnis affecerunt, qualíve quartum leto multati sunt; ac quomodo cunctis quæ invenire poterant direptis Monasteria cunctásque officinas incenderint, cunctáque exterminaverint, textus Vitæ [a] sancti Bertini satis evidenter disserit. Quid igitur? Si tunc præfatorum Sanctorum corpora eminentioribus vel certis locata locis debitè venerarentur, exportandáne putatis in valida manu Domini eriperentur? An non tunc multùm oportebat, quòd jam dictus Sacerdos Dei tantorum malorum præsagus conservandis Sanctorum pigneribus paullo antè effecerat? Necdum locum hunc aliqua castelli vel valli defensabat munitio: & ideo, magis autem peccatorum mole urgente, huc perfacilis iniquorum irrupit incursio. Nec modò semel, verùm bis térque Sithienses fines redivivis irruptionum suarum vastationibus repetentes profligare non cessârunt, donec prædictorum Sanctorum meritis divina ultione multipliciter attriti, in vaginam suam compulsi sunt regredi. Dehinc ut tertiâ quoque orbis exa-

CIRCA AN. DCCIX. SEPT. V.

Luc. 11. 17.

anno 843.

* lege compositos.

a Lege lib. 2 Mirac. cap. 1, quem librum, uti & primum, non à Folcardo, sed ab alio antiquiori Auctore scriptum fuisse constat ex hoc loco.

Circa An. DCCIX. Sept. V. minaretur plagâ, demum famis & barbaricæ cladis residuos ubicumque locorum rabies insequitur belluina, quos miserabiliter suffocatos trucidat, atque inhumatos membratim discerpens exterminat. Tantis divinæ ultionis cladibus hanc terram ferme centum annis occupantibus, denuo quasi quodam diluvio diluitur his decocta tribulationibus.

5. Tantorum ergo malorum Sacerdos Dei Folquinus sancti Spiritus illustratione præmonitus, dum adhuc vixit, venerabile S. Bertini corpus ignoto loco & ubi minùs putaretur occuluit, ubi usque ad hæc nostra novissima tempora, scilicet ducentis quinquaginta [a] annis, altor & pastor noster latuit, donec fundandæ cryptæ causâ, uti jam prænotatum est, eumdem subversio principalis [b] aræ detexit. Quibus indiciis jam certior factus, susceptâ ab Episcopo nostro epistolâ, Remis ad Archiepiscopum proficiscor super his consultum quæsiturus: ubi cùm venissemus, domno Archiepiscopo locuturi processimus. Nobis quoque coram se intromissis móxque sese toto exposito ad seriem nostræ dicendæ rationis, gestæ rei novitatem ei per ordinem primùm retulimus, ac deinde epistolam domni Episcopi cum teste scriptura super hoc ipso loquente ac crucis titulo ipsi dedi in manus. Qui mox convocatis Abbatibus, Archidiaconibus, & quibusque sanioris mentis Monachis atque Canonicis, in conspectu ducentorum, tertio Idus Januarii in festivitate depositionis S. Remigii in hæc verba eadem recitata est epistola:

Drogone Taivennico Episcopo petente, » DOmno WIDONI *Dei gratiâ Remorum Archiprasuli* DROGO *Episcopus eorum qui dicuntur Morini*. Cùm divino munere apicem summæ dignitatis » obtineas, & Pastoribus sub te constitutis uti præcluens Pastor auctoritate si» mul & vigilantiâ consulas, de te actus nostri pendent, ad te respiciunt » consilia: quæ si deïficè & laudabiliter disponantur, tua est utilitas simul » & nostra. Unde si quando in Ecclesiis nostris aliquid contingit insolitum, » ubi pro rei magnitudine seu novitate non satis plenè nobis sufficimus ad » consulendum, consequenter ad te quippe ut ad caput à membris recur» ritur, quatinus in dubiis nostris certiores nos tua auctoritas faciat, quo» rum humilitas nihil per se temerè definit, quod altiorem considerationem » & deliberationem requirat. Noverit itaque Paternitas tua, in diœcesi no» stra his diebus novum quiddam contigisse & mirificum, quod ut tibi scri» berem, tuámque super hoc efflagitarem sententiam, visum est mihi fuis» se consilium. Locus dictus *Sithiu* virorum Dei est Cœnobium & sedis » nostræ parochia, eorum quoque non ultimum, quæ olim à Regibus fun» data simul & ditata antiquitatis reliquit memoria. Celeberrimum sanè est » multis Sanctorum inibi quiescentium pigneribus, inter quæ quasi quodam » specialis meriti privilegio beatus eminet Bertinus, ipsius videlicet loci Re» ctor præcipuus. Res postulabat ut pro construenda crypta mutaretur car» dinalis ara, quod altiore consilio Abbas facere instituit in nostra præ» sentia. Ubi dum post altaris destructionem terra altiùs effoditur, recondi» torium quoddam lateritio opere ac cæmento pæne indissolubile oculis ad» stantium offertur. Quod tandem multo sudore destructum, scrinium plumbi » & ossa cinerati corporis monstrat contineri cum sigilli notamine satis evidenti. » Sigillum crux fuit argentea, titulus verò, S. BERTINUS ABBAS. Hæc res tam » mira, tam insperata cùm quosdam perfunderet gaudio, quosdam verò diffi» dentiâ turbaret & stupore nimio; Abbati & Fratribus super hoc testimonium

[a] Immo *ducentis novem annis*. tot quippe anni ab anno DCCCXLIII quo S. Bertini corpus humo absconsum dicitur suprà, ad annum MLII factæ Translationis.

[b] Nota hìc *principalem* aram dici quæ superiùs & inferiùs dicta *cardinalis*.

redit ad memoriam & ad aliorum minùs credentium perducitur notitiam, „ *Circa Annum DCCCX. Sept. V.*
cujus etiam tibi breviter perstrinximus sententiam. Legitur in ipsius loci archivis publicis, quòd S. Folquinus nostræ sedis Episcopus (cujus etiam corpus magnis celebre virtutibus in eadem quiescit Ecclesia) grassante igne & ferro Danorum barbarie per loca maritima, paullo ante hanc vastationis luem corpus hujus Sancti certa die terra recondiderit: ceterùm quando vel à quibus pòst inventum sit, ne mentio quidem aliqua, excepto populi rumore, qui sicut certa pro incertis, ita plerumque falsa pro veris inducit. Hujus rei testatio ad rei fidem nobis satisfacit: sed est aliud quod partim nos, vulgus autem minùs intelligens non mediocriter angit. Nam quid de Reliquiis sub ejusdem Sancti nomine in eadem Ecclesia in reverentia habitis fieri oporteat, si recèns inventum Sancti corpus ad debitum honorem transferatur, nulla nobis ad votum definitio suffragatur. Precamur itaque per eum qui te nobis præfecit Antistitem, per sanctæ caritatis mutuam connexionem, ut adscitis viris quos divinæ legis illustret scientia, vitæ etiam laudabilis approbent testimonia, super hoc utroque consultum habeas, & auctoritatis tuæ rescripto nobis super utroque consultum facias: ut omni nebulâ ambiguitatis remotâ, dissensionis etiam totius pellantur scandala, & pacis concordia in nobis augeatur, & laudetur nomen Domini in omnibus operibus nostris, Amen. Qua perlecta omnium consultu omnium votis aliam jussit rescribi epistolam continentem hujusmodi responsa.

VVIDO *Remorum Archiepiscopus* DROGONI *Fratri & Coepiscopo, feliciter vivere in utroque sæculo* Quia sapientia semper sapienter agit, & Salomon dicit, *Fili, omnia fac cum consilio, & post factum non pænitebit;* laudamus, Frater carissime, prudentiam tuam, à nobis uti par est consilium petentem super recèns inventi Sancti Reliquiis. Nos autem consilio super hoc ipso cum nostris habito ut petiveras, corpus quidem repertum S. Bertini esse decernimus, quia incerta certis omnino postponimus, quod & scripturæ quam nobis misisti confirmant testimonia, & loci in quo repertum est dignatio, ac evidens indicium, crucis videlicet nota. Ipsum itaque sanctum corpus cum debito honore levatum in reverendo (uti decet) loco ponite: sed & alterius incerti ut dicitis Sancti Reliquias juxta ipsius S. Bertini corpus locate, confidentes de misericordia Dei, quia & ipsæ cujus sunt, in ipso revelabitur [a] tempore. Ceterùm tam ad incerti Sancti revelationem quàm ad certi revelationem triduanum jejunium populo indici statuimus, ut orationibus ac jejunio populi sui complacatus, quando vult & quomodo vult nobis aperiat Dominus, Amen. *Vvidone Remorum Archiepiscopo annuente,*

8. His peractis, quibusdam domesticis ejus seorsum excitis eumdem summum Præsulem his internuntiis deprecamur supplices, quatinus dies Dei auxilio agendæ Elevationis futurus sui adventus præsentiâ honoraretur, suæ dignitatis auctoritate solidaretur. Qui mox tempus diémque percunctatus quando id Domino suffragante acturi essemus, ut primum vel secundum Maii mensis diem nostro responso percepit, sese futurum, vita tamen ac salute sibi comite, benignè spopondit. Unde aliquantulum jam effecti animæquiores, susceptâ descriptionis epistolâ acceptâque licentiâ domum regredimur celeres. Ubi autem Tarvennæ pervenitur; domnus Episcopus ibi offenditur: cujus præsentiæ admissi, epistolam ad verba sua renotatam *è tumulo levatur.*

[a] Aiunt posteri, istas Reliquias hactenus cum Reliquiis S. Bertini Abbatis uno scrinio inclusas esse S. Bertini junioris, filii Vvalberti Comitis in Vita S. Bertini Abbatis memorati, quem Bertinum juniorem Bertinus senior è fonte Baptismi susceperit. Bertini junioris qui meminerit neminem legi antiquiorem Lamberto Ardrensi Presbytero.

Circa An. DCC IX. Sept. V.

dexteræ ejus injeci. Qua recitata sese ad summi Præsulis consultum cuncta pollicitatur per diœcesim suam indicenda. Dehinc nobis domum digressis, obsecrationibus, jejuniis, vigiliis, pro modulo nostræ exiguitatis misericordiam Dei patrociniáque Sanctorum medullitus quærere, jamjámque appropinquantis agendæ festivitatis apparatibus omnimodis studuimus intendere: cùm quidam pro hoc ipso grandes contradictionum inquietudines, molestias, persecutiones, injurias nobis inferre, & agendis Sancti mysteriis plurimùm moliebantur impedire. Ut autem de nobis sileam, quippe qui non satis dignam malis nostris recepimus pœnam; sed in Sanctos Dei quidlibet moliri quanti sit criminis, arca illa testamenti bobus calcitrantibus inclinata evidentibus monstrat figuris: quoniam dum eam Levites temerè tractando relevare nititur, divina mox ultione addictus mortali vita frustratur. Haud secus quicumque quodlibet à servis Dei dispensatoriè factum objurgare moliuntur, caveant ne quandoque, nî pænituerint, vehementiore animarum damnatione percellantur. Multis dehinc vexati tribulationibus, tandem ab his Christo propitio liberati sumus. Quid plura? Primo Maii mensis die domnus WIDO summus Pontifex [a] cum multis spectabilibus personis, DROGO etiam Episcopus noster cum suo honorabili Clero, diversíque cum suis domni adsunt Abbates. Nec deest domina ADHELA, fratre suo ODONE multóque procerum stipata milite. Nihilo minùs è diversis locis adventantes innumeræ populi huc ruunt multitudines, Ecclesiæ implentur parietes. Verumtamen domno Archiepiscopo cum suis ceterísque hospitibus, quoniam ex itinere fatigati erant, ea die quiescentibus, interim nos quibuscúmque necessariis præparandis intendere procuramus, ac omnia de Sancto agenda in crastinum differimus. Cùm enim jam pridem prima Maii mensis die idipsum faciendum deliberarem, ac super hoc domni Episcopi nostri adsensum misso ei nuntio quærerem; ille mox salubriore consilio in secundum ejusdem mensis diem potiùs indixit differri, ne celeberrima sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi sollemnitas, quæ eadem die esset, à sua celebritate videretur minorari; útque eadem præcedente, & demum salutiferæ Crucis inventionis festivitate subsequente, quique huc adventantes vel hinc revertentes festiva otii perfruerentur exsultatione. Qua de re nobis necdum id cognoscentibus divina factum esse dispensatione credimus, ut futura dies jam quidem convenientia decoraretur: ut sicut sancti WALBERTI depositione magnificata, sic demum sancti Bertini elevatione magnificanda haberetur, quos unius Vitæ lectiones commendarent, eadémque Responsoria concelebrarent. His omissis sequentis diei primo mane paratis Præsulibus, Abbatibus, Monachis atque Canonicis, quibusdam etiam laïcorum majoribus in testimonium intro admissis, cum processionibus ad sacrosanctum locum acceditur, litaniæ canendæ incœptantur, misśisque operariis scrinium sacrati corporis effodi jubetur. Nec jussa differuntur, sed ejecta humo sacer locus eousque paratur, quò ad extrahendum Sancti scrinium facilis accessus cunctis daretur. Tunc Pontifice nostro cum quatuor Abbatibus probatioris vitæ viris qui tractarent sacri corporis artus circumpositis, panso scrinio summus Præsul Responsorium, *Dirigatur oratio mea*, cantando incœptat, choróque suscipiente, *Sicut incensum in conspectu tuo Domine*, idem intus extráque thurificat. Hoc præcantato dum eodem præcinente ejusdem Responsorii versus, *elevatio manuum mearum sacri-*

Archiepiscopo aliisque præsentibus.

Maii die secunda.

[a] En Archiepiscopus *summus Pontifex* dicitur medio sæculo XI, suprà *summus Præsul*.

ficium vespertinum subsequeretur, quod antehac cujuscumque rei gratia â nonnullis tentatum difficultate quadam denegabatur, tunc paucorum manibus insertis cum agilitate ac facilitate extrahitur, in eminentiores scamnorum apparatus effertur, nobis terram cunctis petentibus veneratur, itémque thurificatur, nostris quoque tunc maculosis conspectibus tam sacrata membra revelantur, aqua vinóque [a] rorata piantur. CIRCA AN. DCC IX. SEPT. V.

9. Interea quidam Clericus BerWoldus nomine, unius oculi lumine orbatus seorsum adstabat, qui jampridem eousque utrosque oculos perspicuitate pares habebat, sed nescio cujus mali causâ antehac quamdam venam secandam contiguam oculo ut medicaretur sibi incidi fecerat, unde omne lumen ejusdem oculi amiserat: sed id præter paucos & domesticos suos ruboris causâ pæne cunctis celaverat. Hic sancti Bertini patrocinium ut à Domino sibi reddi lumen amissum obtineret, intimis precibus deposcebat, atque quolibet Sanctorum membrorum quæ ibi tractabantur tangi sibi oculum multopere anhelabat, sed appropiare minimè sibi permitti metuebat. At nobis tantæ rei sollicitè intendentibus, ac interim quibusdam canticis dictis eidem sacramento convenientibus, Responsorióque sanctæ Trinitatis adsignato, *Quis Deus magnus sicut Deus noster, tu es Deus qui facis mirabilia*, decantato, item ejusdem Sancti Responsorium, *Gloriosus igitur Dei athleta, ac eximius Sacerdos Bertinus, in prolixa ætate jejuniis & orationibus famulans Regi superno*, à choro morosè cantandum suscipitur; sicque inter canendum jam dictus Clericus rebus sufficiens, sed oculi unius lumine carens, cum sanctis artubus (ut jam dictum est) vereretur accedere, quemdam Fratrum nostrorum aliquod sacrorum membrorum summotenus digitis suis obsecrat attingere, suóque cæcato oculo eisdem digitis signamen imprimere. Quod nobis insciis dum fieret, magis autem ob devotionem præsentis Sancti hic finis Responsorii animos adhuc psallentium demulceret, *hodie suscipit meritorum præmia in Angelorum choro*; mox ille lumine datur exspectato. Et sanè quod Dominus ad laudem sui nominis & ad Sancti meritum propalandum concessit fieri in se, ipse stulto pudore reticeri voluit: sed fortè tunc cuidam Arnoldo sibi familiariter adhærenti mussando intulit, bono omine suo se illuc admissum; eoquòd præsentis Sancti attactu diu amissum receperit visum, eidem omnino attestans ut hoc taceret, nulli umquam aperiret. Verùm alter nequaquam tantæ ejus insensibilitati adquievit, sed circumstantibus mox detexit. Quod quidam Walterus verè contigisse comperiens, extenta manu cunctis silentium indicens, eumdem unius oculi visu diu damnatum, tunc verò meritis Sancti exspectato luminis dono clamitat reparatum. Quibus auditis plurimùm exhilarati, præ gaudio infundimur lacrymis, hac jam quadam spe consolamur, quòd quibuscumque divinæ gratiæ indiciis omnibus à cordibus diffidentium dubitatio pelleretur.

Clerico oculus alter restitutus.

10. Tum quidam etiam domesticus noster, sed nimis eatenus nobis hac parte dissentiens, nimiúmque huic rei insolens, tunc primùm multa pænitudine ductus, multo lacrymarum fonte perfusus, sed necdum eidem rei satis credulus, votis quibus valebat ipsum pietatis fontem Dominum suppliciter orabat, ut si id corpus S. Bertini foret quod ibidem tunc attractabatur, trino miraculorum signo cunctis declarare dignaretur.

Servus quidam S. Bertini Reliquias habet suspectas.

11. Interea candido linteo pretiosóque pallio, quæ Comitissa ad hæc

Comitissa dona largitur.

[a] Moris erat antiquis, ut Sanctorum Reliquias, siquando eas efferebant tumulo, aquâ lavarent: quod factum in elevatione S. Ethildritæ docet Beda lib. 4 cap. 19.

Circa An. DCCIX. Sept. V.

libens paraverat, sanctis membris ut olim concorporata fuerant compositis, ac in immodico scrinii busto à domno Archiepiscopo reverenter collocatis, item præfata venerabilis matrona magnæ devotionis suæ quæ erga Sanctum habebat propalans desideria, quamdam salinarem terram coram cunctis qui aderant eidem Sancto donatione tradidit legaliter facta.

Translatio peragitur.

12. His ita gestis, cum ingenti psallentium tripudio in ulnis extollitur, ac foras crypta in sacrarium venerandum defertur, cùm ecce reliqua Sanctorum inibi quiescentium corpora præ foribus cryptæ protenduntur obvia. Nec Archiepiscopo tunc Missas celebraturo turbis comprimentibus & accurrentibus facilis dabatur exitus: ideóque extra limina Monasterii tunc cuncta jussa sunt efferri, quatinus ea comitante majoris multitudine populi, summus Pontifex Missas acturus Sancta Sanctorum sine impedimento posset ingredi. Quod cùm opportunè efficeretur, maximéque partes totius plurimæ * Sanctorum pignora subsequerentur, summo Pontifice Sanctuarium ingresso Missæ cardinales agebantur.

* id est turbæ

Puer contractus vegetatur.

13. Interea mulier quædam cum filio brachia cruráque contracto S. Bertinum pro illius salute rogatura foris extrà templum perstabat in atrio. Quæ etiam antehac cùm eumdem duodennem Coloniam ad S. Heriberti ceterorúmque Sanctorum inibi quiescentium suffragia cogitaret devehendum, quatinus eorum meritis obtinere forsan mereretur officia membrorum; ad hæc idem quamquam puer inquit se per visum jam ter admonitum, ne quòquam deportaretur, nisi priùs ad S. Bertinum latus ejusdem merita experiretur. Cúmque illuc etiam per visum ventum esset & oratum, item idem quatuor columbas candidissimas vidisse se ait avolantes foras Monasterium, ipsúmque altare concussum instar folii contremere, seséque coram eo prosternentem, nec mora inde meritis Sancti sospitem surrexisse. Id igitur puero genitrici referente jamjámque fama elevandi Sancti adsequente, eadem cum puero multos comitatu advolat, proventúmque Domini interventu S. Bertini præ foribus præstolans Monasterii supplex cum filio perstabat. Cúmque ipsa inter comprimentes turbas ad osculandum Sancti feretrum impingeret, ac repulsa importuna repeteret, puerúmque Sancti feretro apponere multo conamine niteretur; Deo annuente idem puer brachia cruráque directus sospitati donatur. Quod multi cernentes, quidam adstantium oppressæ matri succurrunt, quidam verò puerum comprehensum efferunt. Quo facto tumultuantis innumeræ multitudinis clamor attollitur, Deus mirabilis in Sanctis suis vulgò prædicatur: quoniam puerum quem paullo ante vix repentem noverant, hunc præ oculis suis incedentem prævia matre cernebant. Nobis interim in choro ad Missas psallentibus, hujus rei odor nobis illabitur suavissimus. Quod dum à nobis utrum verum foret adhuc quæreretur, idem puer meritis sancti Bertini sanatus ingreditur, erectúsque in medio nostrûm ducente matre coram altari secundùm modulum suum Deo gratias acturus prosternitur. Et dicto Evangelio domnóque Archiepiscopo coram altari hymnum *Te Deum laudamus* inchoante atque multipliciter choro subsequente, multos Christo in re gesta conjubilantes, multos lacrymari præ lætitia cerneres.

Cæca lumen recepit.

14. Necdum verò hymno completo, & adhuc nonnullis nobis flentibus præ gaudio, quædam etiam mulier cæca hujus civitatis mansionaria, ideóque cunctis nostris notissima, tunc visum recepisse denuntiatur, ipsáque in conspectu omnium nuntium hujusmodi illuminata comitatur, ac puero ad laudem Dei & ad meritum S. Bertini protelandum

prostrata admiscetur. Quanta vero exsultatione quantáve dignitate ea die in Domino exsultatum ac delectatum est, nullius adsertio ad plenum expedire sufficiet. Nam quorumdam inquietudinibus, molestiis, ignominiis eousque exacerbati; tunc Dei nostri super nos gratiùs coruscante gratia, facti sumus sicut consolati: tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exsultatione. CIRCA AN. DCCIX. SEPT. V.

15. Jam nunc prælibatæ singularis gratiæ causa emicat, jam illud quiddam boni quod miseratione Dei confovendum temporéque suo perducendum prædixisse memini insulminat. Nullum nostrorum hæc gratia ingratum habeat, omnes nos Christo deinceps devotiores exhibeat, omnes ad laudem Dei vigilantiores impellat. Dum profectò his intendo, etiam trium verborum in inventa crucicula sculptorum mihi incidit mentio. Ut enim tunc tribus evidentioribus signis claruit elevatio. Nam sicut in inventione quisnam esset nesciretur, nî tria verba loquerentur; sic quoque in elevatione haud satis ab omnibus crederetur, nisi his trium miraculorum indiciis veritas clarificaretur. Quid igitur? Tantáne nihil harum rerum convenientiâ moveremur? Tria verba inventionem, tria miracula prædicant elevationem. O quanta operum Dei consequentia, quanta lucet concordia! Hac verborum signorúmque * omnia ab omnibus Dei gratia pelluntur umbracula, hac tanti Patroni nunc fulgorant merita. * *supple* luce

16. Ceterùm peractis cum tantæ gloriæ magnificentia sacrosanctis Missarum officiis, ceterísque Sanctorum corporibus locis suis deportatis, scrinium sancti Bertini adhuc immunitum super aram sanctæ Crucis, populo frequentandum exponitur, jam sole ad occasum vergente, positis custodibus in diem crastinum signandum conservatur. His bene gestis corpora rebus procurantur, atque sic celeberrima dies illa cum inenarrabili gloria consummatur. Sequente verò die item acceditur, atque testis gestæ rei cautio ordinem, tempus, personam ac testes continens adstante innumera populi multitudine recitatur, ac perlecta cum inventa cruce sacrosancto corpori componitur, sicque compositum summi Præsulis sigillo signatur, scrinium clauditur, ferreis circulis clavísque artatur, consuitur, vincîtur, indissolubilitérque connexum cum innumeræ multitudinis tripudio in Sancta Sanctorum cum Reliquiis inducitur magnificandum: ubi nunc usque veneratur, & domino annuente venerabitur in sæcula sæculorum. S. Bertini corpus scrinio includitur.

17. Dehinc autem sacræ Elevationis diem memorialem summus Præsul ac domnus Episcopus noster à cuncto populo hujus diœceseos deinceps venerandum, multáque devotione singulis annis indixerunt colendum. His ita peractis, & domnis Præsulibus & Abbatibus quiddam sanctarum Reliquiarum impetratis, singuli singulis donati muneribus ad sua remeârunt lætiùs. Festum Elevationis indictum.

18. Quorum unus, videlicet Abbas S. Walerici Wazo, sanctarum Reliquiarum quiddam adeptus, postquam peracto sacræ Elevationis sollemnio gaudens domum est regressus; quidam rusticus utrorumque orbium pupillis gravibus maculis obductis cæcatus, puero sibi dirigente gressus accessit ad eum, quidlibet medicationis postulaturus. Cui ille: Nihil, inquit, antidoti tali morbo novi salutiferum, præter cunctipotentis salutarísque Domini nostri Jesu-Christi proventum. Verumtamen cujusdam celebris Sancti sanctissimo Elevationis obsequio nuperrimè nonnullis concurrentibus & ego conveni, sanctóque hujuscemodi negotio quamvis immeritus interfui: ibi quoque quanti idem Sanctus fuerit, diversis miracu- Wazo Abbas S. Walarici, admoto dente S. Bertini cæco lumê reddit.

Circa An. DCC·IX. Sept. V.

lorum magnalibus Dominus cunctis nobis declaravit. De quo etiam unius sanctorum dentium dono ditatus huc regrediens attuli, tali munere gavisus: & si fidem adhibueris ejusdem meritis Sancti te posse sanari, actutum tibi jubebo præsentari. Ad hæc ille: Confido, inquit. Isque mox in conspectu adstantium adferre præcepit. Quo allato & utrisque ejus luminibus adhibito, confestim revelatis oculis clarè videre cœpit, atque super hoc nomine Domini benedicto, sospes hilarisque domum rediit[a].

[a] S. Bertini corpus thecæ argenteæ super altare majus, caput scrinio deaurato inclusum in sacro penu à Bertinianis nostris adservantur. Ne verò pagella hæc remaneat vacua, fragmentum apponimus Sermonis sequentis.

SERMO

In festo ejusdem Sancti.



GAUDETE, dilectissimi Fratres, in Domino, qui ad sanctissimi Patris & protectoris nostri, sancti scilicet Bertini sollemnia convenistis, & spirituali jucunditate lætamini, & ex intimo cordis affectu clementiam Domini nostri JESU-CHRISTI collaudate: qui nos ab idololatriæ erroribus ad agnitionem sancti sui nominis per hujus sancti Sacerdotis prædicationem perducere dignatus est. Sequamur unanimiter tam sancti Doctoris vestigia. non simus tanti Patris degeneres filii, sed sanctitatem vitæ illius morum nobilitate imitemur. Abjiciamus à nobis opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, sicut in die honestè ambulemus: quia nox ignorantiæ recessit, & veræ scientiæ nobis lumen inluxit; ut filii lucis in omni castitate & pietate ambulemus. Non sint alicujus nequitiæ vel malitiæ occulta in nobis semina: quia homo videt in facie, Deus autem corda considerat, nec aliquid illius omnipotentiæ oculis occultari potest. Præparemus & nos in omni bonitate, ut præclarus Pastor & pius prædicator noster sanctus Bertinus Abbas, gaudens nos ante tribunal summi Judicis in die ultimo deducat: quatenus ex numerositate filiorum illius cumuletur gloria, & nos cum illo desiderabilem mereamur audire sententiam: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ille de cælesti patria piis orationibus nostrum cotidie agonem adjuvare non desistit, desiderans suos carissimos filios, quos paterna pietate genuit in Christo, ad gloriam perpetuæ beatitudinis pervenire. Quapropter, carissimi, unusquisque in suo ordine secundùm virium suarum facultatem fortiter diabolicis resistat suggestionibus; ut æternam triumphi coronam cum pio Parente nostro accipere dignus efficiatur. *Non sunt enim condigna*, ut ait Apostolus, *passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Igitur breve laboris tempus divina nobis voluit esse pietas, & agonis nostri retributionem esse perpetuam, & pro temporali tribulatione permanentis gloriæ mercede gaudere. Audivimus itaque cùm Deo dilecti Sacerdotis Vita legeretur, quantam in omni bonitate habuit devotionem: quomodo per abstinentiæ rigorem suum castigavit corpus, qualiter per caritatis officia omnibus prodesse contendit. Incedamus cum omni alacritate mentis & tota virium facultate illius vitæ vestigia; ut beatitudinis, in qua regnat cum Christo, consortes effici mereamur. Ideo ergo nulla carnalis concupiscentia, nulla sæcularis ambitio impediat iter nostrum. Exspectant nos cives æternæ civitatis: & Rex ipse, qui vult omnes homines salvos fieri, nostram cum Sanctis suis vehementer desiderat salutem, &c.

VITA

VITA SANCTI VVILFRIDI EPISCOPI EBORACENSIS IN ANGLIA,

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV.

Auctore FRIDEGODO Benedictino Monacho ante medium sæculum x.

Ex mſ. codice Bibliothecæ Corbeïenſis in Gallia.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. PLURES WILFRIDUM, *eo nomine primum Eboracenſem Epiſcopum, ſcriptis ſuis celebravêre Auctores. In primis Beda venerabilis res ab eo geſtas deſcribit in variis Hiſtoriæ ſuæ locis, maximè in lib. 3 cap. 25 & lib. 5 cap. 20. Bedæ æqualis accedit* Eddi *ſeu* Heddius cognomento Stephanus, *qui librum de vita ſancti Vuilfridi compoſuiſſe fertur apud Johannem Pitſeum alioſque recentiores.* Is fuit invitatus de Cantia à reverendiſſimo viro Wilfrido, *ut* primus *poſt Jacobum* cantandi magiſter Nortanhumbrorum Eccleſiis *eſſet, teſte Beda in hiſtoria lib. 4 cap. 2. qua ex conſuetudine Vuilfridi geſta certò reſcire potuit. Poſt Heddium occurrit* FRIDEGODUS, *cui Odo Cantuarienſis Epiſcopus vitam ejuſdem Sancti* heroïco metro *texere præcepit. Legerat Vuillelmus Malmeſburiæ Monachus eam Fridegodi ſcriptionem, de qua hoc profert judicium in lib. 1 de Pontificibus Cantuarienſibus.* Exſecutus eſt id munus Fridegodus quidam verſibus non improbandis: niſi quòd latinitatem peroſus, græcitatem amat, Græcula verba frequentat, ut meritò dictis ejus aptetur illud Plautinum: Hæc quidem præter Sibillam leget nemo. *Huic lucubrationi manum admovit Fridegodus ſtatim poſt Vuilfridi reliquiarum tranſlationem in Eccleſiam Cantuarienſem. Ipſe etiam* ODO, *qui Eccleſiæ Cantuarienſi præfuit ab anno* DCCCCXXXIV *in annos quatuor & viginti, Vuilfridi geſta deſcripſiſſe perhibetur ab Eadmero.* EADMERUS *verò ſeu* EDMERUS *Monachus, Anſelmo Cantuarienſi Pontifici à ſecretis, id poſteà præſtitit anno* MCXXI. *ſic enim præfixa habet inſcriptio codicis manu exarati Bibliothecæ Cottonianæ:* Vita ſancti Wilfridi Archiepiſcopi per Eadmerum Cantuarienſem anno MCXXI. *Res ab ſe deſcriptas in exordio & in fine approbat* auctoritate venerabilium virorum Odonis Archiepiſcopi & Bedæ Preſbyteri, *nulla Heddii aut Fridegodi mentione facta. tametſi Fridegodi ipſiſſima verba non rarò uſurpat. Unde ſuſpicio injicitur, num Fridegodi fetum Odoni, qui hortator operis fuit, ſupponat. ſed tamen ex Prologo ipſius Odonis, quem Eadmerus in fine Vitæ ab ſe compoſitæ citat, aliam Odonis à Fridegodi lucubratione fuiſſe conjectura eſt. Eadmeri fragmentum de tranſlatione corporis ſancti Vuilfridi recitat Gervaſius Dorobernenſis Monachus in libro de combuſtione & reparatione Dorobernenſis Eccleſiæ. quod fragmentum ex alio Eadmeri opere deſumtum eſt. Eadmeri æqualis fuit* WILLELMUS *Malmeſburiæ Monachus, qui itidem facta ſancti Vuilfridi recantavit in libro ſecundo de Pontificibus Anglorum, ubi de Epiſcopis Eboracenſibus. Poſt eos omnes* PETRUS Bleſenſis, *Archidiaconus Bathonienſis, librum de vita ſancti Vuilfridi compoſuit, eúmque* GALFRIDO *Eboracenſi Archiepiſcopo dedicavit, uti legitur in Monaſtico Anglicano pag. 172, ubi fragmentum ex eodem Petro adducitur. His omnibus adnumerandi ſunt Anglorum ſcriptores, in his Thomas Stubbeſius in libro de Epiſcopis Eboracenſibus, quorum catalogus vetuſtus exſtat apud Labbeum in tomo 1 Bibliothecæ novæ pag. 322. Ex prædictis Auctoribus obvii quibuſque ſunt Beda & Vuillelmus. hîc duos exhibemus hactenus ineditos; Fridegodum extrema quidem parte mutilum; & Eadmerum, cujus lucubrationem ex Anglia accepimus beneficio Viri ſpectatiſſimi D. Joſephi Vuilliamſonis Regi ab intimioribus ſecre-*

Scriptores Vitæ. Beda, Heddi, Fridegodus, Odo, Edmerus, Vuillelmus, Petrus Bleſenſis.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. tis. Heddium diu exspectatum, si fors contingat, ut ope amicorum recuperemus, dabimus, Deo dante, in Appendice hujus Saculi, aut alterius insequentis, cum Fridegodi carminum reliquiis.

Vvilfridi dies natalis. 2. Vvilfridi diem natalem exprimunt tum Martyrologia recentiora, tum vulgata Bedæ historia IV Idus Octobris. tametsi hæc verba intrusa sunt in textum Bedæ, quæ apud Abrahamum Vvheloeum intra parenthesim conclusa, desunt in exemplari nostro Germanensi, uti & in Aluredi versione Saxonica. Dies certè prædictus est translationis, quo teste Eadmero corpus sancti Vvilfridi decentiori loco repositus à Lanfranco est. At quo tandem die vir sanctus ad superos migravit, silent Vitæ scriptores omnes. unus inter vetustos fastorum sacrorum conditores designat diem VIII Kal. Maii, is nempe qui nomine Bedæ vulgatus est metrici Martyrologii auctor in tomo 10 Spicilegii, his versibus.

Egbertus, digna virtutum laude coruscus,
Altrigerum octavis veneranter scandit olympum.
Quóque die Præsul penetravit WLFRIDUS alma,
Angelico vectus cœtu trans sidera cæli.

Celebrior tamen videtur fuisse sollemnitas translationis IV Idus Octob. ut patet ex titulo, quem Eadmerus post Prologum Vitæ præposuit.

Monastica professio. 3. Monachi vitam ab anno ætatis quarto-decimo egit Vvilfridus, & Regulam sancti BENEDICTI mirificè propagavit. quo verò in loco monasticum susceperit habitum, non ita liquet. Et primò quidem annos natus quatuordecim apud Lindisfarnenses Monachos diligenter ea quæ monasticæ castitatis ac pietatis erant, & discere curabat, & agere, inquit Beda in lib. 5 cap. 19. necdum quidem attonsus, verùm eis qui tonsurâ majores sunt virtutibus, humilitatis & obedientiæ, non mediocriter insignitus. In quo Monasterio cùm aliquot annos Deo serviret, animadvertit minimè perfectam esse virtutis viam, quæ tradebatur à Scottis: proposuítque animo venire Romam, & qui ad Sedem apostolicam ritus ecclesiastici sive monasteriales servarentur, videre. Illic perfectam vitæ monasticæ, hoc est Benedictinæ adeptus normam, reversus Lugdunum à Dalfino seu Annemundo loci Episcopo tonsus est. Postea Alchfridus, Osvvii Nortanhumbrorum Regis filius, Vvilfridum in Britanniam regressum, virum, ait Beda, doctissimum, magistrum habuit eruditionis Christianæ. Hujus doctrinam omnibus Scottorum traditionibus jure præferendam sciebat. unde ei etiam donaverat Monasterium quadraginta familiarum in loco qui dicitur in-HRipum. Hæc Beda in lib. 3 cap. 25, ubi Vvilfridum Abbatem consequenter appellat. ut proinde monastica insignia eo in Monasterio suscepisse dicendus sit; paullo pòst ab Agilberto Gallo, occidentalium Saxonum Episcopo, in præfato suo Monasterio Presbyter factus rogatu Alchfridi. Scottis in Synodo Streaneshalensi confutatis, in Monasterium Lindisfarnense, ubi Scotti Monachi degebant, Monachos nostros induxit. Unde ipse apud Vvillelmum gloriatur, quòd primus in Nortanhumbria verum Pascha Scottis ejectis docuerit, & sanctissimi BENEDICTI Regulam à Monachis observari jusserit. Complura ædificavit Cœnobia, HRipense, Hagustaldense, in suo ipsius Episcopatu; alia in Cantuariensi; Selesciense apud australes Anglos, & alia in Regno Merciorum. Huc spectant epitaphii ejus hi versus:

Inque locis istis Monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cavit quæ Regula Patrum,
Sedulus instituit.


Quo in loco Regula sancti Benedicti, quam Vvilfridus tum in Britannia, tum Romæ didicit & excoluit, Regula Patrum appellatur, uti & disertè apud Ambrosium Autpertum in libro de vita sancti Paldonis Abbatis & successorum.

4. Ad seriem gestorum Vvilfridi quod attinet; natus est anno DCXXXIV aut insequenti. siquidem obiit anno DCC IX, annos natus septuaginta quinque. Adolescens annorum quatuordecim Lindisfarnense Monasterium petiit, ibi aliquot annos moraturus. Inde Romam petiit anno circà DCLIII, paullo ante aut certè paullo post mortem Honorii Cantuariensis Episcopi, quam eo anno reponit Beda in lib. 3 cap. 20. Annis fere quatuor tum in Lugduni mora, tum Romæ exactis, reversus in Britanniam HRipense Monasterium ædificat, & Abbatis nomine administrat. Anno prope DCLX Colmannum Scottorum antesignanum refutat in Synodo Streaneshalensi. tametsi Beda in lib. 3 cap. 26 signat annum DCLXIV. Verum Beda non satis sibi constat, dum eo loci scribit, Agilbertum Episcopum Gallum huic Synodo interfuisse, ejúsque jussu Vvilfridum adhuc Presbyterum Colmanno restitisse. & tamen Vvilfridum

Episcopum ordinatum esse anno ipso DC LXIV *Compendii in Gallia, ex cap. 28, ab Agilberto jam Parisiorum Episcopo,* qui finita ac soluta concione domum, *id est in proprium Episcopatum, quem apud occidentales Saxones obtinebat,* rediisse *dicitur cap. 26. Certè in Epitome Saxonica Bedæ historiæ subjecta, Agilbertus* anno DC LX abiisse à Kenwalchio, & Parisiorum Episcopatum in Galliis ad Sequanam flumen suscepisse *perhibetur. Vuilfridus* anno DC LXIV *ordinatus Episcopus Eboracensis, cùm ex Gallia reversus didicisset Ceaddam Ecclesiæ suæ consecratum Episcopum, secessit in HRipense Monasterium. dein à Vulfario Merciorum Rege accitus, postea venit in Cantiam, ibique* Presbyteros & Diaconos ordinavit, usquedum Theodorus adveniret, *ex Beda lib. 3 cap. 28, & lib. 4 cap. 2. à quo Ceadda Eboraco pulsus, & Vuilfridus in sede sua institutus.* Anno DC LXX *Osvvius Rex Nortanhumbrorum cùm Romam ire vellet, Vuilfridum itineris ducem sibi fieri rogaverat; sed re infecta moritur, apud Bedam in lib. 4 cap. 5.* Anno DC LXXIII *Vuilfridus Concilio Heorutfordensi, Theodoro præsidente,* per proprios Legatarios adfuisse *memoratur ibidem.* Anno DC LXXVII orta inter ipsum & Egfridum Regem dissensione, pulsus idem Antistes à sede sui Episcopatus, & duo in locum ejus substituti Episcopi, Bosa, qui Deirorum; & Eata, qui Berniciorum provinciam gubernaret, *cap. 12. Interim Vuilfridus post biennium Romam pergit causam dicturus. Confecta re provinciam australium Saxonum convertit ad Christum, ac Seleseiense Monasterium ædificavit favente Edilvvalcho Rege: ac Ceadvvala itidem conspirante Vectæ insulæ populum Christianis institutis imbuit cap. 16. Anno* DC LXXXVII, *post mortem Cuthberti Lindisfarnensis Episcopi, Episcopatum Ecclesiæ* illius anno uno servabat venerabilis Antistes Wilfridus, donec eligeretur qui pro Cuthberto Antistes ordinari deberet, *cap. 29.* Post longum exsilium, *annorum videlicet ampliùs decem,* in Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ receptus *est ex lib. 5 cap. 3.* Anno secundo (*malim* duodecimo) Aldfridi, qui post Egfridum regnavit, *alius ab Alchfrido ex notandis infrà in Elogio sanctæ Cuthburgæ, id est anno* DC XCVII, sedem suam & Episcopatum ipso Rege invitante recepit. Sed post quinque annos denuo accusatus ab eodem ipso Rege & plurimis Episcopis, præsulatu pulsus est. veniénsque Romam *anno circà* DCC III, *à Johanne Papa absolutus repedavit in Galliam. Meldis ad extrema vitæ redactus, inducias annorum quinque à Deo meruit. postea in Concilio Niddensi restitutus principio regni Osredi Aldfridi filii, id est anno* DCC V, *mortuus est anno ejusdem Osredi Regis quarto,* post quadraginta & quinque annos episcopatûs, *teste Beda in lib. 5 cap. 20, & quidem* VIII Kal. Maii *anni* DCC VIIII *ineuntis. Certè* quindecies ternos Episcopus annos egisse *perhibetur in epitaphio suo apud Bedam relato.*

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

PRÆFATIO.


NSCIUS egregios ægris conatibus actus
Ordior en, mutilum quò fert fiducia sensum.
Ausibus infidis aderit sed calculus ignis,
Forcipe vatidicum solitus purgare labellum.
Cunctipotens opifex, arcani pandulus index,
Spiritus internis animans dulcoribus antra,
Cordis amara mei, ne quid displodat inepti
Lingua tenax justi, quo non fervente serenas
Efficit haud Phœbus tædas aut Cynthia parcas.
Sæcla priora quidem, lubrico phantasmate lusa,
Excoluêre suos vano terrore tyrannos.
At postquam summi voluit Regnator olympi,
Virginis intactæ talamos invisere gratis;
Dissepsit varios eliso principe lurcos,
Pérque Crucis lignum legis solvit maledictum.
Astriferas ubi glorificus recucurrit ad arces,
Præsens ipse suis jugiter cultoribus almum
Nubibus è summis direxit splendidè Flatum.
Isque quater ternos ignita luce clientes
Imbuit, & dignis numerum successibus auxit.
Hujus inexhaustæ prædulcia pocula venæ

ANN CHR. DCCIX. APR. XXIV.

Sensit WILFRIDUS famâ super ardua notus:
Est votum nobis, si suppetat auctor herilis,
Nomen & elatas cujus depromere palmas.
Huc ades, ô formose, Dei per climata testis.
Namque, fatebor enim, tua me pellexit honestas,
Scilicet indulcanda modis odisque canoris:
Cælo vita micans, terris oratio præstans.
Ergo age deciduas precibus suppleto loquelas,
Adfer præsidium, ne sit sub fasce ruendum.

CAPUT I. Vvilfridus in Britannia ortus luce indice.

TELLUS æquoreis circum gyratur ab undis,
Multipetax olim scelerum, cultrixque deorum,
Anglicus extruso colit hanc anhleta * Britanno.
Hujus in occiduis convexi partibus orbis
Naturæ solitum WILFRIDUS pertulit ortum.
Anxia dum genitrix parit hunc connixa sub umbris,
Flammivomis lampas radiis præsaga futuri
Cælitus enituit. Vicinia protinus omnis
Præpete concurrit nutanti pectore gressu,
Ignis edax socii subeat ne culmina tecti.
Hærent immoti, nondum miracula Christi
Amplexare cati *, cùm non stupuêre cremari.
Est, aiunt, Papæ! divini numinis omen.
Interea taciti muliebri murmure discunt
Fortunata viri, quoniam nascentis imago
Tali promeruit donari fortè sacello.
Hac face lœtiferas pepulit puer iste tenebras
Cordibus è multis, gliscens virtutibus almis.

* an athleta

* id est docti

II. Piè institutus,

Jam quia mellito dulcescit nectare guttur,
Prosequar argutâ juvenem modulando cicutâ.
Hic membris etenim comto glaucomate firmis,
Æquævos habitu studuit superare venusto,
Nil puerile gerens: facundæ munia linguæ
Adspirante Deo gestis explebat apertis.
At perfecta virum postquam perfecerat ætas,
Natales statuit functa genitrice penates
Linquere, & assiduis Domino famularier horis.

novercâ relictâ,

Quartum post decimum jamjam transegerat annum,
Immitis furias malens vitare novercæ,
Cum sociis cessit sueta comitate decoris
Armatus properans juvenis, ceu nobile germen
Nobilium: sed operta fides umbone latebat.
Inde patris dextrâ piè commendatus avitâ,
Aulica perspicuis penetravit pergama plantis,
Insignis populi qua tempestate regebat

palatium petit,

Dux præclara nimis ÆONFLED cognomine habenas.
Hujus magnificis actutum vultibus almus
Offertur, multòque dehinc lepore beatur,
Acceptus cunctis fidei pollebat in actis.
Ac tum fortuitu memorandæ CUDDA senectæ,
Vir probus ingenio, Regum meritòque satelles,
Lubrica cœnosi postponens gaudia sæcli,

Maluit angustæ certamen inire palæstræ, ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.
Normalis sese dedans * sub regmine [a] vitæ. dein Monasterium sub Cudda.
Is juvenem sacro suscepit amore docendum. * eadem vox infrà cap. 7
Exin tiro Dei fultus fervore fidei, a
Ut verus Samuhel servabat jura magistri,
Fratribus æquali cunctis subjectus amore.
Jam gravis electam purgarat sarcina mentem,
Excoctúmque diu solito flagramine pectus
Concipit internas JESU spirante salebras. III. Romã peregrinatur.
A virtute volens virtutis in alta migrare,
Romuleum statuit concurrere gratis ad altar,
Scilicet ut veteris lustraret busta piacli,
Augmentúmque suis quiret conquirere votis.
Hæc pia præfato narravit sensa Magistro.
Archades hinc ambo voto statuêre sub uno,
Culmen apostolicum peteret, creperúmque piaret.
Et Regina quidem faustum conferre levamen
Prætaxata volens, Regi mandata propinquo
Dirigit, ac Domini placidum committit alumnum.
ERCHUMBERTUS erat, plebis qui sceptra tenebat. ab Ercomberto detentus quadriennio,
Hic sine fraude virum coluit, sine peste refecit.
Tandem triquadro postquam servaverat anno,
Pluribus emisit sociis fretum duce quodam,
Barbaries BISCOP BADUCING [b] quem inculta vocabat. b
Prospera flabra [illegible]irum litus jecêre sub aptum.
Gallica rura petit, Lugduni culmina scandit.
Mox juga corripuit, comitum deliquia sensit,
A duce deseritur, Christi tamen ore locatur.
Tibia veriloquo cecinit miracula plectro: IV. Lugduni à Dalvvino.
Vis tamen innatæ reticet haud mystica musæ
Pangere magnificas athletæ nobilis odas.
Mœnia præfatæ Præsul memorabilis urbis
Christicolámque gregem septis servabat amœnis,
Francorum DALWINUS adeps: qui sicuti furvas
Pallenti lychino depellit rite tenebras.
Postquam fama volans pulsavit Præsulis aures,
Accit continuò, præbens solamina Justo,
Excipit hospitio, dapibus fovet, oréque mulcet.
Præsensit quippe præcordia casta juventæ,
Illustrísque viri faciem perfectè micantem.
Heus, inquit, hospes, mecum sis perpetè sospes.
Dum juvat, uberibus pro votis utere glebis,
Farris & excreti communis copia vini.
Si verò consueta placent connubia fortè,
Ne differre pares. generosi sanguinis altam
Immensis opibus cognatam trado puellam;
Méque patrem tibimet, temet mihi dedico prolem.
Hæc placidus heros expromserat ore jocundo.

a Nempe in Monasterio Lindisfarnensi ex Beda in lib. 5 cap. 20 & aliis Vitæ scriptoribus. Beda tamen in lib. 4 cap. 23 viris sub Hilda Abbatissa Streaneshalæ institutis adnumerat Vvilfridum Eboracensem Episcopum, primum an secundum.

b Novum nomen Biscopi, quem & Benedictum vocat Beda in historia Monasterii sui & alii, nusquam Baducing.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Tiro dehinc agilis voti non immemor infit:
Ardent excoctis fibrarum omenta * laternis,
Abdita conceptis dum detrahor, optime, votis.
Tethys cur tumidas Zephyro minitante salivas
Expetii? frustra me sæva salacia pressit,
Cosmica si spreto repetam contagia Christo.
Sedis apostolicæ viso primùm cliothetro [a],
Aëriâ merear si longulè vescier aurâ,
Te, Pater, ex animo soboles devota videbo.
His ita compactis, opibus pro velle paratis,
Præsulis auxilio perrexit calle secundo.

* omentū, *membrana interiora tegens*

V. Romam tamen peraccedit,

Quamvis informi Terpsicore paucula versu
Luserit, ardet amor quo pluscula cara superstes
Expediat, famulúmque Dei super æthera tollat.
Namque iteris longos explevit honestè meatus,
Optatámque diu Petri properavit in aulam,
Tripudians pandis calido sub pectore venis.
Præterea Andreæ germana diaulia sancti
Ingressus, dictu mirabile! poplite cosso *,
Ingentes animos labiis patefecit apertis.
En ego commissis veniam deposco piaclis,
Inquit, & excelsi testor per sceptra Tonantis,
Solve meæ precibus molimina tarda loquelæ,
Si quid habes fidei, pie Doctor, Apostole Christi.
Hæc mox explicuit, non seriùs edita sumsit,
Ingenium fandi capiens paritérque legendi.
Anglicus indicio superest adhuc quoque Clerus,
Divinas pangens Latiis sermonibus odas.
Ille vaporatis afflatus haustibus erga
Auctorata volans altaria, liba piarum
Fundere jure precum studio satagebat inormi.
Unde sibi præceptorem lucratus ad unguem,
Bis didicit bini pia dogmata doctè fluenti,
Ritus paschales, varium lunæque recursum,
Ignarásque suis latiatim sanè rubricas.
Nomen erat tanto BONIFASIUS huic pedagogo *,
Profuit iste viro nimiùm, quem glorificandum
Sub sacris Papæ venerabilis abdidit alis,
Exponens longos animi ferventis agones.
Quíque fidem cernens, dextram prætendit, & ipsum
Liberiùs latâ perfudit blandè caritâ. *
Fultus sic pretiis Sanctorum ex artubus almis
Relliquiis, pernix reduces suprà memorati
Convertit gressus cara ad habitacula Patris.
Commodè cuncta meat, Lugduni celsa subintrat.

* sic

ubi à Bonifacio edoctus,

* pædagogo

Papæ donariis honoratus,

* sic

Lugdunum revertit.

VI. Quid narrem lacrymas alterna fronte profusas?
Gaudebant ambo, Wilfridus amore paterno,
Nec minùs ipse Pater dilecto pignore viso:
Quémque priùs animo mærens laxarat amaro,

[a] Cliothetrum seu cliothedrum, sella plicatilis. vox malè compacta ex κλείω & ἕδρα. Fulcherius Carnutensis in lib. 3 historiæ Hierosolymitanæ cap. 61, *considente autem Bohemundo super cliothedrum suum, &c.* Lege Hadriani Valesii Notas in librum 4 Panegyrici Berengarii Augusti.

Permulcet, blandis dans basia casta lacertis. ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.
Nunc singillatim modò miscent læta vicissim.
Serò quidem rediit, verùm tria lustra [a] peregit
Hospite cum prisco, discens examine multo, [a] Post annos tres tondetur.
Abdita multimodæ scrutarier antra sophiæ.
Urit amor juvenem, nec tardat grata cupido,
Occuluit quod tecta pio synthemate virtus
Prodere. Nam crines summo de vertice passos
Pontificis dextrâ primùm titulante recidit,
Optans vivificæ sustollere stigma coronæ.
Archipater gaudet heredem nactus opimum,
Cui queat eudoxas moriens committere caulas.
Arbiter ast rerum præsciverat hunc aliorsum
Vomere salvifico sulcare novalia Christo.
Francorum tum fortè scelus vastissima pestis
Augebat, BALTHILD Reginæ nomine pistrix [b], [b]
Olla velut fervens stygia fuligine tosta,
Instabat laceris agios laniare creagris*. * creagra *harpago*
Non nostrum facinus metro discludere tantum.
Ecclesiæ novem violaverat ense Patronos *, * Episcopos
His licèt exceptis, quos non capit ars numeralis.
Horum præfatus sine casu criminis unus,
Dalwinus fuerat verbo, re, spéque beatus,
Quem fera multatrix lictoribus impietatis Dalfino cæso,
Addixit sævas mucronis pendere pœnas.
Hi mox arcessunt crudelia jura furentis,
Multivolæ Domini beluæ, quàm jura tueri.
Ergo petens diri præfixum scamma duelli,
Accepit socium, quem fecerat antè propinquum.
Rennuit ipse tamen, huic ne foret exitus idem.
Sic Pater æternam sumsit moriendo coronam,
Filius & fortes vixit tolerando labores,
Cum mærore gravi condivit funera cæsi.
Protinus ipse parans reddi natalibus oris, Britanniam repetit.
Cæruleum rapidis sulcabat nerea * remis. * mare
Litora felici patuêre salubria cursu.
Fasces imperii Reges tum fortè gemelli, VII.
ALFRIDUS imperitans, unà genitor simul OSWIU, Regiâ adit.
Fœdere consorti servabant scitáque vulgi,
Ardentes animis subdi cælestibus orgiis *. * *id est* mysteriis
Nec potuit latebris abdi fax missa nefandis.
Mox Proceres inter rumusculus exiit aulæ,
Scilicet adventasse virum virtute vigetum *, * vigentem
Optima clavigeris qui fatur dogmata cæli.
Regalis sanè subiit proscenia fundi,
Pax domui tunc, infit, huic, carptímque loquelas
Tractat evangelicas, quas indice discere Christo
Promeruit, latæ penetrans gymnasia Romæ,
Quæque sub argutis congesserat optima Gallis.

[a] Id est tres annorum recursus, ex Beda & Eadmero infrà.

[b] Sic vocant beluam marinam ingentis magnitudinis. Hæc quàm immeritò Bathildi Reginæ piæ & sanctæ aptentur, demonstratum est in ipsius Vita Sæculo 2.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Attonitus stupidis Princeps sermonibus ultro,
Non puduit glauco telluri sternier ostro,
Ore petens agii confestim se benedici.
Explevit. Cum Rege manens, sat multa benigno

à Rege prædia accipit & HRipense Monasterium.

Obtinuit merito pecuaria, prædia, census,
Atque Monasterium [a] vulgari nomine HRIPIS.
Qui non æratas instabat condere gazas,
Dapsilis ast cunctis, dedans hermenia * vitæ,
Pauperibus largas præbebat sedulus escas,
Exemplo pandens cogitet quid spiritus ardens.

* *id est* expositiones

Materiem fandi dabit amodo gratia tanti.

VIII. ab Ægilberto Gallo Episcopo Presbyter ordinatur.

Interea Boreæ Præsul defertur ab oris.
ÆGILBERTUS erat, doctrinæ robore mactus,
Adstabat Ducibus, suadens quæ mandat IESUS.
Is mox Wilfridi vitam meritúmque notavit
Præcipuum. Sermone Ducis sententia fertur,
Utile personam gradibus donando beari
Divinis, quam non hebetet censura palustris.
Allegat Præsul facilis: verùm ille juventæ
Excursus trepidat, ne forsan mobilis ætas
Præcipitem pravæ retrahat per competa sectæ.
Tandem colla jugo subdens delecta petito,
Ordinis aptatur cælebs in honore secundi *.

* *id est* Sacerdotii

Tum magis atque magis fructu meliore gravescens,
Sufficiebat ovans cunctis documenta salutis.

IX. Schismate exorto de Paschate, [b]

Orta dehinc pestis [b] geminum discludit in orbem
Unicolam veræ fidei sat morbidè plebem.
Dúmque tremunt bifido corruptæ schismate partes,
Eoo coière simul, gelidâ sed & Arcto,
Scottica plebs, & Picta cohors, vulgúsque Britannum.
Hinc regale decus, ephœborúmque manipli,
Turba senum, Præsul violento deditus Euro.
Stant acies dubio certatim fine retentæ,
Publica declivæ fiunt divortia lunæ.
Inde loquax positæ COLMANUS Episcopus umbræ,
Dat præcepta prior subito lapsura fragore.
Nos seriem patriam, non frivola scripta tenemus,
Discipulo eusebii Polycarpo dante Johannis.
Ille etenim bis septenæ sub tempore phœbæ,
Sanctum præfixit nobis fore Pascha colendum:
Atque nefas dixit, si quis contraria sentit.
Doctè quidem morem narrans depromsit avitum,
Utpote præteritæ recolens choragia zoæ *.

* vitæ

Sed non æquatis appendit lancibus æqui
Testamenta Dei, veris æquata chylindris.

[a] Non Monasterium, sed Monasterii locum, quem Alchfridus paullo antè *eis qui Scottos sequebantur, in possessionem Monasterii dederat*, teste Beda in lib. 3 cap. 25. Eo in loco postea Vvilfridus Cœnobium ædificavit. Unde ipse in epistola ad Johannem Papam apud Vvillelmum: *Ego Monasteria duo in ea provincia posita, Ripis & Hagustaldeia, quæ fundavi, non amittam.* Loci regimen ad mortem usque retinuit Vvilfridus, quo mortuo Tatbertus Abbas ab eo designatus Monasterium rexit, ex Monastico Anglicano. Nunc *Rippon* nomen hæret opido supra Eboracum, inter Urum & Scketl fluviolum locato.

[b] Hanc de Paschate controversiam latè refert Beda in lib. 3 cap. 25.

Condo-

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Condoluêre Patres, cæco quia numine Fratres
Nituntur validis tabularia menda tueri,
Obicibus faciles nec cedunt posse refelli.
Heroum jussu clivosi tramitis atque
Anfractus lubricæ prudenter devia sectæ
Wilfridus legitur spermologus arte sagaci
Pellere, nota peregrinæ cui famina glossæ.
Hinc dubios inter cuneos orator adorsus:
Ter centum memini ter senos atque gerontas *,
Limpida collectim Nicææ exempla tulisse.
Quæ si perspiciant, mox eluctabitur omnis
Desidiæ scabies, torvis illata chelydris *.
Metarunt etenim ter seni themata cycli
In sese refluos juncto monade recursus.
Hîc tenet: ignorat sed hunc gens indiga veri,
Cæcutiens lippis quid differt discere ocellis.
Dixerat, effertur legionum valde favore.
Addit præterea plano sermone profatus:
Hæc immota manent cunctos oracula soles.
Stirps quæcumque volet fixos obvertere fines,
Tartara flammiferis sudibus sub acerba rotetur.
Quo dicto siluit Princeps, caníque sequaces
Frigida convulsis vexabant pectora pugnis.
Solvitur in tenerum confestim concio luctum.
Dulcia post modicum Rex mitis protulit ora:
Condecet eniti pœnis acherontis adusti,
Exemtas justis mentes miscere suadelis,
Dicite, quæso, Patres .·. * fervore calentes,
Numquid olympiaca Petro quis major in aula?
Quem nos & prisci dudum legêre tyranni.
An COLUMCHILLA [a], quo plebs infausta superbit?
Synodus elata respondit voce beata:
Petrus ab altithrono donatus desmate * JESU,
Difficit ignavæ torquentia lora senectæ,
Suscipit elisiis justum spiramina zetis *,
Utpote cælestes retinens pro munere claves.
Hunc, inquit, plebes, hunc amplexemur & omnes,
Ne non vitalis pandatur regia * templi.
Rex ait, & victi cesserunt improbè Picti,
Colmanúsque suas inglorius abjicit arces *,
Malens Ausonias victus dissolvere leges.
Auxit rorigeri per quem micat astrea cæli
Victoris specimen, quem jam transvexerat Alpem.
Nam postquam dicto sedes viduata Patrono *;
Consulto Regis, necnon hortamine plebis,
Lactea suspensis qui præbeat ubera mandris,
Wilfridum patriâ creverunt voce legendum,
Lilia suppressis & norit comere lappis.
Territus ipse quidem viridis pro tempore succi,

Vvilfridus Scottus revincit.

* senes

* diabolis

* f. fidei

a

* id est potestate ligandi & solvendi.

* mansionibus

* id est porta

* Monasterium Hiiense deserit.

X. Eboraci designatur Episcopus.

* Episcopo

a Sic fere Columbam Abbatem & conditorem Hiiensis Monasterii appellabant, testante Beda in Historiæ lib. 5 cap. 10 his verbis: *Qui videlicet Columba nunc à nonnullis composito à cella & Columba nomine Columcelli vocatur.* Acta ejus exstant in Sæculo nostro secundo.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Mille movens animo balearica tela nefandi
Hoſtis, & ignotas ægrotis ſenſibus auras.
Sed ne blaſphemæ ruat in prærupta catervæ,
Aut vitet ſceleris madidas luſtrare lacunas;
Suſcepit humilis quid ſors jubet imperialis.
Ergo manet ſolitus ſuccincto ſudor alumno,
Emicuit quamvis genialis flamine vertex.
Convenêre dies graduum, quibus ardua moles
Excipienda viro. Tunc fatur Regibus ultro:
Inconcuſſa, Duces, veſtri ſententia, quæſo,
Si fortunatis agitat mea dogmata fatis,
Primùm præteriti fas eſt meminiſſe laboris.
Nam ſupereſt recidiva lues dum iiſque veterna,
Monſtris haud patiar maculatis colla * beari.
Gallica non paucis pavit me glarea ariſtis *,
Heſperiúmque decus laribus ſervatur in illis.
Illac commiſſi properans ſandalia juris
Accipiam, pontus ni fortè repagula noſtris
Claſſibus opponat, valido turbone coactus.
Indulgent Proceres, Magnates, necne calones.

In Gallia vult ordinari.
* caput ſacrari
* annis

XI. Fretum trajicit.

Mox rebus geſtis ornatur regia claſſis,
Cælicolæ ſocias læta exceptura phalanges.
Navita felicis defixit ſtigmata clavi,
Multiplices nectens malo trutinante rudentes.
Solvitur, & laxis faſtigia ſpumea verrunt
Ocius antemnis pelagi, nec inepta capeſſunt
Litora, gratanti ſubeunt & pectore portum.
Interea placidi patuit legatio nautæ.
Pontifices coëunt alacres, ut nota voluntas
In conventiculis adſumitur immaculatis,
Pertonuítque tubis ædes pretioſa beatis.
Stat duodena cohors multis ſtipata columnis,
Exſultant jubilo miſcentes organa ſiſtro,
Myſtica veriloquo traduntur & arma miniſtro.
Occiput effuſo gratis pingueſcit olivo,
Candiduli primùm renitent ornacula lini,
Auriſluæ rutilant ſerrano murice zonæ,
Comuntur roſeo candentia podere colla,
Gemmatâ vehitur archontum more curuli,
Induit ormiſcum [a]. ſubiit hoc ſchemate Templum.
Poſtquam ſigna tulit multo radiata metallo,
Adſtitit, eucharis * libamina conſecrat aris,
Omnibus expletis remeat, navémque ſubintrat.

Conſecratur.

* Euchariſtiæ.

XII. Rediens tempeſtate jactatur.
* mare

Sed quia felices tentatio comprobat omnes
Indiviſa comes; dum tenſis alta pererrant
Marmora * Pſalmigraphi recolentes orgia velis;
Ecce repentinis pontus fundotenus undis
Infremuit, caſus agitans artemo minaces
Longè ſub ignotis minitat labentia ripis
Agmina dira pati vicinæ impendia mortis.

a Calceos epiſcopales an monile? nam ὅρμος corrigiam calceamentorum & monile ſignificat. De calceis ſuperiori in capite dixerat Vvilfridus, velle ſe *commiſſi juris ſandalia accipere in Gallia.* nihil verò ſandaliis hoc loco reſpondet præter *ormiſcum*, an *hormiſcum*.

Incumbunt remis, vexatur languida puppis. ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.
Cruribus ipse Pater navalia procubus arma
Confirmat positis, intentans lumina cælis.
Ecce sub infausti contraria litora portûs [a] à prædonibus impetitur.
Gens effera suis casum spectabat in armis,
Prædari fragilem captiva plebe carinam.
Quos Pater intuitus, humili sermone precatus:
Naufragium servatis, ait, sed sponte mearum
Grandia contribuam, resipiscite, munera rerum.
Nos equidem gravis afflictat violentia ponti:
Sed velox aderit, fateor, miseratio Christi.
Stans volucres augur solitus servare sinistras,
Despumat tumidis oracula sæva labellis:
Eumenides furias vocitat sub murmure Parcas,
Manibus infernis ut fortis mandat Erinis *, * Erinnys
Expedit ammisso * plebs cara cruore litari. * admisso
Hoc ait, & properans bellum ferale perurget.
Præsul item sanctas tendens ad sidera palmas,
Invocat auxilium divinitus adfore magnum.
Hæc inter tereti juvenis scutale lapillo
Ornat, & infandi torquens per inania Vatis,
Figens sincipiti trajecit in antra cerebri.
Corruit útque vafer, clamoribus æstuat æther.
Cara dehinc recolit Pastor miracula David:
Incubat ipse magis, avertitur impia pestis.
Conclamant acies truculento marte ruentes,
Vocibus infestis concursant agmina Regis.
Quid plura? quoties crudelia bella lacessunt,
Excipiunt ictus JESU vigilante cruentos. victor portú attingit.
Unde quater victi remeant, victórque sereno
Evehitur pelago, frustratus remige quino,
Optatúmque tenent repetito limite portum.

Hi quoque quos pridem regalis concio victos XIII.
Expulerat, fraude tantum potuêre mereri.
Gallica detentus ponto dum rura vagatus,
Temperiem lentè speraret adesse jocundam,
Mutavit malefida locum defectio Regis.
Constituunt etenim perverso canone COEDDAM, Ceadda Eboraci substituto,
Moribus acclinem, doctrinæ robore fortem,
Præsulis eximii servare cubilia: sicque
Audacter vivo sponsam rapuêre marito.
Obvia turba Patri luctu quatiente revelat,
Divertítque humilis sub nota mapalia HRipis. in HRipense Monasterium secedit.
Usque adeon' potuit quisquam nescire moveri?
Non hunc subreptæ tanto discrimine sedes,
Non illum sumti multo luctamine fasces,
Aut labor, aut tumidi conterruit ira profundi:
Spe meliore manet latebris contectus in illis. à Vulfario Rege Merciorum expetitur.
Sæpe licèt proprias videtur pascere ovillas,
Nulla datur requies, vicino urgente colono.
Quæritur à Ducibus, quorum WLFARIUS unus,

[a] Nulla hujusce tempestatis conflictúsve mentio apud Bedam.

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV. Nobilibus pollens per Mercica Regna triumphis;
Vix potuit fato Pastorem efferre locello.
Qui postquam meruit tanto Doctore potiri,
Affectu coluit, terris & honore ditavit.
EKBERTUS verò, quem Cantia rura timebant,
Cantiæ ministros ordinat. Dum Pastore caret, flexo rogitamine poscit,
Ordinet ut sacros decreto more ministros.
His ita digestis, natales prosperè fines
Asseculis fultus repetit fastu sine multis.
Monasteria construit. Plures instituit normali tramite Cellas.
Vitam privato servare monebat asylo.
Se quoque continuis ter ducti solibus anni
Accinxit solitis fidei pugnacibus armis:
Nec cessit diri spolians capitolia furis.
XIV. Emensis igitur prædicti temporis annis,
à Theodoro sedi restituitur. Mittitur Ausoniis Pastorum Præsul ab oris
Cultor justitiæ THEODORUS ac pietatis.
Comperit ut Justum collata sede revulsum,
In commune dolet violatæ fœdera legis.
Mox foribus raptis Cœddam dimovit, & aptè
Præfecit sedi longum Pastore vacanti,
Wilfridúmque suis redimivit protinus aulis.
Sic patiens meruit collato júre pacisci.
XV. Redditus ergo suis, instabat promtiùs illis.
Templum resarcit. Ecclesiæ verò fundamina cassa vetustæ,
Culmina dissuto violabant trabe palumbes.
Humida contrito stillabant assere tecta:
Livida nudato suggrundia pariete passa
Imbricibus nullis: pluviæ quacumque vagantur.
Pendula disscissis fluitant laquearia tignis,
Fornice marcebant cataractæ dilapidato.
His ita contuitis, exhorruit ilicet alti
Viribus ingenii reparare peribula templi.
Incumbunt fessi vasto sudore latomi,
* *sic* Nec minùs approperant opicizi * emblemata proni
* vitreo Arcus incultos hyalino * claudere velo.
* colúnas Pondus & informes atlantes * ferre priores
Jussit & expletum: lymphis perfunditur absis,
Albantúrque suis lustrata altaria peplis.
Exin glorifico persolvit munia Christo.
Crescit summa viri, crescit dilectio Sancti,
id est prosperitas Virtutum genitrix almorum florida nutrix.
* amaritudo *id est* adversitas Non igitur cœptum dissolvit dexia * votum,
Picria * néve tulit. seu dissologia * rupit,
* discordia Theosopho spirans animo cognata synergus
HRipensem basilicam sacrat. Oppida diffuso HRipis amplificare colurno [a].
Illic planatâ decusatim vomere terrâ,
Symmetriis perpendiculo perfectè libratis,
* ἡμέρας dies Ecclesiam statuit, talamum Christóque dicavit,
Tandem post paucas ornatis rebus imeras *

[a] Auctor Bucolicorum Quirinalium in prologo memorat *vasa colurna*, in tomo 1 antiq. Lect. Canisii.

Convenêre Duces [a], necnon basileia pubes, ANN. CHR.
Tristatæ [b] comites, vulgi promiscua strages, DCC IX.
Ecclesiæ Proceres ædem pro more beantes, APR. XXIV.
Ornârunt altare Petri sub honore canori. *a* *b*
Stans in cancellis dat cunctis sperma salutis,
Regibus edixit, repetitáque rura recepit,
Verbo necne cibo triduo turbam satiavit.
Optima quæque dedit libens exenia miris
Deflorata modis, capsâ cibus atque gemellis * * gemmulis
Codex aurato conseptus grammate scriptus,
Auctus * evangelicum servans in corpore textum. * *sic*
Cúmque benignivolo persolveret omnia corde,
Inflatur nullo JESU moderamine typho.
Quapropter meritâ donatus dignè choreâ
Floruit, ut quondam Moysi sub tempore lampas,
Pandens æternæ callem patriámque quietis,
Atque domos sibimet superæ regionis amicas.
Quid? loquar an sileam? verbi da, Christe, lucernam. XVI.
Exiguum dixi, liceat jam rumpere longas
Inscitia cogente moras, ne lingua pudorem
Præsumtrix tulerit. Neque enim modò sufficit ulla
Virtutum pelagus percurrere rite tuarum,
Quas meruêre tui per te complere coloni.
E numero quorum Wilfridus Marchio summus,
Nobiliter superæ ducens per pascua vitæ
Pastor alebat oves: ut propulit eminus hostes,
Monstrabat liquidis salvandos tinguere lymphis
In Patris & Nati necnon & Flaminis almi
Nomine, chrismales adhibens Pater ipse fluores. Baptizatos confirmat.
Quem populi pulcrâ medium cinxere coronâ.
Ecce per offusas denso tamen agmine turmas Puerum mortuum suscitat,
Plena metu mulier, defunctæ funera prolis,
Sandapilam fugiens, fessis ostentat in ulnis.
Stat turbis immixta fides, terrórque gementem
Afflictant tacitis circum præcordia flagris.
Tum Pater accessit, mox pallida conspicit ora.
Obstipuit [c], hæsitque loco temeraria latrix, *c*
Pronior incubuit, luctum singultibus auxit.
O Pater, elatam noli deponere dextram.
Orbatam nato matrem cur despicis uno?
En qui confirmas Christum fore * cunctipotentem, * esse
Imple fidem gestis, miseræ da pignus alumnæ.
Ingeminat querulas instanti murmure voces.
Concio concurrit gemitu collecta misellæ.
Fit plangor grandis. Tandem compassus herilis

a Petrus Blesensis: *Construxit Ecclesiam in Ripis ad honorem Petri. Magnates qui aderant in consecratione, terras plurimas in dotem Ecclesiæ contulerunt, scilicet Rible & Hasmundesham,* &c. *in regione Duninga.*

b Ita infrà cap. 47. *Tristata*, id est Proceres venationi Regiæ præpositi, uti colligimus ex Ethelredo Abbate Rievallensi in libro de genealogia Regum Anglorum cap. ultimo, his verbis: *In quo Rex cùm ceteris superior constitisset, secundùm legem venandi, quam vulgus* Tristam *vocat, singulis Proceribus cum suis canibus singula loca delegat, ut obsessa undique bestia ubicumque eligeret exitum, inveniret exitium.*

c Sic infrà cap. 47 *obstipuêre*, quasi stipitis instar rigescere.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Præsul, agit tacitas sancto sub pectore grates,
Perfida quòd novit JESUM rogitare caterva.
Móxque solo fixus claros in corde meatus
Tunc reserat, faciem lacrymis & corcula palmis
Afficit, Adonaïque pio clamore citavit.
Consurgens autem præsensit adesse salutem.
Timpora [a] cúmque manu palpâsset frigida; functus
Cæsariem movit, vitali redditus aura.
Vulgus inexpletas confusis vocibus odas,
Hæc ubi sunt patrata, dedit: puer ilico sacris
cúmque baptizat — Baptizatur aquis, miseræ dans gaudia matri.
Protinus acceptum secum portavit alendum,
Jussa Patri post septenos ut redderet annos.
Ast cogente fero contemsit dicta marito,
Exsul ad externos fugiens cum prole Britannos.
Nec multum latuit. posthæc non sponte reduxit
Præfectus puerum quidam Patris in dominatum.
& Deo sacrat. — Exin divinis illum famulatibus addit.
Pluribus exemplo puer isdem profuit almo.
Tunc fax emicuit, quæ inter crepitacula fulsit.
XVII. Anglum tum gemina fulgebat lampade Regnum.
Angliæ felix status. — Pontifices Regis consulto digna gerebant,
Rex quoque Præsulibus latriâ servibat honorâ.
Summa quies plebi legalia jura tenenti.
Frugiferis gravida gaudebant horrea glebis,
* nautæ — Epibatæ * faciles ausu sprevêre latrones.
Classica dira silent, nec formidatur egestas:
Promicat Ecclesia pacato fœdere nexa.
Lœtifer [b] invidit, conamina mille reclusit,
* diabolus — Rumperet ut sanctam perverso schismate pacem.
Aggeribus crassis nisa est gens Picta rebellis,
Anglorum solitas jam tunc non ferre catenas.
Egfridus Rex Nortanbumbrorum Pictos rebelles perdomat, — EGFRIDUS Imperii largas retinebat habenas.
Conjunx alma viro EDILDRID, famosa virago,
Addita conjugio vixit castissima virgo.
Princeps ergo leves animo flammante cohortes
Admovet, indomitóque reos mucrone trucidat.
Exclusêre duos cæsis ex hostibus amnes,
Manubiis farti Regis venêre manipli,
Dant stragem latè, redeunt in colla catenæ:
Perfruitur magno Rex victor longè triumpho.
Non armis etenim raro cum milite vicit:
Vvilfridi meritis, — Sed virtute Dei, meritis & Præsulis almi,
Obtinuit gentes vacuo turgore minaces.
XVIII. Nec minùs innumeras, dum Mercica Regna tumerent,
& Mercios. — Cuspide confossas stravit Rex iste catervas.
Quorum Dux cessit fugiens, ævóque sequenti

[a] Sic antiqui amant scribere *timpora*, quum adhærentes fronti partes significant, forsan ut distinguant à plurali vocis *tempus*. Puer iste vocatus est Ethelvvaldus, ex Vvillelmo; qui hoc factum in villa Tiddanefræ contigisse ait, & puerum in Ripensi Cœnobio Monachum postea vixisse.

[b] Sic passim mss. codices præferunt *lœtum*, per o e dyphtongum, ubi mortem significat, aliqui cum e simplici absque dyphtongo.

Addidit Arctois borealia sceptra triumphis, ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.
Fultus magnifico Wilfridi planè rogatu.
Virtus ergo viri nullo sudore remitti, XIX. Vvilfridus piè vivit.
Néve supercilio subrectis nisibus extra
Justitiæ verum diduci quibat Oëstrum*. * stimuli
Sanè per ignotas instanter mente pererrans,
Divinæ gentes sationis tempore passim
Dilatans, exercitium non segne gerebat.
Excubiis pernox gaudens instare secretis,
Corpus perspicuis castum purgabat in undis,
Ingeniti fervore laris ne torreat ustum.
Non ardor Phœbi, non algida tempora brumæ
Dulcia conceptæ rupêre volumina curæ:
Donec apostolicis jamjam defecta senectus
Præceptis tanto meruit squalore resolvi.
Nec solus poti scyphum consumere rivi
Fas fore decrevit: jejunia læta luebat,
Subjectósque viam præcurrens duxit in artam.
Conflua turba Ducum * soboles conferre sub ipsum * Regum
Gaudebat, mirata piam morum probitatem,
Seu servire Deo, seu nosse palatia justo.
Hæc quoque falsiloquis præbebant jurgia linguis.
Ast athleta Dei contectus vellere pacis,
Obsequium mitis odiis suffibat acerbis.
Præterea templum [a] cæsis instaurat arenis, XX. S. Andreæ basilicam condit.
Circumdans cæcis sinuato fornice cryptis,
Lenibus obductas pingens flavoribus aulas.
Mox recolit tardæ collata juvamina linguæ,
Andreæque pii vocitamen contulit aræ.
Invida mortiferi non defuit aura chelydri *.
Trullissant etenim muri dum futilis alta,
Corruit in præceps colliso corpore Frater.
Cruscula gressuros non norunt solvere tractus, Elisum sospitati redintegrat.
Elisisque tori * marcescunt horridè fibris. * collum
Ultima cùm timidæ traheret suspiria vitæ,
Concurrunt tristes ad hæc funebria plebes.
Præscia mens Patris statim cognovit in antris.
Extimplo lacrymis puro de pectore fusis,
Hortatur reliquos Dominum obsecrare dolentes,
Ut reparet læsam Pastor supremus ovillam.
Adfuit, & properam sumserunt membra salutem.
Erubuit lœtum vita mediante repulsum.
Quapropter magni laudarunt munera Christi.
Dæmonis ira fremens tantam vult subdolè gnosin XXI. Ermemburgæ Reginæ impulsu Egfridus Rex,
Fallere, delecto quo primùm milite cæso
Invalidi fragiles perterreat agminis hastas.

[a] Nempe *in Haugustaldensi opido*, teste Eadmero, quem locum Vvillelmus *Henglesteldem* appellat. *Vndalum* Beda in lib. 5 cap. 20, & Lelandi collectanea in Monastico Anglicano, à provinciæ nomine. Ethildrita locum concessisse dicitur ibidem. *Haugustaldehem*, inquit Vvillelmus in fine capitis de Episcopis Eboracensibus, *locus quinquaginta ab Eboraco miliaribus disparatus.* & infrà: *Nunc est Haugustaldem villa Archiepiscopi Eboracensis*, quæ tamen quondam sedes episcopalis fuerat. Huc spectat Alcuini epistola 32 *Ædilberto Episcopo & omni congregationi in Ecclesia sancti Andreæ Deo servientium.* Lege librum de miraculis Sanctorum Haugustaldensium, infrà.

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV.

Plurima maturans antiqua recurrit ad arma,
Corrupítque levem Regis morbosè jugalem [a].
Hæc virosa malæ jaciens tum tela pharetræ,
Corcula strophoso violavit vulnere Regis,
Rancidulis infesta modis, ceu garrula perdix,
Culpabat justum collatis rebus abuti.
Gloria namque viro totis à partibus orbis,
Agricolæ plures, fecundæ gramina terræ,
Procurvi Proceres, juvenum fetura locuples,
Insuper æthereæ Monachorum concio vitæ.
Postquam pestiferum penetravit corda venenum,
Adscivêre suis deceptum pronè loquelis
Veri doctorem, justi quoque pæne sequacem

Theodori consensu, Vuilfridi diœcesim in tres partitur.

THEODORUM, suprà cecinit quem rustica musa.
Annuit ipse quidem regalibus improbè cœptis,
Substituens ternos sub nomine Præsulis intra
Contiguos Patri fines illò usque monarchas *:
Audiit eutyches * quid Rex sibi contrahat, imas
Percontare volens nævo sine criminis iras,
Alta petit lento triclinia opiparè gressu.
Ecce faces tanti stimulatorésque pericli
Obriguêre metu, commentantúrque maligna.
Cur lædor, Pater inquit, ab his, quos nulla fatigat
Nostrarum, fateor, impune molestia legum?
Nos, aiunt, facinus quamvis cogente senatu

* Episcopos

* εὐτυχὴς felix, Vvilfridus *scil.*

Romam appellat Vvilfridus,

Ponimus, haud quodquam nefas decreta refelli.
Sic testes scelerum firi * potuêre suorum.
Antistes verò nollens desistere cœpto,
Quidquid ei pravum pseudo-theosebia * nectit,
Romuleo sanxit voto fore discutiendum.
Intuitus quosdam fœdo insultare cachinno:
O utinam lætos pueri feliciter annos
Ducatis! sed gaudia sors infesta resolvet.

* fieri

* falsa Religio

Insectantiũ pœnas prædicit.

Nec priùs in refluos venient hæc tempora soles,
Immatura nimis quàm tristia fata luatis.
Hæc ait, & sobrio compressit verba palato.
ALFWINE [b] post jugulum populi luxêre profatum,
Inferias cæso dantes mærendo Clitoni [c],
Cujus post tumulum fratris victoria fluxit.

XXII. Mare transmisso,

His ita compertis rediit, lætóque negatas
Corde revisit oves, arentia pectora blandis
Paullatim reparat solamina dando loquelis.
Interea pernix obliquo litore celox *

* scapha

a Nempe Ermemburgam, quam superduxit Egfridus dimissâ Ethildritâ, quæ servatâ pudicitiâ in Monasterium Eliense secesserat auctore Vvilfrido, qui ei virginitatis studium inspiraverat, ex Beda in lib. 4 cap. 19, & ex libro de vita S. Ethildritæ in Sæculo 2. Camdenus in descriptione agri Eboracensis observat, in templo HRipensi avorum memoriâ celeberrimam Vvilfridi acum fuisse, id est angustum in cryptoporticu foramen, quo mulierum pudicitia explorabatur. quæ enim castæ erant, facilè transibant: quæ dubiâ famâ, nescio quo miraculo constrictæ detinebantur. Ita ille.

b Is erat frater Egfridi Regis, cæsus ab Ethilredo Rege Merciorum, Elfvvinus dictus apud Bedam in lib. 4 cap. 21.

c Angli regium. adolescentem Regni futurum heredem, quem nos Galli Delphinum appellamus, *Clitonem* vocant, quasi *inclytum*. Lege Spelmanni Glossarium & Guilielmi Somneri in Historicos Anglicanos. Elfvvinum Egfridi fratrem hoc loco intellige ex dictis.

Solvitur,

Solvitur, æquoreos pertentatura meatus. ANN. CHR.
Quam circum Monachi, dextrâ lævâque relicti, DCC IX.
Fausta Patri pariter lacrymosis questibus orant. APR. XXIV.
Tunc inimica seges igni tradenda perenni,
Non contenta suæ virus fudisse kakiæ *, * malitiæ
Legatos Regi Francorum dirigit, atque
Oeconomum Domini prædari impunè petivit.
Sed superi pietate Ducis conamina falsa
Macario nullas quibant inferre ruinas. ad Fresones
Loetiferas verò scrobibus versutè latentes deportatus,
Decipulas sensit WINFRIDUS Præsul, eisdem verbũ Dei
Perditus insidiis, tantùm monogrammate [a] lusus. prædicat. a
Præterea flabris aliorsum prosperè versis,
Freisonum lætis portum percepit in oris.
Gentiles stupuêre nimis, sed summa mekotes * * *sic*
Regem cum Ducibus placatos reddidit omnes.
Categorans * ergo divinum sperma popello, * Prædicās
Aperuit dulces in salsis rupibus amnes.
Tum pecudum fetura habilis, tum semen in arvis
Crevit, & exsultant sollemniter opiliones.
Post modicum multis tribuit baptisma salutis,
Et fundavit eas WILBRORDUS [b] quas habet arces, b
Æquiparans tantum fidei fervore Magistrum.
Nec tutela Ducem, quem multæ copia gazæ XXIII.
Francorum rupit, furiis accendit acerbis. Frisonum
Syngraphidem sculpsit, munus venale notavit, Regem in
Quiret ADALGISUM collatis subdolè Regem Vvilfridum accendere
Implanare opibus EFRUINUS * philocompos [c]. nititur Ebroïnus. * Ebroïnus c
Legati properant, paraphrastica jussa revelant.
Rex verò phronymus scindens ferale volumen,
Aspernatus eos, flammis projecit in altis.
Imprecor æterno pereat sic caumate, quisquis
Compactæ quærit fidei dissolvere nodos,
Infit: & infestos jussit remeare sodales.
Haud dubium quin lustratus fulgore superno,
Ad cunas agii quondam qui luxit ab alto.
Imprudens mulier, justum furialibus armis XXIV.
Cur stimulas? sat erat patriâ expunxisse Beatum. Apostro-
Quid mare sollicitas? quid casses abde charybdi? phe ad Re-
Num tibi quadripatens obedit machina ruris? ginam.
Téne jubente poli rutilabit dextimus axis?
Siste, capesse fidem. dynami * capieris eadem, * δυνάμει virtute
Ocius amisso mutaberis ipsa marito,
Grassatrix scelerum fies inimica luporum,
Christi candidulos pasces modò mitior agnos.
Quem nunc persequeris, posthac devota sequêris,

a Nimirum unicâ litterâ differunt Vvilfridus & Vvinfridus. Vvillelmus: *Ethelredus triumpho functus, integritate Regni recepta, Vvinfridum Episcopum, qui Cedda apud Licefeld successerat, quòd Egfridi partium fuerat, expulit. Is Gallico litori fortè appulsus, in Theodoricum Regem & Ebroinum Ducem Francorum incidit*, &c. Nulla hujus rei mentio apud Bedam.

b De mora Vvilfridi cum Vvillibrordo mentionem facit Beda in lib. 3 cap. 13.

c Amator jactantiæ φιλόκομπος. Eadem voce utitur Ratherius in Apologetico, tomo 2 Spicilegii. & in Vita S. Vvalpurgis *philocompica nota*. Ebroïnus novè hîc vocatur EFRUINUS, Ebremerdus etiam dictus in Vita S. Leodegarii auctore Anonymo.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Multa dehinc populis adhibens monimenta salutis.
Ista per ecstasin scalpello lusimus unco,
Cœpta libet solito nunc insanire cothurno.

XXV. Vuilfridus ad Dagobertum se recipit.

Ver gelidos tepidis jam solverat æstibus Alpes,
Viribus adsumtis cùm Præsul lætus ab illis
Gallica rura petens exivit finibus, atque
Nota subit fidens DAGOBERTI [a] mœnia Regis.
Is equidem meritò, venturus ut adseret ordo,
Publica suscepto præbebat læta patrono.
Perditus, ut nostis, inquit, popularibus alis,
Excepi mæstas tenero olim somate erumnas.
Adscendi tremulum non multo remige lembum,
Pulsus ad ignavos adulescens exsul Hibernos.
En vobis, cujus merui tutamine reddi;
Per me, pérque tuam, miles delecte, salutem,
Si qua fides animo, tantum servemus amicum.
Exsultant Proceres: neque enim leve Principis extra
Præcipuum fas est subjectos velle meare.
Obtulit egregias immenso oromate sedes,
Ire catillatum nec vult Rex ultra beatum
Friguttire, petit vetitas alacrior arces.
Magnanimus verò votis regalibus heros
Non cessit: verùm rebus sociisque levatus,
Quin etiam sumto DEODATO [b] Præsule pergit.
Rursus ab objecto properans sibi Rege paratum
Vadit ad hospitium. BERTHERUS [c] namque patentes
Imperitans terras multo terrore regebat.
Ipse pio solans Justum suscepit amore.
Post epulas & post grati carchesia bacchi,
Rex cœpit narrare Patri, quî livida civis
Viderit orsa mali sese violare volentis.
Ast ego præteriti memor, inquit, Sancte, pericli,
Ut quondam tellure mea privatus, amaras
Externo sub Rege degens sensi cicatrices.
Fœdere sed multo quamvis servatus ab humo,
Evasi sævos discedens liber amicos.
Me quoque muneribus voluerunt fallere latis,
Quò te deciperent glauci lacerando Britanni.
Quòd si me fidei gentilis amore tenacis
Vendere despexit, te nec minùs ipse fovebo.

XXVI. Ipso præsente Romæ Synodus convocatur,

Claxendix tonuit, comites Rex promtulus auxit.
Sic Romana petunt pernicibus atria plantis.
Cursores sed jam præmiserat Archipolites
THEODORUS. tum Wilfridi pia fama beati

[a] Hic Dagobertus secundus, Sigiberti Regis filius, Dagoberti senioris nepos: cujus restitutio in Regnum obscura, immo multo tempore ignota, nuper adserta est testimonio in primis Vuillelmi Malmesburiensis Monachi, cui iste Auctor præivit. Dagoberti non meminit Beda.

[b] Henschenius in lib. 2 de tribus Dagobertis cap. 4, Deodatum hunc eum esse putat, qui ex Episcopo Nivernensi factus est Monachus Vallis-Galilææ. ego verò potius crediderim esse Deodatum Tullensem Episcopum, qui cum Vuilfrido Romam profectus, Concilio Romano sub Agathone Papa interfuit, cui & subscripsisse invenitur apud Spelmannum in tomo I Conc. aliis Adeodatus appellatus.

[c] Eadmerus vocat BERTHERUM *Campaniæ Ducem*, Vuillelmus *Bertharium Ducem Provinciæ.* an is qui gener Vvarattonis, & post eum Major-domus Theodorici Regis? in continuatione Fredegarii cap. 99.

Ausonias notis penetravit nutibus aulas.
Euge ciunt cives certatim protinus omnes.
Exterit abiegnas Petri dignissimè valvas.
AGATHO apostolicas decorabat Præsul habenas,
Justitiâ simplex, æqui non marcidus auspex.
Edictum posuit, patrium syntagma gregavit,
Atque quater duodena Patrum, nectente diade *
Agmina conduxit, communi famine dixit:
Cultus & Ecclesiæ fucatur sanctio priscæ,
Ni coquat emersas calor ecclesiasticus herbas.
Anglica comperimus vexari pessimè Regna,
Dum præter fixos fiunt discidia fines,
Arguto fratres fratrum discrimine clades.
Pendite ne rudibus pereant antiqua bilibris.
Primores Itali trutinâ pietatis adulti,
Talia doctiloquo retulerunt fata Magistro:
Incipe, Pastor, habes veterum decreta virorum.
Nunc illos admitte, placet, quos multa fatigant
Instigante fide spatiosæ incommoda terræ.
Decernes sermone pio, quid subditus ordo,
Et quid quæque colant, seu quid vitare jubentur
Ecclesiæ. scelus hoc pacto vacuabitur omne.
Allusit: statímque sacras Wilfridus in ædes
Cogitur ipse suas jussus narrare querelas.
Obtulit expressum Patribus diploma legendum,
Ut patriæ curas ovium ceu lucra piarum
Sedulus obsequio tractaverit, útque dicatas
Invidiâ cogente fores suspenderit, atque
Eheu Pontificum fraudes qui more procorum
Ornatam proprio sponsam invasêre Patrono.
Non ego criminibus quemquam depravo peractis.
Præstolor hesperiâ qui judicer, inquit, ab aula,
Omnia versifico longum exanthlare relatu.
Alternæ perhibent sincera oracula partes
Expromisse virum: prorsus hunc esse legendum,
Cujus apostolico solidandæ robore vires,
Hoc virus ne serpat, & incautos malesano
Inficiat succo, dum Justum pessimat atrox.
Annuit, & scriptis legalibus Archierarchus *
Theodoro Regique jubet sancita notari.
Ni pietate pari conservent jussa Magistri,
Judicio Domini cunctos anathemate plecti,
Quærentes animam sine re * damnare Beati.
His ita fundatis, ne sicut apostata vilis,
Aut legum profugus sola quærat perdere nota;
Limitibus planis excessit finibus illis.
Uritur infestus humanæ prolis amicus,
Commaculare bonum perquirens lividè votum.
Nam properans patuli dum verreret æquora campi,
Conglomerata suis furunt collegia signis
Noxia, regali, ceu fertur, sanguine fuso.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

* centum viginti quinque

In qua restitutus Vvilfridus.

* Papa

* sine causa

XXVII.

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV.

[a] Dagoberto bello impetito & cæso, Vvilfridus ob ipsum servatum convicio appetitur.

Civiles etenim DAGOBERTUS Marchio [a] dextras
Senserat, & rigidum capulotenus inguine ferrum.
Prœlia vibratis intentant comminus hastis.
Arduus excusso quorum convicia telo
Unus Pontifici fœdo sic ingerit ore:
Delator patriæ petulans, moribunde viator,
Gallica tu pridem violâsti sceptra, relato,
Qui periit cæsus, quem jure sequêre, tyranno.
An pravum gessi, Regem dum fortè remisi?
Inquit, & opto pati gaudens pro nomine Christi.
Mox truculenta ruunt hastilia: deinde remissis
Acclines rogitant ancilibus ut benedicat.
Crediderim rutilo perculsi fulminis igne,
Quod patuit mundo, dum matris fluxit ab alvo.

XXVIII. in Angliam reversus, litteras exhibet Pontificias.

Nil metuens ergo pertransit gramina tutò,
Securúsque cavas intrat velociter alnos *.
Multivido Fratrum posthæc oramine fultus,
Auctorata ferens Petri vexilla beati,
Regales adiit, dans rectis gaudia, postes.
Bullatas offert signato cortice chartas.
Confestim doctæ pariter coïere catervæ,
Quid narret Romanus apex, audire paratæ.
Archistrateïos * solio prospectat ab alto,
Jus crudele sacris ausus dictare loquelis.

* naves

* Rex Egfridus

XXIX. quibus spretis, ipse in carcerem conjicitur.

Post evangelicum catorthoma, post recitatas
Sedis apostolicæ causas, indignè ferebant
Oppositi quidam raptam persolvere prædam.
Urgebantur acri furioso pectore bile:
Permulcéntque, nefas! perverso fasmate * Regem
Spernere syngraphas furtivis rebus adeptas:
Symmysténque Dei gaudent sychophanta notari.
Tandem semoto Patrem trusêre locello,
Blanda retractantem Regis promissa superni,
Olim qui dixit, qui vos hic, me quoque spernit.
Tum Regina gravis hujusce schismatis auctrix,
Præsumsit pretias * Sancto divellere capsas [b],
Non impunè sibi tantam sociata rapinam.

* famine

* pretiosas

XXX. Oratio ipsius ad suos.

Ergo opibus sociis pessumdatus inclytus heros,
Famina mirifico Fratribus depromsit ab ore.
Gloria multa, loquens, multo captanda labore.
Cana Patrum series, longos experta dolores,
Vincere multiplices meruit divinitus hostes.
Heroum duodenus apex patiendo beatas
Sidereúmque decus JESU tribuente coronas
Excepit, multum modico lucratur ab ipso.
Nostra licèt duram patiantur corpora sortem,

[a] Sic etiam *Marchionis* nomen pro Rege usurpat Auctor infrà cap. 35. suprà verò cap. 16 pro Episcopo. Insignis hic locus, quo discimus Dagoberti mortis genus & annum DCLXXIX, quo habita Synodus Romana. à Fridegodo id rescivit Eadmerus, Fridegodus (ut puto) ab Heddio.

[b] Eadem voce usus est Anscharius in Vita S. Vvillehadi Bremensis Episcopi cap. 4. *capsaces* infrà cap. 35. Eadmero *capsula reliquiarum*, Vvillelmo *chrismarium*. quam etiam vocem hoc in significatu usurpavit Audoënus in lib. 1 de Vita S. Eligii cap. 8.

Mentes triticeo cælis indentur acervo, ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.
Quo fruges animæ capientur mox locupletes.
Præmia non quærat, ni qui tolerando triumphat.
Dixit, & actutum lictorum torva vorago
Obstitit, & raptum tenebroso vinxit in antro.
Qualem te, Pastor, lætum tristémve fatebor? XXXI.
Lætabare quidem te Christi pòst fore risten *; *sic
Flebas damna gregis pastorum verbere læsi.
Actu cœnoso dum stringeris undique vallo,
Num solito non quivisti fulgore potiri?
Exacuêre leves inimici frustra ligones,
Nequiquam ancipites inspicant acriùs enses. In carcere illustratur luce superna.
Tempestiva tibi funduntur lumina cælis,
Inviso properat consueta porismate * lampas, * meatu
Pervigil excubias JESU dum solvis amatas.
Testis adest custos, ergastula sæva serenis
Inspiciens radiare focis in tempore noctis.
Quid minùs à Petro, cui lumen fulserat arto?
Dignè quidem parili posthac donabere serto,
Quem voto sequeris, quem tormentis imitaris.
Et ne desperes, æquo splendore nitescis.
Interea multis vexatur fraudibus almos XXXII. Pontificias litteras violari non patitur.
Exsecrare apices, actúsque probare feroces.
Vertex si capulo, dixit, cædatur acerbo,
Aut terebrent costas instantia pila tenellas;
Unum iota meo numquam frustrabitur astu,
Quæ sanxêre Patres Petri documenta sequentes.
Sic legit fuscos Primatum offendere vultus,
Non & apostolicos consensit fallere ritus.
Carpitur inde gravi conjunx dilecta veterno XXXIII. Præsidis uxorē pæne exanimem sanat.
Præsidis, infaustas ha ha! procurantis habenas.
Corpore contrito, compagibus atque solutis,
Mortua contractis fluitabant viscera nervis.
Sensu pæne carens, extis jam condolomatis [a],
Grande viro scrupulum congesserat, extima vitæ
Spectanti, dum præteritæ spiramina reddat.
Protrahit illa moras: tandem velociter artas
Vir supplex satagit Sancto reserare catenas.
Fletibus haud modicis deposcit opem medicantis.
Ergo Pater solito pietatis munere fisus,
Passibus approperat conferre juvamen anhelis.
Adfuit, & turbas removeri jussit adactas.
Hinc precibus fusis, perfudit viscera lymphis:
Mox rediit priscos vitalis fervor in artus.
Nil nocuêre virum crudelia lora beatum:
Quin alacri vultu lucum remeavit in ipsum,
Nec puduit tetras iterum curare cavernas.
Præfecto cognomen erat quem diximus Osferd *, *al. Osfred
Conjugis ereptæ vocitamen dicitur EBBÆ,
Post modicum sacro gaudebat condita velo.

[a] Id est *condylomate* seu pustuloso morbo tabefactis, ut videtur.

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV. At Præses timidus, rerúmque stupore coactus,
Malle pati propriæ dixit dispendia vitæ
XXXIV. Intimat, & sævo quàm Justum prodere Regi.
Artiùs religatur, Isque tumens nimiùm præcepit acerbiùs illum
Compedibus rigidi damnatum carcere ferri
Stringere, mutata custodis sorte prioris.
Urgentur chalybes furcos aptare bicornes,
Et sterili funes nexare labore trilices,
Quîs terrere queant athletæ corda ligati.
Sed quo suppliciis animo mordaciùs instant,
sed frustra. Prorsus eo minimùm se profecisse stupebant.
Nam quæcumque sacris nectebant vincula membris;
Aut diffusa cadunt, aut fortè incongrua fiunt:
Artubus innocuis libertas cessit herilis.
O crudele genus! frustra contunditur incus.
O scelerata manus! quid prodest lædere corpus?
Non metuit jugulum, quem contremit indere lorum.
Dignè satis gressus tremulæ fugêre catenæ,
a Pacificè qui currebant per competa a vitæ.
Solvitur. Ergo alacres Pastor curans mitissimus agnos,
Linguâ perdocuit, manibus baptismate tinxit.
XXXV. Oppida commissi verùm dum Marchio Regni
Regina ob sublatum reliquiarũ punitur. Permeat, illecebras explens pomposè caducas,
Ecce repentino turbantur gaudia casu.
Dum raptis etenim conjunx regalis abuti
Audet Relliquiis, spirans typho impietatis;
Vindex ira subit, satan per viscera gannit:
Quem coluit petulans, hujus fit hospita bacchans.
Talibus attonitis accessit regia nutrix.
Anne patent, inquit, veteris commissa piacli?
Extera Wilfridum violant ergastula justum:
At tua terrifico quatiuntur dæmone membra.
Sprevisti emeritas Petri de culmine chartas:
Excipis en dignas irato Judice pœnas.
* philacteria Capsaces * collo demsisti immunda verendo:
* pessulo Gallicè verouïl Nunc moribunda Baal vinciris & ipsa veruto*.
Naribus immanes ceu fundens torridus ignes,
Vvilfrido liberato cōvalescit. Rex aderat, quem sic genitrix affatur honesta:
Jam memor esto tui, lœtargum subrue, fili,
Ultio dilectam profligat summa jugalem.
Sed tu sceptrigeram si vis augescere dextram,
Vincula solve viri, quoquam sine crimine nexi:
Et si fers animo, jubeas discedere Regno.
Annuit invitus, patuit mox carcer apertus,
Reddidit & claram nubes densissima stellam.
Protinus immeritam sensit Regina medelam.
XXXVI. Excedens igitur patriam cognatáque rura
Vvilfridus liber deserit patriam. Deserit, australésque petit velut advena terras.
Nobilis expulsum per devia quæque viator
Obvius excepit, mundi quia summa potestas

a Ita superiùs cap. 8. legimus *competa*, nihil mutandum duximus.

Indefinito præfixerat omnia verbo, ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.
Defore nil Justis spondens pro se tribulatis.
Regia progenies BERTHWALDUS munere dives
Nec latuit: statímque furor hostilis inarsit.
Sed Pater à solito numquam sudore fatiscens, palabundus adversariorũ factione.
Instruxit gregibus monastica jura fugatis.
Jam fati tellure viri tunc invida pestis
Corda Ducis zabuli præstrinxit hospitis apti,
Fratris EDILREDI per Mercica Regna decori,
Cujus in obsequio conjunx inimica manebat,
EKFRIDI germana trucis tumidíque tyranni.
Hi pulsare virum multo terrore serenum
Haud cessant, cogúntque datam molimine pravo
Degenerare fidem. Sic compulit ire carentem
Hospitis auxilio, comitatum præduce Christo.
Profectò alterius susceptus Regis in aulis,
Femineas patitur instinctu dæmonis iras.
ERMENBURGIS enim totius criminis altrix,
Cladibus, ut cecinit præmisso musa tenore,
Multimodis torsit tantum furibunda Patronum:
Sæva soror cujus CENTWINE regia conjunx
Expulit indemnem nullum servata * pudorem. * servando
Quid strides peritura seges, aut sulfure averni XXXVII.
Perpete torreris? en aspernata probabis.
Ipse sibi patriam Præsul non longè jacentem
Adquiret, nondum divino vomere scissam.
Non licuit cultis committere semina sulcis.
Anne vacat saltem steriles invertere glebas?
Non timet exsilium, qui gestat pectore Christum. Ad Australes Saxones se recipit.
Gens igitur quædam, scopulosis indita terris,
Saltibus incultis, & densis consita dumis,
Non facilem propriis aditum præbebat in arvis:
Gens ignara Dei, simulacris dedita vanis.
Hanc adit intrepidus, sincero dogmate fretus,
Adsisténsque Duci, pertractat munia Christi. Regem Edilvvalk cum suis Christo lucratur.
Fœdere complacito statim captatur ab ipso,
Non auri pretio, ferro non hostis avaro:
Juravit pactos numquam dissolvere nodos.
Hinc passim sacris permulcet corcula verbis,
Lucratúsque Ducem feliciter, atque jugalem,
Emicuit mediis fax indefessa tenebris.
Delubra contritis pereunt velociùs aris.
Nec doluit madidas subvertens augur acerras.
Dulcia divino funduntur mella canistro,
Tinguntur plebes sanctum baptisma petentes.
Rex quoque vivificâ perfusus nobilis undâ,
Prædia delegat., Cœnobia Præsul adornat. Cœnobia construit.
EDILWALCH Princeps vocitatus dicitur iste,
Wilfridi meritis qui novit cælica tempe.
Téque canam, fugitive puer CEDVALLA, negatis XXXVIII.
Quem fudit sceptris nemoroso Ciltena * luco. * Vvestsaxonia
Audacem quippe Wilfrido subdere mentem,

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. à Cedvvala in Regnum restituto excipitur in VVestsaxoniam. * herba palustris

Ut quires redhibere tui diademata Regni,
Magnorum quærens evadere fata malorum;
Crevisti patiens, Rex fortis, ab exsule pasci.
Tempus post modicum fidei capis incrementum.
Nam vertex tremula quem dudum foverat ulva *,
Præsulis auxilio rutilat cingente corona.
Tu quoque Pontificem multa tellure ditasti.
Felix exsilium, quod poscit purpura Regum!
Immò Pater felix, exsul pro fœdere pacis!

XXXIX. Egfrido mortuo redit in gratiam cum Theodoro.

Rumor tunc prodit, quia bello plura cruento
Agmina corruerant alterna cæde vorata:
EKFRIDúsque feri percussus cuspide Picti,
Exsilio Sanctos desivit trudere pravo.
Præterea Pastor Dorobernica claustra gubernans
THEODORUS, damnare nefas in Præsule quondam
Commissum cupiens, jamjam vergente senecta
Expetiit revocare virum sat ineptè repulsum.
Ergo redit humilis, implens exacta prioris.
Hos inter Præsul ERCHENWALDUS venerandus.
Accedunt terni veræ funabula lucis,
Exorsúsque dehinc senior Theodorus infit:
Pænitet en, Fili, quia tot tormenta subisti.
Ultima porro meæ properant confinia vitæ:
Tu quocumque modo deliqui, quæso, remitte.
Terruerant animum Wilfridi gesta beatum.
Tum cælis oculos attollens, brachia terris,
Indulsit facinus, sicut præcepit IESUS.
Ergo solo strati, poscunt miseramina Christi.
Inque vicem culpis perfecto corde remissis,
Gaudebant lacrymis sobria de fronte profusis.

XL. Aldfrido & aliis commendatur. * σεμνὸς venerandus

Jam fasces Regni, jam publica sceptra peremti
Sumserat ALDFRIDUS. Mox Pastor scripsit eous
Sedibus abreptis reddi debere beatum
Christi mathiten post tanta pericula sennem *:
Ne contingat huic moriens quod pertulit Ekfrid,
Qui voluit dictum primus spoliare Patronum.
Hoc & idem cunctis statim designat amicis
ÆLFLEDE, quæ virgineo succincta pudore
Pascebat nitidas JESU prudenter ovillas.
Túque clientelæ, Princeps, memor esto cupitæ.
Scripsit EDILREDO cognato * morte sopito,
Qui studuit toto Wilfridum pellere mundo.
Nunc age, communi si vivas optimè voto,
Sæpe meis, fateor, parebas phronymè * dictis.
Jam quoque Pastoris extremos crede rogatus,
Ut tua præcluibus gliscens euprepia * sceptris,
Ardua Romulei servet præcepta vigoris,
Quæ statuêre Patres Petri vectigal alentes,
AGATHO præcipuus, BENEDICTUS, SERGIUS atque.
Dux etiam monitis arrisit protinus istis,
Summo ceu decuit servans in honore Magistrum,
Usque sub extremam vitæ frustrabilis horam.

* id est cognato Egfridi mortui
* prudenter
* excellentia

His

His ita consertis, ALDFRIDUS stemmata Regni
Non obscura gerens, Christi revocavit alumnum.
Certatim priscas possedit deinde casellas.
Pelluntur mœchi, sedes vacuata Patrono
Redditur: applaudunt cives felicia fantes,
Lucidus Ewroicâ * resplenduit axis in aula.
Felices populi tanto Pastore potiti!
Vix tamen exiguo manserunt gaudia lustro.
Nam modicùm trita viguit perversius hydra.
Ardescunt veteres, crebris pulsatibus ignes,
Ecclesiæ puppis vexatur dirè procellis,
Cogitur & rursum nauclerus mittere clavum,
Anchora ni firmâ primùm solidetur arenâ.
Rex etenim dictus, ligurum * ferrugine tinctus,
Distendit variis veracia stamina pullis,
Alternando vices; nunc Patris subditus alis,
Nunc mendosorum credens inventa virorum.
Ni fallor, fida titubans statione carebat.
Ast Pater immotam quærens servare carinam,
Maluit elatum Regis differre tumorem.
Idcirco cessit, divisáque rura reliquit,
Impatiens sanctam scindi se Præsule normam,
Arváque commissis Monachis collata revelli,
Nec metuens magni præferre oracula Petri.
Mox ÆDILREDI repetens solium memorati,
Acceptus colitur placidâ sub Rege quiete,
Explens officium multa pietate supernum.
Tantos post strepitus, quem non quivêre molestâ
Exsuperare fugâ, nituntur fallere technâ.
Denique collectim censura urgente ducali *
Synodus adstruitur, legatio menda jubetur
Cælibis accessum festino cogere gressu.
Concurrit facilis. Fratrum tum sæva simultas
Undique stipatum fictis agitare querelis.
Machina non solido, sed mox interlita limo
Corruit; haud patiens vatem prognostica fantem.
Lincea namque viro fuerant oculamina tanto:
Immo prophetales ad hoc potaverat haustus,
Internos etiam quò posset cernere nisus.
Tandem vafrinos blandis suggestibus astus
Increpitans, Italas suadebat credere chartas.
Ethnica sed nullis molliri corda lagonis*
Cedebant, virúsque tegunt sub mente nocivum.
Præterea juvenis divini fautor honesti,
Expertus causas in Sanctum aptare sinistras,
Accessit, Regis dirum patefecit amentum,
Toxica lœtiferæ volitant quo tela pharetræ.
Nec etenim puduit dicacem audire fidelem,
Qui mox exposuit, celer intra palatia repsit.
Summi stans igitur Ducis inter castra perennis,
Excipit horrisonas illæso parmate fundas,
Nec potuit validis penetrari pelta sagittis.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

XLI. ab Aldfrido revocatur.

* Eboraca

XLII. Aldfrido iterum vexante, rursus confugit ad Edilredum.

* ligurionū

XLIII. In Concilio vocatus, paratas technas eludit.

* regia

* sis

XLIV.

Non vult spōte Pontificatum abdicare.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. Instabant etenim violento famine agentes,
Se Pater ut proprio vellet dispungere voto,
Indignúmque sacris se judicet esse gerendis.
O malesuada cohors ! ô fraus ! ô sanctio discors !
Non eris immunis pœnæ , non criminis exsors.
Ipse quidem solitos gaudet perferre labores:
Tu Phlegeton subies, Erebum manésque pavesces.
Insignita piis tunc aperit ora loquelis.
Ecce quaterdenos , dicens , vexilla per annos
Intemerata tuli veræ per cuncta Fidei,
* procacia Barrida * pravicolæ quîs stravi examina turbæ,
Inclyta censuræ servans invictus coæ
Famina, non falso ceu garrit pollice sculpta,
Mens inimica suo mox defectura veneno.
Romam iterum appellat. Nunc quia compellor , Petri discrimine purgor.
Non formido minas , exenia nulla capesso:
Méque meo numquam vobis mucrone litabo.
Hæc Pater oravit , plebeium júsque refellit.
XLV. ad Edilredum redit. Solvitur infandum JESU vincente coagmen,
Enituítque bonum præstantis Præsulis omen.
Sic ÆDILREDI valvas repetivit hiantes,
Explanátque Duci sceleris commenta maligni.
Isque benignivolam firmans in Præsule curam ,
Edixit priscum nullo frustramine fœdus
Vellere , apostolica donec remearet ab aula.
XLVI. Verùm discordes flagrant ardentiùs iræ.
Et quas Christicolis Pastor fundaverat ædes,
Nisibus efferis averruncare parabant.
* *an* statuunt. Extorres stavunt * agio incassùm palinodo,
Quos sacer electis gradibus formarat adelphos,
* *locus corruptus.* Dulsos cœnosi lychinos audititi * destos.
At pia ventilabro Christi sententia justo
Efflavit paleas , cocyti ardore cremandas,
Condivítque bonam cæli per horrea frugem.
Nam Pater ipse greges & ovilia cara revisens
Romam revisit. Ingemit , & precibus Domino commendat anhelis.
Aggressúsque dehinc Romani pervia callis,
Ingreditur partas opulento remige lintres.
Carpebant placida libratis æquora velis,
Figitur & notis vehemens lautomia arenis.
Obliquas igitur peragrantes commodè terras,
Divino comites potabat fonte fideles.
Non errare licet , non manticulare necesse est,
Gratia quos tanti servat ductoris opima.
Is etenim largas, quamvis devotus egeret,
* liberalibus Impensas eleis * palmis fundebat apertis.
Quapropter, ceu præcinuit Davitica psaltes,
Justa manebit ei vitæ farrago perennis.
Transmissis tandem Jovialibus æquè cavernis,
Macarii penetrant rutilantia dindyma Petri ,
Quâ renitebat ovans summa virtute JOHANNES.
Affines moti festinant Euge per urbem.

Adstipulant modulis comto sistemate, cerus* | ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. * sacer
Ædituúsque graves oppandit agillimus ædes.
Introiit Præsul testudine fultus opacâ,
Qui tellure cubans unca suffragine * sudâ, | * flexo poplite
Mille piis instillat aquis, vi denique sancta
Cælica summorum reseravit claustra polorum.
Indidit æquisonas divinis auribus odas.
Oratu surgens, famulantum ritè catervis
Ambitur, siccátque genas, suspiria pressat.
Ast ubi complacuit, sacra archisteria * scandit. | * templum
Pontificum Præsul, necnon & concio gaudet
Pistica *, Tarpeióque ruens de colle senectus. | * fidelis
Intestina Pater postquam dyrrachia * planxit, | * discidia
Ad vicina redit lentis habitacula plantis.
Interea scriptis legatio cassa modernis | XLVII. Causam agit apud Papam,
BerthWaldi de sorte ruit, puerile volumen
Opponens tanto nequiquam certè Patrono.
Ausoniæ coëunt Graiæ, mox atque soritæ
Vestibulo cursim priscorum scita revolvunt.
Protinus admisso micuit syntagma berillo.
Ut jubar introiit, jubaris ceu nectar opimi | prolatis literis apostolicis.
Protulit effevum * liquido flavore libellum | * sic
Hisce characteribus. Christi tunc inquit alumnus:
Nulla damus patriæ, fateor, discidia nostræ.
Non Reges, non Tristatas *, Regúmve clientes, | * Proceres suprà
Matris ad eximiæ gremium concurrere gratis.
Elegi collata priùs mihi jura probare.
Non ignota cano, vobis præcognita narro,
Jura dedêre Patres Romanum stemma regentes.
Testis adest hujus sanctæ periergia sedis,
Hæc quia non sprevi, nam nec spernenda putavi.
Collatis carui crebris populatibus agris.
En qui me sensu graviter lymphante sequuntur,
Norunt si qua meo vitiamine rupta vicissim
Objectare queunt, vestro lustrabor ab ore.
Non ego pompisonis adii pretiosa lupatis * | * frenis
Mœnia, nec gilvis phalerato stromate mannis *: | * equis tolutaribus
Prosequor at nudus nudi vestigia Petri.
Posteritas sancite quibus subsistat amica
Legibus, & priscas nolite revellere chartas.
Obstipuêre * Patres hæc sic fore * comminiscentes. | * sic * esse
Hac dixêre pharo mundi rudis arsit origo,
Rabula nec deerit quo mens veneranda nitebit.
Talia labentis patiuntur spargana vitæ
Æmula, nec tardat spiris agitare malignis
Actio pravorum vitam morésque proborum.
Conquirenda tamen hujusce refragia sectæ.
Et quamvis odiis proscriptus physiculatis *, | * naturalibus
Protinus arbitrio, Wilfride, parebere nostro.
Nec Romana priùs falsi pilotria * testes | * sic
Excedent, justas donec pro crimine pœnas
Jure luant, discántque viro deferre probato.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Iste quidem Latias olim lallando papillas,
Pavit Christicolas multo dulcore catervas.
Oravere Patres : testatur & ipse JOHANNES *,
Hæc dicens : Nullo morietur lampada fungo.
Insidiæ veteres dormiscant ociùs omnes.
Desipiunt hebetes tetrico mærore furentes.
Wilfridum damnare nefas : qui, sicuti torris,
Ereptus magno manet incombustus ab igne.
Ut Petrus Christi, sic hic vestigia Petri
Percolit, æquoreis numquam timefactus in undis.
Degeneres populi quid prodest velle beari ?
Virtus si qua placet, patriis pepulistis ab oris.
En rutilum liquidò summæ virtutis agalma *.
Sint rata quæ sanxit, non hæc obliteret usquam
Aut regalis apex, aut ecclesiasticus ordo.
Nobiscum sapiat, qui Christi stigmata gestat,
Ne ferale chaos evitandámque mephitim
Sentiscat rigidi retrusus in ima barathri.
Quidquid neutericis confinxit apocrypha biblis,
Cassetur priscis legatio censeo dictis.
Quis duo-quindecies, denos pariter quoque quinos,
Elogio archontes queat infamare maligno ?
His coram fidei vir hic confessus honorem,
Extunc vitali merito craxatus * in albo,
Certis exspectat cælestia dona diebus,
Ut re percipiat, quod spe patienter & optat.
Huic qui dissentit, nimis, inquam, prorsus ineptit.

* Papa

* speculum, simulacrum

* inscriptus

Cetera desunt in mss. codice Corbeiensi.

ALIA VITA

Auctore EADMERO Cantuariensi Monacho, sæculo XII.

Ex Bibliotheca Cottoniana Londini in Anglia.

PROLOGUS AUCTORIS.

Britanniæ commendatio.

1. BRITTANIA [a], quam Angli victis à se proturbatísque Brittanis Angliam vocant & incolunt, omni ex parte Oceano cincta, tam ingenitis quàm & undecumque allatis divitiis mirabili copia antiquitus exuberabat : quæ ut terrenis rerum copiis, ita quoque sanctissimorum virorum magna fecunditate pollebat. Quorum exigentibus meritis in tantum gratia Dei omnipotentis totam insulam suâ munificentiâ decoravit, ut & cultus circa Dei obsequium circumquaque multiplicaretur, & res tam publicæ quàm familiares multa pace felicíque prosperitate fruerentur.

Motus in viros sanctos.

2. Sed cùm nihil omni ex parte perfectum mundanis rebus natura concessit, cæca damnatrix animi cupiditas dum interdum quosdam ad hoc

[a] Ita non rarò apud antiquos scriptum reperitur *Brittania*, etiam apud Græcos Βρεττανία, nonnumquam

perduxisset, ut suis rebus contenti esse nescirent; pacis munimenta dirupit, pax dirupta rapinas, incendia, seditiones, bella, omniumque bonorum excidia peperit. quæ nonnumquam à sanctis ejusdem provinciæ viris detrita; nonnumquam ipsis in immensum malis crescentibus, ii qui mala deterrere moliebantur, varia casuum perturbatione attriti. Dum enim studium suum in eo potissimum ponerent, ne perversorum hominum pravitati amissa sui statûs rectitudine cederent; dúmque illi è diverso modis omnibus insudarent, ne istorum rectitudini ad sui correctionem sese vel ad modicum darent; iidem nequitiam suam modò vi, modò fraudibus exercentes, quos in malitia nequiverant, hos in communi vita socios habere nullo modo volebant. Hinc multi propria dignitate privati, multi à patria eliminati, multi quoque crudelissima morte necati, & à justo judice Deo gloriosissimè coronati. Hæc in primordio coalescentis Fidei partim insuper venientibus in se prædicatoribus est experta. hæc in processu ejusdem fidei partim in propriis & in se procreatis prædicatoribus est perpessa. hæc nihilo minùs eadem Fide quaque fundata partim à suis, partim ab externis hostibus, in suis Patribus Anglorum Ecclesia est atrociter passa. Hinc, ut alia taceam, venerandi Antistites MELLITUS & JUSTUS Galliam petunt Angliâ expulsi. hinc sanctissimus Pater WILFRIDUS toties à propriæ dignitatis sede rejicitur. hinc quoque gloriosissimus Rex EADMUNDUS & beatissimus Antistes ÆLFEGUS iniqua morte damnati, martyrii gloriâ dignissimè coronantur. hinc etiam dubio procul vir præclarissimus & excellentissimæ sanctitatis Pater DUNSTANUS in exsilium pulsus fuisse dinoscitur. Sed hæc me brevi attigisse suffecerit. Majores etenim nostri de his multa memoriæ digna cognovêre, & luce veritatis insignita exinde sua posteris scripta reliquêre. ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

3. Et quoniam ea quæ de præfato Vuilfrido scripta habentur, non simul in uno, sed in diversis Auctoribus sparsa esse probantur; rogatus à nonnullis, quibus me contradicere incongruum duxi; immo, ut verum fatear, ipsius sanctissimi Patris dilectione compulsus, ea quæ sparsim de ipso scripta sunt, nostro opere in unum componere institui. Equidem Beda, nobilissimus gentis nostræ historiæ scriptor, in ipsa historia de eodem Patre per diversa loca nonnulla disserit: & beatæ memoriæ ODO sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Pontifex de vita & conversatione ejus quemdam libellum edidit, postquam reliquias ipsius Sancti de loco, in quo primùm positæ fuerant, excepit; & ad Ecclesiam totius Brittaniæ matrem, quæ in urbe Cantuarberia sita est, magno devotionis honore transvexit. Horum igitur dicta per omnia sequens, pæne nihil quod eorum auctoritate roborari non possit, nihil autem ex toto quod contrarium sit, dicturum me fore confido. Sanè quicumque hæc vel legere, vel audire dignatus fuerit, precor ut ista me non ita scripsisse accipiat, quasi antiquis, quæcumque sunt hac de re, mea velim scripta præferre: sed potiùs cogitet & amicis meis me (ut dixi) rogantibus morem gerere, & Sancto Dei aliquod obsequium mei amoris & reverentiæ exhibere voluisse. Vuilfridi historia unde accepta.

INCIPIT VITA

Sanctissimi Confessoris atque Pontificis Christi Wilfridi, cujus festivitas colitur IIII Idus Octobris.

4. ANNO igitur Incarnationis Verbi Dei sexcentesimo tricesimo quarto, regnante in Cantia filio gloriosissimi Edelberti Regis Cantua- Vuilfridus natus anno 634.

Ann. Chr. DCCIX. Apr. XXIV. riorum EADBALDO, & in Nordumbria successore nobilissimi Edwini Regis Nordanhumbrorum sanctissimo Rege OSWALDO, de inclyta gentis Anglorum prosapia puer Dei WILFRIDUS nobilitate natus, & è vestigio cælesti est prodigio mundo nobilissimè designatus. Cùm enim beatus puer intempestæ noctis silentio matris prodiret ab alvo, columna ignis supra domum, in qua nascebatur, cælitus emissa, omnes circumfusæ noctis tenebras radio suæ lucis abstersit. Quique igitur vicinorum tanti luminis magnitudine subito terrore turbati, ii domibus proruunt, & stupore affecti singuli quod primò capere poterant arripiunt, & in turbam coacti turbato murmure ad ignem concitè currunt. Ad domum usque pervenientes, flammam, ut cœperat, radios emittentem inveniunt: sed domum & quæcumque vicina nil læsionis pati mirantes adspiciunt. Nimio itaque stupore paventes, Pape! inquiunt, quidnam signi hoc nobis innuere putas? nimirum divini est numinis omen. Et domum irruere volentibus occurrerunt mulieres de domo, dicentes: Sustinete, sustinete, precamur, quò ruitis? ad causam ignis cognoscendam quem præ oculis habetis tantopere tenditis? non aliam esse quàm puerum nunc maternis visceribus editum pro certo noveritis. Quo cognito, gressu reflexo in sua redeunt, magnalia Dei sua devotione venerantes. Quid ad hæc dicendum? antiquum Moysi famulo Dei ostensum in rubo miraculum videmus, cùm ecce in domo pueri Dei ignis æstuat, nec comburit; flamma emicat, nec aliquid consumit. Et illud quidem antiquitus factum quid signi protulerit, jam mundus agnovit: hoc autem in se ipsa experta pæne totius Anglici regni nobilitas didicit. Re etenim ipsa probatum est, quod sicut olim Dominus populum suum ex Ægyptia servitute liberaturus ipsius liberationis ministerium Moysi per ignem rubi demandavit: sic & nunc idem Dominus alium populum suum à tenebris vitiorum educturus, quem ejusdem eductionis magisterium habere delegerit, per emissum cælitus ignem designavit.

[margin: sndice columna.]

5. Primordia ergo vitæ beatissimus Pater Wilfridus tantæ nobilitatis signo accipiens, cùm esset puer bonæ indolis, eidem nobilitati suâ industriâ morum nobilitatem superaddere studuit. Unde ætatem moribus transiens, nil puerilis levitatis, nil insolentiæ in suis moribus admittere voluit: sed ita se tempore adhuc teneræ ætatis modestè & circumspectè in omnibus gerebat, ut meritò à majoribus quasi unus ex ipsis amaretur, veneraretur, amplecteretur. Vultus enim magnæ venustatis, sed in habitu vultûs erat ei multo venustior mos probitatis. Facundæ, ut id ætatis tenor admittere poterat, munia linguæ, non garrulitati vel detractioni aut contentioni, sed iis quæ Dei sunt summo studio dedicare curabat.

[margin: à puero gravis.]

6. At postquam perfectioris ætatis attigit metas, defuncta matre statuit natales relinquere fines, quò liberiùs posset Domini servitiis operam dare. Quod ubi patri suo retulit, libenter ejus votis ac desideriis cælestibus annuit, cúmque salutaribus cœptis insistere jussit. Ubi verò quartumdecimum ætatis explevit annum, comitatus munimine Dei venit ad Reginam EANFLEDAM nomine: à qua benignè susceptus & aliquamdiu magno cum honore detentus, innotuit sibi propositum suæ mentis in eo quampotissimùm esse, ut relicto sæculo Dei se manciparet obsequio. Quo Regina venerabilis agnito, multum ejus animi virtute lætata, consilium simul & auxilium tantæ rei perficiendæ devota mentis alacritate largita est. Et quoniam eumdem virum monasticam singulari vitam præferre cognovit; eum, ut ipsi placuit, ad insulam Lindisfarnensem venire, & Monasterio Monachorum sociari fecit. quo constitutus, diligenter ea quæ

[margin: Eanfledæ consilio secedit Lindisfarnum.]

quæ monasticæ castitatis ac pietatis erant ediscere curabat & agere. Et quoniam acris erat ingenii, didicit quanto citiùs psalmos & aliquot codices, necdum quidem attonsus, verùm eis quæ tonsurâ majores sunt virtutibus, scilicet humilitatis & obedientiæ, non mediocriter insignitus. Propter quod à senioribus & coætaneis suis justo colebatur affectu. ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

7. In quo Monasterio cùm aliquot annis Christo serviret, animadvertit paullatim adolescens, minimè perfectam esse virtutis viam, quæ tradebatur à Scotis: proposuítque animo Romam venire, & qui ad sedem apostolicam ritus ecclesiastici sive monasteriales servarentur videre. Quod cùm Fratribus referret, ejus propositum laudaverunt, eúmque id quod mente disposuerat perficere suadebant. At ille confestim veniens ad prædictam Reginam, indicavit ei desiderium sibi inesse Apostolorum limina visitandi. Quæ delectata bono adolescentis proposito, misit illum Cantiam ad Regem ERCONBERTUM, qui erat filius avunculi sui, postulans ut eum Romam honorificè transmitteret. quo tempore ibi gradum archiepiscopatus HONORIUS unus ex discipulis beati Papæ Gregorii servabat, vir in rebus ecclesiasticis sublimiter institutus. Ubi cùm aliquantisper demoratus adolescens animi sagacis, diligenter iis quæ inspiciebat discendis operam daret; supervenit illò alius adolescens nomine BISCOP, cognomento BENEDICTUS, de nobilibus Anglorum, cupiens & ipse Romam venire. Hujus ergo comitatu Rex beatum Wilfridum sociavit, atque ut illum Romam secum perduceret jussit. Romam cogitat.

8. Qui cùm Lugdunum pervenissent, à venerabili DALFINO ejusdem civitatis Archiepiscopo honorificè suscepti sunt. Wilfridus à Pontifice detentus, Benedictus Romam usque profectus est. Delectabatur etenim Antistes prudentiâ verborum strenuissimi juvenis, gratiâ venusti vultûs, alacritate actionis, constantia necne maturitate intentionis. Unde quæque necessaria habebat, ipsi cum sociis ejus, dum secum esse volebant, abundanter tribuebat. Quin & beato Wilfrido partem non modicam Galliarum regendam obtulit, ac filiam fratris sui virginem, si conjugem ducere vellet, ei se daturum fore promisit, quatenus ipse illi in patrem, & ille ipsi esset tali conjunctione in filium. At ille gratias agens pietati, quam erga se, cùm peregrinus exsisteret, dignaretur habere; respondit sibi magis propositum alterius conversationis inesse, & ob hoc relictâ patriâ Romam ire cœpisse. Quibus Antistes auditis, dato itineris duce, simul & iis quæ tantæ viæ necessitas poscebat, copiosè impensis, ipsum Romam transmisit, obsecrans & multa prece contestans, quatenus de Roma rediens ad se declinaret. Lugduni detinetur à Dalfino.

9. Ut autem Romam venit, beatissimi Apostolorum Principis limina orandi gratiâ petiit: & egressus, germani beati Petri, eâdem causâ ductus, Oratorium est ingressus, humíque prostratus hac prece fertur pium Apostolum, quem mente præsentem videbat, palam rogasse. Piissime Apostolorum Dei, frater beatissimi apostoli Petri, en ego peregrinæ provinciæ civis ad tua limina veni, veniam pro peccatis meis postulaturus. Precor te igitur per pietatem, quam ceteris præstare totius orbis attestatione probaris, ut veniam peccatorum, quam per te obtinere confido, non quæram in vanum, ne mihi tantæ progressio viæ procedat incassùm. Verùm ut experiar vincula meæ impietatis per merita tua solvi, solve, quæso, impedimenta ingenii mei & linguæ meæ, quatenus verbi Dei mysteria corde percipere, & diserto elocutionis modo eadem aliis valeam insinuare. O fides famuli Dei, ô insigne pietatis indicium Apostoli Dei, ô larga benignitas, & benigna largitas clementiæ Dei! Non citiùs oratio- Romam lustrat.

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV. nis verba complevit, quàm vivacissimum mentis ingenium & promtissimum elocutionis modum sese percepisse cognovit. Redit in se, & gratiosus miratur, seipsum qui fuerat jam non esse.

á Bonifacio ibi edoctus. 10. Romæ igitur degens, orationique ac meditationi rerum ecclesiasticarum quotidianâ, ut animo proposuerat, instantiâ mancipatus, pervenit ad notitiam viri sanctissimi atque doctissimi, BONIFACII videlicet Archidiaconi, qui & Consiliarius erat Apostolici: cujus magisterio & amicitiâ felix, quatuor ab eo libros Evangeliorum, rationabilem Paschæ terminum, aliáque nonnulla quæ in patria sua nequiverat, didicit.

Dalfinum revisit, 11. Ecclesiasticâ igitur disciplinâ magnificè imbutus & apostolica benedictione perfusus, in iter rediit, DALFINUM Episcopum de suo reditu valde suspectum lætus adiit, eique tribus annis fida societate adhæsit. A quo attonsus, in tanto est amore habitus, ut illum sibi heredem facere cogitaret. Sed ne hoc fieri posset, Antistes est crudeli morte peremtus, & Wilfridus ad suæ potiùs, hoc est Anglorum gentis Episcopatum reservatus. Siquidem Regina Francorum ea tempestate sævam Ecclesiæ Christi tempestatem intulerat. Nam dæmoniaci furoris igne succensa, fortunis omnium bonorum inhiare, inhians rapinis & deprædationibus æstuare, æstuans atroci multos examinatione damnare, & damnatos immani mortis feritate necare. Unde ut alia taceam, quæ in innumeros quasi minores crudelia exercuit, octo ecclesiarum Patres ense peremit, cum quibus & prædictum venerandum Antistitem pari huic vitæ pœnâ mortis exemit. Quem usque ad locum suæ neci dispositum Wilfridus secutus est, quem cæsum sepelit. cupiens pro eo, si concederetur, aut certè cum eo, si permitteretur, simul gladio mori. Verùm ne id fieret, Episcopus modis omnibus interdixit, & ne tantum flagitium flagitiis suis gladiatores adjicerent, Christi miseratio sanctique viri peregrinatio interdixit; quódque tunc temporis magno terrori quamplurimis erat, sua scilicet Anglorum natio interdixit. Corpus tamen occisi debito honore tumulavit, sicque Angliam prospero cursu repedavit.

In Britanniam reversus degit in curia. 12. Præfuit eo tempore genti Nordanhumbrorum christianissimus Rex OSWIUS, successor beatissimi Regis & martyris Oswaldi, qui Oswius filium suum Alfridum regni socium sibi constituit. Fuêre autem utrique Reges in Christiana Religione ferventes, Ecclesiarum diligentissimi cultores, & catholicarum doctrinarum studiosissimi auditores, amatores, sectatores. Cùm ergo beatus vir Dei Wilfridus in patriam esset reversus, fama sanctitatis & prudentiæ ejus, fama eloquentiæ & apostolicæ doctrinæ ejus, circumquaque mira celeritate innotuit, necnon ad aures prædictorum Principum ingenti cum laude processit. Sanctitas quoque & insignis amor Christianitatis, qui Regum corda repleverat, notitiam Sancti nequaquam fugere poterat. Ex hoc curiæ Regis Alfridi præsentatus, humanè suscipitur, brevi, quod antea solo auditu in eo sciebatur, re ipsa cognoscitur, & eo regali amicitiæ familiariter adsociatur. Probitas etiam integerrimæ vitæ, quam fama primò vulgaverat; & prudens simplicitas simplexque prudentia, quam in illo ad omnes humilitate vigebant; non modò Regi, verùm & omnibus eum carum exhibebant. Tribus ex hoc annis regalem curiam fovit, & virtute animi gratiam, gloriam, honorem sibi comparavit. Unde & regio munere auctus tam mobilibus quàm immobilibus rerum bonis, etiam inter animales homines clarus erat. Super hæc quoque Ripensi Ecclesia cum iis quæ sui juris exstiterant, regali munificentia donatus est. Ex eo autem summâ curâ procurabat, quatenus opes suæ magis transirent in victum indigentium, quàm servaret eas more avarorum opes suas recondentium.

13. Interea

13. Interea venit ad Regem Episcopus occidentalium Saxonum, nomine AILBERTUS, vir sanctus & ecclesiasticis disciplinis apprimè institutus, qui & eidem Regi magno fuerat familiaritatis amore conjunctus. Hic rogatus à Rege Wilfridum ad Presbyteratûs officium promovit, utpote quem Sacerdotio fungi dignissimum esse cognovit. Mota est autem ea tempestàte quæstio de observatione Paschæ, quæ magna & frequens eatenus exstiterat, probantibus simul & confirmantibus eis qui de Cantia & Galliis advenerant, quòd Scoti diem dominicum Paschæ celebrarent contra morem universalis Ecclesiæ. Nam Scoti usque ad id temporis scripturarum serie hac de re disputante non plene edocti, sæpe dominicum Paschæ diem celebrabant cùm esset dominica dies in palmis, ea re quòd ipsa die decima quarta luna esset, quæ terminus est diei paschalis. Istiusmodi sectæ vir sanctissimæ vitæ AIDANUS suo tempore grande firmamentum fuerat in tantum, ut à cunctis quasi æquo animo toleraretur, dum eximia in opere Dei morum ipsius conversatio consideraretur. Sed illo defuncto FINANUS vestigia sectæ illius per omnia sequens, in episcopatum ejus subrogatus est: quo nihilominus huic vitæ modum faciente, COLMANNUS in sectam amborum sedémque successit, cujus temporibus gravior de paschali observatione atque aliis ecclesiasticæ vitæ disciplinis controversia versata est. Quapropter meritò movit hæc quæstio sensus & corda multorum, timentium ne fortè accepto Christianitatis vocabulo in vacuum currerent aut cucurrissent. Pervenit & ad ipsas Principum aures, Oswii videlicet Regis filiique ejus Alfridi, quorum primus à Scotis edoctus atque baptismi sacramentis imbutus, nihil melioris propositi exsistere posse credebat, quàm quod à suis doctoribus acceperat: porro sequens potioris fidei privilegio primum præcedens, Romanæ & universalis Ecclesiæ ritum omnibus antestare ratum habebat. Siquidem christianissimus & doctissimus vir Wilfridus, qui & Romæ (ut prædiximus) ecclesiasticæ disciplinæ multa documenta acceperat, & penes Dalfinum Galliarum Pontificem Lugduni nonnullis imbutus exstiterat; eum suo magisterio rationabili atque catholica eruditione informaverat, ac informatum omni scrupulositate sublata in veræ fidei stabilitate firmaverat. Mota ergo (ut præfati sumus) quæstione de paschali observatione, dispositum est, ut Synodus cogi, & hæc quæstio deberet ventilari terminarique. Venerúntque illò Reges ambo, pater scilicet & filius, magnopere deprecantes, ut eis adesse dignaretur Spiritus-sanctus. Venit itaque jam dictus AILBERTUS Antistes, Alfridi Regis amicus, cum beato Wilfrido & suo AGATHONE Presbyteris: contra quos Colmannus cum suis Clericis venit, & HILDEM Abbatissam sectæ suæ fautricem, cum aliis pluribus secum in Synodum duxit.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. Presbyter ordinatus, Paschæ quæstionem in Synodo,

14. Silentio itaque facto, primò rex Oswius præfatione præmissa tali fertur modo locutus: Hactenus, Patres venerandi, schisma in Ecclesiis Christi exortum eò quosdam minùs veritatis studentes perduxit, ut bis in anno (quod dictu quoque nefas esse probatur) sanctum Pascha sit celebratum. cujus tamen rei causam bene considerantibus non adeo mirum videtur. Dum enim ipsi arietes iter diversum arripiunt, greges etiam post se diviso tramite rapiunt. Ubi planè miseriam est videre, cùm ad regnum viâ sibimet contrariâ tendunt, quò communi proposito fidei properare contendunt: & qui viam individuam perveniendi ad vitam solummodo Christum noscuntur habere, absonum valde absurdúmque fore dinoscitur, ipsum Christum in suis mysteriis velle dissona observatione dividere. Ea re in hanc me sententiam ipsa rationis necessitas potissimum duxit,

Rege exponente,

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. quatenus utriusque partis defensores unà venire jussio nostra constringeret, quò utrimque ratione audita, quid sequendum, quid fugiendum sit, discusso errore queamus inspicere. Quapropter tu, Colmanne, qui præcipuè contra morem universalis Ecclesiæ Pascha celebrare à nonnullis calumniaris, causæ tuæ, inquam, & ego tecum similis observationis coarguor, primò propugnator adsiste: quatenus auctoritate qua nititur agnita, si tanta est, fiat amodo nostra sub eadem auctoritate à tantis calumniis observatio libera. Quòd si ea qua niteris minùs firma auctoritate victus exstiteris; profectò nec me, nec quemlibet meorum tuæ sectæ ulteriùs sectatorem habebis.

Colmanno pro Scottis dicente,

15. Tum Colmannus: Pascha, inquit, à quarta-decima luna usque ad vicesimam celebramus, & celebrandum confirmamus, & ita fieri oportere validæ auctoritatis firmamento comprobamus. Beatissimus etenim Johannes Apostolus & Evangelista, Domini JESU tam familiaris conviva, ut supra pectus ipsius in Cæna recubuerit; eodem quo nos ordine illud celebravit, & in omnibus quibus præfuit Ecclesiis celebrandum fore sua auctoritate præfixit. Hoc per successionem prudentum & æquè sanctissimorum virorum ad nos usque perlatum, hoc nostrorum doctrinâ majorum in nobis stabili firmitate fundatum, hoc à nobis antehac inviolabili observatione servatum, & firmamus nulla ratione non esse servandum.

ipse agit pro Romanis.

16. Quo hæc & hujusmodi nonnulla dicente, jussit Rex & Ailbertum suæ morem observationis in medium proferre, ut sciretur, quo principio, cujúsve niteretur auctoritatis institutione. Respondit Ailbertus: Loquatur, obsecro, vice mea Wilfridus Presbyter, quia unum ambo sapimus cum ceteris qui hîc adsident ecclesiasticæ traditionis cultoribus; & ille meliùs ac manifestiùs ipsâ linguâ Anglorum, quàm ego per interpretem, potest explanare quæ sentimus. Tunc Wilfridus ad jussum Regis exorsus, Colmannum non modò auctoritate beati Johannis falsò niti aperta ratione monstravit, verùm & contra Johannem & contra legem & Evangelium, necne doctrinam Apostolorum, immo & contra universalis Ecclesiæ morem eum sentire in paschali observatione probavit. Quam probationem idcirco scribere supersedimus, ne in re huic opusculo non necessaria aliquod fastidium legentibus inferremus. si quis autem eam velit, in nostræ, hoc est Anglorum gentis historia requisitam inveniet. Hac ergo omissa, vitam beati viri, ut cœpimus, ordine persequamur, prout ipse, de quo loquimur, nos adjuvare dignatur. Finito conflictu contentionéque soluta, Ailbertus domum rediit: Colmannus verò suæ sedis episcopatu dimisso Scotiam petiit, quoniam ecclesiasticis traditionibus suas traditiones postponere noluit.

Episcopus ordinatus in Gallia,

17. Vir autem Domini Wilfridus ex hoc magnæ apud omnes est venerationi habitus: quippe qui & divinis eruditionibus præclarè imbutus, & dominicis comprobatus erat operibus magnificè fultus. Quapropter à Rege Alfrido totius plebis acclamatione ad Pontificatum eligitur: sed ipse gravi reclamationis adnisu ne id fiat obsistere nititur. Tandem importunitate omnium victus, id à Rege petivit, ne se inordinatè ordinari in Brittania permitteret: verùm ut tanta res secundùm instituta canonum expleri valeret, ordinandum sese * in Galliam mitteret. Venerabilis nempe DEUSDEDIT sanctæ Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus jam huic vitæ subtractus fuerat, nec in tota Brittania Episcopus aliquis canonicè ordinatus superérat, excepto WINE occidentalium Saxonum Episcopo. Ailbertus siquidem, cujus paullo antè meminimus, relictâ Brittaniâ Parisiacæ civitatis episcopatum sortitus erat. Quum igitur ita se res habebat, quod petebatur Rex promtissimè annuit, & consilio patris sui

* l. se

Oswii beatum Patrem ad Regem Galliarum direxit, rogans & obsecrans, quatenus virum honorificè susciperet, atque in gradum pontificatûs sua auctoritate sublimari præciperet. Igitur, prout dignum fuit, à Rege honorificè suscipitur, ad Ailbertum Episcopum cum mandatis dirigitur, quibus ut summa honorificentia servum Domini ad ordinem episcopatûs promoveat jubetur. qui mandatis gratiosus obtemperans, eum cooperantibus undecim Episcopis honorificè consecravit. ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

18. Quo post ordinationem suam in transmarinis partibus demorante, ii quorum sectæ pravitas per eum pridem detecta fuerat atque dejecta, rependendarum injuriarum sese jam tempus opportunum accepisse putantes, Regem Oswium fraudulenta calliditate convenientes circumveniunt, circumveniendo in eam sententiam ducunt, quatenus CEADDAM Eboracæ civitatis Episcopum fieri jubeat, ne Ecclesiâ diutius carente Pastore Fides Christi quamlibet jacturam incurrat: præsertim cùm penitus, inquiunt, ignoretur, quò Wilfridus devenerit, quem ad ipsius Ecclesiæ regimen ordinandum in Galliam Alfridus direxit. Hac ipsorum versutia Rex Oswius incautè præreptus, dato præfato Ceaddæ ipsius Ecclesiæ Pontificatu, misit eum Cantiam in gradum Sacerdotii consecrandum. Quò cum suis veniens & eamdem sedem Pastore viduatam inveniens, inde divertit, prædictum Wine Episcopum adiit, ut Episcopus ab eo consecraretur obtinuit. Adsumtis ergo duobus de gente Brittonum Episcopis, qui contra scripta canonum erant ordinati, eumdem Ceaddam pari modo inordinatè ordinavit.

Ceadda interim Eboracensibus prælato.

19. Ordinatus autem Eboracensi Ecclesiæ prælatus est, cùm non post multos dies beatus Wilfridus patriam redire instituens navem ingreditur, & aliquamdiu felici cursu navis æquoreos fluctus transvehitur. Jam autem medio mari transito, & beato viro cum suis Clericis in ea quæ Dei sunt corde & ore intento, ventis mutatis validissima tempestas exoritur. qui magna vexatione quassati, tandem in regionem australium Saxonum, quam non noverant, projecti sunt. Fluctibus verò in sinus suos ita illuc retractis indigenæ adhuc gentili errore devincti advolant, navem & omnia quæ in ea erant in jus suum vindicare volentes; & id propositi obstinato corde tenentes, ut aut captivarent, aut morte sibi resistentes involverent. Quo vir venerabilis agnito copiosam eis pecuniam obtulit, & quatenus ab intentione sua recederent humili postulatione admonuit. At illi ferociores ex illius verbis effecti, nil se ab eo pro ipsorum dimissione sumturos fore proclamant. quin etiam non modò omnia sua, verùm & eumdem ipsum in jus proprium se accepturos nulla causa vetante confirmant. Quid igitur negotii tenor intenderet socii Pontificis intelligentes, præmissa supplicatione ad Dominum arma arripiunt, magis volentes more virorum fortiter bello occumbere, quàm ignava captivitate longioris vitæ spatio servando producere. Quod ubi à paganis cognitum, aciem struere, ac in populum Domini tela dirigere festinabant. Stans quoque princeps Sacerdotum idololatriæ coram paganis in tumulo excelso, suis magicis incantationibus suos quasi benedicendo confortare, ac socios famuli Dei maledicendo satagebat enervare. Cui operi cùm quantum sua interesset, summo studio mente, voce manuque vacasset; juvenculus quidam minister hominis Dei, fundâ lapidem jecit, & eumdem magum trajecta fronte dejecit, exstinxit. Rediit mox ad memoriam viri Dei antiquum per David factum in Goliam miraculum Dei, cùm subito mirè paganorum tumultus exoritur, & in discerptionem christianæ partis vires omnium exseruntur. Quid plura? insurgunt acies, miles Christi sese prosternit

Periclitatur in reditu,

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

in preces : Domino autem pro suis pugnante, inimica manus confusa & victa discedit. Sed post paullulum multiplicior in idipsum & immanior redit, aciem struit, tela in vacuum dirigit. Tela non vacua recipit, pars maxima ruit, & pars residua fugit. Et quid morer? jam tertiò victi cùm se ad quartum prœlium cum Rege suo præpararent, meritis beati Wilfridi multo ante horam mare effluxit, navem extulit, & Sanctum Dei cum omnibus suis, quinque solummodo ex sociis perditis, prosperè in Sandicum portum evexit. Quod inimici videntes, maxima confusione in sua remeant, & servum Domini læta serenitate victorem abire gemebundi deplorant.

Ripum se recipit.

20. Patrio itaque portu patriáque potitus, confestim sibi rumor innotuit, qualiter suæ sedi Ceadda substitutus Antistes sit. Qui pro re nihil omnino perturbatus, placido vultu & hilari pectore Ripum perrexit : ibíque servitiis Dei intentus, magna mentis stabilitate per aliquod tempus in secretiori habitaculo deguit. Sed quia civitas supra montem posita nequit abscondi ; à multis & præcipuè nobilibus frequentabatur, eximiæ sanctitatis ejus famâ permotis. Rex quoque Merciorum, nomine WLFARIUS, vir Deo valde devotus, famulum Christi adiit, eúmque ut loco cederet secúmque maneret importuna vix prece deflexit : & compos suæ voluntatis effectus, ingenti beatum Patrem dilectionis affectu coluit, terris & honoribus auxit.

Ecclesiam Cantuariensem administrat.

21. Metropolitana verò sedes totius Angliæ, dum hæc ita fierent, Pastore carebat, defuncto (ut prædiximus) Archiepiscopo Deusdedit. Et quoniam tanta sedes absque episcopali providentia esse nequibat, Rex Cantuariorum EGBERTUS beati Wilfridi prudentia sanctitateque audita, ad ipsum misit quàm humillima eum supplicatione contestans, ut Ecclesiam viduatam suâ dignaretur præsentiâ visitare, ope consolationis erigere, contra spirituales nequitias clypeo suæ admonitionis protegere, & quæque tenor ecclesiasticæ traditionis expeteret, in ea pontificali auctoritate statuere. At ille tali in causa reniti fas esse nequaquam existimans, regiæ voluntati adsensum præbuit. Ad Ecclesiam igitur venit, & quæ per Spiritum-sanctum agenda cognovit, sedulus inibi administravit. Is primus erat, qui inter Episcopos de Anglorum gente creatos catholicum vivendi morem Anglorum Ecclesiis tradere didicerat : unde & perplura catholicæ observationis moderamina quaque per easdem Ecclesias sua doctrina diffundebat. Quare factum est, ut crescente per dies institutione catholica, Scoti omnes qui tunc morabantur inter Anglos, aut his manus darent, aut ad suam patriam repedarent.

22. Beatus autem Wilfridus, prout ei facultas inerat, hac illac propter verbum Dei disseminandum magnâ populi frequentiâ comitatus pergere consueverat. Quod cùm tempore quodam faceret, devenit in locum ubi natus fuerat atque nutritus. cujus loci indigenas verbo vitæ cælestis enutriens, multos ab amore terreno avertit, & ad amorem omnipotentis Dei convertit. Unde factum est, ut plures ibidem Cellas Domino servire volentibus institueret ; & quonam pacto eorum vita componi deberet, unumquemque prudenter instrueret. Sícque per tres continuos annos modò Cantuariensis Ecclesiæ dispositioni, modò illorum exhortationi & illorum correctioni suæ providentiæ curam impendit. Et licèt episcopalis cathedræ proprium locum nusquam haberet, tamen episcopali officio studiosè intentus satagebat, qualiter diabolo sua vasa eriperet, & ea Domino Christo conciliaret, atque in sanctæ conversationis proposito corroboraret.

Monasteria construit.

23. Emenso autem spatio trium annorum, THEODORUS à Vitaliano Papa Archiepiscopus consecratus & missus, Cantiam venit: susceptáque sede pontificatûs in metropoli civitate, mox secundùm quod vigorem ecclesiasticum decebat, ea quæ circumquaque emendanda erant, summâ prudentiâ & pontificali auctoritate in melius mutare studebat. Ut verò comperit Ceaddam contra canonum statuta in episcopatus gradum fuisse consecratum, publica illum increpatione redarguit, & quod degradari jure deberet paullo districtiùs minatus est. At ille, ut erat magnæ humilitatis & mansuetudinis vir, Si me, inquit, adseris contra scita canonum ordinatum, libenti animo exordinari concedo, cùm profectò numquam tanti apud memetipsum exstiterim, qui loco hujusce regiminis vel ad horam præesse debuerim. sed obedientiæ causâ jussus subire, hoc licèt indignus consensi. Qua responsionis ejus humilitate Theodorus accepta, dixit eum nequaquam gradu Sacerdotii se velle privare. Verùm quia (ut diximus) inordinatè ad tantum ministerium fuerat ordinatus, ipse ordinationem ejus canonica ratione consummavit. Sed ille considerans se non justè Episcopatum alterius Episcopi obtinuisse, pænitentiâ ductus elegit potiùs tali honore carere, quàm alterius cathedræ ulteriùs injustè præsidere. Discessit igitur episcopatu, & ad Monasterium suum, quod erat in Lestingesei, privatus secessit.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. Ceadda discedente.

24. Porro Theodorus beatum Wilfridum in episcopatu Eboracensis Ecclesiæ restituit, necnon & omnium Nordanhumbrorum, sed & Pictorum, quousque Rex Oswius imperium protendere potuerat. Sicque vir sanctissimus & animam suam in patientia possedit, & multiplicatus honore, quod suum fuerat, totius populi exsultatione recepit. quo tempore Regno Merciorum Wlfarius præsidebat, cujus paullo antè meminimus. Qui cùm mortuo JARAMANNO Episcopo sibi suísque alium à Theodoro dari peteret, non eis ille novum voluit Episcopum ordinare, sed præfatum venerabilem Ceaddam eis dedit. Beatus verò Wilfridus suis redditus, egregiâ mentis instantiâ operam dabat, quatenus & ea quæ longa vetustas aut incuria dissolverat, in Ecclesiis restauraret; & quæ in subditorum suorum moribus oculos magni Dei offendere poterant, eliminaret. Quibus operibus quanto magis intendebat, tanto se in majori virtutum exercitio constringebat: ut subjectis in ejus vita esset videre, qua diligentia deberent verborum ipsius documenta suscipere.

In sedem à Theodoro restituitur.

25. Iis autem quæ destructa repererat in integrum restitutis, Ecclesiam in honorem beati Petri Apostolorum principis à fundamentis consummavit, & eam multo decore sub immensa Principum ac populorum frequentia consecravit. Ut autem ventum est ad sui sermonis officium, luce clariùs visa sunt dominica in ea verba compleri: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris mei qui loquitur in vobis.* Quod ea re planè licet considerare, cùm & populus in Dominum magna sit dilectione ex illo affectus, & corda Principum tanto timore & amore Dei sint accensa, ut non solùm ea quæ priùs ad jura ipsius Ecclesiæ pertinebant, ad vocem illius testamentis confirmarent, sed & quædam de suis ipsi Ecclesiæ condonarent. Triduo post hæc omni turba secum detenta, pane vitæ tam cælestis quàm terrestris eam copiosè refecit. Ecclesiam præterea magnis muneribus & ornamentis decori domus Dei competentibus ditavit. Et cùm hæc opera laude dignissima faceret, uti mortiferam pestem laudem fugiebat humanam: ac sic positus in medio populorum, omnibus erat speculum & informatio operum bonorum.

Ecclesiam S. Petri perficit.

Matth. 10. 20.

26. His ita sese habentibus, omnipotens Deus ut merita famuli sui

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV. Puerum in confirmandorum turba suffocatũ suscitat.

quanti penderet mundo demonstraret; quæ internarum luce virtutum primò profudit, etiam exteriorum exhibitione miraculorum decorare voluit. Hinc est, quòd die quadam cùm venerabilis Pastor oves Dei verbis & fidei sacramentis imbueret, & antiquo humani generis hosti in eis jus dominandi auferret, atque per sacri chrismatis unctionem septiformis gratiæ spiritum jam baptizatis traderet; ecce per effusas turmas mulier nimio dolore afflicta ministro Dei occurrit, defunctæ funera prolis miserabili deportatione in ulnis ostentans. Quo viso Pater obstupuit, hæsitque loco, paullúmque ab incœpti operis ministerio se cohibenti orbata mulier acri doloris nimietate turbata pronior incubuit, gemitúque præpedita vix in hæc verba erupit: En, inquiens, bone domine, quem ad impositionem manûs tuæ confirmandum in Christo portare decreveram, jam non solùm ad confirmandum, verùm primò ad resuscitandum à mortuis tuæ sanctæ pietati piæque sanctitati apporto. Christum tuum prædicas omnipotentem, quod precor operibus proba, & meum à morte filium unigenitum suscita. Et quanti hoc est omnipotentiæ suæ parvulum suscitare, & mei doloris stimulos effugare? re vera nihili. Quapropter in hoc peto quæ prædicas rata esse potenter ostende, ut ad meam consolationem unicum filium meum restituas vitæ. Ingeminat querulas voces, cujus vehementi gemitu coacti sub uno convolant omnes. En plangor grandis. Tandem compassus venerabilis Domini servus, agit tacitas sancto sub pectore grates, quòd turba nondum perfectæ fidei, novit rogare clementiam Domini Christi: móxque solo fusus & faciem lacrymis perfusus: O Domine Pater, ait, non ad merita mea, sed ad tuæ pietatis opera, precor, placatus attende, & ærumnis hujus mulieris opem tuæ consolationis impende, restituendo incolumem filium suum per JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum unigenitum filium tuum. Quo dicto surrexit, & caput defuncti dexteræ manûs extensione tetigit: cui ad ejus tactum caput exagitanti vir Dei manum porrexit, & erectum vivum incolumémque cunctis exhibuit. Vulgus in nimios admirationis ac laudis clamores excitatur, & fide plenissima in Christianæ legis observantia consolidatur. Puer redivivus in Christo per manûs impositionem confirmatur, matri cum gaudio redonatur eo pacto, ut septem annis maternâ curâ nutritus viro Dei restituatur. Quod post præfinitum tempus ne fieret, patre suo interdicente exsul ad externos fugit cum prole Brittanos, sciens videlicet puerum nequaquam contra viri Dei præceptum in proprio secum posse manere. quod tamen sua fuga ei contulit. Post parvi temporis dies Præfectus quidam invitis parentibus puerum in manus Patris reduxit, quem protinus servitio Dei mancipavit, & bene instructum pluribus imitabilem in sancta conversatione postmodum fecit. Hinc quique perpendite, quid signi prætulerit super ejus cunabula cælitus emissum lumen radiantis flammæ.

Ecclesia tũ florente,

27. Ea tempestate Regnum gentis Anglorum gemino decore nitebat, cùm & Reges Christianitatis amore fervebant, & Pontifices divini operationem mysterii summo studio exercebant. Hinc regalis providentia hoc potissimum per se gerebat quosque subditorum magis à pravitate morum abstrahere, quàm cupiditate animi res eorum diripiendo distrahere: nec ulla eis cura fuerat quàm subditis, sed quàm bonis ipsi regnarent. Hinc nihilo minùs sacerdotalis apex sui officii plenissimè compos exstiterat, eis solummodo suâ diligentiâ operam præbens, ad quæ ipsius ordinis institutor & auctor Deus ipsum instituit. Hæc propter summa quies erat plebi legalia jura tenenti, terra frugibus & tranquillitate opima suis cultoribus

non modò egestatem colebat, sed & operi Dei absque sollicitudine sæcularium rerum curam impendere permittebat. Classica dira silent, nec latronum incursio formidatur. Quid plura? ut cuncta brevì edicam, promicat Ecclesia pacato fœdere nexa. Quæ ut diabolus vidit, propria sibi malignitate invidit, & tractans secum pacis interruptioni causas invenit. Spiritu namque superbiæ suæ invadit gentem Pictorum in tantum, ut ea gens (quod semper ferre consueverat) bello à se tentaret excutere jugum Anglorum. Præfuit eo tempore Regno Nordanhumbrorum Ecfridus filius Oswii Regis, qui patri suo in regnum successerat, vir in armis strenuus, & beati Wilfridi amicitiis vehementer adstrictus. Hic ergo Pontifici negotium Pictorum quod incumbebat exposuit, atque ut rebus opem suæ intercessionis ferret supplici prece admonuit. Cujus dehinc benedictione vallatus atque sanctissima oratione comitatus, cum parva militum manu Pictis occurrit, Pictósque occursantes catervatim prostravit, & Pictorum tumorem gladii ultione repressit. Et quid morer? dat stragem latè, redeunt in colla catenæ. sicque victoriâ lætâ potitus rediit, & eximias propugnatori suo gratias egit. Hoc modo genti Anglorum pax restituta per annos aliquot mansit. at Regno Merciorum post hæc in dissensionem elato, Rex præfatus armis pacem revocare desiderans, obvius eidem Regi in bellum processit, pugnam commisit, quam quærebat pacem duce fugato exercitúque prostrato victor obtinuit. Ea nimirum re huic Regi sic processit, quo Deus ostenderet preces beati Wilfridi ante se penitus cassari non posse. Nec mirum. qui enim in Evangelio dixit omnia fore possibilia credenti, meritò illi quem & fide catholicum, & in operibus eidem fidei præcipuum ipsa Domini sapientia vidit, quæ justè petebat, possibilia esse concedere debuit. Nam de illius fidei integritate quis dubitare, aut quis de perfectione operum ejus dignè valeat disputare? Verumtamen paucis opera ejus quædam describantur, quæ & integritati suæ fidei testimonium præbeant, & illius cordis devotionem imitari volentes quod imitentur præ oculis habeant.

Ann. Chr. DCC IX. Apr. XXIV.

Ecfrido victoriam de Pictis obtinet.

28. Ac primò dicendum quòd optimis à puero moribus institutus, nulla quoad vixit eisdem potuit ratione abduci incommutabilis justitiæ cultor, nec favore remitti, nec detractione diduci, nec laudibus decipi, nec vituperationibus in zelum poterat commoveri. Per noctem divinis insistens obsequiis, corpus suum quod ab omni contagione ex utero matris suæ mundum custodierat, tam vigiliis quàm frigoribus mirè afficiebat, singulis illud noctibus aquâ frigidâ tinguens, nec priùs ab hac consuetudine cessans, quàm Johannes apostolicæ Sedis Antistes eum pro ætatis suæ gravitate huic proposito finem juberet imponere. Non hunc ardor æstatis, non frigus hiemis ab instantia cœpti operis Dei detorquere valebant. Præterea quaquaversum gratiâ prædicandi gratiam Dei pergens, paratus erat pro ipsa quam prædicabat veritate vitam dare, si occasio competens offerretur, quæ id fieri postularet. Si quando aliquid deliciarum quovis eventu, & hoc summa cum parcitate, in escam sumebat, idipsum in se postmodum gravi inedia vindicabat. Hæc institutio vitæ minimum elationis & maximum humilitatis in ejus pectore studium comparavit. Hæc subditis sibi exemplum sanctæ conversationis indixit. hæc eosdem in artam continentiæ viam induxit. hæc quoque multos à suo errore conversos ad Christi gratiam duxit. Unde quamplurimi nobilium incitati, filios suos Dei servitio mancipandos viro tradebant mirantes, admirando ejus merita dignis laudibus approbantes, atque suos ipsius probitatis imitatores fieri modis omnibus exoptantes. Sed sicut sæpe quod aliquibus

Virtutibus studet.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

provenit ad virtutis profectum, aliquibus procedit ad iniquitatis effectum: sic unde nonnulli in amorem & venerationem famuli Dei profecerunt, inde quidam in odium & contumeliam ejus erumpunt. At athleta Dei cum iis qui oderant pacem erat pacificus, & odio ipsorum suæ rependebat obsequium mansuetudinis.

Andreæ Apostolo templum condit.

29. Præterea in Augustaldensi opido templum mirabili opere fecit, quod ipse in honorem beati Andreæ Apostoli Domino dicavit, ad vicem videlicet beneficii rependendam, quod idem Apostolus jam ei dudum impenderat. In cujus templi constructione non defuit invidia mortiferi serpentis. Nam dum cæmentarii linunt superiora parietis, præcipitante illum adversario humani generis, unus eorum in præceps corruit, & sic ut contritis omnibus membris jam defungi putaretur. Qui cùm velut in exhalatione sui spiritus laboraret, excurrunt omnes utpote ad exsequias funeris ejus. Vir autem Domini Wilfridus cùm corpore absens præsentiâ spiritûs cuncta dinosceret, mox sese in lacrymas dedit; & quosque adsidentium quid evenerit ex ordine docens, pro salute fratris eos intercedere postulavit. Ubi verò ad ægrum ventum est, mox ad Patris tactum pristinam receperunt membra salutem: &, si dicendum, letum erubuit, cùm per hominem vitæ se depelli, & homini vitam restitui vidit. Cujus mortis auctor diabolus videns virum tam internis animi virtutibus, quàm exteriorum exhibitione miraculorum suam confusionem augere, in nimiam sui furoris malignitatem accenditur, quibus modis poterat inquirens, qualiter confusionem suam versa vice in eum retorqueret.

Cæmentario vitam restituit.

Etheldritam in virginitatis proposito confirmat.

30. Acceperat autem Rex ECFRIDUS conjugem nomine ADELDRIDAM, quæ in voto virginitatis potiùs hanc vitam transigere proposuerat, quàm aliena libidine violari. Juncta est tamen Regi præfato lege conjugali, non conjunctione carnali. Cujus rei gratiâ beatum Wilfridum tam per se quàm & per amicos suos Rex convenit, orans & obsecrans, & maximarum rerum pollicitatione in hoc ipsum allicere tentans, quòd negotium Reginæ persuaderet, ut omisso virginitatis proposito regiæ voluntati adsensum præberet. At Wilfridus sciens scriptum esse, *Vovete & reddite Domino Deo vestro*, maluit Ecfrido hac in re non parêre, quàm suum Domino sacrificium auferre, ne per hoc non modò virginis, verùm & suæ animæ mortis æternæ dispendia pararet. Ergo virginei voti fautor exsistens, vigilantis animi sagacitate procurabat, ne qua femineæ mentis inconstantia propositum virgo postponeret, & terrenis illecebris animum devicta supponeret. Egit igitur sua industria, ut virgo potiùs divortium conjugii à conjuge quæreret, quatenus libertate potita sæculum linquere, & talamis æterni Regis valeret feliciter inhærere. quod quidem factum est. Nam ubi Rex comperit eam nullo pacto à proposito posse mutari, licèt invitus, concessit tamen ut relicto sæculo, prout volebat, acciperet velamen insigne virginitatis. Qua licentia felix, accepto velamine à beato Wilfrido, quæ mundi sunt cum mundo deseruit, sprevit, atque à sui desiderio cordis procul abjecit.

Psal. 75. 12.

Per Ermeburgam insimulatus apud Regē,

31. ERMEMBURGIS verò regali est copulata conjugio. Per hanc igitur diabolus odium quod contra virum Dei habebat, exserere opportunum existimans, animum illius injectis quibusdam simultatibus adversus eum inflammat, quóque ipsi suarum insidias fraudum tendat vehementer instigat. Cui suggestioni eo faciliùs cessit, quo muliebris inconstantia mentis, intemperantia lubricæ ostentationis, oppressio ac rapina violentæ damnationis, quæ in ea magno cum tumore vigebant, servum Domini in redar-

redargutionem sui multoties acerba invectione armabant. Quamobrem non parum intus offensa, & insuper dæmoniaco igne succensa, gloriæ dignitatique ipsius magnopere cœpit invidere, & quonam modo eum dignitate sua spoliare ac spoliatum abjicere posset, occasiones quærere. Considerata ergo gloria viri, qualiter eum omni ex parte affluentia dignitatis circumfulsisset; Regem muliebri facundia convenit, quasi de quibusdam suis utilitatibus actura: re autem vera prima an animum ejus ad quæ vellet acclinare posset habere, ex obliquo perquisitura. Quem ubi ad suum votum esse persensit, ut hominem Dei in invidiam adduceret; fraudulentis sermonibus ejus gloriam Regi cœpit admirando enarrare. Nam exposita divitiarum abundantia, Cœnobiorum multitudine, ædificiorum magnitudine, subditorum Principum turba, obsequentium militum copia, regalibus vestibus & armis instructa intulit: Et quid amplius ipse tibi, quam tu sibi? totum Regnum tuum Episcopatus ipsius est. quin & si tua potestas ejus potestati comparetur, minor est. Terminus enim Imperii tui suis finibus coartatur; terminus autem Episcopatus ejus tuos fines auctoritate progreditur. Et, fateor, fidelibus & amicis tuis est timendum, ne si aliquando inimici tui contra te arma susceperint, ipse quam prædicat pacem sequendi suos ab armis immunes retineat, túque tuorum paucitate inimicis inferior victus occumbas. Quapropter de negotio ante negotium tracta; & ne in ipsa gestione negotii tua virtus decidat, quæ obsunt gnarus præordina. Sunt quidem & alia nonnulla quæ tibi honeste possunt persuadere, tui honoris nullatenus esse, non dico superiorem, sed parem quemquam in Regno tuo habere. quæ nec dici quidem opus esse recognosco, quia non modo tuæ prudentiæ, sed & cuivis imprudenti clara esse non nescio. Ann. Chr. DCCIX. Apr. XXIV.

31. Talibus verbis Rex permotus, & quasi suæ utilitati consuleretur, ad ea totus arrectus, melius suis rebus consuli non posse putavit, quam si vir Dei suis omnibus privaretur, & Episcopatus ipsius in plures Episcopos divideretur. Verum quia id agi præter consensum Cantuariensis Archiepiscopi minime poterat, verba malignæ accusationis contra Episcopum ipsius sedis Antistiti THEODORO mandant, & ad suæ voluntatis effectum deceptum inclinant. Venit igitur ad regalem curiam Theodorus, sua auctoritate regiam voluntatem super Wilfrido impleturus. quod factum est. Nam protinus in locum ejus tres Episcopos eo absente ordinavit. Res viro celari non potuit: & admiratione quammaxima ductus, hilari corde, alacri vultu, modesto gressu Regis palatium subiit, causam negotii perquisiturus. Cui hoc modo, ut fertur, ad inquisita responsum est: Nec te inpræsentiarum alicujus criminis admissione notamus, nec tamen statutum de te judicium hac vice mutabimus. Ille vero talibus verbis non sibi satisfactum esse consentiens, apostolicam Sedem appellavit: & pro eorum injustitia indignatus, reflexo gressu aulam egredi voluit. Intuens autem quosdam satis fœdo suis casibus insultare cachinno: Et ô, inquit, filii, felici prosperitate ducatis tempora longa. sed noveritis, quantocius sors infesta resolvet hæc gaudia vestra: nec prius hunc annum transisse videbitis, quam istas quas super me derisiones habetis, acerbi mærore luatis. Quæ prophetia veritas facta est. Nam post non multum temporis conserto gravi prœlio inter Ecfridum & Ailredum regem Merciorum juxta fluvium Treanta, occisus est ELFUINUS frater Regis Ecfridi, juvenis circiter decem & octo annos habens, utrique provinciæ multum amabilis: ex cujus morte magnus & intolerabilis mæror Ecfridum ac suos percutit: omnisque lætitia quam de expulsione beati Wilfridi habuerant,

Pellitur Episcopatu.

Adversariis suis prædicit cæ(le)stem ultionem.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

justo Dei judicio in tristitiam versa est. Sic ex eo quo à se fortissimum militem Domini repellere non timuerunt, numquam lætâ victoriâ potiti sunt: sed qui priùs parva manu militum ejus intercessione muniti ingentes copias straverant, postmodum cum ingenti copia à raro milite victi cadebant. Nec injuria. Repulso etenim eo per quem victores exstiterant, nil erat residui, quare passim vinci non debuerunt. Verùm ad ordinem instituti operis stili officio redeamus.

Vale suis dicto Romam tēdit.

32. Beatus Wilfridus episcopalis cathedræ dignitate privatus ad sua rediit, filiis & fratribus suis de ejus infortunio valde contristatis non pauca disseruit verba consolationis, patientiæ, & veræ caritatis, dicens inter alia, nihili esse pendendum, quod constaret nonnumquam fore pendendum. Ipse verò post hæc Romam iturus, & ne quod scandalum Ecclesiæ Christi propter eum immineret causam suam ante Sedem apostolicam expositurus, ad mare venerabili Monachorum collegio dextrâ lævâque stipatus perducitur: navi imponitur, pia illorum imprecatione perfungitur, prospero cursu ventis vela panduntur. At ubi paullulum navis processit, mutato vento pulsus est Fresiam: ubi à barbaris ac Rege illorum ALDGISLO honorificè susceptus, ibidémque honorificè conversatus, ab omnibus summo cum honore, quoad ibi manere cordi fuit, habitus est, licèt adhuc tota provincia idolorum cultui dedita deserviret. Vicem itaque benignitati eorum rependere volens, prædicabat eis verbum Dei, & multa millia verbo veritatis instituit, ac fonte salutari à suorum peccatorum sordibus lavit; sicque susceptores suos & à Domino suscipi, & Dominum in se suscipere fecit. Erat autem ante adventum beati viri terra ipsa magnæ salsitatis magnæque sterilitatis; & velut in modum rupis nimiæ asperitatis: ac per hoc quibusque animalibus ad incolendum magnæ incommoditatis. Verùm ad prædicationem viri Dei eadem gente Fidem Domini suscipiente, sicut corda eorum supernæ dulcedinis rore ad fertilitatem operum bonorum mollita, & inhabitatione Spiritus-sancti sunt accommoda facta; ita & terræ ipsorum salsitas in dulcedinem, sterilitas in fertilitatem, asperitas in mollitiem atque pinguedinem versa, omnibus inhabitantibus eam diversæ commoditatis copias lautissimè intulit.

In Fresia honorificè excipitur.

Adversariis frustra conspirantibus,

33. Interea ii qui suâ nequitiâ victi amicum Christi propria dignitate, possessione, terrâ proturbaverant, legatos suos tam fraudibus iniquissimæ delationis ligatos, quàm & diversis exeniis oneratos in Franciam dirigunt, quò viro Domini partim fraude, partim munere laqueos deceptionis & captionis, laqueos deprædationis, perditionis & mortis instituant. Sed ut laqueus eorum, qui muneribus seducti laqueum instituerunt servo Dei, ipsos involveret; quemdam Sacerdotem Domini, nomine WINFRIDUM, nuper à suo Episcopatu depositum, & tunc in peregrinationem pro Dei amore euntem, occulto judicio Dei suis omnibus spoliaverunt, vicinitate nominis propriáque malignitate decepti. Verùm ubi hoc ab illis est intellectum, & quónam vir Domini ea tempestate degeret recognitum; EBROINUS regalis curiæ & istius nequitiæ princeps scripta cum magno munere Aldgislo Regi direxit, petens ut Wilfridum omnibus bonis exspoliatum crudeli morte necaret. Rex autem nec precibus, nec donis sub se cadere tantæ nequitiæ adquiescens, missam chartulam magna cum indignatione diruptam ignibus injecit: nequitiæque, ut dignum fuit, exprobrans, legatos absque honore dimissos statim remeare præcepit.

34. Securus igitur insidiarum Præsul, in ipsa provincia totam cum

nova Dei plebe hiemem feliciter exigens, deinde pergendi Romam iter repetiit, & Galliam perveniens nota sibi Regis DAGOBERTI mœnia subit. Quem ipse Rex visum mox recognovit, eúmque multa cum lætitia hospitio suscepit, & vocatis hominibus suis, hac eos voce alloquitur: Virum hunc quem ecce coràm habetis, magnopere dilectioni vestræ commendo, rogans ut illi in quocumque negotio vestri opus habuerit adsistatis, siquidem me, sicut credere fas est, sincera mente amatis. Hujus etenim probitate & industriâ vobis redditus, vobísque, ut inpræsentiarum videtis, regia sum dignitate prælatus. Nam dudum, velut ipsi recordamini, cùm popularibus insidiis fere perditus essem, exsul quàque liberationis meæ gratia oberrassem, pelago quoque jactatus ad ignavos Hibernos perlatus fuissem; hinc me inde adductum magna benivolentia secum aliquamdiu tenuit, ab omni periculo protexit, atque nativo solo incolumem ac tutum restitui posse donavit. Quapropter per meam & vestram vos obtestor salutem, ut si qua in vobis est fides, tantum servemus amicum, & vicem exhibitæ mihi dilectionis ac benivolentiæ communiter gratiosi procurramus * ei rependere. Ad hæc dicta quique lætantur, suámque lætitiam vehementi acclamatione testantur. Neque enim leve judicabatur inter illos quemquam subjectorum vel mutire contra præceptum aut voluntatem Principis sui. Hinc sedes & prædia, dignitates & varia dona Sancto à Rege offeruntur, atque ut sui Regni dignaretur terras incolere ac incolendo juri proprio vindicare; multis precibus exoratur.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. à Dagoberto Rege benignè tractatur.

* f. procuremus

35. Sanctus autem sui propositi memor, regiæ voluntati non cessit: sed quibusdam necessariis rebus adsumtis, quin etiam sociato sibi quodam Præsule DEODATO nomine, à curia recessit. Inde Campaniæ Ducem vocabulo BERTHERUM adiit, & ab eo nobiliter susceptus est. qui post exhibita veræ caritatis atque humanitatis officia, cum homine Dei residens cœpit ei enarrare, qualiter inimici ejusdem voluerint eum perdere, & se ad intentionem ejus oblatis muneribus inflectere. At ego, inquit, non immemor quid fidelitatis & amicitiæ quondam in pagano quodam Rege repererim, cùm de patria mea pulsus apud eum exsularem; nolui minùs fidelis inveniri Christianus tibi Christiano, quàm homo paganus mihi exstitit homini Christiano. Siquidem Rex Hunorum gentilis cùm causâ tuendæ meæ salutis me secum degentem retineret, iniit mecum fœdus in nomine dominorum * suorum, quòd me numquam inimicis meis quavis occasione proderet. Post aliquot verò dies nuntiis ad se ex parte inimicorum meorum venientibus, & ingentem pecuniam pro interitu meo sibi pollicentibus: Dum, inquit, vitam meam succidant, si ego pro quovis lucro terreno vobis cedens, initum fœdus quoquo modo dissolvero. Si ergo homo infidelis, ut falso deo suo fidus exsisteret, fœdus rumpere noluit; ego gratiâ Christi, fidelis fidem quam vero Deo promisi, violabo ullius terreni commodi causâ? Absit, absit. immo in sua * fide te suscipio, & quoad velle tibi fuerit, ut mecum maneas obsecro. Id quoque magnopere desidero à te petere, quatenus si quid in meis affectuosiùs amas, accipias, utaris, possideas. Hac viri bonitate, simul & benignitate vir Dei magnificè delectatus, quid potius animo proposuerit, viro aperuit: sicque multiplicatus rebus ac sociis, gratiosus ab eo discessit.

& à Berthario Duce.

* f. deorum

* l. mea

36. Romam verò usque perveniens, ilico fama jam cognita sanctitatis ejus quàque percrebuit, & ei quamplurimos civium venienti in obviam egit. Aderat, & magno vulgi favore susceptus in aulam beati Petri

Romæ in Synodo restituitur.

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV. veneranter adductus est. Pontificatum apostolicæ Sedis beatæ memoriæ AGATHO tunc regebat, vir justus & simplex, ac in rebus ecclesiasticis non mediocriter sollers. in cujus ac plurimorum Episcoporum præsentia cùm beati Wilfridi causa esset præsentibus accusatoribus ventilata, universorum judicio absque crimine accusatus fuisse, & Episcopatu dignus esse comprobatus est. Quo in tempore cùm idem Papa Romæ Synodum congregaret centum viginti quinque Episcoporum adversus eos, qui unam in Domino salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant; vocari jussit beatum Wilfridum, atque inter Episcopos considentem dicere Fidem suam, simul & provinciæ de qua venerat. Cúmque Catholicus fide cum suis esset inventus, & ab re sacerdotali dignitate privatus; placuit ut Romanæ Sedis decreto in Episcopatum restitueretur, & in monumentum suæ catholicæ Fidei ejusdem Synodi gestis hoc scriptum insereretur. „Wilfridus [a] Deo amabilis Episcopus Eboracæ civitatis, „apostolicam Sedem de sua causa appellans, & ab hac potestate de certis incertísque rebus absolutus, & cum aliis centum viginti quinque Coepiscopis in Synodo judicari à Sede constitutus, pro omni aquilonali parte Brittaniæ & Hiberniæ, quæ ab Anglorum ac Brittonum necnon Scottorum & Pictorum gentibus incoluntur, veram & catholicam Fidem confessus est, & cum subscriptione sua corroboravit.

Patriam repetens, impetitur à cæsoribus Dagoberti. 37. Apostolico igitur & synodali decreto in Episcopatum restitutus, acceptísque ab apostolica Sede litteris, Regi Ecfrido & Archiepiscopo Theodoro de sui status redintegratione directis; servus Dei magno servorum Dei reliquiarum munere ditatus, iter Angliam veniendi repetiit: & quia noverat scriptum, *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*, regiâ viâ gradiebatur. (Prov. 10. 9.) Ecce autem extra quàm putabatur, latronum manus ad interficiendum parata, viro Domini haud grata processione occurrit. Erant etenim qui Regi DAGOBERTO insidias tetenderant, eúmque gladio in inguine merso necaverant. Hi ergo viro Dei occurrentes, animique furorem vultûs sui ferocitate pandentes, prœlia vibratis intentant comminus hastis. quorum unus qui quasi loco Principis inter eos habebatur, excusso quod manu tenuerat telo, militi Christi fœdo ore conviciabatur. Delator, inquiens, patriæ petulans; & moribunde viator, tu quidem jampridem Gallica sceptra violasti, tu Gallica rura pessumdedisti, tu Gallicam libertatem in servitutem redegisti, cùm tyrannum à nobis jam olim exsiliatum tuâ instantiâ in Regnum constituisti. At ipsius quidem crudelitas justissima morte punita, te quoque utpote maximum suæ mortis auctorem, te, inquam, eadem morte puniendum esse declamat. Procumbe igitur pestifer, procumbe, & digna ultione multatus, eidem quam contra nos fovisti morti succumbe. Et Pater contra: Si non jure, inquit, feci cùm Regem Regno injustè depulsum, quantum in me fuit, hereditariæ dignitati præfeci, & hoc ita penes se esse justissimi Judicis æquitas habet; fateor, pœnas justæ ultionis promtissimè pendam. Quòd si nequaquam hoc in facto contrarius, sed cum jure feci, velut ipsa mox innocentia mentis mihi testatur; eo libentiùs, si vultis occidere, mori desidero, quo me pro justitia occisum martyrii gloriâ coronandum fore considero. Quibus dictis, ubi viderunt virum tantâ mentis constantiâ niti, nimio terrore perculsi arma projiciunt, terræ procumbunt, viri vestigia osculis petunt, veniam quærunt. qua ad

[a] Eadem subscriptio apud Bedam & Vuillelmum. Acta Concilii exstant partim apud Vuillelmum, partim apud Spelmannum.

suum votum inventa ejus benedictione ditati, viæ prosperitati Pontificem cum suis omnibus reddunt: ipsi certo itinere pergunt. ANN. CHR. DCC IX.

38. Perveniens vir Dei Brittaniam, Regi litteras quas ab apostolica Sede acceperat detulit, & earumdem litterarum auctoritate subnixus, in conventu nobilium suam causam viva voce defendit, séque falsò accusatum ac injuriâ degradatum libera protestatione ostendit. Rex autem quanto illum majori veritatis ratione vallatum agnovit, tanto se minori veritatis ratione suffultum indoluit, morémque nequissimorum imitatus maluit in sua pertinacia contra æquitatem perdurare, quàm æquitatis ratione suam pertinaciam mitigare. Hanc verò sui cordis socordiam magnopere confirmabat antiquorum delatorum inveterata discordia, dum ipsi quos ipsa jam repletos possidebat, venena suæ malignitatis regiis auribus infundebant. Propriâ itaque Rex irâ cæcatus & seducentium se adulatione à vero distractus, litteras apostolici Papæ tumido fastu despexit, despiciendo irrisit, irridendo à se procul abjecit, ac in famulum Dei nequissimi delatoris crimen injecit. Tanta Regis indignatione nonnulli clientes, immo & quique nobiles oppidò permoti, unanima omnes contra Beatum conspiratione insurgunt, ac multis eum contumeliis afficiunt; & quò regiæ majestati se ad plenum fideles exsistere mônstrent, indignationi ejus plenè satisfacere cupiunt, & Dei hominem à Regis conspectu avulsum carceris imo detrudendum arripiunt. ERMEMBURGIS autem bonorum omnium persecutrix, & hujus schismatis indomabilis auctrix, sese in direptionem illius mediam immersit, capsulam reliquiarum de ipsius collo procaciter abstulit, eúmque fœda garrulitate & feminea loquacitate derisum abjecit. Ergo inclytus heros sociis & opibus omni ex parte privatus, ad suos, prout potuit, inter iniquorum manus sese convertit, atque in his verbis brevì ad eos orationem fecit. Non vos, inquit, domini fratres & filii mei, non vos hæc quæ nobis ingeritur injuria turbet, nec à veritatis tramite quoquo modo proturbet. Præ oculis semper habete, omnes qui volunt in Christo piè vivere, necessariò tribulationem pati oportere. Verùm licèt impii ad tempus piis prævalere videantur, tamen non sic semper erit. Erit enim tempus cùm & piorum tribulatio perenni lætitia remunerabitur, & impiorum superba elatio perenni tristitia punietur. Sed ne tribulatio vos in impatientiam agat, animadvertite quonam modo cana patrum series multas perpessa tribulationes, per patientiam meruit Deo juvante vincere multiplices hostes. Nec id vestræ menti ullatenus volo abesse, neminem secundùm Apostoli dictum posse coronari, nisi qui contra diabolum studuerit legitimè decertare. Et certè hujus temporis certamina parvi pendenda, nec multum diutina: per illa tamen æterna felicitas & felix æternitas regni Dei comparatur. quam felicitatem, quæso, fratres, amate, eam desiderate, ad eam tendite, atque ad eam pervenire tota mentis intentione satagite. Quod si feceritis, profectò nihil erit quare istius vitæ adversa formidetis. Vix verba compleverat, cùm ecce in quorum manibus stringebatur, acriori furore ex ipsis verbis accensi, eum in tenebroso carcere vinctum detruserunt.

APR. XXIV. à Rege suo conjicitur in carcerem. — *Regina insultante.* — *Verba facit ad suos.* — *2. Tim. 3. 12.*

39. O constantia viri! sic enim tui cordis, sanctissime Pater, hilaritatem in tanta tua adversitate contueor, sic considero hilarem te esse solere, cùm omnia prospera tibi videbantur arridere. tamen ne pietatis viscera in tuis filiis aliquatenus perdidisse videreris, eorum potiùs quàm tuis ærumnis pias lacrymas impendebas: & cùm te carcer tenebrosus involveret, magis dolebas ab eorum auribus vitæ verba separari, quàm te præsentiæ corporeæ lucis spoliari. Interni etenim luminis fulgore nitebas, *Laudatur.*

Ann. Chr. DCCIX. Apr. XXIV. quo carcerales tenebras pro nihilo contendebas. Quare cùm divinæ lucis splendorem Deus in te vigere conspexerat, humanis tenebris te nequaquam diu premi permisit: sed eisdem fugatis radium suæ lucis domui quam inhabitabas immisit. Ac quidem meritò. Nam quia pervigil æternæ luci tam in noctis quàm in carceris horrore adsistebas, dignum duxit sui luminis effusionem signare, operibus tuis & caligini tenebrarum nihil esse commune. Hanc luminis effusionem custodum vigilia protestatur, quæ circa mediæ noctis horam carcerem mirè fulgentem non absque gravi timore sese vidisse testatur. Sed hoc testimonio te non eguisse perpendit, qui sanctitatis tuæ merita oculo fideli attendit. Beati Petri Apostoli carcerem cum tuo potiùs considero, téque sibi accepta liberatione evangelica in luminis ostensione comparari vehementer exsulto. Quamquam post hæc & archangelica Michaëlis visitatione sis à mortis periculo liberatus, ut cunctis clarescat, quòd gloriâ regni Dei simul cum ipso Apostolo sis coronatus.

Custodis sui uxorem sanat.

40. Inter hæc uxor Præfecti Offridi, qui beatum Wilfridum in custodia habebat, acerrimo languore corripitur, jam jámque ad vitæ extrema perducitur. Jacet siquidem toto corpore debilitata, solutísque compagibus omni membrorum officio destituta: perdito insuper sensu, contractis emortua nervis viscera fluitabant. quæ res viro suo magni doloris & anxietatis stimulos magnæ defectionis & horroris causas ingerebat. Quo infortunio motus virum Dei lacrymosis questibus adiit, vincula quibus gravabatur absolvit, ad pietatis affectum inclinavit, & eductum ergastulo suæ conjugi medicum salutis adduxit. Adfuit vir Dei, & mox turbas quæ ad funus mulieris venerant, jussit amoveri. Hinc precibus ad Dominum præmissis aquam benedixit, & benedictam super jacentis corpus adspersit. Mirabile dictu! non priùs aqua infirmantis membra tetigit, quàm omni languore depulso mulieri perfecta sanitas rediit. Quo facto ab omnibus qui aderant grates Deo consona voce redduntur, ac merita beati Patris non carcere, sed omni honore dignissima prædicantur. Ne autem gratiâ evadendi carceris magis quàm pietatis amore ductus hoc virtutis signum ab aliquo fecisse putaretur, extrà remanere noluit, sed divinitatis lumine fruiturus, quantocius carceralis custodiæ sæpta revisit. Conjux verò Præfecti quæ fuerat sanitate donata, post paucos dies spreto sæculo in servitium Christi sacro est velamine designata.

Aliò deportatur.

41. Præfectus autem ex eo tempore servum Domini in magna veneratione habens, Regi per nuntios adito dixit: Per salutem & regnum tuum te adjuro, quatenus Sacerdotem Domini Wilfridum à me diutius detineri non facias: quia fateor melius mihi esse mori, quàm in eo aliquid injuriarum ulteriùs exercere. Quod si hac adjuratione despecta in tua sententia persistere mavis, me simul cum eo tormenta & mortem magis subire velle cognosce, quàm eum in tormentis habere. Ad hæc Rex vehementer iratus jussit Sanctum duci in urbem suam *Thymber* * ad Præfectum nomine Tydlin, utpote ferociorem, præcipiens illi ut compedibus & vinculis fortiter adstrictum artiori custodiæ manciparet. Qui jussioni contraire non audens, virum suscipit, custodiæ tradit, vincula facit. Verùm cùm in hoc ut ligaretur ministrorum manus elaborarent, aut rupta ab ipsius corpore eadem vincula dissiliebant, aut certè colligare non valentia diffusa cadebant. & miro moderamine Christi eo minor in eum ligandi potestas exstiterat, quo ad ligandum hostilis feritas immaniùs sæviebat. Unde illi nimiùm admirati, sed regio terrore suáque vecordiâ in barbaricos motus exagitati, alia & alia vincula parant, conatu suo, casso labore funditus consumendi. Eia tibi ligandi potestate sublata quid furis, manus

* *Vuillelmus* satellitem Tumber *vocat.*

Mira facit in carcere.

insana? quid tantopere niteris oppugnare, quem numquam poteris expugnare? quid toties & toties ad vinciendum vincula mutas, & à te vincula quibus ex merito tuæ pravitatis es vincta, non potiùs mutas? Collo Justi lora tua imponi verentur, quòd ipsum jugo Christi subjectum esse digna veneratione contuentur. Manicæ tuæ manibus ejus inseri metuunt, quia in fovendis pauperibus eas fuisse exsertas attendunt. Trementes catenæ pedes nexare devitant, propterea quòd illos ad pacem prædicandum veloces exstitisse considerant. Omnes ergo vires tuas frustra dispendis, cùm illum, quem nequaquam permitteris, torquere contendis. Beatus autem Wilfridus, licèt carceralibus tenebris involutus, quosque tamen adventantium lumine verbi Dei, prout ei licuit, illuminavit, edocuit, ac baptismate ab omni criminum labe mundavit. *Ann. Chr. DCC IX. Apr. XXIV.*

42. Hæc interim Rex dum suis comitatus ad expletionem suæ voluptatis se quaque deduceret, atque in magna hilaritate frena lætitiæ laxaret; ecce repentino turbantur gaudia casu. Dum etenim regia conjux tumens nimio fastu impietatis raptis audet abuti reliquiis, ilico vindex ira subit. Siquidem easdem reliquias ferens, cùm sicut perdix alacri mente lasciva garriret, contigit ut mox repleta dæmonio, sicuti vulpecula, perdita mente insana ganniret: quémque sua priùs petulantia volens coluit, hunc postmodum in sui corporis habitaculo nolens fovit. Hæc propter quibusque in stuporem arrectis accessit mater Regis, furentem increpabat hujusmodi verbis: Anne patent, inquit, soror, anne patent veteris commissa piacli? Wilfridum tuis falsis criminationibus à sede sui episcopatûs pepulisti; & nunc vice mutata in sedem tui pectoris dæmonem recepisti: ut per hoc intelligas, quid peccati illo in facto commisisti. Wilfrido Sanctorum reliquias de collo non sanctè tulisti; & ecce ut collum tuum suo dominio dæmon subderet meruisti. Wilfridi sanctissima verba & beati Petri auctoritate suffulta despexisti: & ob hoc dæmone cor tuum possidente verborum tuorum jus perdidisti. Wilfridus divinitatis lumine plenus carcerales tenebras per te in eis positus non veretur: & tuus animus dæmoniaco furore repletus, per hoc jam nunc dignissima ultione torquetur. Rex aderat oppidò conturbatus, & ingenti furoris igne succensus, ventum naribus quasi fumum emittebat. Quem etiam mater sua tali voce est allocuta: Jam tandem, fili, jam tandem memor esto tui. Ultio divina tuam quam nimis diligis conjugem, ut cernis, affligit. & fateor, crede mihi, quia bene promeruit tali supplicio fatigari, eoquòd diabolica indignatione succensa, servum Domini Wilfridum non timuit miris afflictionibus insectari. Quapropter hanc vindictam sibi irrogatam ne dubites, obsecro, propter te esse collatam. Quòd si hac corrigi sponte contemseris, cave ne tuâ propriâ corrigaris invitus. Ergo solve virum à carcere, quem nullius sui criminis causâ novimus detineri: & si eum in Regno tuo manere nolueris, jube illum Regno decedere, ne si diutius fuerit tentus, tunc eum primò dimittere velis, cùm fueris majori pœna multatus. Istis Rex ipse admonitus, annuit ut carcerem vir sanctus exiret. Factum est, & è tenebris lux mundo processit. Malens autem servus Dei bonum pro malo, quàm pro malo malum reddere, oravit Dominum, & Reginam confestim dæmone fugato sanitati restituit. *Reginâ correptâ, & Rege increpito à matre, carcere liberatur.*

43. Hinc patriam cognatáque rura deserit, & velut advena terras australes petiturus, eò veniendi iter invadit. Et cùm Veritatis præconia nullâ queant fallaciâ violari; famulo Dei primò quærenti regnum Dei, nihil eorum quæ vitæ necessitas exigebat, deesse valebat. Unde contigit, ut hunc euntem quidam BYRTWALDUS, regia stirpe progenitus, magno cum honore *A Birtwaldo primùm bene, dein malè acceptus,*

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. obvius exciperet, & aliquantisper secum detento quæque opus habebat benignè impenderet. At invidia diabolica diu impendi ferre non potuit. Prædictum etenim virum veneno suæ perversitatis infecit, quóque militem Christi suâ munificentiâ exutum à se suísque omnibus eliminaret effecit. Erat namque frater ÆDELREDI Regis Merciorum, qui sororem Regis [a] Ecfridi habebat in conjugium. Timens igitur ne fratris animum offenderet, si eum qui fratrem conjugis suæ infensum habebat, secum teneret; non veritus injustitiam, Wilfridum abjecit, non tamen absque contumelia, ut per hoc sciamus eum non immunem fuisse in hoc facto à mente maligna. Nam priùs tam à se quàm ab Ædelredo Rege suísque uxoribus, necne voluntatis eorum fautoribus multipliciter afflictus, injuriatus, multis quoque terroribus ad violationem fidei suæ atque ad exprobrationem catholicæ & apostolicæ traditionis pro qua maximè impetebatur incitatus, impulsus, nec prostratus; ad ultimum cum dedecore pulsus est.

ad Kentvvinum refugit. 44. Omni ergo humano frustratus auxilio, quò tenderet, quò se verteret ad hospitandum ignorabat: hoc solum fiduciæ præ se gerens, quòd à Deo nequaquam deseri posset. Qua fiducia magnificè fretus, quidquid ei incommoditatis accidebat, summa cordis alacritate perferebat: quóque magis adversitatibus feriebatur, eo ampliùs in opera Dei toto studio ferebatur. Venit tandem ad curiam Regis cujusdam, qui KENTWINUS [b] vocabatur: ubi satis humanè susceptus & bene, verùm brevì habitus est. à quo & pulsus, Nam quemadmodum aliàs, sic & ibi dæmonis instinctu femineas passus est iras. Siquidem regia uxor soror erat Ermemburgis, malorum fere omnium quæ contra virum Dei fiebant auctricis. Hæc igitur à sua uxore in mentis malignitate non minor, beatum Præsulem multis contrarietatibus afflictum à suis omnibus expulit. Quid diaboli furor immanis, quid tantopere adversus famulum Domini sæviendo vagaris? quid ei laqueos tuæ fraudis innectere tentas, & tentando illum variarum calumniarum tempestate fatigas? quid eum ab humani cordis ædificatione flectere niteris, & ob hoc Christianorum societati conjunctum esse non pateris? Ecce cùm illum à Christianis depellis, ad paganos liberaliter ibit, velis, nolis: & qui times ne quorumdam Christianorum mentes tuis deceptionibus per ipsius conversationem quoquo modo evacuentur, longè quàm putas per ista efficis, ut integra provincia penitus tua dominatione privetur.

ad Regem Vvicciorum se recipit. 45. Namque divertit post hæc ad provinciam australium Saxonum, quæ adhuc illo tempore paganis adhuc cultibus insudabat: ibíque verbum fidei prædicabat, & credentibus lavacrum salutis ministrabat. Erat autem Rex gentis illius, EDILWALH nomine, non multo antè baptizatus in provincia Merciorum, & Regina nomine EABE baptizata in sua, hoc est provincia Huicciorum. Itaque beatus Wilfridus concedente, immo multum gaudente Rege, primos provinciæ Duces ac milites sacro fonte abluebat, Presbyteri verò sui ceteram plebem. Antehac enim tota illa provincia divini nominis & fidei erat ignara, præter Regem atque Reginam. Erat tamen ibi Monachus quidam de natione Scottorum, nomine DICULUS, habens Monasterium permodicum in loco, qui vocatur *Bosanham*, silvis maríque circumdatum; & in eo Fratres quinque vel sex in humili ac paupere vita Domino famulantes. Sed nullus provincialium vel eorum vitam æmulari, vel prædicationem curabat attendere. Evange-

[a] Osdridam scilicet, quæ *in solatium Elvvini fratris occisi Ethelredo nupserat, pacem inter maritum & fratrem componens*, ex Vvillelmo.

[b] Hunc locum intactum prætermisit Vvillelmus, à Fridegodo expositum.

lizans autem genti Episcopus, non solùm eam ab ærumna perpetuæ damnationis, verùm & à clade infanda temporalis interitûs eripuit. Siquidem tribus annis ante adventum ejus in provincia nulla illis in locis pluvia ceciderat. Quamobrem fames acerbissima plebem invaserat; ac impia nece prostraverat. denique ferunt, quia sæpe quadraginta simul aut quinquaginta homines inediâ macerati, ad præcipitium aliquod sive mare procedebant; & junctis miserè manibus pariter omnes aut ruinâ perituri, aut fluctibus absorbendi decidebant. Verùm ipso die quo baptismum fidei gens suscepit, ad preces eximii Patris pluvia serena, sed copiosa descendit. Refloruit terra, rediit viridantibus arvis annus lætus ac frugifer: sicque abjecta superstitione, antiquâ exsufflatâ idololatriâ; cor omnium & caro exsultaverunt in Deum vivum, intelligentes eum qui verus est Deus, & interioribus & exterioribus se bonis gratiæ cælestis ditasse.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. Pluviam precibus impetrat recèns conversis;

46. Antistes quoque cùm in provinciam venisset, tantàmque famis pœnam ibi vidisset; docuit eos piscando victum quærere. Nam mare & flumina eorum piscibus abundabant, sed piscandi peritia genti nulla; nisi ad anguillas tantùm inerat. Retibus igitur anguillaribus undequaque collectis & ab hominibus Antistitis in mare missis, meritis sui Patris divina sunt largitate adjuti, ceperúntque diversi generis pisces trecentos. quibus trifariàm divisis, centum in opus pauperum dispenderunt, centum eis à quibus retia acceperant contulerunt, centum in suos usus retinuerunt. Quo beneficio multum Antistes cor omnium in sui convertit amorem: & eo prædicante fiducialiùs cælestia sperare cœperunt; cujus ministerio terrestria bona ceperunt.

quos piscandi artem docet.

47. Quo tempore Rex Elidwalh donavit servo Domini terram octoginta septem familiarum, vocabulo *Selesei*, quod Latinè dicitur Insula vituli marini, ubi suos homines qui exsules vagabantur, recipere posset. Hunc ergo locum cùm accepisset Episcopus Wilfridus, fundavit ibi Monasterium, ac regulari vita instituit, maximè tamen ex iis quos secum adduxerat Fratribus. quod Monasterium usque hodie successores ejus tenere noscuntur. Attamen sedes cathedræ episcopalis in Cicestram postea mutata est. Inclytus autem Pater Wilfridus illis in partibus annos quinque, hoc est usque ad mortem Ecfridi, mira sanctitate & prudentia præditus, officium Episcopatûs omnibus valde carus & honorabilis administrabat: ad quem illi Rex cum præfata possessione omnes quæ ibidem repertæ sunt facultates cum agris & hominibus donavit. Omnes Fide Christi imbutos unda baptismali lavit: inter quos servos utriusque sexûs numero ducentos quinquaginta baptizavit, quos ut baptizando à servitute diabolica liberavit, sic etiam libertati donando humanæ jugo servitutis absolvit.

Selesciense Monasterium ædificat.

48. Post hæc cùm CEDWALLA, qui ab exsilio meritis & interventionibus beati Wilfridi fuerat revocatus, Regno potitus esset Gevissorum; Vectam insulam bello capere, ac expulsis indigenis homines suæ provinciæ cogitabat eidem insulæ substituere. Fuerat autem eadem insula catenus tota idololatriæ dedita. Ubi verò ad certamen ventum est, voto se memoratus Princeps, quamvis nondum in Christo regeneratus, adstrinxit, quoniam si victor insulam cepisset, quartam ejus partem simul & prædæ Christo Domino daret. quod ipse victoriâ usus taliter solvit, ut hanc beato Wilfrido utendam pro Domino offerret. Et quoniam mensura ejusdem insulæ, juxta æstimationem Anglorum, familiarum est mille ducentarum; data est Antistiti possessio terræ familiarum trecentarum. At ipse

Vectæ insulæ populum Christo lucratur.

Ann. Chr. DCC IX. Apr. XXIV.

partem quam accepit, commendavit cuidam de Clericis suis, cui nomen Bernuinus, qui erat filius sororis ejus, dans illi Presbyterum nomine Hildilam, utrisque præcipiens, quatenus in ipsa insula quibuscumque valerent, verbum ac lavacrum vitæ ministrarent. qui ministerio prædicationis adsumto, meritis & intercessionibus beati Patris suaque instantiâ, Christianæ Fidei jugo præfatam insulam subjecerunt.

Ecfridi interitum videt absens.

49. Anno incarnati Verbi Dei sexcentesimo octogesimo quinto, cùm Ecfridus Rex Nordamhumbrorum temere exercitum ad vastandam Pictorum provinciam duxisset, hostibus fugam simulantibus in angustias inaccessorum montium est perductus, atque cum maxima sui exercitûs copia, quam secum abduxerat, exstinctus. Et quidem justè, qui cùm virum vitæ nullo pacto in amicitiam suam vel in jura potestatis suæ dignatus est admittere, meritò debuit eo despecto ab eisdem hostibus mori, quos priùs eodem sibi familiariter accepto meruit feliciter suæ ditioni subjicere. Ipsâ autem horâ qua ipse Rex gravi bello in Pictorum provincia premebatur, servus omnipotentis Dei Wilfridus in Suth-Saxonia sacris Missarum celebrationibus intendebat. Cúmque dicto *Sursum corda*, responderetur, *Habemus ad Dominum*; raptus in mentis excessum vidit eodem momento per spiritum Dei Ecfridum capite cæsum morti procumbere. Qua visione perterritus, majori est per modicum terrore perculsus. Nam cùm sequentia Missæ prosequeretur, & in præfatione *Per Christum Dominum nostrum* diceretur ab ipso, adspexit, & ecce duo maligni spiritus animam Regis ante ipsius oculos miserabiliter attulerunt, sicque horrendo gemitu suspirantem secum ad inferni claustra tulerunt. Ilico Accam Presbyterum suum vocavit, & ei cuncta quæ viderat enarravit. Ad quæ Presbyter vehementi stupore attonitus, vix illius verbis auditum patienter credere potuit. Justus autem diem & horam regiæ interfectionis notavit, & eam ipsam fuisse post aliquot dies rei gestæ attestatio comprobavit.

Theodoro reconciliatur,

50. Fama igitur circumquaque Regis obitum denuntiante, veloci relatu ad aures Theodori metropolitanæ sedis Antistitis pervenit: qui delictum quod jam olim in famulum Dei commiserat, consentiendo videlicet eum tantis perturbationibus, ut præfati sumus, injustè affligi; hoc, inquam, delictum humili satisfactione corrigere volens, misit propter eum, & ad se honorificè perductum taliter est allocutus: Fili, immo virtutum meritis sanctissime Pater, ego qui ad hoc præ ceteris constitutus eram, ut omni injustitiæ quæ in hoc Regno emergere posset, obviarem; propria fragilitate subactus, plurimis tibi contra jus adversantibus, fateor, multum peccando consensi. Sed mihi culpam fatenti & intimo corde pænitentiam agenti pius, quæso, veniæ largitor adsiste. Ultima ergo meæ, sicut tu cernis, nunc instant tempora vitæ: ac per hoc quod deprecor annue, & suppliciter à me postulatus intercede pro me. Territus his verbis Jesu-Christi Domini servus, respondit: Et quidem multis me tribulationibus te consentiente afflictum, Pastor venerande, non nescio. absit tamen, absit, ut hoc te quavis malitia inductum fuisse crediderim. verùm ut autumo ea potiùs intentione id fecisti, quia volebas me per ipsas tribulationes in patientia exerceri: quatenus anxietatibus actus, per iter patientiæ possem perfectionis culmen attingere. Quapropter multo magis tibi pro tua bona intentione grates agere debeo, quàm tu apud me inde veniam quærere: præsertim cùm numquam venia rite petatur, nisi unde aliqua offensio contracta esse putatur. Sed quoniam te circumquaque oculatum instar cælestis animalis esse non nescio, perspicaciter atque subtiliter quæ sunt videnda te considerare perpendo. Ea propter si putas te,

Pater dilectissime, aliquid peccati contraxisse in iis, quæ contra me fieri consensisti; quantum mea mente libens indulgeo, & indulgens etiam super te misericordiam Judicis venire supplici devotione deposco. Ex hoc firmissima sanctissimaque inter ipsos venerabiles viros pace fundata, pastorali auctoritate mutuo sese Christo conciliavêre, & lætitia spirituali jocundantes, quæ Dei sunt unanima adsertione tractavêre. ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

51. Præterea Theodorus misit litteras ALFRIDO, qui in gente Nordanhumbrorum defuncto Ecfrido fungebatur: in quibus sibi rhetorica facundia suasit & persuasit, quatenus beato Wilfrido ex corde amicus fieret, eumque in sede Ecclesiæ suæ, de qua injustè depositus fuerat, honorificè reciperet. AILREDO [a] etiam regi Merciorum, necne quibusdam aliis super eodem negotio mandavit, quibus ea de re mandare non incongruum judicavit. qui omnes unà cum Regibus mandatis pari consensione faventes, multa cordis alacritate nobilissimum Domini famulum sese in propria recepturos remandavêre. Quin etiam Rex Alfridus nuntiis à latere suo directis, debito venerationis obsequio virum revocare præcepit. Regali ergo invitatione, necnon pontificali præceptione conventus ad suam Ecclesiam rediit. O quàm felix ille dies omnibus per id locorum commanentibus exstitit, quantamque mentis lætitiam cunctis in circuitum populis habitantibus attulit, qui beatum Wilfridum ab exsilio revocatum primus videre promeruit. Quis hujus lætitiæ formam plenè capiat? quis eam cordibus aliorum per sui oris officium infundat? Crebra Monachorum examina obviàm Patri procedunt, Clericorum agmina cum totius frequentia plebis suo Pastori certatim occursare contendunt, & omnes elata voce Dominum benedicentes eum suscipiunt, ac in Ecclesiam ducunt. In qua ille roboratus, & à qua post modicum eliminatis quæ censura æquitatis auferri debere monstravit, quidquid terrarum aut redituum juri Ecclesiæ competebat, brevì recuperavit. nihilominùs quoque divinitatis verba subditorum cordibus quotidie per illum infunduntur, & in eis fons aquæ salientis in vitam æternam exoritur. Christi Fides cum bonorum operum redhibitione recalescit, opus autem perfidiæ & malignitatis ubique frigescit. Quamobrem pax sincera cordium, tranquilla opulentia rerum, alacritas magna in Dei servitium, jocunda delectatio, delectabilis jocunditas processit in Dominum. quæ omnia magnam contra ipsum invidiam diaboli concitavêre. Verùm miles Christi jam bene instructus armaturâ verbi Dei, jámque plurima expertus tentamenta diaboli, quo in bello excitatior, eo ad dejiciendum difficilior erat: morémque fortissimi bellatoris imitatus, non modò se, sed & suos commilitones hostem cædendo dextra lævàque protegebat. Sicque diabolo impenetrabilis, per quinquennium in sui statûs dignitate permansit. ejúsque operâ in Sedem restituitur.

52. Sed ô inexterminabilis invidia diaboli! ô violenta damnatio ejus! & quàm difficile ad subterfugiendum ex consuetudine admissum jus possessionis ejus! Dum enim viro virtutis quid novi in pacis subversionem objiceret non inveniret, antiquarum dissensionum persuasores in pristinos motus excitat, & celeriter per eos Regem pace discussa in iram contra Pontificem armat. Nam verbis delatorum accensus, in varias & multiplices possessiones ejus cœpit subita cupiditate æstuare, & eas juri Ecclesiarum, quibus datæ fuerant, non jure auferre. Cui quoniam Wilfridus episcopali auctoritate contraire non timuit, gravi contra se Regem iracundia inflammavit. Unde factum est, ut Rex illum omnibus suis spoliatum à Regi res suas auferenti resistens, rursus expellitur.

[a] Has litteras refert Vuillelmus, non tamen eas quas Theodorus ad Aldfridum direxit.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Regno suo pellere proponeret. Ad quod peragendum ut Archiepiscopum Cantuariensem propositi sui exsecutorem haberet, opposuit illi quòd statuta Pontificum ipsius sedis non servaret, & præcipuè venerabilis Theodori, qui nuperrimè vitâ decesserat. Et quoniam nefas erat illum Episcopum Anglici Regni in auctoritate haberi, qui statutis Cantuariensis Episcopi vel leviter contraire auderet; Wilfridum sese hac de calumnia non omnino excusare valentem in Regno suo Episcopum esse nolebat. Siquidem Wilfridus ea statuta Theodori suscipiebat, eisque debitam obedientiam exhibebat, quæ à canonibus instituta & primis atque postremis Archiepiscopatûs temporibus sui in pace constituit: verùm ea quæ temporibus interrupta pacis, ut fertur, pro libitu, non pro ratione statuerat, nullo pacto suscipere nec eis adsensum præbere volebat. Quapropter quasi inobedientiæ & contumaciæ maculâ contra sedem totius Brittaniæ matrem in eo repertâ, pristina est auctoritate privatus, & apud BIRTVALDUM Archiepiscopum, qui Theodoro successerat, pro negotio accusatus. Abjectus ergo ad fidelem amicum suum Regem Merciorum nomine AILREDUM secessit: à quo gloriosè susceptus, sub protectione Dei & illius aliquanto tempore conversatus est.

In Synodo accusatur inobedientiæ.

53. Inter hæc rogatu Regis Alfridi Birtvaldus Archiepiscopus præcepit generale Concilium Episcoporum totius Brittaniæ congregari in campo qui dicitur *Eastrefeld.* cui Concilio ut Wilfridus suam præsentiam exhiberet mandatum est, simúlque promissum omnem se justitiam de injuria quam sibi querebatur illatam recepturum, si tamen injuriam sibi factam certa ratione ostendere posset. Quid plura? venit ad Synodum, sed nequaquam invenit jus sibi promissum. Quidam enim Episcopi regiæ voluntati faventes, mox in consilio virum Dei falsis calumniis exagitare, & quibus poterant contrarietatibus perturbare cœperunt. Cúmque ea quæ objecerant, nulla veritate subnixa probare valerent; tandem suis objectionibus id adjecêre, illum decretis Cantuariensis Archiepiscopi Theodori minime parêre. Quibus ille: Decretis, inquit, venerandi Patris Theodori, quæ in pace & canonica auctoritate promulgavit, conscientia teste devota mente subdi, eísque (ut justum est) per omnia obtemperare volo, & secundùm ea judicari pro ratione nullatenus abnuo. attamen precor mihi dicatis quidnam sit, quòd jam per plurimos annos litteris ab apostolica Sede directis inobedientes exsistitis, & tantopere me accusatis, quòd eas institutiones Theodori non recipio, quas ipse non auctoritate canonica, sed discordia dictante composuit, ut vos ipsi optimè nostis.

Responsis datis,

54. Ad quæ cùm verba penitus ratione carentia turbato murmure jacularentur, juvenis quidam curialis viro Domini bene familiaris circumstantium multitudini sese immersit, ac ad illum perveniens ei totius tumultuantis Concilii causam aperuit, ut sibi provideret suasit: confestim per viam quam venerat clanculo curiam rediit. Præmonitus igitur & præmunitus relatione fidelis amici, tanto constantiùs æquitatis sibi defensionem adscivit, quanto & ipsos judices suos scienter contra justitiam agere scivit. Stat igitur inter verborum jacula securus, quoniam suæ libertas conscientiæ fuerat ei dextrâ lævâque impenetrabilis murus. Quod ubi compertum habuêre, quem verbis superare nequibant, injectis minis ad suum velle detorquere quærebant. Quibus cùm responsa dare ad illorum vota minimè vellet; Scito, inquiunt, quòd justâ damnationis sententiâ punieris, nisi citò ea quæ tibi sunt objecta dato responso deleveris. At ille: Ad majus quod mihi à vobis objectum esse intelligo, scilicet me decretis gloriosi Cantuariensis Ecclesiæ Præsulis nolle parêre, jam respondi; & hoc

hoc ipsum, si vultis, iterum iterúmque respondeo, quòd ejus canonicis institutionibus per omnia subjici volo. Quæ verba fraudulentâ mox calliditate ex ore ejus rapuerunt, & hoc ejus dixerunt canonicum institutum esse, ut superbi & inobedientes deprimantur, humiles verò & obedientes extollantur. Tu autem & contra dominos tuos in superbiam es elatus, & nihilo minùs Archiepiscopo tuo inobediens comprobatus. Quapropter æqua ratione judicatum & statutum est, ut omnibus tuis spoliatus, elationis & inobedientiæ pœnas exsolvas. Quo audito horror & ipsos inimicos ejus invasit, dicentes impium esse, virum quaquaversum nationibus honorabilem sic absque ullo certo crimine omnibus suis spoliari. Unde Rex & Archiepiscopus à nonnullis interpellati, Monasterium quod ipse beatus Wilfridus in HRipis (ut superiùs diximus) construxerat, ei cum omnibus quæ ad illud pertinebant concessêre, ea conditione proposita, ut illic quietus sederet, & absque licentia Regis septa Monasterii non exiret, nec curam episcopalis officii ulteriùs administraret.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

Ripum relegatur.

55. Hac igitur mutati judicii clementia coram omnibus accurato sermone exposita ad hoc laboratum est, & Wilfrido quasi utile consilium datum, quatenus ipsemet pro pia subscriptione se degradari ab officio episcopali eligeret, quò liber à tumultu sæcularium contemplationi vitæ cælestis intendere posset: præsertim cùm ei felicius esset privatim (ut dicebant) in Dei servitio solum conversari, quàm insudantem ministerio pontificali jurgiis hominum quotidie fatigari. Sensit prudentia viri hujusmodi consilium quali de fonte manavit: & admiratus fraudem illorum, tali omnes oratione confutavit. Virtus, ait, veri consilii quæ numeratur in septem donis Spiritus-sancti, nihil in se duplicitatis admittit: ac sic quo simpliciori fonte procedit, eo locum in animo famuli Dei quo suscipiatur, liberiùs invenit. Vestra autem consilium quod simplicitate Spiritus sancti carere quivis intelligere potest, tanto à me longiùs abjicio, quanto ex iis quæ in me primò congessistis unde procedat aptiùs video. Mendacia nempe quæ contra me malitiosè composuistis, non potuerunt ex se procreare donum spiritûs veritatis. Quare secundum consilium verum proprii censurâ judicii me gradu sacerdotali non dejiciam, quia fateor quòd licèt indignus, opera tamen pontificatu non mediocriter digna adjutus Domini gratiâ feci. Hinc est, quòd ecce per annos quadraginta intemeratæ Fidei veritatem quibus potui prædicavi, & contradicentes invicta ratione devici, devictos ab omni veritatem docendo errore correxi, correctos lumine verbi Dei perlustravi, ac membris Ecclesiæ Christi copulavi. Hæc tamen non ego, sed Deus ipse per me. Ritum insuper ecclesiasticæ observationis multis per Angliam locis Scotica traditione depravatum apostolica fultus auctoritate correxi. Hæccine aliaque perplura, quorum in præsenti reminisci piget, hoc meruerunt, ut quasi legum proditor patriæque delator nusquam tutus esse permittar? Præceptis saltem apostolicæ Sedis, quæ me jam simili injuria accusatum atque damnatum excusavêre, & absolutum esse constituêre, obtemperetis, si nec pro amore, nec pro timore Dei quietum esse permittere vultis. Sed, ut puto, illa præcepta aut obliti estis, aut certè scita aut cognita pro nihilo ducitis. Quapropter licèt senio sim confectus, re tamen vera noveritis me Romæ coram apostolica Sede probaturum esse calumnias, quas mihi pro Regis indignatione imponitis, veras non esse: nec minùs verè me prædicaturum esse sciatis, quali studio sacerdotale ministerium geratis, qui magis vultis injustitiæ hominum favere, quàm justitiam Dei tenere. Quod satis est manifestum, dum me contra æquum & verum tanto studio impugnatis,

Degradari se non patitur.

Ann. Chr. DCC IX. Apr. XXIV. quem veritati & justitiæ studere aperta ratione videtis, & insuper nihil adversi pro iis, quibus me accusatis, conscientia teste meritum ad hoc tentatis perducere, ut contra jus in me ipsum sententiam damnationis edicam. Sed hac in re noveritis, quòd vobis nequaquam consentiam, sed fiducialiter appello Sedem apostolicam. Verum autem quisquis mecum agere vult, à me hodie invitatus mecum illuc ad judicium pergat. Talibus verbis Rex in iracundiam vehementer accensus, violentiâ sui exercitûs eum opprimere, & ad subeundum judicium suum cogere cogitabat, si Archiepiscopi consensum in hoc potuisset habere.

56. Post hæc concione soluta vir Domini ad Regem Ailredum rediit, & totius negotii summam sibi aperuit. qui tantæ fraudis malignitate stupefactus, injuriam ei illatam vehementer indoluit. Alfridus quia Wilfridum ad suum velle tractare non potuit, ne tamen in hac parte nihil posse putaretur, disposuit ea quæ ipse servis Christi ad victum paraverat, omnino convellere, dissipare, distrahere, & eum ipsum locum habitationis eorum penitus desertum efficere. At etenim dispositio Judicis qui humano furori cedere nescit, locum famulorum suorum in manibus peccatorum nequaquam ire permisit. Denique Pater Wilfridus priusquam eundi Romam iter arriperet, ad locum venit, Fratres ut se per omnia Deo commendarent admonuit, & ne hominis iram timerent magnopere jussit, dicens, nil penitus eis posse nocere, si Deum protectorem mererentur habere. haberent autem, si eum verè diligerent, eíque semper sincero corde servirent. At illi verba sui Patris obediendo susceperunt, & in Deo contra omnes adversarios Deum protectorem habere meruerunt.

Confirmat suos.

57. Cùm autem beatus Wilfridus Romam venisset, magnificè tam ab Johanne apostolicæ sedis Antistite, quàm & à populo Romano susceptus est. Adventûs autem sui causa cùm coram Apostolico multísque Episcopis ventilari deberet, præsentibus accusatoribus suis locum sese defendendi accepit. Itaque surrexit, causam suam coram omnibus [a] dixit; quod dixit, sic se habere firma veritatis ratione probavit. Unde communis judicii sententiâ viri Dei innocentia comprobatur, atque accusantium falsæ calumniæ reprobantur. Super hæc quoque venerandus Papa Johannes à cunctis exoratur, quatenus apostolica sanctione, & justitia Justi debito honore sublevetur, & injustitia ei resistentium congrua damnatione prematur. Juvit autem causam illius lectio Synodi venerabilis papæ Agathonis, quæ quondam in sui præsentia (sicut diximus) acta est, cùm in consilio Episcoporum ipse medius resideret. Nam cùm re exigente Synodus eadem jussu Papæ legeretur, & coram nobilibus plebísque frequentia diebus aliquot recitaretur; ventum est ad eum locum, ubi scriptum erat: „ Vvilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracæ civitatis apostolicam sedem „ de sua causa appellans, & cetera quæ suprà posuimus. Quod ubi lectum, stupor apprehendit audientes, & silente lectore cœperunt alterutrum requirere, quis ille Vvilfridus Episcopus esset. Tum Bonifacius apostolici Papæ consiliarius, & alii perplures, qui eum temporibus Agathonis Papæ ibi viderant, dicebant ipsum esse Episcopum, qui accusatus à suis, atque à Sede apostolica judicandus nuper Romam advenit: qui jam dudum, inquiunt, æque accusatus huc adveniens, mox auditâ dijudicatáque causâ & controversiâ utriusque partis, à beatæ memoriæ Papa Agathone probatus est contra fas esse à suo Episcopatu repulsus. Unde etiam tanti apud

Romæ absolvitur.

[a] Epistolam ejus Johanni Papæ in sui purgationem oblatam refert Vvillelmus: necnon litteras Johannis Papæ in gratiam Vvilfridi directas *dominis eminentissimis* Ethelredo *Regi Merciorum, & Alfrido Regi Deirorum & Berniciorum.*

eum habitus est, ut ipsum in Concilio quod congregarat Episcoporum, utpote virum incorruptæ fidei & animi probi, residere præciperet. Quibus auditis, omnes unà cum ipso summo Pontifice dixêre, virum tantæ auctoritatis, qui per quadraginta propè annos Episcopatu functus erat, nequaquam damnari debere; sed absolutum ad patriam, utpote immunem ab omni culpa, cum honore redire. Scriptum est igitur Regibus Anglorum Æilredo & Alfrido, ut si anathemate plecti nollent, illum sui Episcopatus sede recipi absque retractatione facerent, eo quòd ipsum injuriâ depositum esse omnes ratum haberent. CIRCA AN. DCC XXCI. AUG. XXV.

58. Post hæc famulus Domini magnis Sanctorum reliquiis locupletatus, & multa multorum veneratione perfunctus & exhilaratus, patriam remeandi viam repetiit. Cúmque in partes Galliarum devenisset, subita infirmitate corripitur. qua crescente tanto dolore vexatur, ut equo minimè vehi valeret, sed ministrorum manibus in grabato portaretur. Sicque delatus in Meldum civitatem Galliæ, quatuor diebus ac noctibus similis mortuo jacebat, halitu solummodo pertenui vitæ se funditus subtractum non esse demonstrans. Cùm verò ita sine cibo & potu, sine voce & auditu, quatriduo perseveraret; quinta demum die cùm jam jámque moriturus à suis plangeretur, sanctus Michaël Archangelus à Domino mittitur, per quem sanitati pristinæ restituatur. Cui Pater intendens, ac velut optimè cognito pro posse suo vultus alacritate adgaudens, tacitus jacebat, quidnam sibi dicere vellet operiens. Stans itaque Angelorum Princeps hujusmodi verba viro locutus adseritur: *Wilfride concivis dignissime, surge, quid jaces? nam licèt inter cives cælorum numereris, tamen propter orationes filiorum tuorum hoc tempore non morieris, præcipuè per merita & intercessiones beatæ* MARIÆ *genitricis Dei & perpetuæ virginis. Oravit enim pro te, propterea quòd quædam opera sibi placuerint facta per te. Scit nempe quid operis Petro feceris, quídque ipsius fratri Andreæ construxeris. Quapropter nunc quidem à morte revocaberis, ac vitæ salutique restituêris: sed paratus esto, quia post quadriennium rediens visitabo te. Patriam verò perveniens, maximam possessionum tuarum, quæ tibi sunt ablatæ, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis.* Quibus dictis visio Angeli colloquentis ab ejus conspectu elapsa est. At ille protinus ac si de gravi somno expergefactus surrexit, sedit, apertísque oculis circa se choros psallentium flentiúmque Fratrum adspexit, ac modicùm suspirans, ubinam esset ACCA Presbyter interrogavit. Qui statim vocatus intravit, & videns eum melius habentem ac loqui valentem, flexis genibus cum omnibus qui aderant Fratribus Deo gratias egit. Et cùm parum consedissent, ac de supernis judiciis trepidi aliqua confabulari cœpissent, jussit Pontifex ceteros ad horam egredi. dehinc ad Accam Presbyterum conversus, quæque viderat ordine retulit, tremenda illum adjuratione constringens, ne dum huic vitæ superesset, cuiquam homini visionem ipsam ediceret. Meldis ægrotans, cælitus cō-valescit.

59. Convaluit igitur Episcopus cunctis gaudentibus, cœptóque itinere Brittaniam venit. Epistolis autem quas à Romanæ Sedis Antistite acceperat in conventu nobilium lectis, BIRTVALDUS Archiepiscopus & ÆILREDUS quondam Rex, tunc autem Abbas, eis libentissimè faverunt. qui videlicet Æilredus accitum ad se COENREDUM, quem post se Regem fecerat, hortatus est, ut servum Domini ex animo semper coleret, eligeret, foveret, & contra omnes adversarios indefessus ei propugnator exsisteret. Rex annuit. Alfridus verò Rex Nordanhumbrorum, sicut Regni, sic & indignationis fraternæ malens successor esse, quàm In patriam reversus, rejicitur ab Alfrido,

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV. jussioni apostolicæ deposito rancore mentis adsensum præbere; ambagibus quibusdam objectis nitebatur ostendere, sibi penitus non esse possibile quod præcipiebatur explere. Verùm omnium secreta cordium scrutans sapientia Dei nequitiam ejus attendit, attendens examinavit, examinans damnavit, ac corpus illius acri doloris invectione sic debilitavit, ut protinus lecto reciperetur, & omni pæne membrorum officio destitueretur. Qui cùm se mori cognosceret, adhibitis testibus promisit; quòd si Deus vitam sibi concederet, & jussis apostolicis vellet obedire, & Wilfrido omni tempore inclinatus exsistere. Sed ipse quidem sine retractatione à vita recessit, & ÆDULFUS quidam ei in Regnum successit, prædecessorem suum crudelitate & cordis obstinatione præcedens. Nam sanctus Wilfridus ad ejus curiam de Ripis veniens, per nuntios an paci adquiesceret inquisivit. Quibus ipse pro antiqua & insita sibi nequitia durè respondens; Per meam, inquit, salutem juro, quia nisi infra spatia sex dierum meo Regno decesserit; quoscumque de suis invenire potero, vitâ privabo. Hæc propter facta conjuratione contra eum, Regno quod duobus mensibus tenuit depulsus est. Post quem regnante OSREDO filio Alfridi cùm Synodus esset coacta juxta fluvium *Nid*, post aliquantum utriusque partis conflictum, tandem cunctis faventibus beatus Wilfridus in Sedem suæ Ecclesiæ receptus est [a]. cujus familiari amicitia Rex Osredus magno affectu copulatus, per omnes Imperii sui terras præcepit, quatenus nemo illi in quolibet negotio contrairet: sed sicut famulo Dei per omnia omnes obedirent. quod factum est. Siquidem quatuor annis quibus ipse Pater supervixit, nemo qui sibi contradiceret fuit, non quisquam sua dicta spernere, non sinistrè vel leviter audebat interpretari. Omnis enim invidia quaquaversum tum amore, tum timore jacebat oppressa. Ipse Pater quod sui ministerii cura petebat, circumquaque fideliter exsequens, quanto magis diem suæ vocationis imminere cognovit, tanto sollicitiùs instabat, ut talentum sibi creditum Domino suo fœnore multiplicato reportaret.

Margin: & à successore, — per Osredum in Synodo Niddensi restituitur.

60. Et jam tempus angelica revelatione promissum instare præsensit; cùm ecce gravi corporis languore invaditur, & fatigatus lecto recipitur. Veneranda Fratrum agmina, necnon & plebis cum suis primatibus pars maxima in unum confluit, lectum jacentis flebiliter ambit: fitque pavor grandis, ne fortè recedat ab illis. At ille se de labore ad requiem, de miseria ad beatitudinem, de tristitia ad perennem lætitiam migrare perpendens, tristia corda circumstantium quibus poterat verbis consolabatur, dicens eos lugere pro se nullo modo debere, quem non ludibria, sed summè jocunda post mortem adire certissimum possent habere. Ipsam verò seriem verborum quæ in eorum consolationem, simul & in sanctæ vitæ propositum servandum exhortando locutus est, quis explicet? Nam quanto magis incommutabilitati veræ consolationis & æternæ vitæ appropinquabat, tanto pleniùs ejus dulcedinem hauriebat, & haustam quorumque adsistentium auribus infundebat: & ut ejus sacra infusionis virtutem audientium corda conciperent, quæ verbis dicebat, mirabili signorum efficacia in ipsorum oculis sic esse comprobabat. Quæ signorum efficacia eo magis virum comitabatur, quo vitæ hujus transitoria fragilitate decedens, summæ Veritati æternaliter copulabatur. Unde fateor dicere meum non esse, quot infirmi per eum infirmum sint ab omni infirmitate sanati, quot dæmoniaci liberati, quot paralytici solidati, quot cæci

Margin: Morbo correptus, — suos hortatur. — Sanitates operatur.

a Adnitente potissimùm Elfleda sorore Alfridi, Abbatissa Streaneshalensi post Hildam: conspirante etiam viro inlustri Berfrido, apud Vvillelmum, Principe secundo à Rege, ex Monastico Anglicano.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

illuminati, quot surdi mutíque curati; quot aliis calamitatibus afflicti operante Deo per eum magnificè recreati. His aliísque de causis maxima hominum multitudo de longinquo properabat, eique se ac suos proximos pio studio commendabat: quos ipse sancto mentis affectu Deo commendans, hortabatur Dei mandata sincera caritate amplecti, eísque per omnia debitam obedientiam cum reverentia exhibere.

Suos consolatus;

61. Instabat igitur tempus & hora, quæ à nullo mortalium potest præteriri, totaque infirmitas quæ famuli Dei corpus premebat, vitalia subit. Agmina diversi ordinis adstant, & vota laudis Deo pro illius obitûs exspectatione persolvunt: ac licèt ob desolationem sui nequaquam lugere non possent, spe tamen maxima consolantur, quia se spirituali ejus præsentia numquam destituendos fore confidunt. Ipse verò Pater circumstantium filiorum nimia caritate tenuiter respirans, defessum caput paullisper erexit, atque in his verbis eos alloqui cœpit. « Gratia divini amoris ut in vobis jugiter maneat, Fratres dulcissimi, tota virtute operam date. quam gratiam ut feliciter mereamini perpetualiter obtinere, fraterni amoris officia studiosè invicem exercere studete. Nil quod vos ab istiusmodi officiosa caritate seducat attendatis; ne ab ea quæ in Christo est sinceritate cadatis. Maligni insidiatoris quos Fidelibus tendit laqueos nostis, quærentis eorum animas deceptoriis captare figmentis. quæ figmenta, sicut à me sæpe audistis, omni sollicitudine cavete, & prout me facere vidistis, à vobis procul abjicite. Hæc facite, & Deus pacis erit vobiscum. Et nunc, Fratres mei dilectissimi, nolite moras inferre migranti. Vos equidem, vos jam olim me ad vitam euntem revocastis: sed modò parcite, quæso. Juvat enim me deposito carnis onere Agnum Dei sequi. Ultrà vobis in hac carne non apparebo, donec Christus resuscitet me vobiscum in fine sæculi hujus. O viscera mea, valete. Urgeor, ô jam defungar, & ô Fratres, vigilate ne vos somnus perpetuæ mortis involvat. » Hæc ait, & duræ quieti membra prostravit. Fratribus autem psalterium ex ordine decantantibus, & jam usque ad versum psalmi centesimi tertii pervenientibus; *Emitte spiritum tuum & creabuntur*, spiritum suum in manus Creatoris feliciter emisit; & sic Agni Dei convivium perpetuò recreandus adivit. Transiit autem [a] anno Incarnationis dominicæ DCC VIIII, qui est annus vitæ ejus LXXV, Episcopatus verò XLV. Sepultus sanè est in Monasterio suo, quod ipsemet in Ripum à fundamentis instituit, ac Deo in honorem beati Petri Apostolorum principis consecravit. ubi ut se nequaquam vitam perdidisse, sed in melius mutasse mortalibus probet; quæ in hac vita positus fecerat, huic vitæ subtractus miracula, cùm res exigit, facere non cessat.

moritur anno 709.

Sepultus Ripi.

Vestes ejus divisæ.

62. Vestes illius, prout ante mortem disposuerat, distributæ sunt. Unde interulam ejus sanctissimi corporis sudore madentem cuidam religiosæ Abbatissæ minister deferendam accepit. quam mulier quædam paralysi dissoluta, ut tangere mereretur, obnixè rogavit. Sed hæc quidem ipsam vestem tangere non meruit, verùm aquam, ubi eadem vestis intincta fuit, in potum accepit, ilicóque sanata est. Post hæc quidem inimici hominis Dei, propriæ iniquitatis igne succensi, domum in qua ipse huic vitæ modum fecerat, injecto igni succendere conati sunt. at virtus defuncti viventem terruit ignem, domum illæsam servavit, hostes fugavit, talitérque illum veraciter vivere demonstravit.

Domus ab igne illæsa.

[a] *Defunctus est in Monasterio suo quod habebat in provincia Vndalum sub regimine* CUDBALDI *Abbatis, & ministerio Fratrum perlatus in primum suum Monasterium quod dicitur in-HRi um, positúsque in Ecclesia S. Petri juxta altare*, ex Beda. Dies obitûs VIII Kal. Maii ex dictis, & ex Kalendario vetusto Missalis Gemeticensis, à Roberto Londoniæ Episcopo concessi ante annos sexcentos. BACULA *Abbas inter ceteros corpus Vvilfridi sindone involvisse* fertur in Monastico Anglicano.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. Cultus in eum augescit.

63. A die verò depositionis ejus jam anno transcurso, convenit undecumque maxima populi multitudo, utpote piæ depositionis illius memoriæ excubias celebratura. Cùm ergo turba pernox sua Domino vota persolveret, & paternæ consolationis affectum irrecuperabiliter sese in illo perdidisse defleret; adspiciunt, & ecce lux cælitus ab Oriente demissa totum locum famuli Dei miro splendore irradiavit, omnémque noctis & tenebrarum horrorem suâ præsentiâ effugavit. Quod videntes magnificè sunt exhilarati, fixum animo præ se habentes; non multum de corporali Patris absentia esse dolendum; cùm de spirituali ejus præsentia quam aperta lucis ostensione sibi adesse didicerant, multo maximè scirent esse gaudendum. Ex hoc itaque vehemens omnium circa beatissimum Patrem Wilfridum veneratio crevit, id quoque certum omnino tenentes, quòd sicut ipse sanctissimus Pontifex in hac transitoria vita temporaliter degens omnibus erat mitis & affabilis; sic & nunc in illa perenni vita cum Christo æternaliter vivens, omnibus diligentibus se pius sit & exorabilis.

64. Magnitudo itaque signorum quæ ad corpus ejus. Dominus de die in diem operabatur, merita ipsius longè latéque declarabat, & insigni fama permotos ad Memoriam illius innumeros populos aggregabat. Quapropter locus ipse multo tempore summi honoris est habitus, & quibusque infirmitatibus pressis ad recuperandam sanitatem valde salubris. Dominus quoque hostiles incursus omni ex parte sedaverat; quia devotionem populi sui quam ad venerationem famuli sui habebat, perturbatum iri nolebat. Ubi verò pro assiduitate confluentis turbæ quidam vicini tædio affici, ac idcirco à loci visitatione paullatim cohibere cœperunt; contigit ut ipsorum exemplo, alii à fervoris sui devotione deficerent, nec locum ipsum ampliùs more solito visitarent. Sícque factum est, ut qui primi ad studium piæ actionis alios studio suo accenderant, postmodum suâ desidiâ à pietatis opere quamplurimos discedere cogerent.

dein neglectus.

Monasterio diruto,

65. Hæc inter accidit, ut hostilis incursus ipsam provinciam occuparet, occupans inibi multa hominum millia necaret, ac omnia loca Monasterio beati Wilfridi circumjacentia ad instar solitudinis devastaret. Monasterium ipsum pervasum & dirutum, quod prius exstiterat hymnis & canticis gloriosum, modò erat ferarum & inimicorum sordibus ignominiosum. Corpus interea ipsius Antistitis Christi omni honore privatum, inter ipsas sordes primo sepulturæ suæ loco mansit immotum. Sed omnipotens Deus qui sua pietate & justitia nequit privari, quorumdam bene religiosorum mentes in considerationem tantæ rei excitat, atque ad demutationem illius affectum effectúmque ministrat. Regebat eâ tempestate Christianitatem in Anglia vir bonus & sanctus ODO Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus, utpote totius Brittaniæ Primas: qui cùm sua sollicitudine dispositionibus omnium Ecclesiarum invigilabat, ipsas Ecclesias, prout ratio postulabat, visitare solebat. Qua sollicitudine actus, cùm quodam tempore Eboracensem provinciam adisset, & ea pro quibus venerat strenuè peregisset; ad Ripum pergit, Monasterium beati Wilfridi consideraturus. Aderat, & horrida solitudine visa lacrymis manat. Quo illis in partibus demorante, ii quorum corda (ut dixi) Deus ad demutationem cælestis thesauri tetigerat, rati se opportunitatem ad expletionem suæ voluntatis accepisse, præmissa supplicatione ad Dominum, quod diu mente tractaverant, opere implere satagebant. sicque factum est. Nam statuto die ad locum veniunt, terram ubi corpus beati Wilfridi sepultum jacebat aperiunt, omnia ossa reverenter cum pulvere levant, & ea venerabili Odoni Cantuariensi Archiepiscopo præsentant: quatenus ipse

corpus Cátuariam translatum ab Odone,

ea Cantuariam secum deferret, & in Ecclesia Christi, cui præsidebat, pro voto reconderet. Monasterio etenim ipso quo condita fuerant, secundùm quod prædictum est, in solitudinem miserandam redacto, nullus inibi locus resederat, in quo locari servaríque tutò valerent. Quocirca arbitrati sunt, nusquam tutiùs aut justiùs ea servatum iri posse aut debere, quàm in Ecclesia Cantuariensi, eâ videlicet causâ, quòd & illo tempore Cantia magna pace vigebat, & quia ipse beatus vir olim fraude quorumdam supplantatus, cùm conversari non posset in Ecclesia Eboracensi, eidem Ecclesiæ Catuariensi per sacerdotale officium curam impenderet. Justum siquidem illis visum fuit, ut illic mortuus in pace quiesceret, ubi vivens in pace quievit. Præter hæc quoque affectus sacri amoris, quem ad venerandum Odonem habebant, maxima causa fuit. Nam cùm illum talia dona diligere noverant, in hoc se ejus dilectioni morem gerere veraciter intelligebant. Ne tamen locus quem ipse beatus Wilfridus dum in corpore degeret, præ ceteris amavit, ipsis reliquiis penitus privaretur; aliquantula earum pars est ab eis cum pulvere retenta, atque in loco convenienti reposita. Porro venerabilis Odo tanto munere locupletatus Cantuariam rediit: ubi magna totius civitatis exsultatione susceptus, & in aulam Dei sacra cum laude perductus, sanctissimas beati Wilfridi reliquias quas advexerat, in majori altari, quod in honorem JESU-CHRISTI Domini nostri sacratum erat, collocavit. [a] Qua de re posteritati, ne ulla dubietas nasceretur, ipse Pater qui easdem reliquias suscepit, transtulit, ac (ut diximus) in altari recondidit; in Prologo ipsius operis, quod de vita & conversatione ejus scripsit, hæc quæ diximus brevi sententia promulgavit.

Ann. Chr. DCC IX. Apr. xxiv.

66. Nos quoque qui ossa ipsa de præfato loco accepimus, nulla de his dubietate fluctuare permittimur. Nam in ipso loco cùm multis annis illibata servarentur, & jam ab illo tempore quo illic primò locata sunt, centenarius annorum numerus nonnullis annis superaretur; æquo Dei omnipotentis occultóque judicio civitas Cantuariorum fere tota igne cremata, atque Ecclesia Christi inibi constituta eodem est incendio conflagrata. Cujus conflagrationis anno tertio jocundæ simul & gloriosæ memoriæ LANFRANCUS, Cadomensis Cœnobii Abbas, ipsam Ecclesiam regendam suscepit: qui postquam est in ipso Patriarchatu primæ Metropolis Anglorum nobiliter usquequaque roboratus, quidquid ipsius Ecclesiæ vetusti operis resederat, nova omnia constructurus evertit. Cùm ergo prædictum altare subverteretur, reliquiæ beati Wilfridi repertæ ac levatæ sunt, atque in scrinio collocatæ. Verùm cùm post aliquot annos Fratrum voluntas in eo consentiret, ut magis fixo loco clauderentur; sepulcrum eis in aquilonari parte altaris factum est, & in eo sunt quarto Idus Octobris reverenter inclusæ.

à Lanfranco reposità loco decentiori.

67. Nos quoque his ita de ipso Patre quoquo modo digestis, jam tandem scribendi ordinem concludamus, & Deo ac Domino nostro Jesu-Christo gratias de omnibus suis persolventes, finem huic opusculo imponamus. Verumtamen id in fine adjiciendum putavimus, ut si quis hæc legens vel audiens, indignitatem & ingenii mei fatuitatem remota pietate perpenderit, & ea re iis quæ de tanto Patre dicta sunt fidem præbere contemserit; noverit quia omnia, quæ de eo utcumque descripsimus, auctoritate venerabilium virorum, ODONIS videlicet Archiepiscopi &

Auctoris epilogus, & fides.

[a] Lege hac de re Eadmeri fragmentum apud Gervasium Monachum in libro de combustione & reparatione Ecclesiæ Dorobernensis.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

BEDÆ Presbyteri, roborata probamus, nil in eis ex nostra parte ponentes, nisi quod propriis oculis intuiti sumus. Illud tamen quod dixi de damnatione Regis EGFRIDI [a], fateor nusquam legi: sed tot talésque viri ita se habuisse confirmant, ut eis nolle credere magnæ impudentiæ esse crediderim. Sit itaque laus & gratiarum actio omnipotenti Deo Patri & Filio & Spiritui sancto per omnia sæcula sæculorum, Amen.

EPITAPHIUM EX BEDA.

VVILFRIDUS hîc magnus requiescit corpore Præsul,
Hanc Domino qui aulam ductus pietatis amore
Fecit, & eximio sacravit nomine Petri,
Cui claves cæli Christus dedit arbiter orbis;
Atque auro ac Tyrio devotus vestiit ostro.
Quin etiam sublime crucis radiante metallo
Hic posuit tropheum, necnon & quattuor auro
Scribi Evangelii præcepit in ordine libros,
Ac thecam è rutilo his condignam condidit auro.
Paschalis qui etiam sollemnia tempora cursus
Catholici ad justum correxit dogma canonis,
Quem statuêre Patres: dubióque errore remoto
Certa suæ genti ostendit moderamina ritûs.
Inque locis istis Monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cavit quæ Regula Patrum,
Sedulus instituit. multísque domíque, forísque
Jactatus nimiùm per tempora longa periclis,
Quindecies ternos postquam egit Episcopus annos;
Transiit, & gaudens cælestia regna petivit.
Dona, Jesu, ut grex Pastoris calle sequatur.

[a] Et tamen Beda *venerabilem ac piissimum* Regem Egfridum vocat initio libri primi de historia Monasterii sui.

DE SANCTIS ECCLESIÆ HAUGUSTALDENSIS ET EORUM MIRACULIS LIBER,

Auctore anonymo Canonico regulari, medio sæculo XII.

Ex ms. Bibliotheca Bodleiana Oxoniæ in Anglia.

OBSERVATIO PRÆVIA.



AD sancti Vvilfridi ejúsque discipuli sancti Accæ commendationem pertinet liber iste, in quo eorum miracula aliorúmque recitantur. Eum proinde hîc exhibere visum est, præmissis nonnullis de Ecclesia Haugustaldensi. Richardus Prior ejusdem loci libros duos composuit de statu & Episcopis Hagustaldensis Ecclesiæ, *cujus situm describit his verbis in lib. I cap. I.* Est in Northanhumbrorum provincia haud procul à Tina flumine ad Austrum sita villa quæ-

dam, nunc quidem modica & raro cultore habitata; sed, ut antiquitatis vestigia testantur, quondam ampla & magnifica. Hæc autem à rivulo ibi decurrente & quandoque ad modum torrentis exuberante Hestild nomine, Hestoldesdam, quasi prædium Hestild vocatur. Beata verò Regina Etheldreda, Annæ Regis orientalium Anglorum filia, sancto Wilfrido jam existenti Eboracensi Episcopo, prædictam villam cum circumjacente regione circa annum dominicæ Incarnationis DC LXXIIII in perpetuam eleemosynam dedit, ut eam episcopali cathedra sublimaret, quam ipse primus & post eum alii jure ecclesiastico sederent. *& cap. 5.* Ut autem quidam ferunt, ab Oriente mare, à Meridie Tesa fluvius, ab Occidente Weterhala, à Septemtrione Alna fluvius, Haugustaldensis Episcopatûs termini fuerunt. *Præfuerunt huic Ecclesiæ Episcopi duodecim, quorum primus Vuilfridus. quâ per Danos anno dominicæ Incarnationis* DCCC XIIII *eversâ ex cap. 19,* per Eardulfum Lindisfarnensem Episcopum & ejus successores Hagustaldensis Episcopatus apud Cestram restauratur anno DCCC LXXXIII, *ex lib. 2 cap. 2. demúmque Dunelmum translata sedes est anno* DCCC XCV. *Sic Hangustaldensis Ecclesia ornamentis & cultoribus fere spoliata mansit ad sæculi duodecimi initium: & quæ à primordiis sodalibus Benedictinis paruerat, post longam à Danorum tempore solitudinem Canonicis regularibus cessit anno* M C XIII, *infrà.*

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

PROLOGUS.

PRÆSENTIS diei veneranda festivitas, Fratres carissimi, tanto à nobis est suscipienda devotiùs & festiviùs celebranda, quanto in ea specialiùs consolatio nostra, spes nostra, nostra insuper gloria commendatur. Nostra namque, nostra specialiter est ista festivitas, qui in his sacratissimis locis sub eorum patrocinio vivimus, quorum honori diei hujus gaudia dedicavimus. Dignum quippe est ut eorum laudibus voce, corde, actu, affectu, omni quidem tempore insistamus: sed hac potissimùm die uberioris lætitiæ prærogativa reddamus vitulos labiorum nostrorum, pinguissimum scilicet sacrificium laudis Domino immolemus; in qua sacratissimarum reliquiarum præsentium quam eatenus fides tenuerat, probavit experientia, exploravit visus, attrectavit manus, interioris quoque haustu dulcedinis gustavit affectus. Verè verax illa prophetica probatur sententia, In memoria æterna erunt Justi, quorum plerumque etiam ossa mortua crebris miraculis pullulant de loco suo: & eorum memoriam quam vetustas absconderat, vel aboleverat negligentia, manifestis non desinunt perpetuare indiciis. Hinc est quòd sancti Patres nostri, quorum reliquiarum præsentiâ gloriamur, antiqua miracula novis cumulare non cessant, ut sibi servientium semper augeatur devotio, spes certificetur, caritas nutriatur, & de perceptione præsentium munerum firma sit exspectatio futurorum. Scimus quorumdam oculos quos nox cæcitatis obcluserat, eorum meritis lucis hujus beneficium meruisse; claudos pedum officium resumsisse, in tribulatione positos citum divinæ consolationis sensisse solatium, destinatos ad supplicium in ipso mortis articulo subitâ ereptione orationum suarum percepisse effectum. Ex quibus pauca quædam ad eorum gloriam, quorum sollemnia celebramus, operæ pretium est proferre in medium: ut ex corporalibus beneficiis spiritalia, ex temporalibus æterna, ex terrenis speremus cælestia.

2. Audientes, Fratres carissimi, Sanctos istos ereptum cæcis lumen suis precibus reddidisse, si fortè mentis nostræ oculos insipientiæ caligo fuscaverit, ad eorum secur[illegible]giamus auxilium, ut sanctissimis eorum meritis verum sapientiæ lumen cæcitate detersâ reseratis oculis hauriamus. Sic cùm nos hostes nostri spiritales obsederint, & tentationum tormentis murum virtutum quatientes perpetuæ mortis metum incusserint, recolentes obsessum quondam in hac Ecclesia quàm potenter eripuerint inopem populum de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem à diripientibus eum, spiritalem nihilominus obsidionem, si ad eos in spiritu humilitatis &

Ann. Chr. DCCIX. Apr. XXIV.

in animo contrito clamaverimus, noverimus dissolvendam. Si aculeis carnis vel iræ stimulis urgemur in vitium; nulla desperatio vocem devotæ orationis obtundat, scientes quòd ea pietas quæ hominem adjudicatum morti de sub manu ferientis eripuit, etiam nos jam jamque vitiis absorbendos lacrymis ac precibus provocata eripiet. Scilicet sacrosancta Hagulstadensis Ecclesia sub antiquissimis fundata Regibus, diu episcopalis sedis honore resplenduit, & optimis semper abundans Fratribus, ipsis etiam sæculi potestatibus terrori fuit. Verùm ubi eam beatissimus Præsul WILFRIDUS adductis secum ex partibus transmarinis artificibus, miro lapideo tabulatu, ut inpræsentiarum cernitis, renovavit, & ad devotionem rudis adhuc plebis conciliandam, picturis & cælaturis multifariàm decoravit; mox eam fama altiùs extulit, & ad ejus sacratissima limina revisenda, non solùm vicinas, sed & extraneas nationes adscivit. Quia verò Antistes ipse sanctissimus præ ceteris quibus præfuit Ecclesiis hanc crebriùs visitavit, devotiùs coluit; accidit ut post mortem quoque ejus plebs universa ita ad eum in hac Ecclesia quasi ad viventem confugerent, in omnibus necessitatibus suis quasi præsentem consulerent, in tribulationibus & angustiis ejus auxilium non tam peterent quàm exigerent. Quorum devotioni ac fidei favens Præsul sanctissimus, semper invocantibus præstò fuit, petentibus largiens, mæstos consolans, laborantibus opem ferens miseris: adeo ut subtractâ præsentiâ corporali, uberiùs illis gratia proflueret spiritalis. Unde non immeritò hujus sacratissimæ festivitatis eum credimus esse participem, quem tot indiciis probamus nos habere præsentem.

Caput I. Fur invocato S. Vilfrido securi subductus.

3. ADOLESCENS quidam cùm furti ac latrocinii in hac civitate argueretur à Præsidibus, vinculis mancipatus diúque reservatus, cùm non esset qui fidejussoriam pro eo porrigeret cautionem, tandem adjudicatus morti ad supplicium ducebatur. Ad commune itaque refugium, sanctum videlicet Wilfridum ceterosque hujus Ecclesiæ Patronos, quia corpore non potuit, corde devotissimo convolavit, pedibus quidem quò trahebatur progrediens, sed oculos ad Ecclesiam cum summa animi contritione retorquens. Ventum est tandem ad locum supplicii. Confluxerat ad spectaculum illud non minima multitudo, quæ in modum coronæ miserum ambiens, carnificem festinare compellunt. Stat ille vultu terribilis, manu fortis, mente crudelis, elevatóque utrisque manibus gladio jubet captivum cervicem producere, & unum ferientis exspectare conatum. Ille levatis paullulum oculis & Ecclesiam intuens: Adjuva, inquit, nunc, Wilfride, quia si modò nolueris, paullo pòst non poteris. Quorum verborum simplicitatem cùm omnes riderent, irriderent nonnulli; ipse quoque carnifex dissolutus in risum ferire distulit, ne depositâ ad tempus feritate ferientis conatum illa dissolutio retardaret. In qua morula duo juvenes equis velocissimis vecti ociùs advolant, ac more patrio cautione pro eo præstita adolescentem neci eripiunt, absolvunt vinculis, & liberum abire permittunt. Qui licèt beatissimum Wilfridum in ipso mortis periculo solùm nominaverit, nemo tamen ceteros qui in præsenti Ecclesia requiescunt, Sanctos miraculi hujus cooperatores existimet non fuisse, cùm ipse in corde omnes invocaverit, speraverit in omnibus, ad omnes oculos piâ fide erexerit. Consideremus itaque, Fratres carissimi, ad hos sanctissimos Patres nostros qua spe nobis sit in animæ periculis fugiendum, quàm non sit nobis in qualibet tentationis vehementia de eorum auxilio desperandum. Si igitur vinculis pravæ cujuslibet consuetudinis adstricti alicui lictorum spiritalium traditi fuerimus feriendi, experiamúrque quod ait Paulus, *Non quod volo ago; &*

video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in legem peccati; erectis in cælum oculis, & fusis ubertim lacrymis horum Sanctorum auxilium postulemus, scientes quòd apprehendent arma & scutum, & exsurgent in adjutorium nobis, fugatísque hostibus disrumpent vincula nostra, ut liberis passibus viam mandatorum Domini dilatato corde curramus, dicentes cum Propheta Domino: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Hoc sanè miraculum ad tantorum pervenit notitiam, ut verbum adolescentis in tanta necessitudine probatum, versum sit in commune totius plebis proverbium. ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV.

4. Eo tempore quo Rex Scottorum MALCOLMUS[a] Northanhumbriam crudeli cæde vastavit, semper Ecclesiæ Haugustaldensi, ob Sanctorum qui in ea requiescunt reverentiam, pacem servavit. Sed cùm aliquando nuntii ejus circa ipsius Ecclesiæ fines inciderent in latrones, spoliati & vulnerati reversi ad Regem, populo innocenti crimen hujus crudelitatis imponunt. Ad quam delationem Rex iratus infremuit, & ob tantam ingratitudinem locum ipsum cum populo se penitus eversurum juravit. Quid plura? ad imperium Regis crudelis adest exercitus, paratus ad prædam, promtus ad cædes, ad flagitia pronus, qui nec rogatus paret, nec quiesceret saturatus. Nec latuit populum Haugustaldensem Regis ira. Sed quid ageret? nulla resistendi copia, nullum fugæ præsidium, nullum in quorumlibet hominum societate solatium. Una & sola spes omnium virtus toties experta Sanctorum. Conveniunt igitur ad Ecclesiam juvenes & virgines, senes cum junioribus, mulieres cum parvulis, aut divinâ virtute eripiendi, aut certè ante Sanctorum reliquias feriendi. Jam Rex cum valida manu aderat, jam vicina *Tine* fluvii loca occupaverat, fecissetque suæ crudelitati satis, nisi nox superveniens transitum impedisset. At Presbyter qui Ecclesiæ præfuit, quosdam ex Clericis cum reliquiis ad Regem dirigit, ut & crimen objectum purgarent, & populo innocenti pacem rogarent. Indignatus Rex vocat Galwenses homines ceteris crudeliores, nuntiísque audientibus, Mox, inquit, ut dies illuxerit, transeuntes flumen irruite in eos. non parcat oculos vester neque misereatur, non ordini, non sexui, non ætati; quidquid non poterit gladius, ignis absumat, nec dimittatis ex eis ullas reliquias. Hæc dicens, cum furore nuntiis reditum imperavit. Quibus regressis ad Ecclesiam, & referentibus quæ audierant, tumultus miserabilis oritur, clamor ingens, ploratus & ululatus multus. Mulieres detecto capite propriis manibus crines lacerant, pectus diverberant, ejulatumque diræ vocis emittentes horribile spectaculum intuentibus præbuerunt. Viri prostrati solo moderatiùs Sanctorum auxilium precabantur. Porro Sacerdotes & Clerici nunc psalmis, nunc precibus faciem Domini placare studebant. Alii WILFRIDUM, alii CUTHBERTUM, ACCAM alii, nonnulli ALCHMUNDUM cum gemitu & vociferatione congeminant. II. Malcolmus Scottorum Rex Haugustaldensium excidiū parans, a

5. Presbyter resolutus in somnium, tali visione meruit consolari. Putabat se templi sæpta egressum, explorandi gratiâ huc atque illuc oculos circumferre. Et ecce apparuerunt duo viri veste splendidâ, vultu venerabili, tonsurâ & habitu pontificalem speciem præferentes, sedentes equis, à parte meridianâ ad Ecclesiam tendentes: venientésque ubi stabat Presbyter, desiliunt equis. &, Heus, inquiunt, vir bone, serva jumenta nostra, donec factâ in Ecclesia oratione revertamur ad te. Annuit ipse, nec sine magna admiratione eorum exspectat regressum. Post modicum igitur cùm Sanctis auxilio concurrentibus,

[a] Is Macheotæ successit anno M LIIII, cujus factum hoc loco relatum commemoratur à Simeone Dunelmensi Monacho in libro de gestis Regum Anglorum ad annum 739.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

reverterentur, unus illorum altiùs ingemiscens; Heu, inquit, unde hic dolor in Ecclesia, hic gemitus, hic clamor, hic metus? miserabile spectaculum imis suspiriis & amaris lacrymis prosequendum. Cui Presbyter: Non mireris, optime Pater, omnes enim nos ad supplicium dati sumus, destinati ad mortem, æstimati à Rege Scotiæ quasi oves occisionis. Nam audientibus Clericis nostris, præcepit exercitui suo, cum inhabitantibus locum hunc sacratissimum absque miseratione delere. Tunc Sanctus sereniore vultu intuens in eum; Ne timeas, ait, neque formides à facie eorum quum ego vobiscum sum ut eruam vos. Videns enim vidi afflictionem eorum qui sunt in Ecclesia, & gemitum eorum audivi, & veni liberare eos. Ecce enim albescente aurorâ extendam rete meum ab ortu *Tine* fluminis usque ad ostium ejus, quod nullus eorum transire poterit, nec mali quidquam vobis inferre. Tunc Presbyter: Quis enim es tu, vir beatissime, qui in tam necessarium auxilium miseris advenisti? Respondit: Wilfridus vocor, & ecce hîc mecum est sanctus Cuthbertus, quem transiens per Dunelmum adduxi, ut simul ad Fratres nostros qui in hac Ecclesia requiescunt venientes, servemus simul locum istum & gentem. Dixerat, & mox Presbyterum somnus pariter cum visione reliquit. Qui surgens imperavit silentium, habuítque exhortatorium sermonem ad populum, jubétque eos animæquiores esse, scientes quoniam respexit Dominus in orationem humilium, & non sprevit precem eorum. Non enim, ait, confundet nos spes nostra, quam habemus in Sanctos Domini, sub quorum vivimus alis, quum oculi eorum super nos, & aures eorum ad preces nostras. Hæc dicens, Clericos psalmis, ceteros precibus spe alacriori rogat insistere.

ab effectu impeditur.

6. Presbyter autem tacitus de visione cogitans, retis parabolam intelligere conabatur. Et inundationem quidem vicini fluminis interpretaretur, nisi aëris parum tunc jocunda serenitas ab hac sententia revocaret. Quid plura? jam nocturnis tenebris finem dabat aurora, quæ solito candidior emergens spem conceptæ consolationis ademerat; cùm ecce nebula quædam à parte occidentali consurgens, omnem præmissi fluminis alveum ab ortu ejus usque ad ostium occupavit. Quæ paullatim sibi sese constringens, adeo imbrem densata caligabat, ut si fortè quis dexteram productiùs extendisset, manus ipsa absorpta tenebris, sibi invisibilis redderetur. Igitur Galwenses ingressi caliginem, & per avia quæque currentes, amnem occidentalem per viam quæ ducit ad Cumbriam transierunt, & circa vesperam se in confinio propriæ regionis invenerunt. At Rex tam Galwenses quos miserat, quàm abscessum nebulæ quam horrebat exspectans, quid ageret dubitabat. Sed cùm se nebula attollens altiùs lucem quam absconderat detexisset, subita inundatione flumen intumuit, conatúmque Regis triduo impedivit. Tunc Rex in semetipsum reversus, vocatis Proceribus suis, Quid agimus? inquit, recedamus hinc, quum Sancti isti domi sunt. Recedente itaque terribili populo, personuit in Ecclesia Haugustaldensi gratiarum actio & vox laudis, lacrymæ lacrymis, clamor clamoribus; sed timori securitas, dolori gaudium succedebat. Celebratis postremò cum magna exsultatione Missarum sollemniis, unusquisque cum gaudio ad sua remeavit. Sed nos, Fratres carissimi, quibus magis incumbit animas curare quàm corpora, & aërias magis quàm terrenas potestates cavere; quoties ille qui est Rex super omnes filios superbiæ, impiæ virtutis satellites in periculum nostræ salutis armaverit, & terribilis vitiorum exercitus in nos globatim irruerit; accedamus cum fiducia ad horum Sanctorum patrocinium, cum imis suspiriis supplicantes, ut instar Helisæi Prophetæ omnes hostes nostros percutiant cæcitate, & reseratis oculis cordis ostendant nobis, quòd plures

nobis-

nobiscum sunt quàm cum illis. Nemo sanè æstimet, quòd pretiosi Sancti Domini, quorum reliquiæ hîc continentur, quasi minùs sufficientes alios adsciverint: sed ut potiùs fides confirmaretur credentium, devotio augeretur, commendaretur insuper loci sanctitas, pro quo non solùm præsentes Sancti, sed & hi qui videntur absentes, certis indiciis probarentur esse præsentes. Sed & devotioni eorum consulendum fuit & fidei, qui in tanta necessitate positi, non modò ad eos quos in suis adesse reliquiis crediderunt; verùm etiam ad eos quos abesse corpore, sed spiritu adesse non dubitabant, pias manus erexerant, plenas fidei preces emiserant. ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

III. Impurus homicida punitus.

7. Erat præterea in vicinia hujus Ecclesiæ vir nobilis & magnarum opum ALDANUS nomine, habens utique nomen magnum juxta nomen magnorum qui tunc fuerunt in hac terra. Hic sanctam Haugustaldensem Ecclesiam diebus maximè sollemnibus frequentare solebat. Accidit autem ut die quadam ad domum quamdam divertisset, in qua virgo quædam decora facie & venusto adspectu sub parentum cura degebat. Injecit mox oculos in eam homo, & victus concupiscentiâ, primò verbis puellæ constantiam explorabat. Cúmque votum non consequeretur effectus, exardescente hinc irâ, hinc concupiscentiâ, erigitur in superbiam, vertitur in furorem: & quasi quibusdam furiis agitatus, oblitus Domini, oblitus sui; nec Sanctorum præsentiam reverens, nec suæ animæ parcens; invadit puellam, & vi extractam domo, ut lupus ovem, suæ libidinis subdendam abduxit. Est in civitate Haugustaldensi Ecclesia in honore sanctæ Domini Genitricis exstructa in orientali parte majoris Ecclesiæ, tanto intervallo divisa, ut & atrium intersit, & via patens transeuntibus non desit. Cùm venisset itaque insanus ille prædam quam impiè ceperat, crudeliter auferens, inter has duas summæ venerationis basilicas; superveniens frater puellæ, nitebatur eripere locum contemtui, se suosque derisui. Sed ille cujus cor in superbiam, sanguis, nomen, census extulerant; cujus medullam libidinum flamma succenderat; homicidium copulavit incestui, sequentem aversâ hastâ transfodiens, in defensorem pudicitiæ pœnam quam ipse meruerat impudicus retorquens. Sed mox læsæ castitatis & homicidii ira ultrix adfuit, & superbum in semet redire coëgit. Statim enim manus ejus circa hastam diriguit, & usque ad finem vitæ suæ omnibus digitis & arida & contracta permansit. Tandem verò auditu visuque privatus, miseram vitam miseriori fine conclusit.

IV. Frater herniâ laborâs sanatus.

8. Frater quidam laïcus abrenuntians sæculo, exemplo patris nostri Abrahæ egressus de terra & cognatione sua & domo patris sui, ut pleniùs & perfectiùs divitias paupertate, delicias parsimoniâ, sanguinis nobilitatem voluntaria subjectione mutaret; australibus Angliæ partibus sedem hujus plagæ Aquilonis præposuit: relictísque tam propriis quibus abundavit, quàm excellentissimi cujusdam viri opibus, quibus in magna potestate præfuit, hujus se Cœnobii obsequiis mancipavit. Hic ergo non parvo tempore ob necessarios labores quibus vehementer insudabat, malens in humiliori loco laboribus fatigari, quàm sublimioris ordinis causâ minoribus utilitatibus occupari; extra congregationem Fratrum sobriè, justè & piè intonsus [a] & barbatus degebat. Unde actum est, ut ab omnibus vocaretur HUGO CUM BARBA. Accidit autem quadam die, ut idem vir venerabilis cum Fratre quodam succisam magnæ molis arborem, à prærupto vallis ad locum vehiculis expeditiorem conaretur efferre. Cùm pondus oneris vires

[a] Hinc patet Fratres laïcos tunc temporis intonsis fuisse capillis, eósque in Monachorum ordinem acceptâ coronâ etiam tum transiisse, ubi suæ probitatis specimen dedissent. Lege Præfationem huic tomo præfixam.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

impellentium excessisset, non parcens sibi vir ferventissimus, totas in se vires colligens, & cum vehementia molem impellens, rupturam folliculi quo vitalia teguntur incurrit, adeo ut tribus digitis via in ipso hiatu patesceret. Secutus dolor maximus, perpetuum languorem Domini famulo minabatur. Ille intra se revolvens loci paupertatem sua infirmitate onerandam, se desiderati laboris fructu privandum; ex interiori tristitia cor compungitur, mens conteritur, oculi dissolvuntur in fletum. Recolens tandem quàm præsentes haberet, quibus perfacilè erat sanctis orationibus suis pristinam in eo reformare virtutem; productus ad Ecclesiam, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, ante Sanctorum reliquias proprium incommodum, onus Fratrum, detrimentum Ecclesiæ cum maximo dolore exposuit, & ut sui misererentur cum magna devotione rogavit. Surrexit homo ab oratione sanus: & ad necessarios Monasterii labores reversus, ne minimum quidem illius infirmitatis indicium in suo corpore ulteriùs invenit. Vixit nam postea multis annis. Erat autem parcus in verbo, in cibo sobrius, mediocris in habitu; pauperum, peregrinorum, pupillorum diligenter curam agens, res Ecclesiæ quarum cura ei delegata est, fideliter & utiliter disponens. Cùm enim domus à paupertate quam in initiis suis pertulerat emersisset, claustralibus se subdidit disciplinis, & multo tempore Cellarii functus officio, in senectute bona & plenus dierum obdormivit in Domino. Hæc sunt miracula pauca de multis quæ omnibus hujus Ecclesiæ probantur esse communia, quibus loci hujus sanctitas commendatur, quibus inhabitantium augeatur fides, & devotio excitetur. Unde ad ea quibus singulorum virtus appareat evolvenda permittentes animum nostrum modico tempore respirare, sicut vera relatione didicimus, transeamus.

V. B. Mariæ templi violator diabolo traditus.

9. Operæ pretii est non præterire silentio, quemadmodum beata Domini Genitrix in eodem vico Hagustaldensi de quodam impiissimo his nostris temporibus triumphaverit. Defuncto Rege HENRICO, qui fratri suo successit WILLIELMO, cùm STEPHANUS Anglorum usurpâsset imperium, Rex Scottorum [a] DAVID zelo zelatus pro Regis filia, cui cum tota Anglia sacramento fuerat obligatus, contra Stephanum arma tulit, coacto exercitu Northanhumbriam cæde incendióque depopulans. Verùm Ecclesiæ Hagustaldensi tantum detulit, ut non solùm nihil quod ejus juris fuerat à quoquam pateretur attingi; sed & quotquot illuc confugere & suorum aliquid transferre potuissent, sua decerneret pace gaudere. Hinc est quòd cùm impiissima gens Galwensium inaudita crudelitate sævirent, nec sexui parcerent, nec ætati; nostrates qui erant cum Rege pietate commoti, plures de eorum ereptos manibus ad Hagustaldunum, quasi ad certum suæ salutis auxilium transposuerunt. Construxerat quondam beatus WILFRIDUS in eodem vico Ecclesiam in honore beatissimæ virginis MARIÆ opere rotundo, quam quatuor porticus quatuor respicientes mundi climata ambiebant. Hæc sub persecutione Dacorum destructa, à Presbytero quodam fuerat reparata. Veniens igitur ea tempestate nequissimus quidam adolescens illius impurissimæ gentis, tentat aliquid, quia vi non poterat; vel furto auferre. Sed cunctis sua servantibus, pessima ejus voluntas fructu caruit. Tandem ad Ecclesiam beatissimæ Virginis crudelis effractor accedens, inani circuitu explorat ingressum. Inventam verò seram quâ ostium claudebatur, arrepto lapide manu sacrilega quasi eam fracturus invasit. Hactenus injuriam suam Virgo sustinuit. In ipsa quippe hora populo inspiciente pessimo dæmoni traditus, præsumtionis suæ pœnas justissimas

[a] Simeon id factum etiam refert anno M C XXXVIII, in libro jam citato.

ſolvit. Diſcurrebat infelix huc atque illuc clamans & ejulans: ſpumant labia, receant oculi*; lingua nunc emittitur, nunc diſcerpitur dentibus, nunc barbarum aliquid frendit: jactantur horrendis motibus brachia, ſacrilegis manibus veſtes carnéſque dilaniat. Cùm verò aliquot diebus populo horrendum ſuæ infelicitatis ſpectaculum præbuiſſet, tantum ulteriùs non ſuſtinentes horrorem, tractum à vico, & amne tranſmiſſo relictum, tamdiu nequam ſpiritus vexavit, donec excuſſam animam traderet inferis, corpus beſtiis & avibus deſtinaret.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

*f. recedūt

VI. S. Accæ encomium.

10. Miracula Sanctorum qui in ſancta Hauguſtaldenſi Eccleſia requieſcunt, ea quæ ſingillatim ab eis geſta cognovimus litteris tradituri, à ſanctiſſimo Pontifice ACCA ſumamus exordium, qui in regimine ſanctæ Hauguſtaldenſis Eccleſiæ beato ſucceſſit WILFRIDO, comes peregrinationis ejus, tribulationum particeps, exſilii ſocius, conſcius ſecretorum. Primò enim in Clero ſanctiſſimi BOSANI Eboracenſis Epiſcopi religioſiſſimè inſtitutus, tandem ſub doctrina ſancti Wilfridi omnem uſque ad ipſius patris obitum explevit ætatem. Cum quo Romam profectus, eccleſiaſtica inſtituta & Patrum canones pleniùs didicit, atque in ſacro pectoris ſui armariolo devotè recondens, loco congruo & tempore opportuno ſibi ſubditis ſervanda contradidit. In quo etiam itinere præfatus vir Domini Wilfridus magnæ illius revelationis, qua ei citum reditum, iter proſperum, vitæ tranquillitatem, honoris & poſſeſſionis reſtitutionem, certum ſui exitûs diem, per ſanctum Archangelum Michaëlem gratia divina promiſit; præ ceteris mortalibus beato Accæ reſeravit arcanum. Inthronizatus verò quantæ fuerit devotionis in Deum, quantæ in proximos benevolentiæ, cujus circa ſubditos diſciplinæ, quantum circa officia divina ſollicitus, in ſacris Scripturis quàm ſtudioſus; venerabilis Bedæ Preſbyteri teſtimonio didiciſti. Teſtes ſunt etiam adhuc libri, quos idem Doctor tanti Pontificis deſideriis favens, præmiſſis ad eum Præfationibus [a] ſcripſit, in quibus devotionem ejus & in divinis eloquiis ſollertiam ſatis gratanter expreſſit. Sed ut quid ſanctitatis ejus teſtes alios quærimus? cujus præ manibus habemus (ut ita dicam) ſigna loquentia, quæ & manibus tangere, & oculis cernere perfacile eſt, in quibus divina radiare miracula, & immaculatæ vitæ illius certa manere veſtigia, ne infidelis quidem negavit. Quis, rogo, ſanctiſſimas ejus veſtes, quibus ſacræ ejus reliquiæ in terra trecentis annis fuerunt obvolutæ, ab omni corruptione ſervavit illæſas, niſi mirabilis Dominus in Sanctis ſuis, qui ad commendandam vitæ illius incorruptionem, gratiam integritatis, quam caro meruerat viventis, ad indumenta tranſtulit in ſepulcro jacentis? Habetis certè caſulam ejus ſericam, ſimiliter & dalmaticam, ſudarium quoque lineum, in quibus venuſtas antiqua ſervatur, priſtina fortitudo perdurat: quibus natura ceſſit, terra non nocuit, vetuſtas non obfuit. Sed cur, ait aliquis, ob carnis meritum veſtibus adſeris præſtitum, quod ipſi carni novimus eſſe negatum? Non enim caro, ſed in pulvere oſſa in ipſis indumentis ſub terra inventa ſunt involuta. Sed abſit ut hoc carni dicamus eſſe negatum. Non eſt certè negatum, ſed dilatum. Carnis enim incorruptio non eſt hujus mortalitatis, ſed futuræ æternitatis. Glorificatus proinde eſt Sanctus Domini: in temporalibus ſuis temporaliter glorificabitur, in æternis ſuis æternaliter, quando mortale ejus induet immortalitatem, & corruptibile ejus induet incorruptelam. Habemus interim in veſtimentis ejus indicium ſanctitatis illius, ſignum incorruptionis,

a

Veſtes illius incorruptæ.

a Lege Elogium venerabilis Bedæ infrà ad annum 735, & Richardum Priorem in lib 1 cap. 15, ubi ait, Accam ſede ſua pulſum anno Domini DCC XXXII, ſupervixiſſe annis octo, ac tandem obiiſſe anno DCC XL, XIII Kal. Octob. Succeſſorem habuit Frethbertum ab anno DCC XXXIIII in annos triginta duos.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. pudicitiæ innocentiam. Quis enim non animetur ad carnis munditiam obtinendam, quam gratam Domino, amicam Angelis, hominibus reverendam intelligit? quam cunctarum virtutum communem quamdam pulcritudinem, omnium vitiorum potentem quamdam debellatricem agnoscit? cui natura cedit, quam obstupescit ætas, quæ imitatur æternitatem, resurrectionis insignia præfert? Nec defuit tamen circa sacratissimas reliquias ejus gratia sanitatum, ubi & cæcos illuminatos, præsumtores territos, claudos novimus esse curatos.

VII. Cæco lumẽ redditum. 11. Fuit in regione vicina huic, vir quidam Raven nomine, qui mediocrem sub nobili quodam ac prædivite agebat vitam; homo pro modulo capacitatis suæ simplex & rectus, & præ ceteris sanctis beatissimo Accæ multùm devotus. Hujus oculos subitò caligo cæcitatis oppressit, totúmque adimens officium intuendi, triennio ei diem vertit in noctem. Frustra remedium sperabatur à Medicis, cui medicina servabatur cælestis. Reversus tandem in semetipsum æger, & fidei ac devotionis in semet revocans gratiam, Quid, inquit, facio? quò aufugit animus meus? quamdiu dormiet fides mea? quamdiu tepescet devotio mea? quid trepido? quid dissimulo? surgam, surgam, ibo ad Accam meum, si fortè audiat & misereatur servuli sui, noctémque vertat in diem, & post diuturnas has tenebras, desideratæ lucis gaudia repræsentet. Et jam instabat beatissimi Accæ natalitius dies, quo ab his corporeis tenebris ad veri luminis splendorem lætabundus evasit, qui à regionis hujus incolis singulis annis cum magno celebratur honore. Tunc opportunum ratus quo suffragium peteret quod sperabat, duci se jubet ad Ecclesiam. Instat precibus homo, sacrum crebrò deosculatur altare, rigat lacrymis pavimentum, & sic maximam noctis partem ducit insomnem. Tandem fatigato sopor irruit, vidétque per visum adsistentem sibi Sanctum Domini, facie splendida, veste decora, pontificalia præferentem insignia, vultu hilari blandientem, atque dicentem: Magnam, ô homo, in Sanctis hujus Ecclesiæ habes fiduciam? Et ille: Verè, Domine, nam unicum ac speciale refugium meum sanctus Acca Episcopus est. Cui Sanctus: Non frustra, inquit, neque ad insipientiam tibi. Ego enim sum Acca Episcopus, cujus precibus te noveris esse sanatum. Surgit homo jam videns, & stupefactus respicit intuentes. Æstimabat enim se visum videre. Denique alloquens illum qui propiùs adsidebat; Túne es? inquit. Et ille: Ego utique. Vidésne me? Planè, inquit, video, si tamen non somnio. Exsiliit ille, miraculúmque effert in publicum. Sonat in ore omnium: Raven, Raven videt. Surgunt omnes, immolant in tabernaculo Domini hostiam vociferationis, cantant, & hymnum dicunt. Perfertur ad dominum vici fama miraculi: qui volens se gratum Sancto præbere, virum ipsum emancipatum cum omni pecunia sua Sancto tradidit, ipsiusque Ecclesiæ obsequiis quoad viveret deputavit. Utinam, Fratres carissimi, eadem fide, pari devotione, nec impari spe, in animæ periculis ejus imploremus auxilium, considerantes in quibus lacrymis, quâ precum instantiâ homo carnalis carnalem obtinuit sospitatem. Vos qui spiritales estis, contra spiritales animæ infirmitates, lacrymarum tanto Patri offeratis libamina, orationum sacrificia immoletis, vigiliarum & psalmorum holocaustomata caritatis igne in aram cordis succendatis. Sed silentio non arbitror prætereundum, quemadmodum cæca mulier reliquiarum sanctissimarum ejus sit sanata virtute.

VIII. 12. Nostis, Fratres, quemadmodum à venerabili viro ÆDRICO, qui primus Canonicorum regularium in hac Ecclesia secundùm apostolicæ traditionis formam vitam suam morésque instituit, sub sancto altari duæ thecæ

referantur inventæ, quarum altera sancti ACCÆ, altera beati ALCHMUNDI [a] reliquiarum ossa quædam mixta pulveri secundùm fidem inscripti tituli continebat. Verùm ne pretium thesauri quem pius explorator invenerat, inventorem lateret, virtus miraculis comprobatur. Mulier quædam capta oculis, sed mente devota, Ecclesiæ limina diebus noctibúsque terebat. Sed quia paupercula ductoris quandoque frustrabatur solatio, Frater prædictus compatiens miseræ, sæpe gressus ejus datâ manu regebat. Quadam verò die dum solitum pietatis beneficium præstaret egenti, subiit animo sanctarum reliquiarum quas invenerat explorare virtutem. Igitur sacrum ingressus repositorium, factâ oratione unum producit ex ossibus, aquáque perfudit. Accedens deinde ad cæcam, jubet ut in sanctissimi Præsulis Accæ meritis ac virtute confideret. Annuit illa, ac sacri peculii bajulum genu flexo ac demissa cervice adorat. Tunc ille lavacro salutari linit oculos, ac signo Crucis impresso rogat beatissimi Patris adesse potentiam. Mira res! ad tactum undæ cælestis consertas mox palpebras vis quædam divina disjunxit, sensimque cedente caligine lux diu desiderata successit. Exsultat uterque: illa quia commodi corporalis, ille quia fructûs spiritalis experiebatur effectum.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. Accæ & Alchmundi reliquiæ inventæ. Cæca visum recipit.

13. Itaque Frater ille venerabilis ipsâ experientiâ factus audacior, & quasi de fide in fidem proficiens, de sanctissimi Præsulis virtute securior, quoties offerebatur occasio, toties cælestis potentiæ gratiam*. Accidit namque ut faber qui solus civitatis hujus incolis eo tempore artis suæ beneficio serviebat, circa guttur morbo intercutaneo laboraret, adeo ut & loquendi officium vis tumoris adimeret, & meatus per quos cibus ad interiora descendit obcluderet. Periclitabatur civitas, dum ille salutis, isti artis necessariæ dispendium formidarent. Sed ceteris desperantibus sæpe prædictus Frater de cælestis gratiæ remedio præsumebat. Numquid non, inquiens, vis illa quæ tenebras vertit in lucem, hunc perfacilè non deponet tumorem? Allatam igitur aquam qua reliquias sacras perfuderat, in os patientis effudit. Mira res! invasit morbum unda cælestis, & mox quasi aquam non excepisset, sed ferrum; ab inferiori parte tumoris cutis rumpitur, sanies perniciosa expellitur, paullatímque detumescente gutture, via voci, cibo semita aperitur. Sicque factum est, ut eodem miraculo sanitas homini, ars necessaria restitueretur civitati.

VIIII. Gutturis tumor sanatur. *supple requireret

14. Nostris etiam temporibus viri duo qui in Fratrum obsequiis à puero vixerant, debitis donati stipendiis, cùm jam domo, familiâ, pecuniâ quoque haberentur clariores; fide & bonis moribus facti sunt suis civibus cariores. Convenit utrisque sanctæ resurrectionis & dominicæ passionis invisere loca, ut ibi peccatorum veniam mererentur, ubi sanguine Christi totius mundi sunt peccata deleta. Accendunt se mutuò, propositoque crebra confabulatione tempore congruo, signo Crucis muniti, patrocinióque Sanctorum & Fratrum orationibus se devotissimè commendantes, desideratum iter arripiunt. Qui cùm corpore transfretâssent, ex aliis partibus adventantes peregrini in unam cum eis societatis gratiam coaluerunt. Cúmque suæ civitatis Patronum diebus singulis (ut fieri solet) familiariùs invocarent, prædicti viri sanctum Accam cotidianis precibus frequentabant, & inter amica colloquia cujus esset meriti sociis insinuabant. Spernunt & subsannant verba eorum. Clericus quidam quem cum sorore sua eorum comitatui casus adjunxerat, & quisnam esset ille Acca nec scire se dicens, simplicitatis & rusticitatis juvenes arguebat, quòd eum Sanctum dicerent, cujus ipse nec virtutes audierat, nec in catalogo Patrum nomen invenerat. Infelicissimus qui

X. S. Accæ derisor punitus.

[a] Alchmundus Frethberto Accæ successori subrogatus est anno DCCLXVIII, consecratus VIII Kal. Maii, ex Richardi lib. 1 cap. 16.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

secundùm suam socordiam de Sancti meritis disputabat, putans scriptum non esse quod ipse non legerat, nec virtutibus floruisse beatum quem ipse non audierat. Ridebat & illorum inscientiam, qui simplicibus eorum simpliciter fidem verbis adhibentes, cum eis beatissimum Accam sibi adesse precabantur. Blasphemiis ergo blasphemias addens, in Sanctum Domini ridens invehitur. Illi ulteriùs maledici * non ferentes, indignationem suam justis imprecationibus prodiderunt. Detestatur tota illa multitudo blasphemum, & sua cum societate judicantes indignum, ab illis divertere compulerunt. Illis procedentibus maledictus substitit, & statim pessima passione percussus, cadens in terram volutabatur spumans. Misera facies hominis sororem solvit in lacrymas. Sed quid faceret? timebat socios, quos exacerbaverat frater: subsistens nullum ei solatium adferebat. Dolor exigit ab illis flagitare remedium, quibus se præbuerat nimia perversitate infestum. Currens consequitur præcedentes lacrymis, & gemitu infortunium protestatur: rogat eos aliquid periclitanti præstare consilium. Negant omnes, & blasphemum justè percussum gratulantur. Unus tamen juvenum misericordiâ motus; Adhuc credis sanctum Accam in hoc posse tibi periculo subvenire? Ad nomen Sancti aperit oculos, visóque juvene, voce qua potuit, Credo, ait, credo, & verè & ex corde credo, & te illi fidei meæ obsidem trado. tantùm ora pro me. Oravit juvenis, & eâdem ferè horâ iste ab oratione, ille de terra surrexit. Postremò impositus jumento venit ad socios, non jam blasphemus, sed ex parte sanctitatis devotus adsertor. Nullus deinceps in beati Accæ laude ferventior, nullus in fide virtutis ejus certior; nullus in periculis fluminum, in periculis latronum, in periculis montium de ejus auxilio vel consolatione securior. Experti verò in itinere plurima beati Confessoris beneficia, visitatis locis sanctissimis juvenes prosperè remearunt ad propria, munera satis honesta Sancto, populo miraculum reportantes.

* supple verba.

XI.

15. Post desolationem Nordanhumbrorum, quam irruentibus in Angliam Dacis miserabiliter incurrit, sicut ceteræ hujus Ecclesiæ, hæc Haugustaldensis; ut verbis propheticis utar, multo tempore sine Sacerdote, sine ephod, sine theraphim gemebunda resedit. Tunc plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Quidquid de lignis fuerat, ignis absumsit. Bibliotheca illa nobilissima, quam Præsul sanctus condiderat, tota deperiit. In qua denique devastatione monumenta, quæ de vita & miraculis Sanctorum sancti Patres ad posteritatis notitiam stilo transmiserant, constat esse consumta. Deinde cùm defervente rabie persecutionis, pacis serenitas arrideret, floruit in Ecclesia Dunelmensi Presbyter quidam multis adornatus virtutibus, qui ab omnibus aquilonalibus Anglis Patris loco colebatur, qui ita sermonibus ejus inhiabant, ut quidquid audirent ab eo quasi divinum oraculum suscepissent. Vocabatur autem ALUREDUS filius Westou, quem etiam ob doctrinæ & sapientiæ gratiam, ALURED LARWA, id est Doctorem nominabant. Hic divina revelatione commonitus, per sacra loca quæ sævitia barbarorum vastaverat discurrens, multorum Sanctorum reliquias de tumulis eruens ad Dunelmensem transtulit Ecclesiam. Veniens verò ad sanctam Haugustaldensem Ecclesiam, cùm sanctissimi Accæ reliquias sustulisset, prævidens fortè in spiritu, (nam & spiritum prophetiæ dicitur habuisse) quid religionis, quid honoris ea ipsa Ecclesia erat habitura; sacras illas reliquias absportare noluit, vel non potuit: sed eas intra Ecclesiam honestè recondens, venerationi locorum, devotioni præsentium, profectui futurorum divina gratia disponente consulit. Porrò cùm sub Rege EDWARDO Nordanhumbria paullulum respirasset, & reliquiæ dispersionis in suis receptæ sedibus ad ruinas ædificandas sese accinxissent; iterum regnante

Danorum tempestate, bibliotheca & Vitæ Sanctorum consumtæ.

Sanctorum reliquiæ reconditæ.

Haugustaldensis Ecclesia tandem restituta.

WILLIELMO cùm WALCHERUS Episcopus interfectus esset ab Anglis, calamitatis fuga, desolatio subsecuta est. Successit Walchero GULIELMUS habitu Monachus, qui Clericos ab Ecclesia Dunelmensi eliminans, Monachos subrogavit: & aliis quidem possessiones extra Ecclesiam ordinavit, alios id suscipere contemnentes expellere non cunctavit. Inter quos prædicti Aluredi filius qui ceteris præerat, cùm nihil ab Episcopo suscipere dignaretur, adiit venerabilem Archiepiscopum THOMAM, qui primus [a] Normannorum Eboracensem rexit Ecclesiam, rogans ut ei Haugustaldensem Ecclesiam concederet reædificandam. Annuit votis ejus Pontifex venerabilis, & ei Ecclesiam prædictam regendam commisit. Veniens ad locum homo invenit omnia desolata, muros Ecclesiæ sine tegmine, sordere feno, silvis supercrescentibus horrere; liturâ, imbribus & tempestate dejecta, nihil pristini retinuisse decoris. Erat autem talis terræ illius desolatio, ut fere biennio ex solo venatu & aucupio se suámque familiam sustineret. Intendit itaque animo Ecclesiam renovare, & primum à parte orientali incipiens erexit altare, & cælestibus sacrificiis convenienter aptavit. Sed ipso post modicum infecto negotio vitâ excedens, fructum laboris sui filio dereliquit. Qui licèt peccator secùs quàm oportuit vixerit, circa Ecclesias tamen Christi renovandas, ornandas, serviendas devotum se & sollicitum exhibebat.

ANN. CHRI DCC IX. APR. XXIV.

Reliquiæ loco decentiori repositæ.

16. Hic itaque Ecclesiæ Haugustaldensi renovandæ totum animum curamque impendens, succisâ quæ supercreverat silvâ, purgatis ab omni sorde parietibus, totam Ecclesiam tegulis texit, & litis intus & extra parietibus, antiquâ eam picturâ & venustate decoravit. Strato autem in parte orientali ex quadris lapidibus pavimento, altare subnixum columnis loco congruo collocavit. Indignè autem ferens sacras reliquias loco inferiori obrutas, placuit ei eas evulsas tumulo digno honore retro altare majus in theca operta pallio honestiùs reponere. Extracta igitur è tumulo ossa, donec circa locum in quo reponenda erant necessaria pararentur, in porticu australi super altare sancti Michaëlis linteaminibus substratis composuit, & ad eorum custodiam fratrem suum adolescentem, postmodum in hac Ecclesia optimæ vitæ & bonorum morum Canonicum, nomine ALDREDUM, de ejus simplicitate securus dimisit. Intuens adolescens in præsentia sua sacras reliquias, interiori quadam suavitate compunctus, aliquam reliquiarum illarum particulam concupivit. Non enim, inquiens, hæc sola Ecclesia tanto debet munere gloriari, cùm tanta ostium multitudo multis possit Ecclesiis satis esse. Horrens tamen tale sanctuarium manu tangere, septem pænitentiales psalmos cum lacrymis & compunctione præmisit: & sic factâ oratione accedens ad porticum, obviàm habuit in ipso ingressu tanti caloris incendium, ut ad ostium fornacis ardentis nihil tale se perpeti posse putaret. Territus ille regreditur, credens se tanto indignum beneficio. Prosternitur iterum, lacrymatur, pectus tundit, & psalmos sacros repetens, accessum tentavit. Sed vehementior mox calor egressus è porticu, introeuntem repulit, & spem quoque introeundi ademit. nam tertiò id attentare non præsumsit. His auditis frater ejus qui Ecclesiæ præerat, resolutus in lacrymas, cum magna devotione & compunctione sacratissimas reliquias pallio pretiosissimo involutas & in scrinio convenientissimo collocatas super tabulam lapideam, quam in hoc decenter præparaverat, cum debito honore reposuit.

17. Crescente postea circa Sanctos ipsius devotione Presbyteri, cœpit intra se de sui indignitate, de Ecclesiæ sanctitate, de Sanctorum reverentia districtiùs cogitare: & indignum se judicans tantorum Patrum accessui, timens

a Thomas senior, junioris nepos, *Bajocis oriundus* erat, auctore Thoma Stubbesio in libro de Pontificibus Eboracensibus. Accepit Episcopatum anno Domini MLXX in annos triginta.

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV. Ecclesia Canonicis regularibus concessa.

insuper ne post ejus excessum, etsi non minùs dignis, certè minùs sollicitis, Ecclesia traderetur; zelo domus Domini succensus, ad virum venerabilem juniorem THOMAM [a] Eboracensem Archiepiscopum adiit, & ut Canonicis regularibus Ecclesiam committeret, illisque se & sua contraderet, suppliciter postulavit. Cùm verò votis ejus Præsul venerabilis annuisset, [a] officina * religioni convenientia, lignea tamen, propriis construxit manibus, & ad nutum prædicti Pontificis, primò Fratres duos honestæ vitæ, quorum alter in Eboracensi, alter in Beverlacensi Ecclesia laudabiliter conversatus est, in Haugustaldensem introduxit Ecclesiam. Post mortem verò Thomæ succedens ei TURSTINUS, ASKETILLO cuidam Canonico de Huntendunensi Cœnobio ipsius Ecclesiæ curam commisit, & ut regularis ibi vita servetur, in perpetuum sanxit. Erat autem vir ille elegans & affabilis, doctus omnium se conformare moribus, & divitum, pauperum, Clericorum, militum, rusticorum sibi gratiam conciliare. Hujus temporibus in tantum tam in spiritalibus quàm in temporalibus Domini domus profecit, ut in brevi bonis & honestis viris regularem professis vitam abundaret, & officina * regularia decenter constructa lapidibus, & tegulis ligneis tecta, gratum incolis præbebant receptaculum. Ipsa insuper Ecclesia pretiosis decorata ornamentis, & sancti Andreæ aliorúmque Sanctorum ditata reliquiis, tam advenientium quàm inhabitantium devotionem adauxit. Cui successit vir quidam religiosus & optimè litteratus ROBERTUS, cognomento *Biset*, in eadem Ecclesia professus. qui magis religioni, quàm exteriorum administrationi aptus, post aliquos annos abrenuntiavit curæ pastorali, successorem habens RICHARDUM, virum sanè ab ipsa adolencentia honestæ vitæ & gravitatis: qui etiam cùm esset in sæculo, ob insigne castitatis & sobrietatis fere Monachus putaretur.

* novè

* & hic novè

18. Interea Fratribus quibus toties Sanctorum enituerat virtus, interior crevit devotio, ac magis amor excitabatur. Sentiebant eos non solùm in reliquiis suis, sed etiam in miraculis esse præsentes, à quibus in tristibus consolabantur, in lætis regebantur; cùm tentarentur, sublevabantur, persecutione emergente defendebantur, in qualibet necessitate fugientes ad eos exaudiebantur. Et quia eorum meritis divitiis in dies temporalibus augebantur, etiam eorum temporalem gloriam æmulabantur. Indignabantur vili tectos ligno, nihil gloriæ & honoris plebis præferre conspectibus, quæ ejus beneficiis sæpius jocundabatur. Et primùm singulis concaluit cor intra eos, & in meditatione eorum exarsit ignis. Demum conferentes invicem, & crebriùs de his conferentes sermonem, accendebant se mutuò, & quomodo res manciparetur effectui diligentiùs inquirebant. Tandem convenientes super hoc sermone Priorem, suo desiderio sancti viri devotionem in id ipsum excitabant. Omnium igitur voluntatibus in unum convenientibus aggrediuntur opus desideratum, his quorum hoc intererat libenti animo & promto corde necessaria præbentibus. Paratur theca congruæ magnitudinis, argentóque & auro vestitur. Inseruntur locis convenientibus gemmæ, & pro artificis industria opus summo decore variatur. Conpinguntur etiam duæ minores non parvi decoris, quamvis non ejusdem

Anno 1154 pretii. Anno autem ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, paratis omnibus, Prior diem sollemnem quo sacræ reliquiæ transferrentur constituit quinto Nonas Martii. Interea Fratres psalmis & orationibus exercitiisque spiritalibus tanto se operi præparabant. & jam præfixus aderat dies, cùm circa horam tertiam convenientibus in

[a] Id factum Kalendis Novembris anni MCXIII docet Richardus in lib. 2 cap. 8. Thomæ juniori successit Turstinus anno insequenti, ex cap. 11.

Ecclesia Priore cum Fratribus, ante sanctum altare nudis pedibus prosternuntur: psalmisque pænitentialibus preces congruas adjungentes, responsorium quod in honorem Sanctorum Confessorum in Ecclesia frequentatur, altisona voce decantant. Finita verò post cantum oratione sollemni, procedunt Fratres albis induti & discalciati, reverendásque reliquias cum loculo in quo hactenus servabantur ante gradum altaris exponentes, extractis inde sacrosanctis pignoribus, substratis honestè palliis in pavimento cum summa reverentia collocarunt. Erant autem quatuor Sanctorum ossa singillatim à se divisa, & venustissimis palliis involuta. Quæ cùm cœpissent evolvere, occurrit miri odoris fragrantia, quæ omnium perstringeret nares, omnium corda mulceret. Qua visitatione divina Fratres attoniti, primùm sepultos eos cum aromatibus arbitrabantur. Sed cùm hujus rei nullum appareret indicium, intellexerunt Sanctos Domini ex odoribus paradisi, quibus fruuntur in æternum, suis sanctis reliquiis hanc gratiam indidisse. His itaque plurimum consolati, primi eorum sacras explorant exuvias. Inventa sunt ossa cælesti decore corusca, colore simul & odore manifestam exspirantia sanctitatem: quæ sic omnium in se convertebant adspectum, & excitabant affectum, ut eum spiritaliter non dubitarent esse præsentem, cujus reliquias tantâ perfusas gratiâ, tanta majestate venerandas sentirent. Et ne esset posteris de nomine sancti Confessoris cunctatio, is qui condiderat scripti attestatione scrupulum omne purgaverat. Inveniunt namque in ipso involucro schedulam continentem:

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

piis ritibus præmissis,

inventæ S. Accæ reliquiæ,

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS SEPTINGENTESIMO QUADRAGESIMO, REVERENDÆ MEMORIÆ ACCA EPISCOPUS DECIMO TERTIO KALENDAS NOVEMBRIS DE MUNDO AD CÆLUM TRANSIIT, ANNO EPISCOPATÛS SUI VIGESIMOQUARTO, ET HÎC EJUS RELIQUIÆ IN PACE PAUSANT.

Hac igitur sacratissima visione, etsi non satiati, plurimum tamen refocillati, cælestia pignora pannis mundissimis iterum involventes, digno cum honore recondunt. Et ne temporum futurorum deficiente schedula, Sancti nomen & meritum subduceretur memoriæ; in membrana simul & plumbi lamina eadem scribentes & sculpentes, reliquiis apposuerunt.

Deinde ad sancti ALCHMUNDI reliquias inspiciendas sese contulerunt. Quibus cum pari gloria & honore repertis, schedulam quæ nomen ejus & officium continebat legerunt. Et scripturæ ipsius textus erat:

& S. Alchmundi.

ANNO DOMINI SEPTINGENTESIMO OCTAGESIMO, ALCHMUNDUS HAGUSTALDENSIS ECCLESIÆ PRÆSUL, CUI ANNIS TREDECIM PRÆFUIT, SEPTIMO IDUS SEPTEMBRIS DEFUNCTUS EST, QUI PRO MERITIS SUIS ÆTERNÆ BEATITUDINIS PARTICEPS FACTUS EST, ET HÎC IN PACE PAUSAT.

Stabant autem Fratres circa thesaurum [a] illud cæleste, intentéque scrutantes omnia, omnia quibus corpus humanum compingitur indumenta repererunt. Et quia hi qui quondam Sanctos condiderant, aliquas minucias ex ossibus beati Accæ pro devotione sustulerant, nihil tale circa beati Alchmundi reliquias factum mirabantur. Cur enim hoc acciderit, aliis exciderat, alii nec audierant. Unde nos veterem translationem ejus adjungentes novæ, causam hujus integritatis evolvere non pigebit.

19. Tempore illo quo Presbyter Aluredus, de quo superiùs fecimus mentionem, ab omnibus Northanhumbrorum Ecclesiis, Principibus etiam & plebe, Patris loco coleretur; vir quidam de minoris ordinis Proceribus in possessione Ecclesiæ Haugustaldensis manens, erga ipsius loci Patronos magna

Alia Alchmundi trãslatio.

[a] Sic thesaurum neutro genere usurpatum ab Auctoribus mediæ ætatis aliàs adnotatum.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. devotione tenebatur. Erat autem homo simplex, fide magis quàm scientia præditus. Hic cùm nocte quadam membra sopori dedisset, adstitit ei in visu reverendi vultûs senior, pontificalibus decoratus insigniis, cælesti luce præfulgidus. qui cùm baculi pastoralis quem manu gerebat levi pulsu virum quasi à somno excitans tetigisset; Vade, inquit, citò, & dic Aluredo Presbytero Dunelmensi, ut populo Hagustaldensi in unum collecto, eruat è tumulo corpus meum, sublatúmque altiùs in Ecclesia loco honestiori recondat. Justè enim ab hominibus illis honor exhiberetur in terris, quos Christus inter Angelos glorificandos judicavit in cælis. Obstupefactus ille, & cùm lucis splendore, tum vocis illius auctoritate attonitus, cùm spiritum paullulum resumsisset, quisnam ille esset humiliter & reverenter inquirit. Tunc sanctus; Ego, ait, sum Alchmundus, qui quartus à beato Wilfrido Haugustaldensi Ecclesiæ præfui, qui post certamen quod certavi, post cursum quod consummavi, post fidem quam servavi, per Christi gratiam justitiæ coronam adeptus, juxta venerabilem & sanctum prædecessorem meum Accam sepultus sum: ubi Presbyter antedictus te adstante corpus meum diligentiùs quærat, absque dubio reperturus. Hæc dicens, in sua invisibili & incomprehensibili felicitate sese recepit. Expergefactus vir nihil hæsitans de oraculo, Presbyterum adiit, & eo ordine quo obvenerat referens visionem, quid Sanctus præceperat intimavit. Ille haud incredulus visioni, jussis obtemperat, diéque constituto cùm populus quem vocaverat sollemniter advenisset, oratione præmissa, cum Clericis ad locum quem destinaverat Sanctus, accessit. Ubi cùm altiùs jam fodissent, nullum tumuli vestigium invenerunt. Et jam venerat hora tertia, & illi nihil profecerant. Adstabat ille cui hæc cælitus fuerant revelata immobilis: fide ceteros ne desperarent hortabatur. Usque ad horam igitur sextam instantes operi, nullum tanti laboris fructum perceperunt. Tunc è populo qui jam longa exspectatione fatigatus adstabat, ridere nonnulli, quidam velut spe tanta frustrati dolore alium delusum phantasmatibus hominem jocabantur; alii Presbyterum quòd fidem somniis præbuisset tacitè arguebant. At ille vir nihil his motus, in sua perstabat sententia, & in eodem loco Sancti corpus inveniendum fide plenus adstruebat: arreptóque instrumento, & alios, quos jam dissolverat tædium, ad fodiendum excitans; Hîc, inquit, hîc absque dubio, hîc jacet Alchmundus, hinc sacras ejus reliquias hodie eruemus. Non fefellit hominem spes tanta: sed cujus fides non defecerat, amor non tepuerat, circa horam nonam desiderato potitus thesauro, suis fidem fecit promissis.

20. Collectis itaque sacratissimis ossibus venerandus Presbyter ea pannis mundissimis involuta, in convenienti scrinio collocavit. Et quia sacra Missa-
NOTA. rum sollemnia celebrare hora tardior non sinebat; in orientali Ecclesiæ porticu, ubi beati Petri Apostoli memoria frequentatur, ea nocte celeste munus quod acceperant ponendum & conservandum decernunt. Intempestæ autem noctis silentio Presbyter ipse cum Clericis suis circa reliquias Sancti sacras excubias celebrans, accensus devotione, decrevit aliquam sanctorum ossium portiunculam secum deferre Dunelmum, ut sic consuleretur affectui, & Sancti ipsius honori cumulus adderetur. Sed & hoc sibi deberi arbitrabatur, ut quem is Sanctus tanti operis designaverat exsecutorem, dignam non negaret mercedem. Ceteris itaque alto sopore depressis, accessit ad loculum, & unum ex ossibus, quibus intervenientibus per certos articulos nervis digitus fuerat arte creatrice compactus, auferens, sibi reponere & reservare curavit.

21. Interea nocturnis tenebris finem dedit aurora, & sacræ celebritatis exspectatio citiùs solito populum excitavit. Accurrit utriusque sexûs non parva multitudo, cupiens tanti Patroni precibus commendari, & sacris reliquiis aliquid sui præbere volens obsequii. Horâ verò tertiâ paratis omnibus quæ

tantæ sollemnitati congruere videbantur, venerabilis Presbyter eos qui ad tantum opus putabantur idonei, ut loculum suis deferrent humeris, designavit. qui pro tempore accedentes, cùm appositis manibus sanctissimum levare tentarent, quasi fixum solo immobile permanebat. Vulgus more suo eorum id peccatis imputans, amovendos eos arbitrabatur. Eliguntur alii: & eorum conatus carens effectu, plebem admiratione percellit. Et ne fortè hi quoque putarentur indigni, succedunt alii, qui & ipsi frustra laborantes, absque desiderii sui fructu recedunt. Obstupefacti igitur omnes, & animo consternati, quid decerneret Presbyter exspectabant. Ille admirans, & semetipsum in causa esse non attendens, pernoctandum in orationibus, supplicandum cum summa devotione Sancto, & ut hujus immobilitatis suæ ratio non lateret, exigendum ipsius sanctitatis oraculum æstimavit. Dixit, & factum est ita. Clero ergo & populo circa reliquias excubante & orante, eidem viro cui priùs (nam ei in ipsa Ecclesia vigilanti jam somnus obrepserat) Sanctus apparuit, & severiori intuens oculo; Quid est, inquit, quod facere voluistis? itáne me defectum membris Ecclesiæ invehendum duxistis, ut beato Apostolo Andreæ sacróque ejus altari mutilatus adsistam, cui tot annis integro corpore ac mente servivi? Et ostendens ei manum, cui unius digiti, quasi pars media videbatur abscisa; Surge, inquit, & contestare in populo, ut digitum meum restituat ille qui abstulit, quatenus membra mea in quietis suæ loco cum sua integritate repausent, & hi qui in honore meo tam devotè convenerant, desideratum sui laboris fructum obtineant. Mane autem facto surgens in medio plebis homo, cùm in eum omnes curiosiùs intendissent, clara voce cæleste propalavit oraculum, magna ultione plectendum adjiciens, qui Sancto tantam irrogasset injuriam. Tunc Presbyter venerandus, licèt cara illa pignora Sancto restituenda sentiret, se tamen cum tanto miraculo ob honorem Sancti deprehensum exsultans, facto in plebe silentio, omnia quæ fecerat, & qua intentione fecerat, nihil cunctatus exposuit. Cúmque in præsentia populi quod sibi servaverat protulisset, cunctis congratulantibus, & mirabilem Dominum in Sanctis suis prædicantibus, loco suo restituit. Oratione tunc demum & digna satisfactione præmissa, ad jussum Sacerdotis feretrum Clerici levi motu levantes, cum hymnis & canticis spiritalibus, ut tantum decebat Pontificem, in Ecclesiam detulerunt quarto Nonas Augusti: celebratóque pro more cum devotione sollemni sacrificii salutaris officiò, ad sua singuli cum gaudio remearunt. Ex illa die & deinceps ex sacris ejus reliquiis nihil quisquam ausus auferre, intactas & integras, sicut eas Fratres invenerunt, posteritatis notitiæ servarunt. Dies iste omnibus annis celebris habebatur à populo: sed quia nova hac translatione peracta, decretum est utriusque gloriam sub una celebritate colendam; nos utramque historiam credidimus conjungendam, adjicientes quid miraculi olim per beati viri merita in ejus hac sollemnitate acciderit.

ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV.

die 2 Augusti

22. Quidam è Fratribus, HUGO scilicet venerabilis, de quo superiùs mentionem fecimus, ad loca vicina pro Monasterii utilitate profectus, impendente jam ipso die sollemni regredi festinabat. Habuit in comitatu suo quemdam Ecclesiæ famulum fidelem & devotum, & Fratribus in omnibus quæ ad ipsum spectabant perutilem. Venientes autem ad flumen, quod civitati subterfluit, locatis in navicula quibus insederant equis, Uthredus (hoc enim nomen viro) arripiens gubernaculum, & stans in parte posteriori navem regebat. & ecce equus unus ab anteriori parte prosiliens, navem undis ferè subduxit. Nam jumentum posterioribus pedibus fortius in saltum innitens, proram in ima depressit: sed mox suæ levitatis repulsu resiliens, cùm se altiùs extulisset, eam partem cui rector navis insedit, undis immersit. Ille lapsus è pupi absorbetur à flumine. Clamant qui aderant, accurrunt, lugent,

XIII. Frater naufragio ereptus.

ANN. CHR. DCCIX. APR. XXIV.

discurrunt huc atque illuc, infortunium suum suspiriis & lacrymis protestantes. Sed quid facerent? non funiculum, non virgam, non ramum, nec quidquam omnino quo misero subvenirent, habebant. Dolebant tantùm, & ille latebat sub undis. Quod solum spei supererat, levant ad Ecclesiam oculos, & sibi Sanctorum merita precabantur adesse, præcipuè tamen beatum Alchmundum, ad cujus sollemnia festinaverant, ut his eum periculis eximeret orabant. Interea juvenis quem jam suffocatum putabant, ad profunda demersus, integer memoriâ, imperturbatus sensibus, quidquid in ripa loquebantur, claro percipiebat auditu, confessionem suam, ac si cum Sacerdote loqueretur, ei qui ubique præsens est faciebat. Demum in beatum Alchmundum totum intendens animum, prout talis necessitas permittebat, ut sui misereretur supplicabat. Porro illi qui discurrebant in ripa, quasi de morte ejus jam de extrahendo & sepeliendo cadavere cogitabant: & ecce vident hominem eminus stantem, lanceam tenentem manu, & quasi eorum cursum & discursum admirantem. Clamant omnes ut accederet, & ipse haut segnis accurrit. Arreptam unus lanceam ubi ultimò visus fuerat impulit fluctibus. quam ille mox oculis intuens, & nihil oblitus sui, utraque manu apprehendens, inventi cadaveris suo pondere fecit indicium. Accurrunt ad adjuvandum ceteri; & ecce emergens ab imis homo descendit in ripam. Ubi modicum pausans, & undas quas hauserat exspuens, ad Monasterium cum sociis properavit. Ibi applicatus ad ignem, cùm naturalis calor quem membris frigus ademerat, ad ea materialis ignis rediisset accessu; receptis viribus Domino & sancto Alchmundo in Ecclesiam gratias acturus intravit. Ubi beati Alchmundi meritis ita convaluit, ut eadem die amne transmisso, ad sua incolumis remearet. Ab illo tempore singulis annis, quoad vixit, cum oblatione die eadem ad Ecclesiam veniens, ereptori suo muneribus quibus potuit congruam acceptis beneficiis vicem rependere non omisit. His fortè non inutiliter insertis, ad translationis ordinem redeamus.

NOTA.

Frideberti corporis inventio,

23. Accedentesque ad tertium, cùm & ipsum non impari gloria reperissent, schedulam quæ ejus nomen & meritum proderet requirunt: & ecce invenerunt unam continentem hæc:

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI SEPTINGENTESIMO SEXAGESIMO SEXTO FRIDENBERTUS HAUGUSTALDENSIS ECCLESIÆ ANTISTES, DE HAC MORTALI CARNE MIGRAVIT AD VERÆ LUCIS PERHENNITATEM, DECIMO KALENDAS JANUARII, EPISCOPATÛS SUI ANNO TRIGESIMO QUARTO, ET HIC EST IN PACE.

Renovata igitur ut in prioribus ipsa attestatione, & ipsum honestissimè involutum illis quos inspexerant apposuerunt. Qui cùm similiter quarti fasciculi divitias explorarent, inveniunt ossa non minori à ceteris decore fulgentia, eâdem diligentiâ condita & involuta: sed cur nomen non apposuerit ille qui condidit, incertum habemus. Fortè autem quia vulgus omne sciebat quatuor ibi fuisse Episcopos, quorum eos nomina minimè latuerunt. Nam ante hanc translationem multis annis cùm adhuc puerulus essem, ACCAM, ALCHMUNDUM, FREDENBERTUM, ALBERTUM [a], ibi simul requiescere nihil hæsitans populus totus clamabat. Fortè ergo cùm trium nomina apposuisset, sufficere credidit, cùm ceteris nominatis alius non putari posset quàm Albertus. Hos quatuor cum summa devotione palliis pretiosissimis involutos, sicut simul inventi sunt, simul in majori loculo collocârunt. Postremò scrinium quo venerabilis Accæ [b] Episcopi reliquiæ tegebantur aperientes,

& Alberti.

a Tilbertum appellat Richardus Prior in lib. 1 cap. 16.

b Legendum EATÆ, de quo Beda variis in locis, maximè in lib. 4 cap 27, & in Vita S. Cuthberti Sæculo 2.

inve-

inveniunt ossa ejus cælestem odorem spirantia. Quem cùm omnes qui aderant territi & stupefacti hausissent, resoluti in lacrymas, tanti se patroni precibus devotissimè commendarunt. Invenerunt in eadem theca vas plumbeum minutias quasdam ex beati Fredenberti continens, & ejusdem odoris fragrantiam redolens. Tunc sonuit in ore omnium gratiarum actio & vox laudis: applicantésque minorem quam ornaverant thecam, beati Pontificis reliquias cum vase plumbeo quod invenerant intulerunt. At interna similiter ornata, cum sancti Babillæ Episcopi & Martyris sacris reliquiis quamdam partem pulveris de corpore sancti Aatæ Episcopi posuerunt. Erectâque secus altare tabulâ, tribus innixâ columnis, sculpturis & picturis decentissimè variatâ, statuerunt in medio scrinium majus, quod quattuor Episcoporum sacra pignora continebat; à parte ejus australi illud quod sancti Aatæ venerabilia ossa tegebant, ad Aquilonem tertium, cum his quæ imposuerant, statuerunt. Quibus rite peractis, & Missarum sollemniis cum debito gaudio celebratis, populus dimittitur, plebs Fratrum solitæ paci redditur ac quieti. ANN. CHR. DCC IX. APR. XXIV. Scrinia ubi reposita.

24. Quæritur quis fuerit iste Aata, & quibus temporibus Hagustaldensem rexerit Ecclesiam. Nos quid de his vel antiquitas senserit, vel ex Chronicis & Historiis probari aut conjici poterit, stilo tradere non tædebit. Dicit sanctus Beda hunc esse Aatam, qui quondam Mailrosensis & Lindisfarnensis Abbas reverendissimus, beatissimum Cuthbertum, sanctúmque Boisilum, plurésque magnæ perfectionis viros meruit habere discipulos. Eo autem tempore quo beatus exsulabat Wilfridus, Rex EGFRIDUS qui eum expulerat, ejus invidens gloriæ, Eboracensis Ecclesiæ diœcesim, cui solus præfuerat Wilfridus, favente sibi Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo, cui tota insula manus dederat, primò duobus, postea tribus divisit Episcopis. Nam huic sanctissimo Aatæ Berniciorum commisit provinciam, sedem ei constituens in Ecclesia Haugustaldensi, adjiciens ei etiam Lindisfarnensis Ecclesiæ principatum. Bosam verò Eboracensi præfecit Ecclesiæ, Deirorum ei regendam concedens provinciam. Ordinati sunt autem à beato Theodoro Eboraci cum Episcopo Lindissæ ADEDO. Tribus autem annis emensis, idem Theodorus Tunbertum ad Ecclesiam ordinavit Haugustaldensem: Aata autem in Lindisfarnensi resedit Ecclesia. Hæc de Historia venerabilis Bedæ nostris verbis transtulimus. Dicit postea, Johannem successisse in cathedra Hagustaldensi Aatæ. Patet proinde post Tunbertum, beatissimum Aatam ad priorem redisse sedem, constituto in Lindisfarnensi cathedra sancto Patre Cuthberto. Dicitur autem quòd ipse Pater ad Hagustaldensem fuerit electus Ecclesiam, obtinuerit tamen, ut Aata ad sedem, cui priùs fuerat ordinatus, redeunte, ipse potiùs in ea in qua Monachus Christo servierat, quieti suæ consulens, officium Pontificatûs exerceret. Defuncto autem Aata, ut Beda testatur, Johannes sanctus successit. Hæc omnia exsulante beato Wilfrido facta, satis manifestum est. Quo redeunte, Johannes ad Eboracensem transfertur Ecclesiam, ipse verò Hagustaldensem recepit. Ipso verò post quattuor annos recepti Episcopatus, sicut ei Michaël Archangelus revelaverat, ad cælestia translato, reverentissimum Accam habuit successorem. Ita sanctissimus Acca post Wilfridum, licèt Episcopo vivente, Episcopus in Hagustaldensi cathedra ordinatus, quem virum mansuetissimum ac simplissimum Beda commemorat, ibi vivendi finem fecit, de quo quid modernis accidit temporibus, huic operi inserendum putavimus. XIV. S. Eata quis.

25. Tempore THOMÆ junioris, viri utique suavis animi & jocundi sermonis, jam introductis in Ecclesiam Hagustaldensem Canonicis, Clerici Eboracenses multùm jam exaltati & dilatati, ægrè ferentes nullius se Episcoporum suorum habere memoriam, cùm Paulinum Rofensis, Wilfridum XV. S. Eatæ translatio Eboracum impedita.

Ann. Chr. DCC II. Apr. XXIV. Ripensis, Johannem Beverlacensis Ecclesia possideret, & aliquem illorum transferre populis obsistentibus esset impossibile; conveniunt Archiepiscopum saltem beati Accæ reliquias sibi permitteret, inglorium adstruentes Ecclesiam Hagustaldensem quinque, Eboracensem ne unum quidem habere Episcopum. Considerantes enim vulgi Hagustaldensis imbecillitatem, Fratrum qui nuper advenerant paupertatem, illis vim inferre tutiùs arbitrabantur. Ille ut erat miræ benignitatis, facilè in eorum consensit sententiam. Comitantibus ergo se Clericis qui Sanctum adveherent, venit Hagustaldunum. Non erat qui contradiceret, non erat qui aperiret os & mutiret. Fecerunt tamen Fratres quod potuerunt. Instant precibus, & non gladiis, licèt adversus raptores orationibus pugnant. Prosternunt se ante loculum, qui thesaurum illum cælestem servabat: plorant, rogant ne se desereret, ne divitias Eboracenses suæ paupertati præferret, ne locum, quem vivus excoluerat, & suâ ditaverat sepulturâ, suâ præsentiâ destitueret. Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris ejus. Præparant evectioni necessaria, sed præparationem eorum irrisit Dominus, dissolvit consilium, conatum elusit. Et jam dies quo propositum effectui manciparent instabat. sed nocte præcedenti cùm Præsul quietis ac soporis gratiâ sese lectulo recepisset, videt in somnis adsistentem sibi virum pontificali majestate insignem, vultu severum, immensa luce coruscum. Expavit Antistes, & terrorem quem oculis ac facie prætendebat vix sustinens, quid esset acturus trepidans exspectabat. Ille terribiliter intuens intuentem, sic ei est locutus: Cur convenit vobis meam infestare quietem, & à loco ubi cum Fratribus meis dormio & requiesco, ad alias transferre nationes? non hoc Domini voluntatis, sed tuæ est præsumtionis, cujus jam nunc pœnas exsolves. Et elevans virgam pastoralem quam manu tenebat, percussit bis humerum ejus, & multùm comminatus ei disparuit. Territus ille verbere, clamore somnum excussit. Ad quem & Clerici qui aderant excitati, accedunt ad eum: invenientésque eum trementem & pavidum, causam sibi propalari deposcunt. Refert ille visionem, & mane vocatis ad se Fratribus confitetur reatum, veniam postulat, & se nihil hujusmodi deinceps tentaturum promittens, orationum hostias pro se immolari precatur. Hinc Fratres plurimùm exhilarati sunt, & Clerici sua spe frustrata non parum confusi. Tribus itaque diebus Sancti manum perpessus, quarto demum sanante eo qui percusserat, infirmitas ab eo, ipse à vico discessit.



Ann. Chr. DCC IX. Maii XXV.

SANCTI ALDHELMI EPISCOPI SCHIREBURNENSIS APUD WESTSAXONES

ELOGIUM HISTORICUM.

Vitæ scriptores. I.  ANCTI ALDHELMI *Malmesburiensis Abbatis primùm, dein Episcopi Schireburnensis, Vitam in litteras retulêre præter Bedam S.* EGWINUS *Vuicciorum Episcopus ejus æqualis; S.* OSMUNDUS *Sarisberiensis Episcopus sæculo* XI; EADMERUS *Cantuariensis, &* WILLELMUS *Malmesburiensis Monachi sæculo insequenti. Eguvini de S.*

Aldhelmo lucubrationem laudant Pitseus & alii, Osmundi fetum Franciscus Godvvinus; suum ipsius memorat Vvillelmus in lib. 2. de Pontif. Schireburn. his verbis. Primus Schireburniæ sedit Pater Aldhelmus, quem hîc tantùm loco ordinis nomino. namque quòd ejus Vitam nusquam plenè digestam reperi, spectántque ad eam quamplurima, quæ si in posteros celavero, delinquo; cogitavi annuente Deo in extremo hujus opusculi libro cum ejusmodi materia liberiori congredi otio. *Istas de Sancto Aldhelmo scriptiones litteris non semel per amicos in Angliam missis consequi necdum potuimus. si quid fortè postea nancti fuerimus, in Supplemento istius Saculi referemus. Interim ex Venerabili Beda & ex ipso Vvillelmo aliisque auctoribus, immo ex ipsius Aldhelmi scriptis, quæ ad ipsum pertinent, ut res feret, depromemus.* ANN. CHR. DCCIX. MAII XXV.

2. *Ad S. Aldhelmi genus quod attinet*, fuerunt *inquit Vvillelmus*, qui dicerent, eum INÆ Regis nepotem fuisse ex Kentenio fratre. Sed non placuit nobis pro vero arrogare, quod magis videtur opinioni blandiri volaticæ, quàm stabilitati convenire historicæ. præsertim cùm nusquam ab antiquo scriptum reperiatur, & chronica palam pronuntient, Inam nullum fratrem habuisse præter Inigildum, qui paucis annis ante ipsum decessit. Non eget Aldhelmus ut mendaciis adseratur: tanta sunt de illo quæ indubiam depromant fidem, tot sunt quæ non veniant in litem. *Ita Vvillelmus in lib. 1 de Regib. Angl. cap. 2. qui tamen in libro singulari de istius Sancti gestis Kentenium Aldhelmi patrem agnoscit. nam Harpesfeldius qui hunc librum legit, ita ex eo scribit in Historia Anglicana, sæculo 8.* Aldhelmus ex illustri Saxonum genere patréque Kentenio natus, qui Inæ Regi Visi-Saxonum sanguine valde conjunctus erat, ortus est. Sunt qui constituunt Kentenium Inæ fratrem, ejúsque Aldhelmum filium: quorum sententia justis de causis rejicitur. Sed hanc ille quantamcumque fuerit stirpis nobilitatem, animi generositate, doctrinæ virtutúmque magnitudine longè superavit. Genus & patria.

3. *Qua verò ratione studiis dederit operam, & monasticum institutum arripuerit, sic Vvillelmus in libro de antiquitatibus Cœnobii Meldunensis describit.* MAILDULFUS vitam eremiticam ducebat sub castello de *Bladovv*, quod Saxonicè dicitur *Ingelborne-castell.* Civitas quondam ibi fuerat, quæ penitus destructa fuit ab alienigenis. Castellum se munitum custodivit, quod per multum tempus stetit sine habitatione propinqua. Regia enim habitatio, & ejus manerium tam paganorum quàm Christianorum, non longè fuit à castello apud *Kairdurberg*, quod Saxonicè dicitur *Brohambergh*, nunc verò *Brokemberg*. Prædictus Eremita petiit à castellanis tugurium sibi fieri sub castello, & obtinuit. non enim ibi erat magna hominum frequentatio. Hic dum sibi necessaria deficerent, scholares sibi in disciplinatum adunavit, ut eorum liberalitate tenuitatem victûs emendaret. Brevi autem tempore scholares in conventum non exiguum coaluêre. Horum consortio & exemplo sanctus Aldhelmus ad plenum informatus, artem Dialecticam adjecit erudire. Unde hinc fugiens, ad pedes HADRIANI Philosophi, Abbatis sancti Augustini Cantuariensis, per aliquod tempus studuit, & sufficienter edoctus Meldunum repetiit. qui postea cum sociis suis sub Maildulfo Monacho attonsus est, vivente Maildulfo post tonsionem ejus annos XIV. *Exstat inter Bonifacianas epistola 41 Scotti cujusdam (quem* Artwilum Scotiæ Regis filium *Usserius in Notis ad epistolas Hibernicas opinatur) ad Aldhelmum, in qua epistola Scottus ille,* Idcirco te, *inquit*, fiducialiter ita obsecro, quòd à quodam sancto viro de nostro genere nutritus es, *nempe à Maildulfo, ut dictum est.* Studia sub Maildulfo eremita, dein sub Hadriano Abbate. Fit Monachus.

4. Postquam igitur Monachum induit, *ait Harpesfeldius ex Vvillelmo*, omnibus id viribus agebat, ut quod nomine pollicebatur, rebus ipsis Piè vivit.

Ann. Chr. DCCIX. Maii XXV.

præstaret. Quare pedem numquam è Monasterio, nisi necessitas aliqua urgeret, extulit, legendo orandóque omne tempus absumsit, ut (sicut ipse alicubi in epistola testatur) legendo Dei loquentis vocem audiret, orando Deum ipsum compellaret. Victus tenuis & oppidò quàm parvus erat, ut spiritui carnem servire cogeret, quam alia mirabiliter austeritate frenabat. Vicino enim cuidam fonti, qui nomen ejus postea ferebat, se ad humeros noctu immergere solitus est, ibíque eousque consistere, donec totius Psalterii, quasi pensum quoddam nocturnum, precationes absolvisset.

Abbas Monasterium Meldunense amplificat.

5. Abbas factus, Malmesburiense Monasterium, *quod Meldunense à Maildulfo Eremita appellabant*, ex humili *ad* amplissimum statum provexit, *teste Vuillelmo in lib.* I *de Regibus Anglorum cap.* 2, *favente Leutherio Vuest-Saxonum Episcopo, qui* Aldhelmo ejusdem loci Monacho *Cœnobium* pro jure tunc Episcoporum regendum contradidit. De qua re, ut omnem sermo noster dubietatis deprecetur offensam, verba ejus hîc aliqua attexam, „ *nempe ex charta Leutherii, quæ integra in Monastico Anglicano refertur.* Ego „ Leutherius gratiâ divinâ Episcopus, Pontificatûs Saxoniæ gubernacula regens, rogatus sum ab Abbatibus, qui sub jure parochiæ nostræ cœnobiali Monachorum agmini pastorali sollicitudine præesse noscuntur, uti terram illam, cui inditum est vocabulum *Maildulfesburch*, Aldhelmo Presbytero ad degendam regulariter vitam conferre largiríque dignarer. In quo videlicet loco à primo ævo infantiæ atque ab ipso tirocinio rudimentorum liberalibus litterarum studiis eruditus, & in gremio sanctæ matris Ecclesiæ nutritus vitam duxit. & ob hoc potissimùm hanc petitionem fraterna caritas suggerere videtur. Quapropter prædictorum Abbatum precibus annuens, ipsum locum tam sibi quàm successoribus suis normam Sanctæ Regulæ sollerti devotione sequentibus, fraterna petitione coactus, ultroneus concedo. Actum publicè juxta flumen Bladon, VIII Kalend. Septemb. anno Inc. Domini DCLXXV *. Cùm igitur industria Abbatis, *addit Vuillelmus*, accederet favori Pontificis; tunc res Monasterii in immensum efferri, tunc Monachi undique aggregari. Currebatur ad Aldhelmum totis compitis, his vitæ sanctimoniam, his litterarum scientiam desiderantibus. *Exstant in Monastico plures donationes Aldhelmo Abbati Meldunensi facta.*

* sic

Basilicas & Monasteria ædificat.

6. *Ad hæc Aldhelmus templa duo, unum S. Mariæ, alterum S. Michaëlis condidisse fertur, trabémque quamdam contractiorem operi precibus aptavisse. Nec solùm ædes proprias curavit: quin etiam juvantibus Principibus*, Fromense *seu* Formense *&* Bradefordiense *Monasteria erexisse memoratur. Porro Ina Vuest-Saxonum Rex* Glastoniense aliáque Monasteria ædificavit Aldhelmi consilio, cujus ille præcepta audiebat humiliter, suscipiebat granditer, adimplebat hilariter, *ut Vuillelmus auctor est.*

Romæ Sergium à calumnia liberat.

7. Omnium verò, *inquit Harpesfeldius*, celeberrima sunt, quæ Romæ illi accidisse memorantur, quum Sergium Papam ab incestûs nota, qua laborabat, expresso infantis, qui vix nonum diem attigerat, sermone, quo stupente populo Sergium ab omni hac culpa longè remotum pronuntiabat, admirabiliter liberavit: cùm casulam, ut appellant, quam absolutis Missarum sacris, quas Romæ nullo die prætermisit, exuerat, solaris radius admirabiliter sustinuisset. quæ Melduni ad Auctoris nostri, *id est Vuillelmi* tempora reservata est, ut & marmoreum quoddam altare, quod confractum precibus consolidavit. Quæ ego certè, *addit Harpesfeldius*, aliáque non attigissem, nisi ab Auctore nostro commemorato, quem temere rejicere non licet, ita prodita essent; & (quod magis

multo movet) nisi hæc & similia antiquæ illi Aldhelmi thecæ, qua beatæ ejus reliquiæ conservabantur, diu ante Auctoris nostri sæculum egregiis cælaturis affabre insculpta fuissent. *Ut res se habeat de calumnia à Sergio depulsa, Romam certè profectus fuisse videtur Aldhelmus, si distichon à Vuillelmo relatum infrà ipsius est Aldhelmi. Exstant versus quidam alicujus Aldhelmi post Bonifacianam epistolam secundam, in quibus Auctor se Britanniâ relictâ Romam adiisse, ibique residere scribit. At cùm in epistola se Bonifacii Præsulis discipulum dicat, alterius Aldhelmi tum versus tum epistolam esse necesse est: cùm Aldhelmus ætate fuerit Bonifacio superior. Et quidem à* Sergio Papa privilegium pro libertate Monasteriorum suorum impetravit, *ab Ina Rege dein confirmatum, testante Vuillelmo in lib. 1 de Regibus Angl. cap. 2.* ANN. CHR. DCC IX. MAII XXV.

8. *Ea fuit Aldhelmi apud suos existimatio, ut Patres Concilii cujusdam in Regno Merciorum habiti, cui ipse interfuit, ei dederint in mandatis, ut librum contra errores Brittonum scriberet adhuc Abbas. Accidit verò ut cùm ad Concilii indictum locum se conferret, Hildelita Abbatissa & Sanctimoniales Berkingenses librum de Virginitate, ab ipso postea metricè redditum obtinuerint. Ita enim in Præfatione ipsis directa loquitur:* Jamdudum ad pontificale proficiscens conciliabulum fraternis sodalium catervis comitatus, almitatis vestræ scripta meæ mediocritati allata satis libenter suscipiens *&c. Et in fine:* Fateor caritati vestræ, quòd hoc opusculum, licèt minusculum, pastoralis curæ sarcinâ gravatus, negotiorumque terrenorum ponderibus oppressus, ita perniciter, ut sategistis, dictare vobísque destinare nequiveram. Concilii jussu contra Brittones scribit.

9. Anno dominicæ Inc. septingentesimo quinto, occidentalium Saxonum Antistes Hæddi cælestem migravit ad vitam, *inquit Beda in Historiæ lib. 5. cap. 19.* quo defuncto Episcopatus provinciæ illius in duas parochias divisus est. una data est Danieli, quam usque hodie regit; altera ALDHELMO, cui annis quatuor strenuissimè præfuit; ambo & in rebus ecclesiasticis, & in scientia scripturarum sufficienter instructi. *Huc spectant Vuillelmi Malmesburiensis verba in lib 2 de Pontificibus Anglorum.* In divisione West-Saxonici Episcopatus hoc observatum palam est, ut qui Wintoniæ sederet, haberet duos pagos, Hamptonensem & Sudreiensem: alter qui Schireburniæ, haberet Wiltunensem, Dorsetensem & Beruchensem, Somersetensem, Domnoniensem, Cornubiensem. Schireburnia est viculus, nec habitantium frequentiâ, nec positionis gratiâ suavis: in quo mirandum & pæne pudendum, sedem episcopalem per tot durâsse sæcula, *nimirum ad pontificatum Hermanni, qui medio sæculo XI, ex Canonum decreto, quibus statutum erat,* ut sedes Episcoporum ex villis ad urbes migrarent; tribunal suum transtulit à Schireburnia Salesberiam, *postquam repugnante Edvvardo Rege illud Malmesburiam transferre frustra cogitaverat. Ina Rex Vvest-Saxonum* Aldhelmum renitentem Episcopatu honoravisse *dicitur apud Vuillelmum in lib. 1 de Regibus Anglorum cap. 2,* licèt vitam tanti viri cita mors inviderit. Episcopus Schireburnensis creatus, Ina Rege cogente.

10. Vix enim annis quatuor Episcopatu functus, animam cælo thurificavit anno dominicæ Incarnationis septingentesimo nono, in vigilia sancti Augustini Anglorum Apostoli, octavo Kalendarum Julii: *quo die in recentioribus Martyrologiis, etiam Benedictinis, locum habet. Ejus obitum superno monitu agnovit sanctus Egvvinus Vvicciorum Episcopus, qui concito gradu ad locum ubi sacrum corpus jacebat properans, illud cum magna veneratione & honore ad prædictum Monasterium adduxit, ibidémque sepulturæ tradidit, inquit Capgravius apud Surium. Regnante Egvvio Rege B. Aldhelmi corpus de terra* Obit 25. Junii. Sepultus Malmesburiæ.

ANN. CHR. DCC IX. MAII XXV.

elevatum in scrinio collocatum fuisse ait Vuillelmus in lib. 2 cap. 7 de gestis Anglorum; & quidem pridie Kalend. Aprilis, quo die in Martyrologio Benedictino-Anglicano ponitur ejus Translatio. Reliquias ex theca pretiosa in urnam lapideam transtulit S. Dunstanus, ne capsæ pretium Reliquiarum auferendarum occasionem præstaret, ut scribit ex Vuillelmo Harpesfeldius. Privilegium ab Edvvardo Rege anno M LXV *Abbatiæ Meldunensi concessum dicitur* ob reverentiam sancti Aldhelmi ejusdem Cœnobii quondam Abbatis, deinde Schiraburnensis Præsulis, cujus corpus gloriosum in eadem Ecclesia venerabiliter requiescit, & multis patratis miraculis elucescit.

Scriptis clarus,

11. *Aldhelmi eruditionem magni fecit venerabilis Beda in lib. 5 cap. 19 his verbis:* Aldhelmus cùm esset adhuc Presbyter & Abbas Monasterii, quod Maildulfi-urbem nominant, scripsit jubente Synodo suæ gentis librum egregium adversus errorem Brittonum, quo vel Pascha non suo tempore celebrant, vel alia perplura ecclesiasticæ castitati & paci contraria gerunt: multósque eorum qui occidentalibus Saxonibus subditi erant Brittones ad catholicam dominici Paschæ celebrationem hujus lectione perduxit. Scripsit & de Virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulii geminato opere, & versibus hexametris & prosa composuit. Scripsit & alia nonnulla, *nempe librum metricum de octo vitiis, ænigmata, & epistolas quasdam*, utpote vir undecumque doctissimus. nam & sermone nitidus, & scripturarum (ut dixi) tam liberalium quàm ecclesiasticarum erat eruditione mirandus. Quo defuncto, Pontificatum pro eo suscepit Forthere, qui usque hodie superest, vir & ipse in Scripturis sanctis multùm eruditus. *Hactenus venerabilis Beda, cui adjungendus Vuillelmus in jam citato lib. 1 de Regibus Anglorum cap. 2.* Erat vir ille, *scilicet Aldhelmus*, cùm religione simplex, tum eruditione multiplex, & qui famam virtute præiret, liberalium artium epotator: ut esset mirabilis in singulis, & in omnibus singularis. Mentior si non hoc testantur codices de Virginitate, immortalis ejus ingenii indices, quibus meo judicio nihil dulcius, nihil splendidius. quamvis, ut est nostri sæculi desidia, quibusdam pariant nauseam, non attendentibus, quia juxta mores gentium varientur modi dictaminum. Denique Græci involutè, Romani circumspectè, Galli splendidè, Angli pompaticè dictare solent. Sanè quoniam dulce videtur majorum inhærere gratiæ, eorúmque exemplis insignire memoriam, non invitus evolverem, quantos hic Sanctus pro Ecclesiæ nostræ privilegio sudores insumserit, quot miraculis vitam insignierit: nisi quia aliàs avocamur, & facta ejus etiam lippienti meraciùs appareant oculo, quàm nostri possint adumbrari penicillo. Innumera signa quæ modò apud ejus fiunt Memoriam, ostendunt præsentibus præteritæ illius vitæ sanctimoniam. Habet ergo ille laudes suas, habet meritis partam gloriam. *De miraculis sancti Aldhelmi ratum est etiam Bedæ testimonium superiùs relatum.*

& miraculis.

12. *Ceterùm Harpesfeldius ex Vuillelmo hæc litteris mandavit de Aldhelmo:* Primus sanè fuit nostratium, qui Latina carmina condiderit. Qua de re ipse idoneus testis est, dum scribit:

Primus ego in patriam mecum, modò vita superstit,
Aonio rediens deducam vertice musas.

Pangendis & canendis carminibus suavis,

In quibus etiam patriâ linguâ scitè & eleganter tam componendis quàm aut pronuntiandis aut canendis eminuit. quorum aliquot ELFREDI Regis tempore, ut ipse Rex testatur, vulgò canebantur. Qui quid ea de re retulerit, memoriâ sanè cum primis dignum est, fuisse videlicet illius sæculi populum adhuc rudem, agrestem, & rebus sacris perfunctoriè deditum: neque diuturnam aliquam in templis moram tulisse; sed sacris

Missarum mysteriis celebratis, domum mox confertim convolâsse. Hoc vir prudens Aldhelmus cùm perspiceret, abeuntibus in ponte quo transeundum erat in rura, se objicit, canendíque peritiâ eorum aures demulcet. Ob quam cùm esset populo gratus & plausibilis, viderétque quæ canerentur, magna cum voluptate in aures animósque eorum influere; magis seria & ex sacris Scripturis petita sensim adspergit, eóque pedetentim eos traducit, ut cum majore animarum suarum fructu sacros dies transfigerent. ANN. CHR. DCC IX. MAII XXV. quibus plebem in officio retinet.


13. *Ex opusculis ab Aldhelmo editis exstant pleraque typis excusa. Liber adversus Brittones, quem suo ævo deperditum querebatur Vuillelmus, est epistola 44 inter Bonifacianas, sic inscripta:* Domino gloriosissimo occidentalis Regni sceptra gubernanti .·. GERUNTIO Regi, simúlque cunctis Dei Sacerdotibus per Domnoniam conversantibus, ALTHELMUS sine meritorum prærogativa Abbatis officio functus, optabilem in Domino salutem. Nuper cùm essem in Concilio Episcoporum ex tota Brittania, innumerabilis Dei Sacerdotum caterva confluxit, ad hoc præsertim congregata, ut pro Ecclesiarum sollicitudine & animarum salute ab omnibus decreta Canonum & Patrum statuta tractarentur, & in commune Christo patrocinium præstante conservarentur. His igitur rite peractis, omne sacerdotale Concilium meam parvitatem pari præcepto & simili sententia compulerunt, ut ad vestræ pietatis præsentiam epistolarum apices dirigerem, *&c. Qui Geruntius unus fuisse videtur ex illis decem Regibus, quos occidentalibus Saxonibus post Kenvvalchium imperâsse docet Beda in lib. 4 cap. 12. nam Domnonia Vvest-Saxonum Regno attribuebatur. Cetera Aldhelmi opuscula reperiuntur in tomo 8 Bibliothecæ Patrum præter epistolas quasdam ineditas, ut epistola* ad Heddam Dorcicestrensem Episcopum *à Vvillelmo laudata; epistola* ad Eadfridum *ab Usserio edita inter Hibernicas. In ænigmatibus Aldhelmi à Martino Delrio primùm vulgatis præponitur Prologus metricus, in quo observavit auctor acrostichon duplex, sic versu redditum:* Scripta ejus edita.

Aldhelmus cecinit millenis versibus odas.

Post Prologum sequitur in veterrimo nostro codice Langobardicis litteris exarato aliud Acrostichon in editis omissum, quo exprimitur nomen JESUS. *Quæ carmina tanti fecit sanctus Eulogius Martyr Cordubensis, ut* Adhelelmi Epigrammatum opera *ex Pampilonia cum aliis melioris litteraturæ libris secum retulerit, ut in ipsius Vita tradit Alvarius.*

14. *Suum ipsius studium in sanctum* BENEDICTUM *ejúsque Regulam prodit Aldhelmus in libro metrico de Virginibus, ubi beatissimum Patrem laudat, quòd* primus *monasticæ* vitæ, *quam ipse Aldhelmus profitebatur,* certamina statuerit, *docueritque* Studium in S. Benedictum ejúsque Regulam.

Qualiter optatam teneant Cœnobia normam,
Quóque modo properet directo tramite sanctus
Ad superos scandens cælorum culmina cultor.



Circa An. DCC X. Janu. XVII.

VITA SANCTI RICHMIRI
ABBATIS APUD CENOMANNOS
IN GALLIA,
Auctore anonymo, ejus fere æquali,

Ex mſ. cod. Cenomannenſi & Ianuario Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ conditor.

1.  Ichmirus, *alius à S.* Rigomaro *ſeu Rigomero S. Teneſtina patre ſpiritali itidem apud Cenomannos in Gallia, ſcriptorem Vitæ ſortitus eſt anonymum, ſui temporis fere æqualem, ut qui ſuperſtite* Arrio *Abbate Richmiri ſucceſſore huic ſcriptioni manum admovit, ex num. 18. In mſ. codice quo uſi ſumus, præfixa erat hæc inſcriptio:* Vita ſancti Richmiri Sacerdotis eximii, qui tempore Theodoric. Regis Francorum & Gilberti Epiſcopi in Ducatu Cenomannico regulariter ac ſanctè converſatus, multos Christo lucratus eſt.

S. Richmiri memoria, Monaſterium.

2. *Sanctus Richmirus prætermittitur in vulgatis antiquorum Martyrologiis, nec fere Cenomannis notus eſt nec quo loco jaceant ejus reliquiæ, ab ullo reſcire potui.*

3. *Monaſterii à Richmiro conditi, cui & ipſe præfuit, nomen ignotum, uti & ſitus. Is ex agro Turonico, ubi ſancto Albino Monaſterium poſuerat, in Cenomannicum profectus, primò ſubſtitit in loco qui* Turris-Dominica *dicitur, vicus haud longè à Ledo * fluvio. tum ſeceſſit ad proximum* fluviolum *vocabulo* Gundiidum, *ubi Monaſterio exſtructo Monachos quadraginta rexit, & ſupremum diem abſolvit. Turrim-Dominicam exiſtimabam eſſe opidulum Cenomannorum, vulgò* Cour de Minche *appellatum. Id enim perſuadebat & ſitus loci prope à fluvio Ledo, & nominis convenientia. Verùm litteris non ſemel tum in urbem Cenomannicam, tum in prædictum opidulum directis hoc ſolum didici, Richmirum eo in loco ne quidem eſſe notum, uti nec fere apud Cenomannos. Monaſterium ſancti Richmiri deſtructum fuiſſe videtur pontificatu Gauzioleni Cenomannenſis Epiſcopi, de quo in mſſ. Actis ejuſdem ſedis Pontificum hæc leguntur:* Triginta & ſex Monaſteriola in ipſo Epiſcopatu erant, quando ipſe Gauziolenus prædictum Epiſcopatum tyrannica poteſtate adſumſit. in quibus Monachi ſub Regula degentes, ſanctè ac regulariter vivebant. Sed quando ipſe defunctus eſt, (quod pudet dicere) pauci & quaſi in his nulli Monachi remanſerunt: quoniam inde ille eos ejicere indeſinenter ſtuduit, & laïcis ac ſæcularibus hominibus ipſas cellulas beneficiario jure poſſidendas tradidit.

* le Loir

PROLOGUS AUCTORIS.

1.  Eligiosorum Vitas & actus narrare virorum, Deum indubitanter laudare eſt, qui dat Sanctis ſuis virtutem, & mirabilia facere: quem nos in Sanctis ſuis, & per eorum opera imitari, laudare, magnificare, prædicare, ac multipliciter omni tempore glorificare oportet. nam idem Dominus, dives in omnibus qui invocant illum. Idcirco, Fratres, quæque ipſe per religioſos viros operatus eſt, ſilentio non ſunt premenda vel occultanda, ſed poſteris ſcribenda & omnibus prædicanda; ſunt etiam imitanda, non diſſimulando tranſeunda: quatinus eorum exemplis & meritis informemur,

interceſſionibus muniamur, precibus adjuvemur, ut conſortes eis in cæleſtibus ſedibus effici mereamur.

CIRCA AN. DCC X. JANU. XVII.

INCIPIT VITA

2. BEATUS igitur RICHIMIRUS, Turonici pagi indigena, non exiguis parentibus procreatus, ſed digni germinis digniſſima proles effulſit; decúſque quod ſumſit ex genere, felicis vitæ meritis ampliavit. Ea verò tempeſtate, quando THEODERICUS [a] Rex Francis principabatur, & GILBERTUS dignus Deo Epiſcopus Cenomannicam regebat Eccleſiam, auditâ famâ prædicti Epiſcopi de Turonico, ordinatíſque Fraterculis, quos jam in ſuo proprio in condita [b] ſuper fluviolum ſub ſancta Regula congregaverat, licenter venit Cenomannicum: veniénſque ad jam dictum domnum Gilbertum Epiſcopum, indicavit ei ordinem ſuæ rei, petivítque ut daret ei aliquem locum, ubi cellulam ſub ſancta Regula ædificare poſſet, Fratréſque aliquos in ea congregaret, & regulariter vivere doceret.

Richimirus Turonenſis Theodorico Rege, [a]

[b] Cenomanos petit.

3. Quo præfatus Epiſcopus audito lætatus eſt, atque gaudio magno repletus, Deo immenſas gratias referens, qui de tali viro eum conſolari dignatus eſt. Voluit namque ei tunc memoratus Epiſcopus aliquem locum dare locupletem ad hoc opus perficiendum, quod ille renuens ait: Non quæro locupletem nec plurimis ædificiis ſublimatum, ſed pauperem, in quo ego pauper pauperem Chriſtum ſequi & imitari merear. At ille ordinavit eum Sacerdotem, & dedit ei licentiam in diœceſi ſua prædicare, & animas Chriſto lucrari, atque locum perquirere in quo habitare delectaretur, & quo cellulam ſuam conſtruere ſecundùm ſuam electionem vellet. dedit etiam comites reliquos Sacerdotes qui eum deducerent, atque cum eo pergerent quò ipſe eligeret.

Sacerdos factus,

4. Taliter autem ipſe circuiens diverſa & paupercula atque inculta loca, pervenit ad ultimum ſuper fluvium *Lid* [c], in loco qui dicitur modò Turris-Dominica, qui tunc incultus erat locus, & denſiſſimis frutectis occupatus: ſed aptus aliunde propter convenientiam atque piſcationem ad ſtirpandum & cellulam inibi ædificandam. Mirabantur tamen illi qui cum eo ibant, ut quid tam pauperculum & incultum locum eligeret. Tum ipſi renuntiant hoc domno Epiſcopo, qui feſtinus miſit ei ea quæ tunc temporis neceſſaria erant, etiam ampliùs quàm ipſe ſuſcipere vellet.

in loco inculto Cellā exſtruit. [c]

5. Stirpante autem eo in prædicto loco unà cum Monachulis ſuis & ſociis, & manibus propriis fodiente ac laborante, venit quædam femina, nomine Cata, quæ in circuitu ejuſdem loci magna habebat prædia, viſitans eum, quia vidua Deum timens erat, & ſervos Dei oppidò diligebat; vinum verò nimis diligebat, & propterea pauper effecta erat. Quam cùm prædictus ſanctus Richimirus ex bonis, quæ ei domnus Epiſcopus miſerat, refocillaret, & ipſa vino æſtuare cœperat, ait ad eum: Faciamus mutuum contractum, id eſt, tu mihi da vinum, & ego prædia & mancipia, unde hunc locum unà cum conſilio & adjutorio Epiſcopi

A femina prædium adquirit.

a Is eſt Theodericus Chlodovei ſecundi filius, qui Gilbertum ſeu Engilbertum Cenomannenſem Epiſcopum, non *Archicapellanum*, ut Acta illius ſedis Epiſcoporum præferunt, (nondum enim iſtud nomen tum audiebatur;) ſed familiariſſimum & domeſticum habuit.

b Hæc vox non raró legitur in Actis Sanctorum Cenomannenſium. S. Alneus locum ab Innocente Epiſcopo *in condita Celciacenſe*; S. Frambaldus *in condita Gabroninſe* accepiſſe dicuntur. qua voce non facilè obvia territorium alicujus vici aut oppidi intelligebant homines mediæ ætatis. Lege Formulas Veteres ſecundùm legem Romanam, & Bignonii Notas ad cap. 1.

c Leidum ſeu Ledum vocant Latini, vulgus *le Loir*, qui fluvius Meduanæ immergitur apud Andecavos.

CIRCA AN. DCCX. JANU. XVII. construere & ditare queas. Ad quod condictum Sanctus Dei lætatus est, spoponderunt ininvicem ita se esse facturos. Taliter autem memoratus Sanctus ejus res peragendo adquisivit maximè omnes.

Alium locum petit, 6. Demum verò Dei nutu invenit alterum locum, non tamen longè ab eodem loco, super fluviolum qui vocatur Gundridus, cujus fontem ejus famulus, eo præcipiente Dominóque disponente, nominavit Gundridus, unde affluentior aqua quàm solita esset, currere cœpit: & postea ipse sanctus Richimirus eum manibus propriis curavit, ut abundantiorem aquam emitteret. quod & nutu Dei evenisse nulli dubium est. Ipse enim tunc locus eremus erat, & numquam olim ibi habitatio hominum fuerat, sed ferarum & bestiarum: & ubi tunc erat habitatio ferarum ac bestiarum, modò est habitatio servorum Dei ac Sanctorum atque Angelorum conventus.

7. Reperto autem & emundato præfato loco, mutavit ibi unà cum consilio & auxilio prædicti Episcopi habitationem suam. Cui domnus Episcopus operarios & magistros omnis generis dedit, qui fabricarent ibi Ecclesiam in honore Apostolorum, & Monasterium construerent Monachorum. Quod & Domino auxiliante ac prædicto Episcopo opem ferente citò perfectum est. Ad cujus Monasterioli consecrationem supradictus Episcopus veniens, non tamen illud consecrare voluit, antequam omnia quæ ipse adquisierat, & deinceps adquirere poterat, sive quidquid ad eumdem locum à bonis & Deum timentibus hominibus ab illo die traditum atque condonatum fuerit, totum sibi & Ecclesiæ sibi commissæ subjectum ac traditum sollemni traditione fieret.

ubi condit Ecclesiam & Monasterium,

S. Petro dicatum. Peractâ autem eadem sollemni traditione, dedicavit illud in honore sancti Petri & omnium Apostolorum: cui etiam ex rebus suæ sedis Ecclesiæ non modicum adjutorium fecit. Tradidit etiam prædictus sanctus Richimirus unà cum propinquis suis cellulam, quam in pago Turonico olim ædificaverat, cum omnibus rebus & appendiciis suis, vel quidquid in pago Turonico eodem die habere videbatur, vel deinceps adquirere potuisset. His igitur ritè peractis, non minùs quàm quadraginta Monachos adminiculo sæpe dicti Episcopi congregavit, eósque regulariter vivere perdocuit.

Cæcũ peccata confessũ lumine donat. 8. Quadam autem die dum in eadem Ecclesia sanctus Richimirus officium divinum ageret, & Missam celebrare voluisset, quidam cæcus cœpit excelsa voce misericordiam deprecari. Cui vir Dei ait: Vade, & da uni Sacerdotum puriter confessionem tuam antè, & hoc peracto requiesce sub sancta meditatione & pia deprecatione inter hoc Apostolorum altare & Sanctorum Reliquias. Cui post peractum officium, mox ut signum crucis super oculos ejus intulit, lux effulsit: & sic oculorum cæcitas tanti medici precibus & meritis funditus fugatur, & lumen datur, ita ut clarè videret omnia.

Sanat læsũ à vipera. 9. Nec hoc silendum est miraculum, quod sequenti claruit in tempore. Dum verò pastores ejus pecora vigiliis custodirent, unus eorum vulneratur à vipera. qui semivivus cucurrit ad sanctum Richimirum flens & ejulans, atque dicens: Succurre mihi, Pater piissime, ne peream à veneno viperæ. Ipse autem, ut pius pater, tangit de saliva sua vulnus viperæ, & dedit ei aquam benedictam bibere, & sanatur tanti viri medicamine.

10. Nec pigeat audire quod Christus suis præstat fidelibus: quia hæc quæ salutem præstant, & audientes informant, neminem oportet silere.

Captivos liberat. Quadam autem die dominica, dum ad civitatem Cenomannis properaret, & officium prædicti Episcopi audire ejúsque benedictionem percipere desideraret; contigit dum portam civitatis intraret, ut clausi carcere

clamarent ne eos præteriret, sed aliquid eis præstaret; ipse verò, ut dictum est, festinans ad officium memorati Episcopi, ei iterum sibi succurri petunt. Tunc sanctus vir Richimirus recordans Domini sententiæ qui ait: *In carcere fui, & non visitastis me;* ne inobediens præceptis Domini appareret, revertitur ad eos, & clauso & obserato ostio carceris introire non quivit. Tunc fisus de Domini misericordia, quia magnis ejulatibus inclusi clamabant, fecit signum crucis super ostium, & mox ostium aperitur, & rei exsilientes aufugiunt. Quod verò signum sanctus Richimirus abscondere voluit, sed nutu Dei divulgatum est.

CIRCA AN. DCC X. JANU. XVII.

Matth. 25. 43.

11. Ipse auditâ Missâ, & percepta Episcopi benedictione, pro qua venerat, voluit silenter ac nemine sciente cellulam suam repedare, ne Fratres sui absque eo diu essent. Quidam autem eum cognoscens nuntiavit Episcopo: post quem ipse mittens, nimis durè revertitur; sed ne inobediens fieret, venit ad Episcopum. Tunc sæpedictus Episcopus, accepto consilio Monasteriolum quod ipse in honore sancti Albini [a], ad portam suæ civitatis, ut ad ostium suæ sedis Ecclesiæ fecerat, atque pro amore Dei à novo fundaverat, in quo Sanctimoniales sub Regula pii Patris BENEDICTI viventes posuerat, & quod de rebus suæ sedis Ecclesiæ ditaverat; sub custodia antè dicti Sancti, eo tamen ipsam obedientiam invito suscipiente, esse constituit; vt Sanctimoniales inibi regulariter viventes, ejus doctrina & consilio vitam mercarentur æternam: quoniam ejus similem, licèt multos Dei servos haberet secum, invenire minimè quivit.

Sanctimonialibus Benedictinis præficitur.

12. Ceterum quid Dominus per servum suum Richimirum fieri voluit, non est silendum. Quædam autem ex prædictis Sanctimonialibus pustulam magnam cervicibus habens, nimiis cruciabatur doloribus, in tantum ut ejus vitam nemo speraret. Quæ dum adducta est ad sanctum virum, ejus tactu salivæ & precibus communiter peractis sanata est.

Ægram sanat.

13. Denique cùm prædictus sanctus vir ad propriam quam memoravimus cellulam cum licentia & benedictione Episcopi reversus esset, quid evenit memorabimus: quia hoc quod claruit, minùs non est prædicandum miraculum. Igitur quidam ex suis Monachulis, nomine DODO, conversus dudum à sæculo, captus erat oculorum lumine: qui per annosa tempora, dum quadam esset nocte luce oculorum privatus, ut ejus cognovit adventum, petiit se ad eum adduci, ut ejus medicamine lumen mereretur recipere. qui dum advenisset, & sanctus Richimirus eum interrogasset qualiter hoc acciderit, ait: Quadam nocte post Completorium peractum, hoc mihi nescio quomodo accidit, sed facto crepusculo carui lumine. Tunc sanctus vir præcepit Fratribus, communem, ut solitus erat, facere devotis mentibus orationem, & ipsum ante sanctum altare prostratum jacere. Finitâ verò oratione, ad tactum sacrati olei cæcus pristinum Domino adminiculante visum recepit.

Cæco visum reddit.

14. Deinde non multo procedente tempore, magnum ejus meritis ostenditur miraculum. Quidam verò ejus Monachus, SILVANUS nomine, quartanis nimiis vexabatur febribus, binis jam transactis annis. sed dum ad ultimum jam ejus desperaretur à Fratribus vita, divino tactus consilio petiit, ut sancti Richimiri eulogias percipere meruisset. Cúmque hoc sancto viro nuntiatum esset, & ille ei libenti animo præstitisset; mox infirmus sanatur, & pristino statui redditur. Quantos autem à febribus vel reliquis variis infirmitatibus sanasset, longum est enarrare.

Febricitantem sanat.

[a] Isti Monasterio quod modò in Ecclesiam parochialem est redactum, prima Abbatissa præfuit Abidelgama, Gilberti soror, accita ex Cœnobio Tuffeiensi, quod feminarum tunc erat, nunc autem virorum.

Circa An. DCC X. Janu. XVII.

Vestes ejus & victus.

15. Illud namque non est silendum nec oblivioni tradendum, quod religioni profecit. Erat enim ei semper vilis cibus & vestitus, sed maximè quadragesimali tempore. Cùm ergo sanctæ Quadragesimæ dies advenirent, erat ei aridus cibus, panis tantùm hordeaceus, quem etiam manu molebat: quia labore manuum suarum semper vivere desiderabat, ne aliorum labores in suos converteret usus. quoniam voluntas boni operis hoc exigebat; & quantum in Dei servitio laborabat, non illi sufficiebat.

Multa ejus facta omissa.

16. Cùm enim illius bona & virtutes quas Dominus per illum operatus est, per singula non valemus commemorare, relinquamus illa Auctori nostro, qui dat Sanctis & Electis suis facere mirabilia solus: eíque continuas agamus gratias, eum laudemus, eum prædicemus, glorificemus, atque magnificemus; posterísque & Magistri nostri arbitrio, quidquid de eo ampliùs investigare voluerint, & dignum scribendo dixerint, relinquamus. Nobis ergo sufficiat, ut sciamus eum Sanctum esse, & virtutes prædictas & alias fecisse multas: cujus meritis nos pius Dominus in suo sancto servitio custodiat, & ab omni pravitate defendat, & vitam sempiternam concedat.


Obitus XVI. Cal. Februarii.

17. Obiit quippe memoratus sanctus Richimirus sexto-decimo Kalendas Februarii, & sepultus est in præfata Cellula sua à sanctis Monachulis & à reliquis Dei servis. In cujus etiam funere suis condignis meritis binæ virtutes fiunt: unus quidem cæcus illuminatus est, & alius claudus gressum recepit.

Arrius successor.

18. Post ejus verò obitum, quidam ex discipulis ejus, nomine Arrius, Monachus ex ejusdem Cœnobio, à supradicto Episcopo [a] ibi Abba instituitur & ordinatur, qui usque in præsentem diem regulariter eamdem regit, ordinante Episcopo, atque sub ejus ditione degens cellulam. Suprascriptus quippe sanctus Richimirus, licèt sit clausus corpore tumulo, plurimis tamen virtutibus reddit fructum: quoniam ad ejus sepulcrum infirmi sanantur, claudi curantur, leprosi mundantur, peccata minuuntur, crimina delentur, medicinæ innumerabiles corporis & animæ à Domino ejus meritis visibiliter atque invisibiliter multipliciter præstantur, ipso auxiliante qui vivit & regnat Deus per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

[a] Richmirus proinde obiit ante annum DCCXV. quo circiter anno Gilbertus seu Engilbertus Herlemondo Episcopatum morte sua resignaverat.



VITA



VITA S. VVLMARI ABBATIS SILVIACENSIS APUD MORINOS PRIMI,

CIRCA AN. DCC X. JUL. XX.

Auctore anonymo pervetusto.

Ex ms. cod. Gerardimontensi, ad quem correctus Surius.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.



Vitæ Scriptores duo. * S. Vulmer

VITAM S. WLMARI * *Abbatis ab Anonymo antiquo scriptam interpolavit Anonymus alter, mutato stilo edidit Surius; nos integram hic reddimus, ex Bibliotheca Gerardimontensi acceptam beneficio amici nostri Simonis Guillemoti Subprioris Gisleniani. Interpolatorem legimus in ms. cod. Bibliothecæ nostræ Germanensis; at tot infectum nævis & erroribus, eum consultò rejecerimus. Illud exemplo sit, quod Vulmarum dicat ex Altimontensi Monasterio se recepisse in eremum* cum benedictione B. Autberti Episcopi *Camaracensis*; Folquinum Morinorum Episcopum *in construenda ibidem Ecclesia adjutorem fuisse*; Ceadwalam *Britanniæ insulæ Regem religionis ergô Romam proficiscentem, à* Dagoberto *Francorum Rege armis impetitum, de adversario triumphum egisse; & alia id genus tam indigna refutatione quàm relatu. Sanè circiter annum* DC LXXX, *quo ex Alto-monte in solitudinem secessit Vulmarus, Camaracensi Ecclesiæ præerat Vindicianus Autberti successor: nec nisi post sesquisæculum Folquinus Morinorum sedem iniit. Valeat proinde Interpolator, qui si quid verum dicit, ex antiquiori Anonymo accepit.*

Vulmari memoria. *l. Harea *l. Confessoris.

2. *Commendatur S. Vulmarus in sincero Adonis Martyrologio ad* XV *Kalend. Julii his verbis:* Eodem die Monasterio quod Harta * nuncupatur, natalis S. Wlmari Episcopi *, admirandæ sanctitatis viri. *In ejusdem Martyrologio contracto:* Monasterio quod Area nuncupatur, natalis S. Wlmari Confessoris, admirandæ, *&c. Et tamen certum est, Vulmarum nostrum decessisse* XIII Kalend. Augusti, *quo die Usuardi Martyrologium Auctoris ætate scriptum sic præfert, dubium an primaria manu:* In pago Bononiensi S. Wlmari Conf. *Et ipso die contractius Adonis Martyrologium ms.* Natalis S. Wlmari Abbatis. *Hic dies ad depositionem, ille ad elevationem pertinere videtur, & quotannis Dominicâ post festum Adscensionis ritu duplici celebratur, tacito nomine Elevationis aut Translationis.* Hareæ seu Areæ Monasterii *nomine forsitan intelligendum venit Silviacense virorum, aut certè Vileriense feminarum? de quo mox agendum. Malbrancus lib. 3 de Morin. cap. 27, citat Privilegium Adalardi Abbatis Bertiniani* actum Aria Monasterio, *quod de S. Itisbergæ Cœnobio interpretatur, sito ad Legiam *fluvium, paullo infra Aream* opidum.* *le Lis *Aire

Monasteria.

3. *Plura Monasteria erexit S. Vulmarus tum virorum, tum puellarum. Quippe ex Monasterio Altimontensi egressus*, perrexit in pagum Mempiscum *seu Menapiorum; & silvam ingressus; se abdidit in cavam arborem, ubi Ecclesiam postea construxit. Locum incolæ appellant* Eicke, *qua vox Germanica quercum significat: quo in loco Vulmarus hactenus Patronus colitur. Inde in natale solum se reddidit, ubi tria Monasteria, virorum unum, duo virginum ædificâsse dicitur: quamquam in utraque ipsius Vita duorum tantùm mentio facta videtur. Vileriam in Silviaco, vulgo* Wiere aux bois *appellant locum, ubi conditus Parthenon, modò excisus, uno lapide ab opido S. Vulmari, quod* Saulmerium *seu* Samerium, *vernaculè* Samer *vocant. Hic Vulmarus condidit virorum Cœnobium, & (si recentioribus credimus) aliud puellarum. Superest etiamnunc Monasterium virorum, Congregationi S. Mauri nuper unitum, quod opido nomen & augmentum peperit. Locus olim Silviacus cognominatus, nunc opidum* Samer *appellatur, quod nomen à sancto Vulmaro, truncato (ut moris est) vocabulo, tractum existimo: itaut pro* Saint-Wlmer, *incolæ* Samer *usurpaverint. Rectius proinde dixeris* opidum S. Wlmari, *quàm* Samerium. *Exstat in Bibliotheca Cluniacensi ** charta Eustachii Comitis Boloniæ de Monasterio S. Wlmari, data anno MCVII *inscripta* Hugoni sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ Abbati, *in qua hac verba:* Locum illum S. Wlmari, *col. 539. 540.

CIRCA AN. DCC X. JUL. XX.

pro cujus correctione diu multúmque laboravimus, præsertim quia pater meus adhuc vivens locum sepulturæ ibidem sibi elegit, consilio & auxilio vestro in melius commutare ac reformare summopere exspectamus. *Subjicitur* Confirmatio per Paschalem Papam II. *Abbas loci in Synodalibus comitiis primum inter Abbates diœcesanos locum habet.* ALFRIDUS *Abbas S. Vulmari Translationi S. Bertini interfuit anno* MLII, *suprà ad annum 709.*

Vvlmarus Bononiensis,

I. ANCTUS Wlmarus, in inferioribus Galliæ partibus haud longè à maris litore in pago Bononiense in villa Silviaco nuncupata, ex Christianis atque inclytis parentibus est editus. Pater ejus WLPERTUS nomine, mater DUDA, frater verò ejus WAMARUS nuncupabatur. Sed præfatus vir sanctus Wlmarus tempore juventutis suæ conjugem duxit nomine HOLCORHOLDAM[a], quæ erat desponsata ab alio viro nomine WILMARO. Ipse Wilmarus accusavit prædictum Dei famulum propter memoratam feminam ad Principem Francorum, & ejusdem jussione Principis adeptus est Wilmarus sponsam suam superiùs memoratam.

dimissa uxore alteri nupta,

Altimontense Cœnobium petit.

b

Bubulcum agit.

2. Sanctus ergo Wlmarus postquam reliquit conjugium, petiit Monasterium recto tramite, quod est situm in pago Hainonense, Alti-montis[b] nomine, ibíque à Patre Monasterii susceptus est libentissimè. Tum primitus Rector Cœnobii ejusdem injunxit ei causâ obedientiæ boum Fratrum curam gerere, ac ligna ad eorum officinas ministrare. Ille verò promto animo injunctam sibi obedientiam exercebat. Sed postea ut erat vir fultus adminiculo sancti Spiritus, instigante eodem Spiritu ad scholas perrexit, alphabetum sibi scribi postulavit: nam antea illiteratus fuerat. Quadam die consueto more pergebat B. Wlmarus ad silvam cum vehiculo, deferens secum in manu tabulam ac legens, pergebátque ante boves, sicut mos est bubulcis: quo intento lectioni ac diligenter scrutante substitit paulisper vehiculum. Nec mora post tergum respiciens, vidit illud retro stans, regressúsque adsumsit illud, ac peregit opus incœptum. Postquam verò talis ejus intentio nota facta est Abbati Monasterii, præcepit illi ut ad scholas pergeret, & diligenti cura litteras disceret; memoratam verò obedientiam alii commisit viro. Tunc demum Clericus effectus est, & cœpit deinde omnibus esse obediens à minimo usque ad maximum.

Discit litteras.

Tonsurâ monasticâ insignitur.

Fratrum calceos mundat.

3. Non arbitror prætereundum esse hoc quod solitus erat facere vir Dei Wlmarus. Nocturno quippe tempore omnibus pausantibus silenter accipere calciarios Fratrum, ac lavare & ad loca nota iterum ferre purgatos solebat. Cúmque id opus indesinenter exerceret, admirati sunt omnes & vehementer stupefacti, quísque hoc ageret illos latebat. Consilio inito suo indicaverunt Abbati, Abbas verò scrupulosiùs rimans, ac diligentiùs cupiens probare quis talem obedientiam Fratribus exhibuisset, dimisit quadam nocte suos calciarios cœnosos. Sed præfatus Domini famulus Wlmarus more solito venit ad stratum Abbatis, volens ejus calciarios deferre ad abluendum. Tunc Pater Monasterii extensa manu arripuit eum ac tenuit, inrogans bis aut ter quis esset: ille verò siluit. Sed postquam nequivit oppilare talem obedientiam, compulsus nimiùm patefecit humiliter dicens: Ego sum Wlmarus filiolus tuus. Tunc inquit Abbas ad eum: Fac quod vis. Ille verò adsumtis calciariis peregit consuetum opus quod desiderabat, sed nulli revelabat hoc miraculum.

Presbyter ob virtutes ordinatur.

4. Deinde perstitit Dei miles in agone viriliter pugnans contra vitia, &

a Surio *Histoaldam*, Interpolatori *Hostorhildam.*

b Altimontense Monasterium in pago Hannoniensi ad Sambram fluvium condidit S. Vincentius seu Madelgarius, de quo egimus Sæculo 2, ad ann. 677.

serviens Deo in humilitate & mansuetudine: ubi non mediocriter degens præbebat ceteris exemplum ac testimonium boni operis imitandi, & ad hoc usque Deo suffragante protelavit, ut ad onus sacerdotale à Fratribus dignus judicaretur, sicuti & adeptus est. Deinde cœperunt eum omnes cum summa reverentia venerari & multas laudes debitè ei impendere. Sed vir Dei non adquiescens adulationibus hominum, timens hîc retributionem accipere & in futuro privari, sicut de quibusdam Dominus in Evangelio dicit, *receperunt mercedem;* eremum more antiquorum Patrum petiit, nihil hæsitans, nec ferens secum amplius nisi ministerium sacerdotale & bipennem.

Circa Ann. DCCX. Jul. XX.

Matth. 6.

5. Postquam verò egressus est de Cœnobio in quo diu habitavit, perrexit tramite recto in partibus Aquilonis in pago nuncupato Mempisco[a], deveníque ubi erat immanissima silva, in quam ingressus cavam offendit arborem. Introgressus habitavit in ea tribus diebus & totidem noctibus, neminem videns, nec cibum omnino sumens. Tunc pius misericórsque Dominus qui est inspector omnium, respexit ejus devotissimum animum & sui corporis afflictionem, misitque Angelum suum per visionem ad quemdam virum fidelem, increpans eum & dicens: Tu quidem hîc delicias tibi præparas, & servus meus illo in eremo fame periclitatur. Qui expergefactus diluculo suæ intimavit uxori per ordinem, qualiter fuerant per Angelum nuntiata: attamen testabatur se ignorare locum, ubi famulus Domini morabatur. Enimvero, inquit ejus conjux, vade sine ulla dubitatione, & fac ut tibi injunctum est; ego verò præparabo tibi panem & alia necessaria: si autem à Deo ille est, comitabitur ibi usque ad destinatum locum. Tunc ille accepit sumtus, & cùm adscendisset equum, dixit ad eum uxor ejus: Sine ergo equum ire in quamcumque partem voluerit, quia Dominus te perducet ad locum ubi ejus servus conversatur. Qui ita faciens, Deo annuente pervenit ad illam arborem, ubi servus Domini Jesu sedens orationi vacabat. Cùm autem procul virum Dei adspexisset, inquit ad eum: Dic mihi si tu es servus Jesu-Christi? Sum, eíque inquantum valeo, militare desidero. Ipse verò post hæc imperterritus accessit ad eum, simúlque refectionem cum gratiarum actione sumserunt. Post refectionem autem inquit ad Dei famulum: Si Domini nostri Jesu-Christi servus es, eíque militare desideras, perge unà mecum, & ego tribuam portionis meæ hereditatem tibi, ubi cellulam construere queas, & tunc liberiùs poteris plurimos lucrari. Sed ista facere Dei servus primitus renuit: ille tamen in prece perstitit supplicando ut ita faceret. Quam deprecationem compulsus Christi miles attendens ait: Vade modò & cras revertere, & ego tuam implebo petitionem. Sequenti autem die reversus est secundùm jussionem viri Dei. Beatus verò Wlmarus prout pollicitus fuerat, cum eo perrexit: ille autem vir fidelis prout spopondit, omnia adimplevit, & congruum ei locum dedit. Ibi vir Dei Ecclesiam construxit, & plurimos in eodem convertens ad Dei cultum instruxit per multa bona exempla. Deinde commisit ei filium suum memoratus vir, ut eum litteris imbueret, & in Dei omnipotentis servitio educaret. Posthæc tradidit ei suam hereditatem, necnon & ejus germani & alii quamplurimi illustres viri.

Secedit in eremum,

ubi superno monitu pascitur.

Ecclesiam construit eo loci.

[a] Mempiscus pagus ditio est ad Scaldim & Legiam fluvios: locus verò in quem secessit Vulmarus, creditur esse vicus *Eicke* prope montem Cattorum, vulgò *Mont-cassel*, Ipram inter & Audomaropolim; sic dictus à quercu. nam vox Germanica *Eiche* quercum significat. Lege tomum 2. Flandriæ illust. pag. 460.

CIRCA AN. DCCX. JUL. XX. Notior factus, Silviacum sese reddit.

6. Præterea cœpit athleta Christi in Dei omnipotentis servitio undique militare, & Dominus per eum multas operari virtutes. Sed cùm longè latéque ejus fama percrebuisset, cœperunt ex vicinis locis multi ad eum confluere, ac summa cum reverentia venerari. Sed ille non facilè accommodans animum ad humanos rumusculos vel laudes, iterum adsumtâ memoratâ sarcinâ latenter inde progressus in partibus occidentalibus, in pagum Bononiensem ubi natus fuerat, Domino JESU-CHRISTO opitulante pervenit, & ingressus est quamdam silvam longè de illa villa in qua natus fuerat planè non plus uno miliario; ipsa verò silva ejus fuerat hereditas: ubi construxit tugurium, mihi credite, satis rusticum, in quo militans die noctúque erat serviens Domino orationibus, vigiliis, jejuniis, in frigore & nuditate & in multa patientia.

Vvamaro fratri innotescit.

7. Eodem tempore memoratam silvam ambulabat ejusdem viri germanus nomine WAMARUS, reperítque anachoretam Christi ante tugurium stantem ac manibus laborantem, nesciens tamen quòd ejus germanus esset, interrogavit eum: Quis es tu, aut unde venis, vel quid agis? Eremita verò Christi non patiens eum diu in tali hæsitatione commorari, germanum ejus se professus est fore*. Ille verò hilaris & alacer inquit ad eum: Si tu es Wlmarus frater meus, unà ad domum matris nostræ visitare & consolari eam descendamus, quia longo tempore mæsta est de tua absentia. Quam petitionem S. Wlmarus sprevit dicens: Non ibo, tu verò & ipsa quantum vires suppetunt, mihi aliquam alimoniæ consolationem impendite; ego autem quantum prævaleo in conspectu Dei omnipotentis memor ero vestri. Posthæc recessit vir præfatus ad domum nuntians hoc genitrici, & congratulabantur multùm invicem.

* esse

Matrem videre renuit.

à fratre cibaria accipit percussâ tabellâ.

8. Quadam verò die præfatus Wamarus pergens ad fratrem suum, deferebat secum cibaria, & nequivit eum reperire, & cœpit magnas emittere voces & acclamare B. Wlmarum: ille verò hoc audiens, factus est ei obvius, prohibuítque ei ampliùs talem clamorem facere. Tunc suspendens in una arbore tabellam & malleolum, jussit ut quandocumque veniret annonam deferens, tabellam percuteret, & non talem clamorem emitteret: quod in eodem Cœnobio usque hodie permanet.

Ecclesiam B. Mariæ ædificat,

9. Illo tempore in eadem eremo construxit sanctus Wlmarus in honorem sanctæ Dei genitricis MARIÆ & beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam. Deinde cœperunt ad eum profluere viri simul & feminæ, ut potarentur de ejus immarcessibili fonte. Beatus autem vir instruebat eos regulariter degens, & adunavit præclaram congregationem illam utriusque sexûs: semota, tamen fuit habitatio virorum à sexu fragili. Alebat quotidie cibo spirituali unáque temporali sub regulari habitu degens & Christo serviens. Tunc vir Dei BERTANAM[a] neptem suam Abbatissam constituit, ut vigilantissimam curam gereret de illis Sanctimonialibus, & diligenter custodiret à lupo invisibili, & eas corroboraret in fide, necnon in castitate sive etiam in bono opere: ipse verò erat Pastor Monachorum, non mercenarius, sicut Dominus de semetipso dicit in Evangelio: *Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius autem*, &c.

& Monasteria utriusque sexûs.

a Bertanam Monachabus præficit.

6. Iohan. 1.

10. Sub eodem tempore quando idem vir Dei Wlmarus suam construxit

a In alia vita *Hermembertam*, quæ colitur XVII Kalend. Novembr. De utroque Cœnobio dictum suprà.

Basilicam anno Incarnationis DCLXXXVIII [a] KEADWALA Rex Occidentalium Saxonum Romam de Britannia pergit. Cùm verò ad præfati Regis notitiam ejus bona opera ac religio sanctitatis fama multorum volitante pervenit, curavit ipse festinus ad eum venire, ac triginta solidos ad ornandum Ecclesiam contulit, inquiens ad Dei famulum: Audivi quòd sis vir prudentissimus, ideóque precor te intercedere pro me ad Dominum. videlicet hæc ideo dicens, quia nondum venerat in Christo regeneratus; tamen in Deum credidit. Deinde benedictione accepta à viro Dei Wlmaro, Domino JESU-CHRISTO ducente Romam pervenit, ibíque sacro fonte baptizatus repletúsque bonis operibus de hoc sæculo migravit ad Christum.

CIRCA AN. DCC X. JUL. XX.

[a] Anno 688 à Ceadvvala invisitur.

11. Erat B. Wlmari consuetudo frequenter visitare ac consolari illas Sanctimoniales: si aliquando illis contingeret deficere alimenta, susurrabant erga Dei famulum. Sanctus verò Wlmarus indesinenter reficiebat eas inquiens: Abundanter ministrabit vobis Dominus alimentum, sicut per Evangelium pollicetur dicens: *Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* Sed sicut vir Domini prædixerat, ita sæpius contigit evenisse. Nam aliquando antequam exhortatio finiretur, tabella percutiebatur adnuntians eulogias advenisse. illæ verò adspicientes hoc, promtiori animo crediderunt quidquid illis de cælestibus prædicabat.

Sanctimoniales docet fiduciam in Deum.

Matth. 6.

12. Alio quoque tempore venit quidam fur & accepit ejus equum, & caballicavit per totam noctem errans per devia, & non potuit ad locum destinatum pervenire; mane autem facto stetit ante portam memorati viri. Contigit autem ut duo ex discipulis ejus egrederentur ad laborandum, & invenirent illum sedentem super equum, & apprehensum deduxerunt ad Dei famulum, retulerúntque ei eum reum esse de ejus equo, cupientes eum in custodia mancipari. Sed abnuit hoc miles Dei, & professus est eum salvum facere usque ad certum judicium. Illis verò abeuntibus cœpit latroni prædicare verbum Dei, ac monere ne ulteriùs tale scelus perpetraret. Tunc B. Wlmarus illum artam viam edocebat per quam pauci ingrediuntur, sicut Dominus dicit in Evangelio: *Angusta est via quæ ducit ad vitam*, &c. Vilis erat in habitu, ac vilior in victu; promtus in oratione, assiduus in lectione; frequens in opere, & laus Dei prorsus non recedebat ab ipsius ore, juxta quæ Psalmographus ait, *Benedicam Dominum in omni tempore* &c.

Furem mitiùs excipit.

Matth. 7. 14.

13. Tunc longè latéque diffusa est ejus fama, & concurrebant quamplurimi ex propinquis regionibus ad eum, & ipse fovebat eos esca corporali, cibóque spirituali corroboravit illos in Dei servitio: ipsi verò multas offerebant eulogias. Sed vir Dei ut erat largus dispensator, quemadmodum ait Apostolus: *Hilarem datorem diligit Deus*, omnia pauperibus propriis erogabat manibus. Sed ego fastidium vitando aliorum, sicut superiùs spopondi, pauca ejus miracula stilo scribente præstrinxi, plurimáque prætermisi: sed in istis quæ Deo suffragante patefeci, libet intueri qualiter iste miles pugnavit in acie positus adversus omnia nequitiæ spiritualia, quantásque persecutiones passus est, & quantam humilitatem habuit in Monasterio omnibus obediens factus, ceu superiùs textum est: quantam famem & frigora aliásque quamplurimas necessitates in eremo sustinuit, & quàm pius & misericors fuit, qui noluit ulcisci de suo inimico, sed cum præmio dimisit.

Res sibi oblatas dat pauperibus.

2. Cor. 9. 7.

[a] Hic calculus consentit cum Venerabili Beda, qui Ceadvvalam Regem anno DCLXXXIX Romæ in albis obiisse dicit in hist. lib. 5 cap. 7.

CIRCA AN. DCC X. JUL. XX. Morbo correptus,

14. Quo demum sene ac pleno dierum cùm pius Dominus vellet ejus patientiam ac laborem remunerari, accessit ei infirmitas temporalis: cœpit autem suos corroborare discipulos, & suum denuntiare obitum. Denique cùm forent ægra ac imbecillia ejus membra ac fortiter compedita; ejus tamen animum devotissimum non ligaverunt à bono opere, nihil prætermittens de consueto labore usque ad extremam horam. Postquam hoc ad sacrarum Virginum notitiam pervenit, petierunt ac supplicaverunt humiliter, ut liceret eis illum visitare. Sed vir Dei B. Wlmarus repletus Spiritu-sancto præsciens imminere haud longè obitum suum, omnino testatus est non se in perpetuum jam feminam videre. Eadem verò nocte omnipotentis Dei famulus B. Wlmarus Deo omnipotenti innumerabiles gratias referens & laudem ejus nuntians migravit [a] de hoc sæculo ad Dominum, factúsque est planctus magnus & ululatus virorum feminarúmque in ejus Cœnobio: quia recesserat ab eis tam egregius Pastor, tam præclarus doctor & tam præcipuus magister. Etenim tam sancta erat illius de gloria exsultatio, quàm pia de morte confusio: quia & pium erat illum flere, & pium erat de illo gaudere, quia jam eum Dominus in suo collocavit gremio.

a moritur.

Sanctimonialibus conspectū suum negat.

15. Deinde, sicut mos in istis regionibus, imposuerunt illud sanctum corpusculum feretro ut ad Ecclesiam ferrent: illæ verò Sanctimoniales confluebant undique per sepes, cupientes mortuum cernere, quem non meruerunt vivum visitare. Et cùm esset lux mundum per totum micans, nebula velavit ejus venerabile corpus: & sicut ipse prædixerat, quia femina eum videre non debuisset; ita adimpletum est. Candelabra quoque antecedunt, & turba quæ subsequens erat poterat cerni: loculum verò in quo vir Sanctus vehebatur, nullo modo videre poterant propter densitatem nebularum. Humatum est corpus B. Wlmari cum magna reverentia cum hymnis, psalmis & canticis personantibus in pace, Deo suffragante, in propria hereditate [b], ubi nunc Domini pietas per multa miracula coruscat.

b

a In alia Vita, *tertiodecimo videlicet Kalend. Augusti*, & quidem circiter annum DCC X. siquidem anno DC LXXXVIII Monasterii Silviacensis fundamenta posuit, ex num. 10. Certè annis minimùm viginti apud Silviacum morari eum oportuit, ut duo triáve Monasteria numeroso discipulorum cœtu impleret.

b Interpolator habet: *Tandem ergo delatus à populis in suo Cœnobio, atque in sua propria hereditate clausus est sepulcro.* Non ergo Bononiæ, ut putat Malbrancus in lib. 4 de Morin. cap. 45; sed in Monasterio Silviacensi. quamquam ipsius Reliquiæ postea Bononiam translatæ sunt. Addit Interpolator pœnam *Clerici* seu Curionis cujusdam nomine MARFRIDI, *qui præerat Ecclesiæ B. Martini, quæ ad Septentrionem distans uno pæne miliario abjuncta erat à Monasterio beati viri.* Is in die festo S. Vulmari parochianos suos feno secando occupari jussit. *At Helna fluvius super cujus irrigua hæc agebantur, subitò accrescens æstuavit, ac fenum quod ibidem secatum fuerat rapiens disperdidit, & ad litus maris usque projecit.* Quo miraculo territus Marfridus resipuit, in S. Vulmarum exinde factus religiosior.

APPENDIX.

De Reliquiis S. Vulmari.

SANCTI *Vulmari corpus è Monasterio Silviacensi Bononiam fuisse translatum, docet nos historia Translationis SS. Vuandregisili & Ansberti Bononiâ Blandinium facta anno* DCCCC XCIV. *Cùm enim Gerardus Abbas Blandiniensis, vir sanctus, duce Arnulfo Comite, SS. Vuandregisili & Ansberti Reliquias ex Ecclesia Bononiensi in Blandiniensem transferre tentaret; ecce, inquit Auctor Blandiniensis Monachus,* in nostrates gravis seditio suscitatur, dicentes, corpus egregii Confessoris WLMARI, atque Abbatis à nobis esse sublatum: cujus rei materiem excitabant duo Clerici, quorum alter dicebatur NOTGERUS, alter HELGERUS, unus eorum S. Wlmari Præpositus, altérque Æditus. Ubi vehementer motus in eos Episcopus *Vuictfredus*, sacrilegii eos cœpit arguere, & ignominioso crimine eos denotare. Gloriosus verò Abbas cùm hanc nec satisfactione, nec contradictione calumniam valeret delere,

ad hoc res perducta est, ut sigillo rupto & loculo fracto oculata id fide niterentur explorare. Videns autem Abbas eos sibi nullo modo adquiescere, neque cœptam pertinaciam deponere, id pro omine imminentis sibi lætitiæ præsagus accepit. Unde & cunctis coram adstantibus dixit: Verè scio, beate Wandregisile, hîc tuam vigilare virtutem pro consociandis tibi collegæ tui Wlmari sacris artubus laborem istum impendere. quod & factum est. Aperto ergo sacrosancto loculo corporis S. Wlmari, bina membrorum pii Confessoris occulto Dei beneficio promeruit, & unum Episcopali benedictione gratias agens Deo suscepit. His ergo Reliquiis gratanter susceptis, *&c. Reliquia ista à Calvinistis Gandavi dissipatæ sunt.* CIRCA AN. DCC X. JUL. XX.



SANCTI SUIDBERTI EPISCOPI, FRISONUM ET BORUCTUARIORUM Apostoli,

ANN. CHR. DCC XIII. MARTII I.

ELOGIUM HISTORICUM.



1. IN *collectione Suriana edita est Vita S.* SUIDBERTI, *seu* Suithberhti, Switbertive *Episcopi, cum litteris ipsius Canonizationis; Monachii in Saxonia iterum typis excusa. Hæc Marcellinum Sancti (ut præfertur) socium mentita auctorem, viris eruditis non paucis, Baronio, Bellarmino, aliisque probata; dein sequioribus suspecta esse cœpit. Demum detractâ pseudo-Marcellini larvâ rejecta est à multis: nuper verò in Martio Bollandiano tam validis momentis confutatum est impostoris hoc figmentum, ut nemo tam apertis pseudo-Marcellini mendaciis fidem habiturus sit inposterum. Fuerint nonnulla fortassis in commentis illis genuina S. Suidberti gesta: ea verò secernere à falsis & incertis, nemo prudens tentaverit. Iuvat nonnulla proferre argumenta, quibus manifesta fiat falsi Auctoris impostura: tum res gestæ S. Suidberti ex probis Auctoribus (quoad ejus fieri poterit) referendæ: postea de litteris Canonizationis itidem falsis dicendum.* Vita Marcellino supposita.

2. *Pseudo-Marcellini falsitatem arguit primò silentium veterum scriptorum, qui cùm de S. Suidberto agerent, nusquam Marcellinæ scriptionis fecerunt mentionem.* RADBODUS *Trajecti superioris ad Rhenum Episcopus sæculo* X, *composuit sermonem de S. Suidberto, in quo hæc leguntur:* Revocanda sunt nobis ad memoriam. Patris nostri opera ... Sed quia nobis quædam sunt occulta, quæ eum fecisse post Deum sola novit antiquitas, ... scripta Venerabilis BEDÆ Presbyteri proferantur in medium. *Hic locus erat, si quis alius, citandi Marcellini: nec meritò dixisset Radbodus, occulta esse facta Suidberti, si Marcellini legisset commentaria, in quibus facta Suidberto attributa annorum serie commemorantur. Condidit etiam Radbodus carmen de eodem Sancto, nec in eo ullum Marcellinæ fabulæ vestigium apparet.* JOHANNES *à Leidis Carmelita, qui vivebat anno* M CCCC XCV, *in lib. 2 Chron. Belg. cap. 15, ubi Suidberti gesta perstringit, Vitæ à Marcellino scriptæ nequaquam meminit. Quod silentium sanè majoris est roboris in* TRITHEMIO, *qui neque in lib. 3 de viris illust. Ord. S. Bened. cap. 166; neque lib. 4 cap. 182, ubi de S. Suidberto agit; neque in lib. de Script. Germaniæ Marcellinum Suidbertinæ Vitæ auctorem nominat usquam. His adde Sigebertum, aliósque Indices Scriptorum Ecclesiasticorum; adde & Iohannem de Beka in lib. de Episc. Ultraject. Primus, ni fallor, Vuillelmus Heda, homo sæculi proximè elapsi, mentionem fecit Vitæ* à Marcellino *confictæ, in Gregorio Episcopo Ultrajectino.* Probatur 1, ex silentio veterum.

ANN. CHR. DCC XIII. MARTII I.

2, ex falso nomine adsumto Marcellini.

2. *Verùm etsi veterum aliquis Marcellinum citâsset laudâssétve, non tamen continuò admittenda esset ipsius auctoritas. Non statim cuivis se prodit fucatum mendacium, nec cuique ea competit sagacitas, ut prima fronte impostorem queat odorari. In Marcellina fabula personam suam malè lusit Actor. Legerat in S. Liudgeri Episcopi Vita ab Altfrido scriptâ* Marchelmum *virum pium & sanctum*, de genere ortum Anglorum, & à S. Episcopo Willibrordo à pueritia sanctis instructum moribus, *forsan in Monasterio Trajectensi, S. Liudgero* comitem *à Gregorio Abbate datum*, & cooperatorem verbi Dei. *Legerat & in S. Gregorii Abbatis Actis eumdem Marchelmum à S. Liudgero commendatum. Habita sui temporis ratione* Marcellinum *scripsit pro Marchelmo, cujus personam ac nomen sibi adfingere visum est opera pretium, ut figmentis de S. Suidberto à se referendis colorem daret. Hinc speciosa illa Præfatio ad S. Gregorium Trajectensem (ut falsò præfert) Episcopum, in hæc verba:* Venerabili & dilecto in Christo domino & Patri, domino GREGORIO sanctæ Trajectensis Ecclesiæ Episcopo, & Frisonicæ gentis prædicatori eximio, MARCELLINUS Presbyter gentilium prædicator inutilis. *Qua in Præfatione ita de se scribit:* Vires corporis attenuatæ ac fere consumtæ sunt, utpote qui sexaginta quinque annis pro modulo meo indesinenter prædicationibus & conversionibus Paganorum insudavi, quinque ante pontificatum SS. Willebrordi & Swiberti, & quadraginta tam sub S. Willebrordo quàm sub S. Swiberto, & decem & sex sub egregio Pontifice & Martyre S. Bonifacio prædecessore tuo, & quatuor jam sub te, qui me Daventriam & ad paganam gentem Transiselanam cum dilecto confratre & patriota meo Levino Presbytero misisti.... à me gesta ipsius conscribi decrevisti & mihi strictè præcepisti, eoquòd à juventute mea in Anglia cum illo conversatus fui, & cum ipso & S. Willebrordo & ceteris confratribus meis ex Anglia in Germaniam deveni & S. Swiberto ministravi. *Tot versus, tot figmenta. Gregorius numquam fuit Trajectensis seu (ut vocant) Ultrajectensis Episcopus, prout in ipsius Vita probabimus ad ann. 781. Deinde Marchelmus seu Marcellinus, Anglus utique, sed à pueritia institutus à S. Villibrordo, necdum fortasse natus erat anno* DCXC, *quo Suidbertus cum Vuillibrordo in Germaniam trajecit. tantum abest, ut cum illo in Anglia sit conversatus à juventute, aut illo Pontifice prædicationi evangelicæ incubuerit. Quippe Gregorius Rector Ecclesiæ Trajectensis, cum S. Bonifacio Præceptore suo Romam profectus anno* DCC XXXVIII, pueros, *id est adolescentes* duos cum consensu Magistri in discipulatum suum, Marchelmum scilicet & Marcwinum, de gente Anglorum secum inde adduxit. *quod argumento est, Marchelmum eo tempore juniorem fuisse, quàm ut ante annos triginta octo cum Suidberto in Frisiam trajicere potuerit. Accedit quòd ipsi Marchelmo* Ecclesiæ Trajectensis custodi *Liudgerus revelavit somnium futuræ suæ dignitatis pontificalis prænuntium, quod Marchelmus ipsi exposuit. Atqui somnium istud ejúsque interpretatio evenit Liudgero post annum unum aut alterum quàm Sacerdotio initiatus erat, hoc est anno fere* DCC XXC, *ut in ipsius Vita dicemus Sæculo proximo. Quo sanè tempore Marchelmus superâsset annos centum, si cum Vuillibrordo & Suidberto è Britannia in Germaniam jam adolescens accessisset anno* DCXC. *Ne quis verò contendat aliam esse Marcellini, aliam Marchelmi personam; attendat eamdem somnii expositionem quæ Liudgero facta à Marchelmo est, Marcellino tribui in falsis litteris Canonizationis Suidbertinæ, quæ, uti & ipsa Vita Suidbertina, ex eadem officina prodierunt.*

3, ex variis mendis.

4. *His de pseudo-Marcellino præmissis, alia quædam errorum capita conglobatim proponere juvat, ne singula discutiendo & refutando, mendaci homini pondus adjicere videamur. Errat pseudo-Marcellinus, quòd* Egbertum *missionis Suidbertinæ auctorem vocat* Eboracensem Archiepiscopum. *deinde quòd*

Judocum

Judocum & Winnocum Regis Angliæ filios *appellat cap. 4. quòd cap. 6* Willibaldum & Wunibaldum *cum Vvillibrordo* missos *in Germaniam dicit, qui necdum nati erant. quòd Vvicbertum à Radbodo cæsum cap. 7. quòd Suibertum ordinatum anno* DCXCV. *quòd Vvinfridum seu Bonifacium fuisse per annos tredecim Canonicum Trajectensem adfirmat cap. 14. quòd Suidbertum Radbodo Frisiorum Duci supervixisse adserit cap. 13, aliáque permulta errata peccat, quæ enumerare per singula pæne ridiculum foret. Mitto quòd* Principatum Hollandiæ, Lotharingiam, Ducatum Brunswicensem *nominat: quibus nominibus satis prodit impostor, se non ante multos annos, certè longè post Marchelmi tempora vixisse, nec fortasse ante sæculum* XIV, *ut colligitur tum ex iis quæ diximus num. 2, tum ex iis quæ ad litteras Canonizationis ab eodem nebulone confictas dicturi sumus. Iam S. Suidberti res gestas quas memoriæ Beda Venerabilis commendavit, commemoremus, à capite aggrediendo Suidberti missionem.* ANN. CHR. DCC XIII. MARTII I.

5. *Ecgbertus Anglus nobilis, factus in Hibernia Monachus, Germaniæ populos à Paganorum superstitione revocare cogitans, cum sociis navali itinere in Frisiam contendere cœpit, supernis licèt monitis deterritus. Exorta tempestate fere passus naufragium,* subtraxit se illi profectioni, *&* remanere domi passus est, *uti fusiùs in ipsius Elogio dicemus ad ann. 729.* At verò unus de sociis ejus vocabulo WICBERHT, cùm esset & ipse contemtu mundi & doctrinæ scientiâ insignis, (nam multos annos in Hibernia peregrinus, anachoreticam in magna perfectione vitam egerat;) adscendit navem, & Fresiam perveniens, duobus annis continuis genti illi ac Regi illius RATBODO verbum salutis prædicabat: neque aliquem tanti laboris fructum apud barbaros invenit auditores. Tum reversus ad dilectæ locum peregrinationis, solito in silentio Domino vacare cœpit: & quoniam externis prodesse ad Fidem non poterat, suis ampliùs ex virtutum exemplis prodesse curabat, *ut tradit Beda Hist. lib. 5 cap. 10, qui hæc addit cap. 11.* Ut autem vidit vir Domini Ecgberht, quia nec ipse ad prædicandum gentibus venire permittebatur, nec Wicbercht illas deveniens in partes quidquam proficiebat; tentavit adhuc in opus verbi mittere viros sanctos & industrios, in quibus eximius WILBRORDUS Presbyterii gradu & merito præfulgebat. Qui cùm illò advenissent, (erant autem numero duodecim, *in quibus* SUIDBERTUS,) divertentes ad Pippinum Ducem Francorum, gratanter ab illo suscepti sunt. Et quia nuper citeriorem Fresiam, *Trajectum scilicet superius, Dorestatum, & alia loca inter Rhenum & Mosam jacentia,* expulso inde Radbodo ceperat, illò eos ad prædicandum misit; ipse quoque imperiali auctoritate jubens, ne quis prædicantibus quidquam molestiæ inferret, multísque eos qui Fidem suscipere vellent, beneficiis attollens. Unde factum est opitulante gratia divina, ut multos in brevi ab idololatria ad Fidem converterent Christi. *Hæc profectio contigit anno* DCXC, *ut ad Vitam S. Vvillibrordi dicemus anno 739.*

Ecgberto à Germaniæ conversione divinitus impedito, Vvicberto frustra laborante,

Vvillibrordus cum Suidberto aliisque mittitur.

6. *Antè vero quàm pergamus ulteriùs, inquirendum est quo ex loco missus in Germaniam sit Suidbertus. Id discimus ex Beda in lib. 4 cap. 32, ubi refert quoddam sanati oculi miraculum, Reliquiarum S. Cuthberti contactu factum.* Est autem factum, *inquit,* in Monasterio quod juxta amnem Dacore constructum, ab eo cognomen accepit: cui tunc vir religiosus SUIDBERTUS Abbatis jure præfuit. *Fuit hoc Monasterium in Cumbria provincia, hodiernæ Scotiæ finitima, situm prope ripam Ithunæ fluminis,* vulgò Eiden, *ad amnem seu rivulum* Dacor, *à quo Monasterio nomen* Dacorensi, *ubi nunc* Dacre *castrum cernitur. Legerat hunc Bedæ locum, aut certè alia de Suidberto monumenta pseudo-Marcellinus, qui ait Suidbertum* decimoquinto ætatis suæ anno Monasterium Beardanense ingressum, post annos novem presbyteralis ordinis dignitatem *suscepisse: dein* postquam annos sedecim *in eodem Monasterio exegisset,* Eboracum *invitatum ibi per*

Suidbertus Abbas Dacorensis,

ANN. CHR. DCCXIII. MARTII I.

biennium resedisse, demúmque creatum fuisse Abbatem Da-vrensis Monasterii, ex quo in Germaniam trajecerit. Quæ dicta in medio relinquimus, uti & nomina parentum S. Suidberti, quos fabulator ille Sigebertum Comitem & Bertam *appellat. Bedæ verba ex lib. 5 cap. 12 jam adducamus.*

consecratur Episcopus.

7. *Acceptâ à Pippino prædicandi verbi facultate* Fratres qui erant in Fresia verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus & mansuetum corde, Suidbertum, qui eis ordinaretur Antistes. Quem Britanniam destinatum ad petitionem eorum ordinavit reverendissimus WILFRIDUS Episcopus, qui tum fortè patriâ pulsus, in Merciorum regionibus exsulabat. Non enim eo tempore habebat Episcopum Cantia, defuncto quidem Theodoro, sed necdum Berchtwaldo successore ejus, qui trans mare ordinandus ierat, ad sedem Episcopatûs sui reverso. *Mortuus est Theodorus anno* DCXC, *uti vidimus Sæculo 2, ex Beda lib. 5 cap. 8: qui cap. 9 scribit,* Bertwaldum *sive* Brithwaldum *Theodori successorem* electum *fuisse* anno dominicæ Inc. DCXCII, die primo Julii; ordinatum autem anno sequente, tertio die Kalendarum Juliarum, Dominicâ, à Godwino Metropolitano Episcopo Galliarum, & sedisse in sede sua pridie Kalendarum Septemb. *Proinde eodem anno* DCXCII, *quo Brithvvaldus in Galliam ordinandus accesserat, consecratus est in Britannia Suidbertus.*

Quanti habitus.

8. *Huc spectat id quod dicit in sermone suo Radbodus Episcopus his verbis:* Ceterùm nos nequaquam dubitare debemus, virum istum in omnibus Christianæ Religionis studiis fuisse exercitatum, utpote qui inter tam pretiosas Ecclesiæ Dei lucernas, quæ his diebus sive in Anglorum, sive in Galliarum gente mirificè coruscabant, ovium Christi Pastor à sacratissimis ipsis ordinari promeruit. Nam nisi esset pastorali exercitio pleniter instructus, nullo modo ejus custodiæ tantæ gregis Christi copiæ crederentur. Porro nisi esset miles quodammodo veteranus, & in agone martyrii fortis & imperterritus, nequaquam in acie Christi summus Tribunus, nequaquam Primipilus legionis divinæ constitueretur exercitûs. *Cetera quæ Radbodus commemorat, ad communes locos pertinent, nec illustrandis Suidberti rebus gestis quidquam conducunt.*

Boructuarios ad Christum adducit.

9. Suidbertus, *subdit Beda,* accepto Episcopatu de Britannia regressus, non multo pòst ad gentem Boructuariorum secessit, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit. Boructuarii *Bedæ, Cornelio Tacito* Bructeri, *olim inter Amisiam & Luppiam amnes, postea inter Coloniam & Hassos steterunt, & quidem tempore Suidberti.*

Vverdense Monasterium ædificat.

10. *Pergit Beda:* Sex expugnatis non longo pòst tempore Boructuariis, à gente antiquorum Saxonum dispersi sunt quòlibet hi qui verbum receperant: ipséque Antistes cum quibusdam Pippinum petiit, qui interpellante Blitthrythe conjuge sua dedit ei locum mansionis in insula quadam Rheni, quæ linguâ eorum vocatur In-litore: in qua ipse constructo Monasterio, quod hactenus heredes ejus possident, aliquamdiu continentissimam gessit vitam, ibíque diem clausit ultimum. *Ex hoc loco Henschenius in Comment. de S. Suidberto §. 6 pluribus probat numquam à Pippino marito discessisse Plectrudem ob Alpaidis cum eo consuetudinem, ut fingit pseudo-Marcellinus. Locus in quo Suidbertus Monasterium condidit Pippino concedente,* In-litore, *aliis* Werda *dictus, unde Cœnobio* Werdensi *nomen, postea* S. Suidberti insula; *nunc* Cæsaris-insula *dicitur, ad Rhenum situs infra Coloniam Agrippinam, modò opidum & collegium Canonicorum, vulgò* Keisers-wert *dictum, SS. Suidberti & Vvilleici Reliquiis illustratum, exceptis nonnullis ossibus, quæ Coloniæ in sacello S. Margaretæ adservantur.*

Vverdæ plures.

11. *Sunt in Germania opida non pauca* Werdæ *nomine, quod* Insulam *significat, insignita: tria tamen celebriora. Prima* Werda S. Suidberti, *de qua jam dictum. Secunda* Werda *sive* Werthina, *æquè in Coloniensi diœcesi ad Ruram amnem, in*

pago Ripuariorum, illustre Monasterium est à S. Liudgero Mimigardevordensi primo Episcopo ædificatum, de quo Sæculo proximo. Tertia Werda *vulgò* Verda *sive* Ferda Fardiúmve *ad Aleram flumen ultra Visurgim jacet, sede Episcopali ornata à Carolo Magno, Hadriani Papæ adsensu: cui primus Antistes datus* SUIDBERTUS *alius à nostro, itidem Anglus & Sanctus, quem Marcellinus cum seniori Vvillibrordi socio confundit, aliique ab ipso decepti: tametsi Suidbertus junior annis fere* LXXIII *à senioris obitu, cathedræ Verdensi seu Ferdensi impositus est, cùm Suidbertus senior nulli sedi fuerit addictus. Ecclesiam Verdensem illustrârunt post S. Suidbertum juniorem Episcopi sancti* PATTO, TANCO *&* KORTILLA *seu* Nortyla Rortilásve, *ex Ordine Benedictino, Amarbaricensi videlicet Cœnobio adsumti, de quibus Sæculo proximo. Ad hanc Ecclesiam pertinere videntur* nomina Fratrum Canonicorum de Monasterio Weride, *in quibus* HUADALRICUS Præsul *numeratur inter Fratres conscriptos Monasterii S. Galli apud Goldastum. Eodem tempore quo florebat Suidbertus junior,* SUIDBERTUS *alius præerat Ecclesiæ* Reginensi *seu Ratisponensi, ut discimus ex Eginhardo in Vita Caroli Magni ad ann. 781.*

ANN. CHR. DCC XIII. MARTII I.

Verdæ Episcopus S. Suidbertus junior.

Alius Ratisponensis.

12. *Suidberti senioris obitum collocat pseudo-Marcellinus anno Christi* DCC XVII, *rectiùs annò* DCC XIII *veterrimi Annales Francorum ab anno 708 ad ann. 800 producti, Tomo 2 Hist. Franc. apud Chesnium pag. 6, his verbis*: Anno DCC XIII Depositio Suitberhti Episcopi. *Diem non exprimunt antiqua Martyrologia, in quibus nulla S. Suidberti mentio. Kalendis Martiis Sancti obitum reponunt pseudo-Marcellinus & Colonienses tabulæ, quibus hac in re tuta fides.* Ejus corpus, *inquit Ægidius Gelenius lib. 4 Hist. Colon.* quiescit in Insula Cæsaris, & notabiles Reliquiæ conservantur Coloniæ in Sacello S. Margaritæ. *Iohannes à Leidis in Chron. Belg. lib. 2 cap. 12 nihilominus testatur, S. Suidberti* corpus translatum fuisse in opido Nuiitseldorp in Ducatu Montensi, ubi, *inquit*, cum veneratione magna colitur.

Suidbertus senior quando mortuus.

13. *Ceterùm ad S. Suidberti Canonizationem quod attinet, editæ sunt apud Surium litteræ, tum* Rixfridi Trajectensis Episcopi *ad* Ludgerum Monasteriensis Ecclesiæ Episcopum, *petentis ut* modum & ordinem Elevationis & Canonizationis S. Suidberti in scripta redigeret; *tum* ipsius Ludgeri *idipsum fusè exsequentis; immo potiùs utraque pseudo-Marcellini infeliciter mentientis. Eas jam rejecerunt viri docti quamplures, Christophorus Brouverus in Notis ad Vitam S. Liudgeri, Iohannes Morinus de Pœnit. cap. 20 §. 2; omnium verò eruditissimè socii Bollandiani in Vita S. Liudgeri Tomo 3 Martii. Huc movent stilus ac genius auctoris fabulam totus spirans;* Indulgentiarum *ac* Canonizationis *nomina præproperè usurpata, quæ vix ante sæculum* XIII *audita;* Monasteriensis *Episcopi*, studii Bononiensis, Confratris *passim*, Angiers *pro Andecava urbe, &* quædam alia *recentiora item vocabula. Quid quòd Leonis Papæ electio* à Cardinalibus *facta dicitur; quòd iidem* Cardinales *præferuntur Archiepiscopis. Confer litteras Pauli Papæ I apud Baronium anno 761 relatas, quibus subscribunt Episcopi ante Cardinales. Multa alia pugnant cum veritate historica: veluti illud quòd Pippinus per Bonifacium Archiepiscopum* auctoritate Zachariæ *coronatus dicitur anno* DCC LV, *cùm ante annos tres id contigerit. quòd Leoni Papæ tribuitur diuturna mora in Gallia ad canonizandum S. Suidbertum, cùm ex Eginhardo constet ad ann. 804 Leonem Papam* subitò ad Imperatorem *Carolum Magnum* pervenisse, nec nisi dies octo mansisse apud illum; *moxque* Romam repedâsse. *De Canonizatione (ut vocant) Sanctorum aliàs dicemus, quo ritu antiquitus peracta sit, quando primùm petita Romani Pontificis licentia ad levanda è tumulis corpora Sanctorum; quando demum sollemnior canonizandi modus habuerit initium, aliàs discutiendum erit. Interim verò conjicimus S. Suidberti corpus è terra levatum fuisse auctoritate Leonis Papæ IX, quando Coloniæ ab* Herimanno Archiepiscopo *exceptus est: quo eodem itinere* B. Ge-

De Suidberti canonizatione quid sentiendum.

ANN. CHR. DCC XIII. MARTII I. rardum Tulli-Leucorum Antistitem in numero Sanctorum computandum statuit.

14. *Quia verò nobis pauca restant veterum monumenta, quibus S. Suidbertum commendemus; non prætermittenda videntur ea quæ S. Radbodus Trajectensis Episcopus de eo scripsit, Sermo videlicet & Carmen versibus 88 constans, cujus aliquot versus in specimen ex Martio Bollandiano huc adducemus post Sermonem prædictum.*

SERMO S. RADBODI TRAJECTENSIS EPISCOPI

De S. SUIDBERTO *Episcopo.*

1. ACTURI, Fratres carissimi, diem nostræ specialis jucunditatis in qua Patroni nostri beatissimi Switberti sancta admodum commemoratio facienda est; oportet nos paratos esse ad omne opus bonum promtósque habere animos, primò quidem ad audienda divinæ legis mandata; postmodum verò ut quantum possumus, ea factis exsequi studeamus, & sic demum alios docere possimus. Hoc enim fecit Dominus noster JESUS-CHRISTUS, de quo ita scriptum est: *Cœpit Iesus facere & docere.* (*Act. 1. 1.*) Alioquin irrita & inanis nostra erit doctrina, si ea quæ dicimus, nihil agendo destruamus. Nam quid prodest alicui, si bene audiat, & malè agat? aut quid proficit illi, si alii viam pedum ostendat, ipse autem in via morum errare non desinat? Nos igitur vestigia Redemtoris nostri sequentes, quælibet bona libentissimè audiamus, audita verò dignis actibus compleamus: & sic per ordinem ad instruendos proximos accedentes, consulamus eis rerum bonarum doctrinis pariter & exemplis. Hoc ergo ut sine dilatione fieri possit, revocanda sunt nobis ad memoriam Patris nostri, de quo suprà diximus, opera: qui in omnibus quæ docuit, priùs à semetipso auditoribus suis exemplum dedit; neque umquam in Ecclesia aliud faciendum dixit, quàm in quo ipse faciendo præcessit. Verùm ut se imitari volentibus hoc quoque manifestissimum fiat, facta ejus Deo placita omníque audienti satis necessaria in publico recitentur: quatenus ex eisdem plebs Christi ædificationem accipiat, ac de tanti viri gloriosis precibus semper gratulabunda exsistat. Sed quia nobis quædam sunt occulta, quæ eum fecisse post Deum sola novit antiquitas, quippe qui ab Anglorum provincia in nostros fines venisse probatur; scripta venerabilis BEDÆ Presbyteri proferantur in medium, qui in Regestis Anglorum inter cetera sic de hoc sanctissimo viro scriptum reliquit.

» 2. Tempore B. Willibrordi Trajectensis Episcopi, Fratres qui erant in » Fresia verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum mode» stum moribus & mansuetum corde SWITBERTUM qui in eis ordinaretur » Antistes. *Et cetera quæ suprà ex Reda retulimus num. 7, 9, & 10.*

3. Hæc igitur quæ superiùs de hoc sanctissimo viro digesta sunt, Bedam commemorâsse, neminem ambigere credimus; nisi fortè quempiam talem, qui aliis vacans negotiis, librum illum ubi ea scripta sunt, aut non legit, aut certè legendo neglexit. Ceterùm nos nequaquam dubitare debemus, virum istum in omnibus Christianæ Religionis studiis fuisse exercitatum: utpote qui inter tam pretiosas Ecclesiæ Dei lucernas, quæ his diebus sive in Anglorum, sive in Galliarum gente mirificè coruscabant, ovium Christi Pastor à sacratissimis ipsis ordinari promeruit. Nam nisi esset pastorali exercitio pleniter instructus, nullo modo ejus custodiæ tantæ gregis Christi copiæ crederentur. Porrò nisi esset miles quodammodo veteranus, & in agone martyrii fortis & imperterritus; nequaquam in acie Christi summus Tribunus, nequaquam Primipilus legionis divinæ constitueretur exercitûs. Verùm his allegoricè prælibatis, moraliter quoque nos aperire oportet, quæ sint

exercitia, quibus inexpugnabilem istum militem præclarum fuisse non dubitamus. Quod quidem in pastoralibus primò est demonstrandum : in quibus sive leo sæviens, sive lupus insidians, non modicum Christi ovibus detrimentum important : ubi si Pastor pervigil aut insidias caverit, aut rapinam fortiter resistendo excusserit, salvo grege ad caulas dominicas remeabit. Si autem in quotidiano procinctu positus, arma numquam deposuerit; sed vel de castris hostem repulerit, vel in campo apertè dimicans rite triumphaverit, intra sanctæ civitatis mœnia posthæc tutissimè imperabit. ANN. CHR. DCC XIII. MARTII I.

4. Quæ nimirum utraque beatissimum Switbertum fecisse non ignoramus. Nam dum in Ecclesia præsulatûs officium gerens, Fratres suos sive à deceptoriis persuasionibus retraheret, sive à contentionibus publicis revocaret; quasi leonem ferocissimum & quasi lupum callidissimum à grege dominico excludebat. Cùm verò aut Regum potentiâ pressos, aut qualibet Principum crudelitate vexatos gladio verbi Dei scutóque fidei à tyrannica persecutione defenderet; profectò tamquam Dux egregius milites suos ad castra incolumes reducebat. Itaque si nosse desideras, quæ fuerint nostri hujus Ducis in quotidianis congressibus arma; non ea fabrefacta, sed planè spiritualia cognosce. Neque enim ille erat oneratus ferro, sed potiùs fide, spe & caritate præcinctus; fundam David cum suo lapide tenens, & terribilem Philistæum in fronte percutiens, omnémque Israëlem à periculo mortis eripiens. Porrò autem ne existimes illum hujusmodi arma umquam deponere esse solitum, iisdem erat in pace ornatus, quibus in bello stabat armatus. Semper enim erat humilis, semper mansuetus & mitis; patiens in adversis, modestus in prosperis. Erat quoque in pudicitia splendidus, in abstinentia strenuus, in vigiliis sobrius, in oratione stabilissimus. In judicio perorabat æqualiter, non personaliter; in compassione miserabatur humaniter, non tenaciter; alienorum non erat appetitor, sed propriorum largissimus erogator; vitium in homine acriter persequebatur, hominem verò familiariter amplectebatur. Sermo ejus ut mel dulcis, prædicatio ejus admodum delectabilis, convivium ejus spiritualibus ferculis plenum, contubernium ejus angelicum. Mala omnia tamquam venena mortifera respuebat, bona omnia tamquam paradisi aromata diligebat. Postremò si velut quemdam epilogum facere volueris, totus ille erat perfectus, & totus erat Deo plenus.

5. Hæc erant, Fratres, Patroni nostri beatissimi Switberti in adversis & prosperis arma : cum his in omni agone dimicabat, ac semper & ubique vincebat. Non enim erat illi colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Agamus ergo gratias omnipotenti Deo in die sollemnitatis hujus sacrosancti Antistitis, orantes simul & postulantes, ut cujus vitam gloriosam prædicamus in terris, ejus patrocinio perfrui mereamur in cælis, Amen.

CARMEN EJUSDEM AUCTORIS.

LUx nova SWITBERTUS Francos lustravit & Anglos,
 Quo clarum Fidei lumen utrisque daret.
Saxonicos adiit cultor memorabilis agros,
 Ut sereret Christi semen amoris ibi.
Nec sterili ac vacuo Fresonum defuit arvo,
 Idque novi fecit germinis esse ferax.
Jam quia transierat veterum nox cæca malorum,
 Cœperat & veri Solis adesse dies,

ANN. CHR. DCC XIII. MARTII I.

Qui totum radiis perfundit mitibus orbem,
Ut mala consumens, sic bona clarificans.
O quantus qualisque nitet Sol iste per horas
Bissenas sacræ plebis apostolicæ!
Qualiter his nimios sese flagrante calores
Intulit, ut qui illis flammea corda dedit?
Inde est quòd gladios sic contemsere minaces,
Essent ceu leti dulcia jura sibi.

Hæc satis in specimen. cetera lege si lubet apud Bollandum.

ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX.


VITA S. URSMARI EPISCOPI ET ABBATIS LAUBIENSIS IN BELGIO,

Auctore subpari ANSONE Abbate Laubiensi.

Ex ms. cod. Prioratûs S. Arnulfi Crispeiensis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores.

1. ESTA S. URSMARI *Episcopi & Abbatis Laubiensis, à discipulis relata in schedulas,* ANSUS *seu* Anso *ejusdem Cœnobii tum Monachus in ordinem redegit jussu* THEODULFI *Episcopi & Abbatis Laubiensis, cui Anso in regimen Monasterii successit anno* DCCLXXVI. *Is in fine Vita à se scripta testatur,* S. ERMINONEM *Ursmari discipulum & successorem* de virtutibus sui Magistri antecessorisque versus composuisse juxta elementorum, *id est alphabeti* summam. *Ansonis stilum rudem & impolitum exornavit sæculo* X RATHERIUS *ex-Monacho Laubiensi Veronensis Episcopus: utrumque* HERIGERUS *ejusdem loci Abbas paullo pòst metricè reddidit;* FULCUINUS *denique itidem Abbas in Chronico Laubiensi Vitam & Miracula S. Ursmari commemoravit. Exstat apud Andream Chesnium in Tomo* I *Hist. Franc. fragmentum cujusdam Anonymi, qui Ratherium interpolavit uti nos docuit exemplum apographi Laubiensis. Hîc edimus Ansonem & Ratherium cum prædicto fragmento & miraculis à Fulcuino descriptis. De his Auctoribus quædam adnotare juvat.*

Anso.

2. *De* ANSONE *hæc scribit Fulcuinus in Chron. cap.* 19. Anso Theodulfum sequitur in regimine, vir bonus & sanctus, Abbas tantùm, non Episcopus, regens idem Cœnobium sub jam præfato domino Imperatore Karlo viginti quatuor annis. Erat autem idem Anso & pro capacitate ingenii sui litteris studens. Exstat libellus vitæ S. Ursmari ad prædecessorem ejus Theodulfum Episcopum ab eo conscriptus; item & S. Ermini alius. In quibus quidem veritas historiæ quantum à simplicis eloquentiæ viro describi potuit, amplectenda est: de confusione autem verborum & dictorum non nostrum est judicare. quæ illis tanta inest, ut incertum sit, utrum ad insinuanda quæ noverat minùs licèt eruditè quantum ad sæculares fuerit proclivis, an pro excellentia gestorum sponte parvipenderit regulas artis. Et hic sub præfato obiit Karlo, eo quo idem Imperator factus est anno, *id est anno Christi* DCCC. *In hoc Auctore locos communes inconcinnè adductos aliquoties resecamus, elegantiori stilo redditos à Ratherio, qui Ansonis sententias candidè exprimere in animo habuit. Confer utriusque numeros seu sectiones ex æquo sibi respondentes.*

Ratherius.

3. RATHERIUS *ex-Monacho Laubiensi Veronensis Episcopus medio sæculo* X, libellum Vitæ S. Ursmari cùm Cumis exsularet, ibi reperit: quem solœcismis refertum emendavit, nobisque transmisit, *inquit Fulcuinus in Chron. cap.* 20.

Fulcuinus.

FULCUINUS *verò ipse, qui* obiit anno dominicæ Incarn. CMXC, miracula B. Ursmari quæ suis maximè floruere temporibus descripsit, *testante Chronici continuatore.* Post hunc

HERIGERUS Abbas substitutus est, *qui inter alia* scripsit metrico stilo Vitam S. Ursmari, *&* obiit in senectute bona anno M VII. ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX.

4. *S. Ursmarum commendant sincera Usuardi & Adonis Martyrologia* XIII Kalend. Maii, *quo die ita Usuardus noster:* In pago Hainoënsi S. Orsmari Episcopi & Conf. *Ado verò:* In Cœnobio quod dicitur ad Laubias depositio B. Ursmari Episcopi & Conf. cujus gesta habentur. Herigerus. S. Ursmari memoria.

5. Quare autem eum Episcopum fuisse dicimus, *ait Fulcuinus in Chron. cap. 3,* sæpe à nobis quæsitum est. nam textus descriptionis ipsius vitæ Episcopum eum fuisse docet; locum autem vel tempora ordinationis ejus, vel à quibus ordinatus sit, omni modo silet. Sed & in chartis sub ejus tempore factis ac perantiquis membranarum petaciolis, quæ continentur in Ecclesiæ nostræ archivis, inscriptum eum invenimus sub nomine Episcopi & Pontificis. Varia de hoc est seniorum nostrorum relatio, dicentibus quibusdam, quòd prædicandi gratiâ, ut competebat tunc rudimentis novellæ fidei, ad compescendos superfluos ritus gentis barbaricæ Episcopus fuerit ordinatus: quod factum quoque de S. Amando legimus. quibusdam dignitatem hanc loco tribuentibus opinionémque suam ratione quadam tuentibus, quòd videlicet locus regius regiâ munificentiâ constructus, regio palatio contiguus scilicet Liptinis, nulli committeretur, nisi priùs ordinatus esset Episcopus. quam dignitatem & in plerisque successorum ejus duràsse, in subsequentibus dicemus. Quid horum verius sit, Lectoris arbitrio committimus, nec in utramvis partem sancto viro derogamus, dum quidquid horum sit, eum fuisse Episcopum non denegamus. *Eadem refert Auctor anonymus in fragmento Chesniano, infrà. S. Anscharius in Vita S. Vuillehadi Bremensis Episcopi tradit, Vuillehadum ante annos septem quàm Episcopus consecraretur,* vocatum fuisse Episcopum, *ob prædicationem scilicet Evangelii. an fortè Ursmarus ejúsque successores ob id dicti Episcopi? quamquam Baldericus in Chron. Camerac. lib. 2. cap. 37, Ursmarum* in functoria tantùm prædicatione sacratum Episcopum *fuisse putat. Et erant tum in nonnullis Monasteriis Episcopi & Abbates, uti in Præfatione observatum.* An Episcopus?

6. *Laubiense Monasterium* insignius omnium Monasteriorum Leodiensis & Cameracensis diœceseωn, *si Johanni Iperio credimus in Chron. Bertin. cap. 43, incrementa sua quidem S. Ursmaro, at primordia S.* LANDELINO *debet, ut in Vita S. Landelini vidimus Sæculo 2 ad ann. 686. Quippe Landelinus* licentiâ acceptâ à B. Pontifice Audberto, profectus est in pagum nuncupatum *Hainau,* in locum super fluvium Sambram situm, qui ex nomine rivuli decurrentis in præfatum flumen vocatur Laubacus; & ibi construxit sibi & discipulis suis monasteriales habitationes: & quod ille annuente Deo fideliter cœpit, postmodum à successoribus qui per ejus ministerium in loco eodem congregati sunt, feliciter est peractum. Secessurus autem, *ut tradit Baldericus in Chron. lib. 2 cap. 37,* eo loci præfecit beatum virum Dei Ursmarum piis moribus præditum, in functoria tantùm prædicatione sacratum Episcopum. Hoc igitur doctore & dein B. Ermino succedente effloruit locus, & ad Dei gloriam, ut usque in præsens apparet, mos plenè adolevit ecclesiasticus. *Floruere in isto Cœnobio quamplures viri pii & illustres, in his præter Ursmarum SS.* ERMINO, WLGISUS, ABEL *&* THEODULFUS *Abbates & Episcopi hoc sæculo octavo; quibus adjungendus S.* DODO *ex-Monacho Laubiensi Abbas Uvasterensis: de quibus agemus infrà ad ann. 737. Mitto* RATHERIUM, *Veronensem Episcopum, &* FULCUINUM *Abbatem & Chronographum sæculo* X; HERIGERUM *&* OLBERTUM *Abbates sæculo* XI: *quos aliquando Deo dante in libro nostro de viris illustrib. Ord. S. Bened. debitis prosequemur elogiis. Locum Laubias seu Laubacum describit Fulcuinus in lib. de Gest. Abb. Laubiens. cap. 1 Tomo 6 Spicilegii Acheriani.* Laubiense Monasterium. Viri illustres Laubiis.

7. *Alias Ecclesias aliáque Monasteria excitàsse Ursmarus dicitur.* In exordio regiminis sui, *inquit Fulcuinus cap. 4,* Ecclesiam quæ ante id temporis erat inconsecrata, consecravit, dedicans illam Domino in honore Principis Apostolorum Petri simúlque Doctoris gentium Pauli & omnium Apostolorum Christi, cumulans Templum donis & altare multiplicibus Sanctorum patrociniis. Facta est autem hæc dedicatio anno qui est sexcentesimus nonagesimus septimus dominicæ Incarnat. XVII Kalend. Septembr. Quam Ecclesiam nequaquam passus pollui cadaveribus mortuorum, fecit aliam in honore S. Mariæ in montis vertice, cui subjacet prædictum Monasterium; ubi cimiterium esset Fidelium, & ad quam conflueret populus. nam illicitus, ut nunc quoque, nisi certo tempore, apud aliam erat feminarum accessus. Monasterium quoque in Alna ipse construxit & Laubiis subjecit. Monasterium quoque dictum Wasslare versus Teorasciæ saltum in finibus Faniæ ædificavit, cui & Dodonem præfecit virum admodùm san- An alia Monasteria erexerit Ursmarus. NOTA

ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX.

ctum, *&c. Et tamen scriptor Vitæ S. Landelini conditionem Cœnobii utriusque, Alnensis scilicet & Vuasterensis, Landelino tribuit, consentiente Balderico pro Vuasterensi in Chron. lib. 2 cap. 33. De Aldeburgensi Ecclesia ab Vrsmaro etiam exstructa testatur fragmentum Chesnianum infrà.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. DOMINO *meo & verè domino Domini servo Christique electo* THEODULFO *Episcopo perfectorum virorum comparabili* ANSUS *servus inutilis servorum Domini salutem.* O pie Pater, mi domine, sera est inquisitio tua & tardè data mihi scribendi optio Vitam S. URSMARI Episcopi, cujus opus explere mihi injungis, de cujus virtutibus multæ labefactæ sunt à memoria ob transitum * nonnulla annorum curricula. Sed quamvis ex plurimis pauca queam prodere, quæ à quodam ᵃ scripta reperi, gravatus pondere peccatorum fari vereor, metuens illud propheticum testimonium: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & adsumis testamentum meum per os tuum?* Tamen ne inobediens appaream, tutus tuis sanctis orationibus vallatúsque, Vitam præfati jam Sancti scribere exordiar. Primitus siquidem quidnam quod matri ejus fuerat revelatum de illo priusquam nasceretur, vel quid ipse gesserit in Episcopatûs fastigio sublimatus. Quamvis enim ad omnia illius nequaquam potuerim pervenire; at ea in quibus ipse conscius tantùm fuit, nesciuntur. quia laudem ab hominibus non requirens, quantum in ipso fuit, omnes virtutes suas latere voluit. Nos autem sufficere credimus, si tantùm excellentiora notamus. Simul & legentibus consulendum est, ne quod his pariat copia congesta fastidium. Obsecro autem eos qui lecturi sunt, ut fidem dictis adhibeant, neque me quidquam nisi compertum & probatum scripsisse arbitrentur. alioquin melius est tacere, quàm falsum dicere.

* *l.* transacta.

Auctor ab alio scripta narrat.

ex Severo Sulpitio in Prol. de Vita S. Martini.

INCIPIT VITA.

2. BEATUS igitur URSMARUS Episcopus, dignus laude bonorum, in pago *Hainau* vel Teorascense, in villa quæ vocata est *Fleon*, oriundus fuit, qui à Domino est electus è cælo per prædestinationem, priusquam in terra nasceretur per originem. Gravida namque jam matre ejus de eo, apparuit illi quidam puerulus, tum inquit ad eam senex: Accipe hunc puerum quem nutries. Incubuerat autem tunc magna fames in eadem regione. Respondénsque mulier seni ait: Unde istum nutriam, domine mi, cùm mihi panis desit ob magnitudinem famis quam patimur in hac terra? At ille dedit in manu ejus panem candidum, & dicit illi: De hoc pane nutries illum. Quæ cùm accepisset eum, crevit in terra manus illius magna valde. Tunc eadem mulier inquit: Hoc quid est quod video, vel quid significat? Respondens autem senex ait illi: Filium es paritura, qui de Regno aliquam sustinebit partem. Qui ita demum prædicando adultus sustinuit. Siquidem tantam à Domino gratiam consequutus est, quatinus omnes pabulo verbi Dei reficeret, &c.

Ursmarus cælitus prænuntiatus,

3. Editum jam puerum adultúmque genitores ephebum indolem auctoribus sanctarum Scripturarum ad imbuendum tradiderunt: qui instruxerunt eum sacris litteris divináque lege, non mediocriter, sed perfectè; minimè sæculariter, sed monasterialiter ac regulariter alitus est, &c.

adultus litteris imbuitur, ac monasticis institutis.

ᵃ An ab Erminone, qui *de virtutibus sui Magistri* versus quosdam scripsisse dicitur infrà num. 10.

4. Oratio-

4. Orationi frequenter incumbens, cum lacrymis & compunctione cordis deprecabatur Dominum. Dominus autem illius exaudire dignatus est preces: quoniam Episcopum * jam ordinatum, tantam illi gratiam contulit, ut pæne omnes anteïret mortales, & multi ejus exemplo vivere optarent. Qui ob magnitudinem suæ sanctitatis spiritalis effectus Pater multorum est, Scripturarum doctor, Monasteriorum constructor, Pastor Ecclesiarum, custos animarum, redemtor captivorum. Siquidem à Pippino potestatem redimendi acceperat, &c.

ANN. CHR. DCCXIII. APRIL. XIX.

Oratione multorum Pater effici meretur.

* *l.* Episcopo, *&c.*

5. Vir quippe iste dissimilis fuit his omnibus, quos nunc passim cernimus nostris temporibus: neque audivimus quemquam, qui in corpore tale aut tam prolixum pertulisset martyrium, aut qui tantam cruciationem sustinuisset in vita præsenti. Nos autem idonei non sumus dicere vel scribere, qualis fuit vita illius: præsertim cùm novem annos & decem hebdomadas absque alimento vixerit panis, ob ægritudinem corporis. Prorsus de cibario quem ipse sumebat, nullum arbitror hominem carnalem vivere posse, nisi per sanctum Spiritum qui ipsum alebat. Cibus autem ipse tantus * erat, quem sumere valebat absque officio dentium, &c.

Multa patitur, maximè cibi incommoda.

* *l.* talis

6. Planè quoque arbitror esse pro debito, quantum inclytus erat virtutibus ad purgandum energumenos. Erat quoddam Monasterium quod vocatur Malbodium [a], haud procul à Laubaco Cœnobio suo, in quo erant feminæ Sanctæmoniales, turba non modica. Unam siquidem ex his invasit ultor spiritus, hostis antiquus, cœpítque eam graviter vexare. Altera die ordinante Domino adfuit beatus Ursmarus Episcopus. Cúmque dixissent ei de ea quæ à diabolo torquebatur puella, statim jussit eam sibi exhiberi. Quæ cùm esset adducta coram eo, at ille non de sua præsumens virtute, sed de Dei omnipotentis confisus auxilio, accepit librum, & orsus est legere exorcismum super energumenæ caput, ut per verbum Dei curaretur: ac deinde benedicto oleo linivit oculos narésque ejus & os. Quo facto spiritus immundus protinus fugit ab ea. Jam autem liberatâ puellâ à dæmone, pavor tamen & horror quem ipse minaverat, adhuc inerat. Tunc vir Dei Ursmarus præcepit sibi sal & aquam deferri: quibus benedictis jussit spargi in omnibus locis Monasterii: & sic statim omnis pavor cum auctore suo diabolo abscessit, &c.

Arrepticiâ Monachâ liberat.

NOTA.

Aquâ & sale benedictis domû lustrat.

7. Item alia energumena sanata, &c.

8. S. Ursmarus habebat neptem in Monasterio suprascripto, quam ipse parvulam commendaverat S. ALDEGUNDI. Quæ postquam adulta crevisset, nata est infirmitas in collo ejus sæva nimis, quæ vulgò dicitur gruttreria [b]: & dicebant ei Medici, quòd non posset adipisci sanitatem, nisi incideretur caro à ferro, & sic cum uncino ferreo traheretur. Hæc autem facere cogitantes, contigit illuc advenisse sanctum Ursmarum gratiâ visendi, & invenit neptem suam graviter ægrotam. At ille vocavit ad se Medicum, & ait illi: Dic mihi, utrúmne vales sanare eam? At ille ait: Nequeo, nisi cum uncino ferreo incisa carne morbum foras traham. Hæc vir Dei agere renuit propter pietatem quâ tenerè eam diligebat, & quia periculosum erat. Sed imponens manum suam sæpius super ipsam infirmitatem puellæ dicebat ei: Vide, filia, ne patiaris tibi ferrum imponi. credo enim in Deum, quòd ipse te curabit ab ista infirmitate. Qui nocte eadem ob recuperationem uberrimas preces

Gutturniosam neptem sanat.

[a] De Malbodio Parthenone, vulgò *Maubeuge*, in Hanonia diximus Sæculo 2 in Vita S. Aldegundis ad ann. 684.

[b] Ratherius habet: *quæ gutteria dicitur sermone Gallico.*

ANN. CHR. DCCXIII. APRIL. XIX.

fudit ad Dominum. Jámque ergo inlucescente die altero, puella à stratu sospes surrexit, intantum ut nec vestigium quidem infirmitatis in ea remaneret.

item aliam moribundam,

9. Per idem fere tempus in eodem Monasterio alia jacebat ægrota de langore pessimo, adeout qui eam videre poterant, minimè dubitarent, quòd in hac vita recuperanda non esset. Quæ cùm audisset adventum tanti viri, cœpit dicere virtute qua potuit: Obsecro vos ut rogetis illum ad me venire, quia scio me fore recuperandam si viderim eum. Quo audito sanctus Ursmarus qui diligebat visitare infirmos, sine mora illuc properavit. Qui cùm pervenisset & intuitus eam esset, elevans manum signum crucis dominicæ super eam dedit: inquantum ipsa nobis retulit, febris ilico fugata est, & mulier recuperata à cibo & à somno, & deinceps convaluit, sicut multis vicibus ipsa nobis narrare consuevit, non dubitans sibi à Deo vitam condonatam per orationem S. Ursmari.

teste Auctore.

Erminone suffecto moritur.

10. Posthæc igitur beatus Ursmarus Episcopus cernens paullatim cotidie suam crescere infirmitatem & diem vocationis suæ imminere, curam egit non parvulam, ne grex sibi commissus relinqueretur orbatus sine Pastore. Tunc auctore Deo optantibus cunctis sancto ERMINONI discipulo suo curam pastoralem injunxit, monénsque illum, quatenus vigilanti studio pasceret oves dominicas sibi creditas: qui postea ita egit devotissimè. Sed & de virtutibus sui Magistri antecessorísque versus composuit juxta [a] elementorum summam. Tunc demum sanctus Ursmarus Episcopus beatæ memoriæ resolutus est de ergastulo corporis: qui officio Angelorum evectus ad æthera, modóque remuneratus gaudet cum Angelis. Cujus discipuli exsequias devotè celebrantes, sepelierunt eum honorificè in Laubaco suo Monasterio, in Ecclesia quæ sita est in cacumine montis, ad cujus radices situm est Monasterium, & ædificata in honore sanctæ MARIÆ [b] semper Virginis Dei genitricis, ubi præstantur virtutes & beneficia ad laudem & gloriam, &c.

NOTA. a

b

a Id est *ad summum elementorum per alphabetum distinctos*, ut habet Anonymus in secunda Vita S. Erminonis ad ann. 737.

b De ista Ecclesia & de tempore mortis agendum infrà.

ALIA VITA

Auctore RATHERIO Veronensi Episcopo, sæculo X.

Ex Aprili Suriano & ms. cod. Laubiensi.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. DOMINIS *Reverendissimis, Patribus dilectissimis & Doctoribus eruditissimis, cuncto etiam Christicolarum gregi in Laubiensi Cœnobio degenti*, RATHERIUS *ejusdem quondam Monachus, modò verò Veronensium Episcopus, utroque hoc licèt divinitatis dono penitus indignus, ea in Domino quæ suis ipse Fidelibus paravit ab initio.* Apud venerabilem nuper sanctæ Cumanæ Ecclesiæ justo Dei Judicio exsulantes Epi-

scopum, reperimus libellum, pauca de virtutibus continentem domini ac specialis Patroni nostri, sancti videlicet URSMARI Episcopi: continentiâ rerum quidem, auro obrizo topazióque præferenda; locutionis verò solœcismis ita pro suî modulo refertissima, ut difficile fuerit deprehendere, utrùm scriptoris negligentiâ, an dictatoris hoc contigerit insipientiâ. Quod cùm non parum pro tempore nos offendisset, curavimus ea ejusdem operis solummodo corrigere vitia, quibus aut in sensu lectoris naufragare poterat intellectus, aut quæ nimia sui deformitate fastidium ingererent audientibus. Simplex autem, & (ut ita dicamus) pæne rusticus cùm totus sermonis textus altus possit videri sapientibus, à nobis ideo minimè penitus visus est commutandus, quia & sanctarum auctores Scripturarum ferulas contemnere novimus Grammaticorum; & doctrinam simplicem piscatorum quàm sophismata philosophorum Deo magis placuisse in salvatione conversarum ubique cernimus nationum. Epistolaris verò cujusdam ANSONIS, sancti, ut credi potest, quamquam non adeo diserti viri, quam eidem suo operi præposuit Præfatio omittenda visa est omnino: quia tanta ei inerat confusio, ut ipsa quoque Auctoris in ea lateat omnimodis intentio. Recipiat igitur vestræ Paternitatis sanctissima caritas hunc à vestro, non audemus dicere, filio, sed servulo, & equidem, prô nefas! fugitivo, quantulumcumque benignè instructionis vestræ fructum, & cum his quæ apud vos leguntur, caritativè conferat. & si consonant, optimè; sin aliàs, discernat prudentissimum urbanitatis vestræ palatum, quid ex his melius aliquid sapidiúsque contineat, & hoc pro meliori sapidioríque utendum retineat. illud sollerter minùs eruditis nobiscum consulendo cogitans, quia juxta cujusdam Sapientis sententiam, Bona est locutio, planè & suaviter congruentérque movens audientem, nedum historia aliquid continere debeat creperum*, dum non ob aliud sit edita, quàm ut causas præsentium vel præteritorum, ad notitiam transferat futurorum. Precor interea, ut inter hujus mundi miserrimè fluctuantem naufragia, orationum vestrarum me contineat anchora, idipsum à modicitate præstolantes mea: tantùm peccatoris non dedignetur Dei pietas intendere suspiria. Deus autem Pater pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per eumdem JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum: apud cujus clementiam piissimum intercessorem jugiter invenire mereamur Ursmarum sanctissimum, cujus vitam in præsenti elucidare disposuimus ad laudem & gloriam omnipotentissimæ Trinitatis & ædificationem populi convenientis.

ANN. CHR. DCCXIII. APRIL. XIX.

Vitam S. Ursmari Cumis repertam expolit Ratherius.

* *id est* dubium.

INCIPIT VITA.

2. BEATUS igitur Ursmarus Episcopus, bonorum omnium præconio dignus, pago Teoracensi, & villa quæ vocatur *Fleon* oriundus, à Domino est electus per prædestinationem, priusquam sæculo daretur per originem. Gravida namque matre ejus de eo, apparuit ei quidam venerandus senex per visum, in manu sua quemdam tenens puerulum, pronuntiánsque: Accipe, inquit, hunc puerulum, nutriésque eum. Magna enim fames eamdem tunc temporis oppresserat regionem. Respondens verò mulier ait seni: Unde hoc faciam, domine, cùm desit mihi panis ob magnitudinem quam patimur famis? At ille dedit ei panem valde candidum, dixitque ei: De hoc pane nutries illum. Quem cùm accepisset, crevit inter a

a Confer primariæ Vitæ lectionem, & vide utra præferenda.

Ann. Chr. DCC XIII. April. XIX.

manus ejus magnus valde. Tunc eadem mulier inquit: Istud quod video, quid signat, domine? Cui ille: Filium, inquit, es paritura, qui de Regno aliquam Christo lucrifaciet partem. Quod postea verum fuisse ipse ore monstravit. Tantam siquidem à Domino gratiam est consecutus, ut omnes pabulo verbi divini reficeret, qui ad eum gratiâ colloquendi venirent. Iterum autem mater ejus depressa somno, aliam visionem vidit continuò. Scalam quippe contra se stare videbat, cujus cacumen cælos tangebat, per quam idem puer scandens cælum ingrediebatur. Ipsa verò eumdem usque ad scalæ est prosecuta cacumen: sed sequi, ut adserebat, potuit, consequi omnino non potuit. In se itaque reversa cognovit ilico hæc veraciter omnia, suum, quem clausum utero detinebat, præfigurare filium. Hæc & his similia quamplurima de proprio mater cognovit filio, & ante nativitatem, & postea, quæ prolixum est enarrare per singula. Exsultans itaque in Domino mater aiebat: Scio certissimè, quòd Dei operante clementia magnus erit filius meus quem gesto, & felicem me talis nati susceptione profiteor.

3. Editus itaque puer, Ursmarus est vocatus, adultúsque Doctoribus sacrarum traditur Scripturarum. Qui imbuerunt eum sacris litteris divináque lege, non mediocriter, sed perfectè; nec sæculariter, sed monasticè atque regulariter. Ab ipsa verò pueritia senilia exsequens opera, nequaquam in voluntate propria, sed in voluntate ambulabat divina. Crescente sanè ætate, etiam morum probitate pollebat. Erat enim corpore castus, mente incorruptus; amabilis cunctis, affabilis universis; animo benignus, corpore pulcherrimus; prudentiâ callens, fortitudine vigens; temperantiâ serenus, justitiâ severus; longanimitate perfectus, eleemosynis largus; abstinentiâ parcus, patientia & humilitate præditus; mansuetudine ac pietate refectus, caritate non ficta repletus; fide robusta stabilis, spe inconcussa longanimis. Harum verò omnium virtutum commercia exaggerabat ejus in animo cuncta disponens sapientia. Sermo quoque ejus juxta Apostolum sale erat conditus. (Coloss. 4.) Siquando opportunum tempus videret, sine ædificatione proximorum horam transire minimè sinebat. Terrena quoque cuncta despiciens, ac cælestia concupiscens, illi soli vacare desiderabat, cui se totum à puero devotus tradiderat.

4. Orationi frequenter incumbens cum lacrymis & compunctione cordis Dominum deprecabatur, ut quæcumque meditaretur vel ageret, in conspectu ejus accepta forent. Ipse verò, qui eas potenter inspiraverat, misericorditer pias illius dignatus est exaudire preces. [a] Pastoralem deinde cathedram adeptus, tanta Domini sublimatus est gratia, ut pæne omnes mortales anteiret, sæculóque inhabitans, nihil in se sæculi haberet. Scripturarum denique doctor, Monasteriorum constructor, provisor Ecclesiarum, custos animarum, nutritor orphanorum, defensor viduarum, redemtor captivorum erat. (Iohan. 10.) Gregem sibi commissum ita diligebat, sicut Veritas ipsa diligendum docuerat. Nam si grassata fuisset, ut antiquitus, vesania tyrannorum, mori pro ovibus dominicis minimè trepidasset. Quid plura?

5. Vir iste dissimilis longè fuit illis hominibus, quos nunc passim cernimus nostris temporibus: neque audivimus aliquem qui absque carnificis gladio tam diro cruciatus sit martyrio. Nos verò idonei non sumus enarrare vel scribere omnes quas in sæculo pertulit passiones: præsertim cùm novem annis & decem hebdomadibus absque alimonia vixerit panis, ob ægritudinem corporis. Cibus verò quem sumebat ipse, tam tenuis & modicus erat, ut eo sustentari

[a] Hoc loco in cod. ms. Interpolator nonnulla inseruit de Landelini discessu è Monasterio Laubiensi, & S. Ursmari substitutione per Hidulfum, quæ infrà ex codice Laubiensi & Chesnio referemus ab his verbis: *Post discessum à Laubaco S. Landelini*, &c.

saltem quiret hominum nemo, nisi miraculo, ut & ipse, divino. Omnes autem, qui eum cernebant aut audiebant loquentem, mirabantur quòd tam robustus esset & eloquens, absque alimonia panis vivens. Aqua verò ejus erat potus, & aliquoties sicera: qua tamen paullulùm raróque utebatur. victus illius is erat, quem absque officio dentium sumere valebat. Tanta quoque ejus erat patientia in hujusmodi atque aliis tribulationibus, ut posset comparari patientiæ Job beatissimi, qui non peccavit labiis suis, nec stultum quid contra Deum locutus est. Laudem econtra Domini jugiter concinebat, atque secundùm Prophetam benedicebat Dominum in omni tempore, laus ejus semper in ore ipsius resonabat. Conjicere verò possumus veracissimè, quòd vir iste de illo vivebat pane, qui de cælo pro nostra descendit salute. Nam sicut fuimus præfati, ita facundus erat dono spirituali, ut quasi fons fluens, aut fluvius inundans videretur. Quæcumque verò prædicabat ore, adstruebat actione, validiora esse sciens exempla quàm verba, & plus opere docere quàm voce [a].

Iob 1. *Psalm. 33.*

6. Operæpretium verò fore judico jam nunc prosequi stilo, quàm efficax viro sancto inerat virtus ad effugandos hostis antiqui incursus. Erat quoddam Monasterium quod dicitur Melbodium, duodecim ferme millibus à Laubaco suæ provisionis distans Cœnobio, in quo erat Sanctimonialium turba non modica. quarum unam spiritus invasit malignus, cœpítque eam vehementer laniando vexare, atque per os ejus immunda & turpia loqui. Porro illic inhabitantes grandis horror invasit, nimiúsque pavor etiam corda vicinorum perterruit. Tenentes autem eam Sorores dicebant ad dæmonem increpando: Quomodo introïre ausus es famulam Dei? Et subjungebant dicentes: Impurissime dæmon, exi ab ea. Quibus ille respondens, dicebat: Non exeam, priusquam Ursmarus Episcopus veniat, & ipse me exire compellat. Hanc autem confessionem nequaquam ei adscribimus, qui ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit: sed Dei imperio cogente, vera eum fatemur dixisse, non sponte, sicut in Evangelio: *Scimus*, aiunt dæmones, *quòd scis filius Dei*. Quod utique cùm esset veracissimum, præter alia innumerabilia B. Petri prodit testimonium, iisdem verbis Domino interroganti gloriosæ præbentis confessionis responsum; tamen quadam sui parte mendacissimam mentitam esse malitiam, testis est dominica passio, ab impiis instinctu patrata diabolico. Nam licèt noverit pro salute humani generis Christum venisse, nesciens tamen ordinem liberationis nostræ, illusus est morte dominica, quasi avis decipulâ. Ostensa namque mortalitate quam ille interimere appetebat carnis, abscondito captus est hamo divinitatis. Ceterùm si indubitanter sciret hunc esse Christum filium Dei vivi, agnovisset mortis legibus nequaquam posse teneri. Si agnosceret posse non mori, non hunc suaderet crucifigi. Non enim intellexit humanæ perditionis audacissimus lanio, quòd suo frustraretur imperio in Salvatorem mundi sæviendo. Ignoravit antiqua malitia, quia jus perditionis humanæ non admitteret, si se à Redemtoris hominum sanguine continuisset. Unde & Apostolus: *Si hunc*, inquit, *principes sæculi cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Principes verò quos dixerit sæculi, ex alia ejus sententia conjicere possumus, qua ait: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.* Ipse quoque Dominus: *Princeps*, ait, *hujus mundi venit, & in me non habet quidquam.* Quamvis & de Herode & Pilato non incongruenter possit accipi secundùm illud quod Psalmistæ voce dicitur: *Adstiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum & ad-*

Marci 1. *1. Cor. 2.* *Ephes. 6.* *Iohan. 14.* *Psalm. 2.*

a Etiam hîc plura inserit Interpolator Ratherianus de prædicatione S. Ursmari, infrà.

ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX. *versus Christum ejus*. Sed illi principes specialiter unius populi, non principes sæculi generaliter appellati sunt. Cùm ergo veracissimum sit, *Tu es Christus filius Dei vivi*, testimonio B. Petri; mendacissimum est, *Scimus quia sis filius Dei*, testimonio diaboli. Et sicut Petrus ait, *Quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cælis est*; ita & diabolum calliditas astutiæ & subtilitas naturæ hoc confiteri non fecit, sed vis atque potestas ejus, qui ad eum destruendum de cælis advenit. Ut verò divina illic in homine latente præsentia tortus, mentiendo vera dixit dubius; ita hìc dominica in B. Ursmaro operante potentia, verum dixit invitus: in utroque verò non suo voto usus, sed jubentis imperio coactus. Altera igitur die ordinante Dei providentia, adfuit B. Ursmarus Episcopus. Cúmque relatum ei fuisset de ea quæ à diabolo vexabatur puella, jussit ilico sibi exhiberi eam. Quod cùm factum fuisset, ille non de sua, sed de Domini præsumens virtute, accepto libro cœpit legere exorcismum super caput ejus: dehinc benedicto oleo nares oculósque & os ejus linivit, & protinus immundum ab ea spiritum fugavit. Liberatâ tamen puellâ, pavor quidam, qui presentiâ diaboli seminatus fuerat, adhuc pectoribus vicinorum inerat. At vir Domini præcepit sibi aquam cum sale deferri: quibus benedictis, jussit spargi per cuncta Monasterii loca; & sic omnis pavor cum auctore suo abscessit satana.

Matth. 16.

7. Alio quoque tempore ducta est ad eum puella quædam sæcularis, plena dæmonio, quam jussit sibi in Oratorium deferri. Quo facto, præcepit eam vinculis quibus stringebatur absolvi: & post hæc cœpit Dei potentiam super caput ipsius invocare, ipsúmque dæmonem ut à plasmate Dei vivi recederet increpare. Mirum in modum hostis ille antiquus cœpit continuò anxiari & fremere, diversásque ac diras voces emittere. Sanctus verò Ursmarus jussit eam extra Oratorium trahi, ipséque subsequens percussit eam tribus vicibus baculo, quem gestabat manibus. Tum spiritus nequam exiit ab ea tam celeriter, acsi ipse fuisset percussus. Quam mox beatus Pontifex sanissimam Oratorio reddidit, perungénsque oleo benedicto, liberam abire permisit.

8. Habebat sanctus Pontifex neptem in jam dicto Monasterio Melbodiensi, quam ipse parvulam commendaverat sanctæ ALDEGUNDI. Quæ postquam fuisset adulta, orta est quædam in ejus collo sæva nimis infirmitas, quæ gutteria dicitur sermone Gallico. Adstruebant verò Medici, quòd aliter curari nequiret, nisi carne incisa cum uncino ferreo foras morbus traheretur. Hoc autem illis facere cogitantibus, contigit supervenire sanctum Domini Pontificem. qui accersito ad se Medico interogavit eum dicens: Dic mihi utrúmne valeas sanare eam. At ille ait: Nequeo, nisi cum uncino ferreo carne incisa morbum foras traham. Audiens autem vir Dei hoc, omnino facere prohibebat: quia oppidò eam diligebat, & periculosum hoc valde esse cernebat. Verùm imponens manum sæpius die illa super ipsum vulneris locum, dicebat: Vide, filia, ne patiaris tibi ferrum imponi. credo enim in Domini pietate, quia ipse te liberabit ab hac infirmitate. Nocte verò eadem vir sanctus uberrimas preces fudit ad Dominum ob ejus salutem. Lucescente verò die altera, à strato sospes surrexit puella, intantum ut nec vestigium infirmitatis remaneret in ea.

9. Eodem quoque tempore alia ægrota intra ejusdem Monasterii septa jacebat tam valido languore obsessa, ut omnes qui eam videbant, de salute ejus prorsus desperarent. Quæ cùm audisset tanti viri adventum, cœpit virtute, qua poterat dicere: Obsecro, ut rogetis illum ad me venire. confido enim in Deo, me revalituram quantocius, si eum videre meruero. Quod cùm

beato viro fuisset intimatum, absque mora ad illam accessit: cúmque intuitus eam fuisset, elevata manu signum crucis super ægrotam fecit, & ilico fugata febre mulier convaluit, vitámque sibi à Deo per interventum sancti viri redditam sæpissime multis ipsa narravit. ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX.

10. Post hæc itaque venerabilis Pontifex cernens paullatim sibi vires corporis minui, suæque diem vocationis imminere, curam cœpit non parvam gerere, ne grex sibi commissus relinqueretur sine Pastore. Tunc annuente Deo optantibus cunctis sanctus ERMINUS eligitur, vir omni bonitate repletus, atque Magistro moribus adæquandus; cunctis verò istius temporis hominibus meritò præferendus. Quem benignus Pater ut filium carissimum monuit amabiliter, quatenus gregem sibi commissum sollicitè pasceret, moribus & verbis secum ad æthera transferre satageret. Quod ipse agendum suscepit quidem molestè, sed Deo cooperante, strenuè peregit: inchoavit humiliter, sed perseveravit fideliter. Bonus igitur gregis Christi Pastor Ursmarus, moribus & annis maturus, digna suscepturus meritorum præmia, cælestia invitatur ad regna. Qui precibus carissimorum quos in Christo nutrierat filiorum, suum fideli Creatori commendans spiritum, ipsis præsentibus exsultans in Domino, carnis quartodecimo Kalendas Maii solvitur ergastulo, victurus in sæcula cum Christo: Angelorum evectus ministerio, cælesti infertur paradiso: ubi sine fine Patriarcharum fruitur fide, Prophetarum spe, Apostolorum consessu, Martyrum collegio, Confessorum ac Virginum contubernio, cunctorúmque cœlicolarum oblectatur perenni tripudio. Corpus verò illius à discipulis religioso compositum officio, cultu est honorifico tumulatum. In cacumine quippe montis, cujus radicibus jam exstructum adjacet Monasterium, Oratorium est in honore sanctæ Dei Genetricis constructum, in quo deposuerunt beati corporis thesaurum: ubi divina pietas demonstrat quotidie, cujus meriti illic habeantur Reliquiæ ad laudem & gloriam majestatis suæ, cujus honor, decus & potestas permanet sine fine, Amen.

a Hîc item Interpolator subjicit annum ac diem obitûs locúmque sepulturæ his verbis: *Obiit autem* XIV *Kalend. Maii, anno dominicæ Incarnationis septingentesimo tertiodecimo, Indictione* XI, *principatûs Pippini junioris anno* XXV, *feriâ tertiâ hebdomadæ Paschalis. Corpus verò illius à discipulis religioso compositum officio, cultu est tumulatum honorifico. In cacumine quippe montis, cujus radicibus jam fatum adjacet Monasterium, Oratorium est in honore sanctæ Dei Genitricis constructum, in quo deposuerunt beati corporis thesaurum, ubi divina pietas demonstrat quotidie, cujus meriti illic habeantur Reliquiæ*, &c.

APPENDIX.

De S. Ursmari prædicatione, die & anno obitûs, sepulturæ loco, Elevatione & Translatione.

1. *MIRUM est apud Ansonem ejúsque expolitorem Ratherium de S. Ursmari prædicatione silentium. Id officii breviter attigit Fulcuinus cap. 4.* Sanctus Ursmarus, *inquit*, ut erat semper lucrandis animabus intentus, prædicandi gratiâ se Flandriæ intulit versùs Menapum fines, qui ritu gentis adhuc detinebantur vanis superstitionibus: cujus doctrinâ ad Fidem Christi conversi, non minimæ partis prædiorum suorum illum faciebant heredem, & eam quæ est in Laubiis Ecclesiam Christi. *Rem prolixiùs refert Interpolator in codice Laubiensi & in fragmento Chesniano his verbis:* Post discessum à Laubaco S. Landelini, quem recedere ab eo loco gratiâ illuminandi Crispinium ubi nunc requiescit, suaserat spiritus Domini; B. Ursmarus cui Laubias Apostolatûs & exercitii sancti delegerat Dominus, verbo prædicationis & virtutum meritis clarus, accersitus à PIPPINO seniore, sub quo regnaverunt THEODERICUS ab eodem Principe in Textricio villa devictus, necnon & filii ejus Theoderici CHLODOVEUS & CHILDEBERTUS, filius quoque Childeberti DAGOBERTUS; idem Monasterium suscepit regendum per HIDULFI interventum, qui Ursmari prædicatio.

ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX. erat unus ex Principibus Regis majoribus. Ubi etiam pastorali inthronizatus cathedra, tantâ Domini sublimatus est gratiâ, ut pæne omnes mortales anteïret, sæculóque inhabitans nihil in se sæculi haberet. Quantæ autem virtutis sit & famæ, non magnopere nostrum est commendare. Scit hoc magna pars Galliæ & Flandriæ, ubi variis molestiis vexatos orationibus & meritis suis sanos reddit cotidie. Per quem cùm in partibus Galliæ, in Fania * scilicet & Teoracia * multi per eum conversi fuissent & constructæ quæ adhuc supersunt Ecclesiæ; sicut erat lucrandis animabus semper intentus, se ad prædicandum Flandriæ contulit versùs Menapum fines, qui adhuc detinebantur ritu gentis vanis superstitionibus. Cujus miraculis multiplicibus compuncti & prædicatione assidua ad Fidem conversi, ex magna parte prædiorum heredem eum statuunt, & eam quæ est in Laubias Ecclesiam Christi. Ipse etiam provinciæ dominus ALDO nomine, B. Ursmari prædicatione ad Fidem Christi conversus, donavit de suo dictum vocabulo *Aldeburch* vicum: in quo construxit atque consecravit Ecclesiam in honore B. Petri Apostoli, & mille passus undique per circuitum, de qua postmodum dotavit Laubiensem Ecclesiam, quatinus ipse B. Apostolus cui à Domino ligandi atque solvendi collata est potestas, patrocinaretur Flandrensibus & Menapibus, qui de diversorum idolorum cultibus revocati, facti erant una Ecclesia Christi. Sunt autem loca in circuitu vici *Aldeburch* dicti: in quo etiam loco Ecclesiam quæ adhuc superest ædificaverunt in honore S. Ursmari. Ubi crebrò quæ & quanta Deus per eum operatus sit miracula, sola illius colligit scientia, qui ab initio Verbum Patris constat & Sapientia. Et quia locus se obtulit reddendæ dubitantibus & quærentibus rationis, cur scilicet dictus sit Episcopus, cùm Laubia non sit sedes episcopalis; pro tempore expediendum est paucis. Quia enim, ut præfatum est, intentus erat semper lucrandis animabus, & quia multi barbaricæ gentis, ut supradicti Flandrenses, adhuc detinebantur vanis idololatriæ superstitionibus; prædicandi tantùm gratiâ, sicut competebat rudimentis novellæ fidei, est ordinatus Episcopus, quod factum quoque de S. Amando legimus. A quo etiam locus Laubiensis tantam dignitatem est adeptus, partim ab hoc, partim quia locus regius regiâ munificentiâ est constructus, ut nulli committeretur, nisi primùm esset ordinatus Episcopus. Quæ dignitas perduravit etiam in multos successores, qui leguntur fuisse Episcopi & Abbates. De qua etiam adhuc tantùm superest in eo loco, ut Abbati liceat uti sandaliis, tunica subdiaconali, habere potestatem ligandi atque solvendi, & ubique uti anulo aureo & chirothecis. *Hactenus fragmentum Chesnianum seu Interpolator Ratherianus, qui in codice Laubiensi orationis seriem resumit in hunc modum.* De his hactenus. nunc revocemus stilum unde digressi sumus. Operæpretium verò fore judico, *&c. ut apud Ratherium num. 6.*

* le Faigne
* la Thierache.

Obitûs tempus.

2. *Diem obitûs S. Ursmari signant Ratherius & Martyrologia* XIV. Kalend. Maii; *annum* DCC XIII *Fulcuinus cap. 5, cui Anso in Vita S. Erminonis, Ratherii Interpolator, & Chronicon Leodicense apud Labbeum adstipulantur.* Rexerat autem Monasterium Laubacense decem & septem annorum ferme tempore, *inquit Anonymus in secundaria Vita S. Erminonis, rectiùs forsitan,* annis viginti septem, *si S. Landelini obitum bene collocavimus ad annum* DC LXXXVI. *In Fontanellensi chronico breviori ms.* anno DC XCVIII. Ursmarus per interventum Hidulfi Principis Lobiense Cœnobium à Pippino Principe *dicitur* suscepisse ad regendum.

Sepulturæ locus.

3. *Locus sepulturæ designatur ab omnibus* Ecclesia B. Mariæ sita in vertice montis cui subjacet Monasterium, ubi cimeterium constituit esse Fidelium, & ad quam conflueret populus; nam illicitus, ut nunc quoque, *ait Fulcuinus cap. 4,* nisi certo tempore apud aliam erat feminarum accessus. *Istam Ecclesiam Baldericus in Chron. Camerac. lib. 2 cap. 38* Monasterium SS. Ursmari & Ermini *appellat describitque his verbis:* Erat namque Ecclesia parochialis subjacens prælibato Cœnobio, quæ juxta, scilicet in vertice montis sita est: ubi ipsi Monachi, sed & omnes collimitanei circum & circa degentes, tumulandi ferebantur. Ad hanc etiam beatissimi viri Ursmarus atque Erminus quum defuncti sunt, portabantur humandi: quorum meritis declarandis divina pietas multa miracula dignata est operari. *Postea* tot & tantis munificentiis locus ille donatur, ut modernis temporibus Monasterio facto Canonici mitterentur. *Collegium Canonicorum quod ante annos sexcentos in ea B. Mariæ Ecclesia institutum fuerat, Binchium migravit anno* M CCCC VIII, *bellis in agro Leodicensi sævientibus, ut scribit Miræus in Orig. Bened. in Belgio, qui & addit exstare adhuc hodiéque istam parœcialem Basilicam, in eâque etiamnum aut in cœmiterio adsito, Abbates, Monachos & incolas omnes Laubienses terræ mandari: adeout mortalium nemo Laubiensi in Monasterio sit conditus.*

4. Cer-

4. *Corpus S. Vrſmari è tumulo elatum eſt per Fulradum Abbatem anno* DCCC XXIII, *teſtante Fulcuino cap. 10.* His diebus, *inquit*, lucernam ſuam Dominus quam juſtificando igniverat, ignitam beatificaverat, beatificatam miraculis clarificaverat, nolens diutiùs deliteſcere, ſed ad majorem venerationem cunctis hominibus propalare, prædicti Abbatis cor tetigit, & ut ſancti & venerandi & cum omni amore nominandi Urſmari corpus de ſepulcro levaret accendit. Quæ Elevatio facta eſt juſſu & permiſſu ejus qui tunc erat Cameracenſis Epiſcopus, *Halitgarii ſcilicet*, agentibus Clericis utriuſque Ordinis cum frequentia magna populari. Expleta itaque Elevatione diem illam feſtivam duxêre, nobiſque poſteris celebrem eſſe ſanxêre. Facta eſt autem hæc Elevatio anno Domini octingenteſimo vigeſimo tertio, ab ipſius verò Sancti, non dicam obitu, ſed natalitio, quo verè cœpit vivere in Chriſto, decimò poſt centum exacto. Abhinc ergo cœpit beati viri celebris fama crebreſcere, & confluentium languentium turmis ad diverſa ſanitatum genera miraculis coruſcare: quæ multâ prædeceſſorum noſtrorum ſeu ignaviâ, ſeu imperitiâ ad tempus jacuerunt, & ſtudia litterarum ſunt prætermiſſa. Nos ea quæ vidimus aut audivimus excellentiora tantùm notantes, ſuis in locis ponemus. *Elevatio S. Vrſmari celebratur* VII Kalend. April. *qui dies notatur in Chronico Leodicenſi apud Labbeum Tomo I Biblioth. nova. Poſtea ob bellorum procellas corpus S. Vrſmari tranſlatum eſt in opidum Binchium Hanoniæ vicinum anno* MCCCCVIII, *& poſitum in Eccleſia collegiata Canonicorum Laubienſium, qui ab eo tempore Binchii conſederunt, unà cum Reliquiis SS. Erminonis, Theodulfi, Vulgiſi, Amolguini & Abelis Epiſcoporum & Abbatum; necnon Hidulfi Ducis & Amelbergæ Virginis: quorum ſacræ exuviæ octo feretris argenteis incluſæ ibidem adſervantur. Nunc ad S. Vrſmari miracula veniamus.* ANN. CHR. DCCXIII. APRIL. XIX. Elevatio & Translatio.

LIBER MIRACULORUM,

A FULCUINO Abbate Laubienſi, deſcriptus capp. 25. 30. & ſeqq.

1. GENS quædam ripam inſidet Danubii, provinciam quam incolit, Pannoniam vocaverunt antiqui, Hungariam moderni: ex qua Hungri venientes antè nobis ſunt inſita ſibi & naturali barbarie comperti, quàm origine cogniti: quorum inſatiata crudelitas ſub HENRICO Rege tranſgreſſa terminos Morahenſium, quos ſibi non longè antea impia uſurpavit licentia, pleraſque provincias Regni ejus ferro & igne longè lateque vaſtavit. Poſtea ſub OTTONE filio ejus orta eſt tempeſtas contentionis, dormiente, puto, JESU in pectoribus vigilum ante fores domûs Domini excubantium, itaut quidam ſocii ſatanæ Regem conarentur exſtinguere. Caſſato per Dei miſericordiam hoc per ſerpentinum ſibilum concepto conſilio, nequitiæ ſuæ virus per totius Regni ejus viſcera diffuderunt. Erat in ea conjuratione Princeps ipſius Regis filius LIUDULFUS, ſpectabilis adoleſcens & vnicè carus, ſi ſeductoribus minimè credidiſſet, & heres eſſe, non proditor maluiſſet, & cum eo quaſi quidam ſtimulus CONO Dux paullo antè fortiſſimus; quibus (ut ita dicam) omnia erant in manibus, agendo, non ut plus haberent, ſed ut nihil haberent omnimodis effecerunt. Hi Hungros antiquam (ut prædiximus) peſtem ſollicitaverunt, ut Regnum in ſeipſum diviſum invaderent, arbitrantes hoc modo ſibi ſollicitudinem qua premebantur, aut penitus adimi, aut aliquatenus poſſe minui. Hungari in Galliam evocati à ſeditioſis,

2. Hac de re ſæva Hungrorum gens, & qualem numquam terra noſtra ſenſit barbariem, à perverſis illecta civibus, tranſitis Germaniæ & pleriſque Galliæ provinciis, cui jam olim nobilis ille Francorum populus inſedit, omnia ferro & ignibus vaſtatura ſe totam infudit. In hac acie Cono præ-

ANN. CHR. DCCCXIII. APRIL. XIX.

dictus cum suis sequacibus militavit. Sed ubi Trajectum ventum est, quam Mosa alluit, incertum qua de causa ab eis descivit. Hungari Hasbaniam ignibus & deprædatione aggressi Carbonariam petunt: famâ ad nos perlatâ, mittitur è collegio nostro HUCBERTUS Frater patiens laboris & fugitans quietis, & semetipsum impendere paratus ob amorem loci & sanctæ religionis, pacisci cum illis. Facta pactione de solidis ducentis, revertitur post hæc obsidibus ab eis acceptis. Sed nostri non satis creduli (quæ enim fides est infideli?) munire Tudinium [a] tentant, quod Raginerus suspectam habens Leodiensem militiam jam pridem destruxerat: sed misso rursus milite prohibiti sunt munitionem firmare. Quid tunc agerent imminente hoste, sublata itaque spe Tudinium potiundi, nulláque exstante fiducia in re militari? Siquidem laudata illa & cunctis sæculis prædicata Hlotariensis militia in Hungrorum adventu justo Dei judicio hebetata, suis munitionibus passim tenebatur inclusa: nostra quæ residua erat Deo dilecta Monachorum turma, non sibi satis fida Ecclesiæ familia, montem ubi sanctorum Ursmari & Ermini corpora venerantur, diu antè deliberans scandit, & de Dei fisa adjutorio cum plaustrorum vel qualiumcumque surculorum vel sepium impedimentis eum in modum munitionis cingit, agente id (ut credimus) Deo, ut ostenderet numquam deesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.

[a] Laubienses cum illis paciscuntur,

montem suum muniunt.

Die octava Paschæ ab Hungaris capti plures, [b]

3. Jámque advenerat Paschalium dierum sancta celebritas in completione octavarum ipsius, quæ erant tunc IV Nonas Aprilis [b]; ecce in exordio matutino subitò densaverat aërem equorum nebula, & quasi ex abditis terræ finibus emergebant galearum millia. Expavêre nostri, & mortem sibi præmeditati qui agiliores erant, simulacrum (ut ita dicam) munitionis scandunt, immo verò futuram munitionem per Sanctorum Dei intercessionem. Qui verò graviores erant ætate & impeditiores, substitêre; qui substiterant capiuntur: obsidentur alii; obtruncantur in conspectu adspicientium duo de Monachis TEUTMARUS & THEODULFUS, reliqui captivitati reservantur: nulla erat inter obsessos & captos distantia, nisi quòd secundùm quemdam gravior exspectata quàm illata mors.

duo necati,

4. Interea urgentur obsessi, nec ulli telorum aut tormentorum parcitur generi. Nostri econtra, quia pro animabus illis erat res, juncto sibi Clericorum, ipso etiam Monachorum auxilio (quamvis illicitum sit huic Ordini arma tractare) eniti obnixè. Jámque hostibus irrumpentibus, jámque in mutuis amplexibus hærentibus; plerisque mortem sibi, plerisque deditionem pingentibus, ecce ex respectu miserantis Dei ex adytis templi duæ columbæ evolant, quæ terna circuitione acies obsidentium vallant. Subsequitur posthæc pluvia pergrandis, quæ gentilitiam illis sagittandi artem chordarum distensione frustravit: metus quoque ac terror tantus in eos irruit, ut maturarent fugere, & Principes ipsi uterentur flagris in eos qui volebant subsistere. Adducunt autem eos quos morti residuos ceperant. Ecclesia sancti Pauli incensa, & major tentata; sed miseratione Dei salvata. Thesaurum Ecclesiæ & optima quæque Theodulfus alius ad munitionem quamdam partim transportaverat, partim in ipsa Ecclesia terrâ obstruserat. Dictum postea est & putatum verum, quòd à quodam capto pusillanimitate sufferendi sit proditus: nam effossus est & exportatus. Voverunt tunc omnes in commune diem illum sibi & posteris festivum fore: & est celebratio, quæ in nostris Martyrologiis inscribitur sic: *Quarto Nonas Aprilis*,

alii in arce divinitus liberati.

Ecclesia major ab incendio intacta. Thesaurus expilatus. Festus dies annuè institutus.

[a] Tudinium castrum, vulgò *Tuin*, ad Sambram fluvium, paullo supra Laubias situm, de quo num. 17 infrà.

[b] Anno proinde DCCCCLIV, quo Pascha in VII Kalendas, dies octava in IV Nonas Apriles incidebat. Lege Chronicon Frodoardi.

commemoratio meritorum Ursmari & Ermini, quo meruerunt Laubienses ab Hungrorum obsidione eripi. ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX.

5. Nec tacendum, quòd hi qui capti fuerant, in brevi revertuntur omnes sani & læti. Nec Hungros illud impune fecisse passus est Deus. Nam cùm prope jam esset summa dies & ineluctabile tempus, quo Deus omnipotens propitius terræ populi sui, ulturus sanguinem Sanctorum suorum, vindictam retribuere vellet in hostes eorum; aggravata est rursus ultra modum & omnino intolerabiliter superbia ferocissimæ gentis Hungrorum, seducta, credo, superioris anni successu. Siquidem, ut veracissimè dictum est, *Ante ruinam exaltatur cor*, ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Captivi redditi.

6. Prævenit hanc imminentem pressuram Ecclesiæ pax in Placito regali quod in *Armestat* habitum fuit, ex integro condicta, fuit magna jam parte per Imperatoris fratrúmque ejus sapientiam confirmata. Et revera tribubus & linguis innotuit, quia non est Deus dissensionis, sed pacis, tamquam ejus initio operatus est salutem in populo suo. Imperatoris quidem spiritus agitabatur in ipso, quia non erat ei tempus exercitum congregandi: sed fiduciam habuit per Christum in Deum, qui potens est salvare in paucis sicut in multis. Aderat ibi Cono non jam Dux, sed miles, toto (ut putabatur) animo conversus ad pacem, quam paullo antè atrociter impugnabat: cilicio membra domans, Deum (ut fertur) gemitibus exorans, ut si sic ejus sancta voluntas exsisteret, permissâ Regi nostro & exercitui ejus victoriâ, eum ab impiis, quibus se plus malè conjunxerat, permitteret trucidari, ut possit in perpetuum ab eorum consortio liberari. Imperator indici sanxit jejunium in ipsa quæ tunc erat vigilia sancti Laurentii Martyris, per cujus interventum sibi populóque suo ipsum Deum poposcit esse refugium. Propositum suscepti operis negat expedire* bellum, primo sanctæ festivitatis diluculo susceptum, vixdum vespertino crepusculo, Deo misericorditer dispensante & pro suis pugnante, satis feliciter peractum; miserandum post victoriam Cononis interitum, gloriosissimum Imperatoris triumphum; Regem ipsum Barbarorum, Duces ac Principes captivos; tropæa per totam Regni illius latitudinem usque ad ejusdem gentis fines frequentissima: quæ omnia proprii industriam operis ad laudem & gloriam omnipotentis Dei exspectant. Pax facta. *id est describere

7. Ecclesia trans Sambram, in monte quem nos Sanctorum, vulgus Pulchrum vocat, ejus tempore cœpta est occasione hujusmodi. Arebat quodam tempore terra, & denegatis pluviis desuper sole torrente Heliæ timebantur tempora. Omnis plebs & tota provincia cucurrit ad exspectata sibi sæpe suffragia, sanctum videlicet Ursmarum patronum in hujusmodi anxietatibus ad Dei gratiam reciprocandam adsuetissimum, rogans Abbatem ut prolatis Sanctorum pignoribus more Litaniarum circumferri ea præciperet. Rem Abbas ad Fratres refert, laudant devotionem plebis, dicunt eis satisfieri debere. Indicto ergo generali jejunio in die præfixo, plebs tanta confluit, quantam in unum vix umquam vidit nemo. Producuntur in feretris composita Sanctorum corpora, non sine magno populi luctu permistâ lætitiâ: & quia tanta erat populi multitudo, ut eam cujusvis campi quamvis latissimi vix caperet amplitudo; proposuerunt, ut primùm his qui ultra Sambram erant, salutanda deferrentur in monte suprà memorato & in loco prævisο. Ibi tanta fuit populi devotio, ut non possit prosequi scripto. Ex sumtibus quos largitus est populus, designata est & incœpta Ecclesia: quando vel à quo erit perficienda, in Dei est providentia. Reportata sunt & citra*: & hîc nihilominus tanta erat multitudo, ut invicem attarentur. Ostendit & Dominus devotionem istam plebis per merita sancti Ursmari ex cap. 30. & seqq. Tempore siccitatis delatum Sancti corpus. *id est citra Sambram

Ann. Chr. DCC XIII. April. XIX.

Pluvia obtenta.

* id est ventus

sibi placuisse. Nam ipso die in magna cæli serenitate obnubilato aëre, factus est sonus * subsequuturæ pluviæ, quæ postea tam larga profluxit, ut satis sufficeret, & copias anni fertilissimas redderet.

8. Et quia parum hoc de virtutibus S. Ursmari prægustavimus, & ad nostri temporis fæcem, sicut præposuimus, Deo donante pervenimus, libet in fine Opusculi in miraculis ejusdem Patris aliquantisper immorari. Nam si quod promisimus, nos quoque volumus, & tali modo fœnus persolvimus.

Apud Villam-Reliã cæcus lumẽ recipit.

* Villerelle

* al. infodisse

9. Fundus est, quam Villam-Reliam * vocant, is nobis vicinus est & in ea memoria sancti Ursmari. Ferunt eumdem virum Dei dum mundo exsularet, Regem apud Leptinas commorantem crebriùs inviseret, quia locus viæ est, illic solitum requiescere; atque ibi dentem, qui ob nimium dolorem (qua valetudine ille plurimùm laborabat) illic deciderat, inibi defodisse *. Locus iste Ecclesiâ sacer erat, sed civium negligentiâ destructa fuerat; altare tantùm, & hoc incultum remanserat. Cæcus quidam ibi erat, cui in mentem sedit ut altare viminibus cingeret, ne pecoribus aut canibus adibile esset. qui quadam die puero præduce in silvam perrexit: dùmque virgam ad se applicat, ut eam cum ferramento copularet, in ipso conamine oculi ejus ita aperti sunt, ut clarè videret.

Contracta sanatur.

* supple Dominica

10. Anus quædam apud nos erat, quæ interdum Ecclesiæ stipendiis, interdum Fidelium eleemosynis alebatur, cujus manus dextra ita erat contracta, ut ungues digitorum volam palmæ viderentur perforasse. Hæc die quadam quæ habebatur Dominica, erátque dierum Quadragesimalium tertia *, in Ecclesia sancti Ursmari loco suo stetit, & inter Missarum celebrationem subitò intremuit; cùm subitò & propter diuturnitatem incommodi illa insperata, cœperunt se nervi digitorum extendere, & manus ad officium suum redire. Illa ut persensit, Ecclesiam vocibus complevit. Plena erat Ecclesia, subsequuntur omnes: Deo gratias, Deo laudes nemine tacente in commune dicuntur. Curritur ad me ubi eram in Ecclesia majori: unus post alterum aliquid adportaturus novi, & quasi non priùs esset dictum, rumigerulus adferebat nutibus gaudiorum. Nos ilico ad Ecclesiam scandimus, invenimus illam præ miraculi stupore stantem & trementem, attamen sanam: laudavimus Deum, & ita discessum est.

* *Hîc duo miracula de energumenis liberatis omissa.*

Presbyter paralyticus vegetatus.

11. Presbyter est, quem Osingerum nominant, qui ita paralysi erat dissolutus, ut cervix in ipsa junctura resiliret. quid dicam? quòd loqui non poterat, cui omnium membrorum officia solo spiritu anhelante defecerant. Hic in hac valetudine annum explens, alterius solatio eleemosynis Fidelium sustentabatur. Jacebat autem in villa *Fleon* dicta, cui vicina est illa nativitatis S. Ursmari ministra, in qua erat Ecclesiola lignea, quam ferunt eum propriis manibus compaginasse, & in prædio suo dedicasse. Quadam die euntibus quibusdam cum plaustris in Augusta-Viromandorum mercandi gratiâ, rogavit virtute qua poterat, ut superpositus plaustro ad supradictam Ecclesiolam duceretur. Factum est, positus est in Ecclesiola, & ibi pernoctavit. mane autem facto voluit tentare confisus de Dei misericordia & S. Ursmari intercessione, utrum per se in ipso grabato posset sublevatus residere. Fecit, miratus est rem, deinde paullatim reviviscentibus membris (mirum dictu!) erexit se, & ambulavit gratias agens Deo & patrocinatori suo. Nos postea frequentibus ejus Missarum celebrationibus fruiti sumus in eodem loco. Sanus ipse de reliquo, præterquam cervix quæ resilierat parum retorta videretur, puto propter commemorationem tam mirifici

beneficii, ad propalandum omnibus quantum valeat in conspectu Domini meritum Sancti sui. ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX.

12. Retulit isdem Presbyter nobis, quòd dum quodam die in ipsa Ecclesia, cui in recompensatione jamdicti beneficii deserviebat, Missas ageret; lecto Evangelio vas quod consuetudinaliter juxta altare cum vino pendebat, in calicem versat: sed vinum ita congelatum erat, ut nec gutta proflueret. Dat vasculum Clerico ministranti, ut glaciem igne resolvat. Ipse interim offertorium percelebrat: dum tardatur, ille respexit ad calicem qui plenus vino inventus est, adeo ut pæne excresceret. Calici divinitus vinum infusum. NOTA.

13. Adso quidam erat in servitio fratris mei GODESCALCI, sutoriam artem agens, quem à puero contractum omnes cognovimus, ita ut progredi quòquam nisi cum scabellis nequiret. Hic quadam die ad sepulcrum S. Ursmari vota soluturus accessit, ferens secum cerea munera, candelas videlicet geminas, petiitque æditua, ut eum ibi pernoctare sineret. Concessit ille: pernoctavit iste. Statim in ipso conticinio orante illo & Dei potentiam præstolante, cœperunt se tibiæ complicatæ reducere, & tali pedum à diutina hæsione natium non sine magno patientis incommodo sejungere, usquedum plenè erectus, custodibus mirantibus in pedes stetit; sed præ nimio dolore, & indissueto progrediendi usu ambulare non potuit. qui præ nimia gratulatione quodammodo visus est fuisse ingratus, dum insciis omnibus mane Ecclesiam ingressus, nec tum laudes Deo dicere fecit, & ipse plenè doloribus caruit, Rageneriane [a] rebellioni se satellitem miscuit. Contractus erigitur.

14. Cæca quædam eleemosynâ Fredesendis illius, quæ Stephano cui Bebrona serviebat nupserat, alebatur. Hæc quadam die orandi causâ ad Memoriam S. Ursmari venit: & dum montem cui superposita est Ecclesia, ipsa scanderet, in intercapedine quam quercus antiqua disterminat, ex adytis templi, quasi per aliquas rimulas tenuissimas aliquantulum lucis se versùs vibrare persensit. Progressa demum ad S. Patris nostri tumulum, ita mirata est visum, ut GOZBERTO Præposito nuntiante faceret jocundissimum & in Dei laudibus speciosissimum. Actum est hoc sextâ feriâ ante Dominicam, quam vocant Medianam octavam. Cæca lumen recipit, Dominicâ Medianâ octavâ.

15. In territorio quoque Willare nobis deserviente quidam fuit colonus, qui cùm ceteris votivè ad constructionem trans-Sambrinæ quam prædiximus Ecclesiæ lapides subvehentibus insultaret, séque id servitium nullo modo subiturum dejeraret, repente omni membrorum officio debilitatus est. Sed ut reatum suum, serò licèt, cognovit; vota accumulavit: & sanus ilico effectus plus ceteris, ceteros accendens, quo potuit devotionis ardore confricavit. Irreligiosus punitus, sanatur.

16. Kalendæ erant Augusti, qui est dies celebris apud nos pro commemoratione vinculorum S. Petri. Sambra fortè tunc plus solito excreverat, & populus confluens ad festa festinabat. Inter agendum dum celebrantur Missæ, & ad eas trans-Sambrini globatim maturarent accelerare; pons quem subierant multitudine prægravatus decidit, immersósque quos acceperat alveus longè fluvio suo traxit. Facta igitur conclamatione turbatur Ecclesia. Egressi pæne omnes dum anxiarentur ad cadavera solum requirenda, mirâ Dei potentiâ cuncta illa immersorum examina sospita obviavere & læta. Dicat hîc quis quod vult: nos liberationem hanc Deo adscribimus, cui proprium est & singulare Sanctos ubique suos magnificare, & fidentes in illis operâ misericordiæ suæ in periculis eorum meritis sublevare. Aquis submersi eripiuntur.

[a] Id est Ragenarii Comitis Montensis, qui adversus Conradum Lothariensium Ducem rebellavit anno DCCCCLIII, apud Frodoardum in Chronico.

ANN. CHR. DCC XIII. APRIL. XIX.

Gislebertus Comes qui Monachis detraxerat, montem scandere nequit.

17. GISLEBERTUS ex quatuor Comitis ROBERTI filiis unus, nuper cum aliis qui MATHILDEM Comitissam stipaverant, apud nos hospitatum venerat. qui inter cenandum monachico Ordini quasi minùs profuso, utpote improvisis ipsis venientibus, cœpit detrahere, licèt pro opportunitate temporis illi sufficientes administrarentur copiæ. Mane facto montem oratum eques scandit: sed in ipso transgressu graduum, per quos adscenditur ad superius Monasterium, equus sub ipso labitur, qui calcaribus multoties cæsus minimè erigitur. Putaverunt quòd morbo, ut fit, sonipes urgeretur: tentatum est iterum & tertiò, quadrupes procul dubio immobilis jacet. Persuasum est illi ab amicis & comitibus, maximè à Bosone * Advocato nostro, ut si quid fortè teste conscientia transgressionis egisset, votum voveret, Deo & Ecclesiæ ejus satisfaceret, & quantociùs posset. Promisit, & descendens equum quidem sanum reperit, sed nisi deorsum montis ei insidere nequivit.

* al. Boso

Tudinii tria stillicidia apparent.

18. Nec tantùm in loco felicis ejusdem Patris requietionis fiunt à Deo ejus interventu hæc specialiter mira, sed in remotis ejus memoriæ dicatis locis persæpe ostensa sunt plura miraculo digna. Tudinium denique, nobis adjacens castrum, locum habebat Ecclesiæ S. Ursmari memoria sacrum, in quo quodam tempore, ea videlicet quæ erat Cena Domini nocte (sicut audivimus Bosonem Advocatum qui interfuerat referre) dum more solito in matutinali synaxi lucernæ exstinguerentur, & hymno Evangelii finito, terræ adstantes prosternerentur; tria stillicidia in modum illorum quæ videmus porcina ex pinguedine ardentia stillare, à summo tecti in pavimento distillavere, adeout aliquibus Ecclesiam incendere, aliquibus illustrare viderentur. Quod cùm omnes viderent, cuidam tamen TIETBERGÆ nobilissimæ matronæ orationi inibi procumbenti viciniùs & in ipso pæne occipitio visum est distillare. Et hoc cur factum sit, nobis est quidem incertum: nihil autem in terra sine causa fieri, quia legimus, non est dubium. Ternarius siquidem numerus unde sit sacer, Catholicis patet: & ignem Deum esse non fictè, sicut à Poëtis Wlcanus ignis dicitur, sed verè ut Apostolus sensit, tam ex ipsius verbis, ubi Deus noster ignis consumens est; quàm in eo quod Spiritus-sanctus verus in Trinitate perfecta Deus, in igneis linguis super Apostolos descendit, Orthodoxus quisque intelligit. Hanc igitur ternam igneámque distillationem Trinitas sancta *, utrùm pro alicujus adstantis approbanda devotione, quam eadem fortè tunc igniverat, ut ostenderet foris quod intus agebatur; an pro commendando Sanctorum patrocinio, quod magis credibile est, quos ibi populus devotè frequentabat; nobis quidem latet, sed ei qui omnia facienda prævidit & facta moderatur & regit, procul dubio patet.

* deest exhibuit, vel ostendit

Monasterii vexatores puniti.

19. Magnitudine seu enormitate suscepti operis evicti & enervati plura prætermittimus. Unum hoc ultimum, & omnibus prædicatum, pluribúsque sui comperto notissimum dicemus: quòd videlicet nullus qui Ecclesiæ illi umquam intulit damnum, gloriatus sit in annum: & si fortè pro quolibet, ut adsolet, injustè illato damno Monachi ex majori Monasterio, quod quidem inferius, est montem S. Ursmari scandunt reclamaturi, creditur, nec vana spes est, numquam inultum iri. Experti sunt hoc plerique, & serò licèt ingemuêre: nimirum locum quem rexit corpore vivens, tuetur meritis cum Christo regnans & in ipso gaudens.





ANN. CHR. DCC XIV. APRIL. XI.

VITA S. GUTHLACI PRESBYTERI ET ANACHORETÆ CRULANDÆ IN ANGLIA,

Auctore FELICE Monacho Girwensi, ejus æquali.

Ex mſ. cod. Cœnobii Lirenſis in Neuſtria.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. RES *geſtas S.* GUTHLACI *plures celebravêre auctores. Primus* FELIX, *non ille orientalium Anglorum (uti Ordericus Vitalis putavit) Epiſcopus, de quo Beda in lib. 3 cap. 18; ſed Monachus, non quidem Crulandenſis, ut pleriſque hactenus viſum eſt, immo* Congregationis ſancti Beda, *hoc eſt Girvvenſis Monaſterii: id quod diſcimus ex ipſius Præfatione, quam ex codice Vedaſtino per virum religioſum & doctum Stephanum* Le Pez *Cœnobitam Vedaſtinum accepimus. Secundus auctor eſt* ORDERICUS Vitalis, *qui* rogante venerabili WILFINO Priore *Crulandenſi* quamdam abbreviationem fecit de Vita S. Guthlaci, *eámque inſeruit hiſtoria ſuæ libro 4. Tertius eſt* PETRUS Bleſenſis, *qui librum unum de Vita S. Guthlaci ſcripſiſſe dicitur. Quartus denique* GUILLELMUS Rameſeienſis, *Monachus, dein Abbas Crulandenſis, facta patroni ſui Guthlaci heroïcis verſibus perſecutus eſt. Mittimus Vuillelmum Malmeſburienſem, ubi de Epiſcopis Lincolnienſibus; Matthæum Vueſtmonaſterienſem ad ann. 714, alióſque recentiores, quos inter Harpesfeldius de S. Guthlaco fuſius agit. Hîc edimus Felicis primarii Auctoris lucubrationem nuſquam publici juris factam. Petri Bleſenſis & Guillelmi Rameſeienſis ſcriptiones necdum recuperare potuimus. niſi ſi epitome ab Surio edita, eſt Guillelmi Rameſeienſis fetus.* — Vitæ Scriptores.

2. *De S. Guthlaco ſilet Beda, tum in hiſtoria, tum in Martyrologio; ſilent etiam antiqui Martyrologiorum conditores. Verùm Guthlaci ſanctitati adſtipulantur non ſolùm præcitati auctores, ſed conventus Londonienſis anno* DCCC XXXIII *celebratus, cui interfuerunt complures Epiſcopi & Abbates, Reges tres, Duces, aliique viri primores, qui* ſanctiſſimum Confeſſorem Guthlacum *appellant. Accedit Synodus Kineſburienſis, in qua ejuſdem Sancti miracula prædicantur, anno* DCCC LI, *apud Spelmanum Tomo 1 Conc. Angliæ.* — Guthlaci memoria.

3. *Monaſterium Crulandenſe*, Curteyſe *à Turketulo cognominatum, à S. Guthlaco originem habuit. Situm erat in inſula* Cruland *ſeu* Croiland, *aliis* Cruglond, *in finibus agri Lincolnienſis & Cantabrigienſis, inter Ninam & Vuellandum fluvios, haud procul ab Elienſi Parthenio & Monaſterio Medehamſtedenſi ſeu Petroburgenſi; conditum ab Ethelbaldo Rege Merciorum poſt obitum S. Guthlaci, qui inibi vitam anachoreticam cum* Tatwino, Beccelino, Egberto, Ciſſa *& paucis aliis egerat.* Meritis ejus datur, *inquit Vuillelmus Malmeſburienſis*, quòd ad corpus ejus ædificato Monaſterio, inter tot bellorum turbines, inter tot temporum volubilitates, nullam ærumnam vel detrimentum ſui locus ille perſenſerit. *Et quidem ferè inviolatus permanſit adúſque Henrici octavi tempora infeliciſſima. Monaſterii iſtius hiſtoriam labente ſæculo* XI *deſcripſit* INGULFUS *Abbas ſingulari libello, cum Vuillelmi Malmeſburienſis operibus vulgato. In eo variæ chartæ referuntur, inprimis una Ethelbaldi Regis, data* anno DCC XVI, *quâ plurima prædia* concedit omnipotenti Deo, B. Mariæ & S. Bartholomæo ad fundationem Monaſterii nigrorum Monachorum ſub norma S. BENEDICTI Deo famulantium: *quod confirmat Bertulfus Rex Merciorum anno* DCCC LV. *Iſtuc Monachos &* KENULFUM *Abbatem arceſſivit Ethelbaldus ex Cœnobio Eveshamenſi, quod nuper condiderat S. Egvvinus Vvicciorum Epiſcopus, de quo ad ann. 717. Nequis verò iſtorum diplomatum fidem elevare contendat, exemplaria* manu Saxonica ſcripta *Ingulfus à ſe viſa &* coram Rege concilióque ſuo *expoſita iiſque probata teſtatur ſub finem hiſtoriæ ſuæ.* — Monaſteriũ Crulandenſe.

Ann. Chr. DCCXIV. April. XI.

4. *Floruere in eo Cœnobio complures viri pii & illustres. istic cæsi à Danis* Theodorus *Abbas aliique Monachi anno* DCCCLXX. Turketulus *inde ex-Cancellario Abbas loci & instaurator fuit, vir inter Ordinis nostri illustres meritò cum primis adnumerandus, dignúsque qui* in festo Translationis S. P. Benedicti *ad superos translatus sit, relicto successore* Egelrico, *cognato suo*, viro religioso, experientiæ immensæ, prudentiæque mirandæ: *cui* Egelricus *alter suffectus anno* DCCCCLXXIV, vir magis libris & litteris sacris deditus, quàm in temporalium provisione doctus, *& ipse munere suo* sanctissimè strenuissiméque *defunctus anno* DCCCCXCII. *Ab isto post* Oskelum *virum maximæ caritatis & auctoritatis*, Godricum, Brithmerum, Wlgatum *&* Wlketulum *Abbates eximios, loco præfuit* Ingulfus, *ex-Monacho Fontanellensi Abbas Crulandensis, vir pius ac doctus, ab anno* MLXXVI *ad* MCV, *quo ei successor datus* Joffridus *sive* Goisfredus *Aurelianensis, teste Orderico, antè Monachus Vticensis, qui cum* Gisleberto commonacho suo & sacræ Theologiæ professore, & tribus aliis Monachis, *Cantabrigiensis Academiæ fundamenta jecit. Lege appendicem ad Ingulfum. Goiffredi istius obitum anno* MCXX *reponit Ordericus in Hist. sua lib. 12.*

Viri pii & illustres.

ab istis Academia Cantabrigiæ.

5. *Quinetiam isto in Cœnobio Reclusæ quædam Sanctimoniales piissimè vixerunt, qualis* Etheldrita *Offæ Merciorum Regis filia sæculo* IX, *&* Turfrida *Hevvardi prænobilis Angli conjunx: ut interim omittam S.* Pegam *Guthlaci sororem, quæ non longè à Monasterio Crulandensi devixit. Nunc* Crowland *opidum est, vacuum priscæ religionis nomen servans.*

Ibi & piæ feminæ.

PROLOGUS AD REGEM ETHELBALDUM.

1. IN *Dòmino dominorum domino meo, mihi præ ceteris regalium primatuum gradibus dilectissimo* Athelwaldo *Regi, orientalium Anglorum rite regmina regenti*, Felix *catholicæ congregationis sancti Bedæ*[a] *vernaculus, perpetuæ prosperitatis in Christo salutem.* Jussionibus tuis obtemperans, libellum quem de vita Patris beatæ memoriæ Guthlaci componi præcepisti, simplici verborum vimine textum, non absque procacitatis imprudentia institui. Eâ tamen fiduciâ coràm obtuli, obsecrans ut si ullatenus (ut fore arbitror) illic vitiosus sermo aures eruditi Lectoris perculserit, litteram in fronte paginæ veniam poscentem intendat. Reminiscatur quoque efflagito, quia regnum Dei non in verborum facundia, sed in fidei constantia persistit. Salutem quidem sæculo non ab Oratoribus, sed à Piscatoribus prædicatam fuisse sciat: sancti quoque Hieronymi dicta meminerit, qui rem ridiculam esse arbitratus est, ut sub regulis Donati Grammatici, verba cælestis oraculi restringeret. Sed si forsitan alius animositatis vestræ fastibus hoc opus arripere imputat, dum alii plurimi Anglorum librarii coràm ingeniositatis fluenta inter flores Rhetoricæ per virecta litteraturæ purè, liquidè, lucidéque rimantur, qui meliùs luculentiúsve componere valuerunt; sciat nos hoc opusculum non tam volentiæ quàm obedientiæ gratiâ incœpisse. Propterea laboris mei votis, ô Lector, quisquis es, faveas. Si etiam, ut adsolet, more obtrectatoris succensueris, cave ut ubi lucem putaveris, ne à tenebris obcæceris, id est, ne cùm recta reprehenderis, ignorantiæ tenebris fusceris. Mos enim cæcorum est, quum in luce perambulant, tunc in tenebris errare putant. Lucem enim nesciunt, sed in tenebris semper oberrant. Cæcitas enim ex parte in Scripturis ignorantia est, ut ait Apostolus: Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium subintraret. Origo quidem totius mali ab ignorantia venit. Quapropter admoneo te, Lector, ut aliena non reprehendas, ne ab aliis quasi

Auctor imperitiam excusat.

[a] Sic antiqui Bedæ vocabulum sine casuum varietate efferebant, alii Bedan. Ceterùm cùm Beda hîc sanctus dicatur, patet hanc Vitam scriptam fuisse post Bedæ obitum, id est post annum DCCXXXV, quo adhuc regnabat Ethelbaldus Merciorum Rex. Is *anno* DCCXVI Ceolredo successisse & *Regnum annos quadraginta & unum tenuisse* fertur in Chronologia Saxonica.

quasi alienus reprehendaris. Sed ne sensus legentium prolixæ sententiæ molesta defensio obnubilet, pestiferis obtractantium incantationibus aures obturantes, velut transvadato vasti gurgitis æquore, ad vitam S. GUTHLACI stilum flectendo quasi ad portum vitæ pergemus. ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI.

2. Quoniam igitur exegisti à me, ut de vita S. Guthlaci vel conversatione tibi scriberem; quemadmodum cœperit, quídve ante propositum fuerit, vel qualem vitæ terminum habuerit, prout à dictantibus idoneis testibus quos scitis audivi, addendi minuendíque modum vitans, eâdem orthodemiâ depinxi. Ad hujus utilitatis commodum hunc codicellum fieri ratus sum, ut illis qui sciunt memoriam tanti viri, nota revocandi fiat: his verò qui ignorant, velut latæ panseniæ * indicium innotescat. Non enim sine certissima inquisitione rerum gestarum aliquid de tanto viro scriberem nec tandem, ea quæ scripsi, sine subtilissima indubiorum testium cautione libratim scribenda quibusdam dare præsumsi; quin potiùs diligentissimè inquirens, quamtacumque scripsi, investigavi à reverendissimo quodam Abbate WILFRIDO [a], & à Presbytero puræ conscientiæ (ut arbitror) CISSAN, vel etiam ab aliis qui diutiùs cum viro Dei conversati, vitam illius ex parte noverant. Ergo quantacumque de vitæ ipsius orthonomia stilo perstrinxero, minima de magnis, pauca de plurimis audisse æstimate. Non enim ambigo illos dictatores non omnia facta illius potuisse cognoscere, nec ab illis tota dictata me descripsisse glorifico. Ab aliis accepta refert. a

3. Sed ut tanti viri tantíque nominis relatio compleatur, prout ubique miracula ipsius fulserunt percunctamini referentibus, ut singulis quæ novere percunctantibus, sequentis libelli [b] materia adgregetur. Igitur eximiæ dilectionis tuæ imperiis obtemperans, textum præsentis chartulæ prout potui digessi; majoribus scientiæ auctoribus majorem partem linquens, principium in principio, finem in fine compono [c]. Librum de miraculis promittit. b c

INCIPIT VITA.

4. FUIT itaque in diebus ETHELREDI Regis Anglorum quidam vir de egregia Merciorum stirpe cognomine PENWALDUS, cujus mansio in mediterraneorum Anglorum partibus diversarum rerum fluxu prædita constabat. Hujus etiam viri progenies pernobilissima illustrium Regum nomina antiqua ab origine ICLES digesto ordine cucurrit. Itaque cùm juvenilis ævi viridante vigore floreret, adoptata sibi coætanea virgine inter nobilium puellarum agmina, condecretis nuptiarum legibus uxorem duxit vocabulo TETTE *, quæ à primævis rudimenti sui diebus in puellari verecundia vivere studebat. Guthlacus Anglus, regiæ stirpis, * al. Tecta

5. Evolutis ergo aliquot temporum curriculis, quibus se conjugalis juris conditionibus indidissent, contigit humana natura cogente, ut concipiens prægnasset. Peractis verò mensium epidendarúmque [d] cursibus, cùm parturiendi tempus immineret, & viscera nixandi inscia ignotâ violentiâ vexarentur; extemplò divinum prodigium cælestis oraculi portentum circumadstantibus & undique concurrentibus turbis videbatur. Nam pius Omnitenens futurorum præscius, cui omnia præsentia præsistunt, sigillum designatur cælesti prodigio: d

a Vvilfridus iste alius fuit ab utroque Vvilfrido Eboracensi, & à Vvilfrido Vvicciorum Episcopis. an etiam à Vvilfredo Cantuariensi Pontifice? memoratus infrà num. 32, uti & Cissan num. 33.

b An id præstiterit Felix, non liquet. quamvis enim apud Pitseum aliósque dicatur scripsisse etiam librum de miraculis & translatione sancti Guthlaci; tamen Ordericus librum de vita tantùm citat definítque numero penultimo.

c Hinc consequitur in codice Vedastino Index Capitulorum 51, quæ textum potiùs implicant quàm explicent. ea proinde omisimus, adnotaturi si quid fuerit opportunum.

d In mss. cod. Uticensi legitur *mensium epipendarum cursu*, absque copula. Index capitum habet, *de conceptione & epidendarum dierum cursu*. Hîc hæreo cum viris doctis.

ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI. manifestandi militis sui in æternæ memorationis indicium præmisit.

natus cælitus illustratur, 6. Igitur cùm nascendi tempus advenisset, mirabile dictu! ecce humana manus croceo rubri nitoris splendore fulgescens, ab æthereis olympi nubibus ad patibulum cujusdam crucis ante ostium domûs in qua sancta puerpera futuræ indolis infantulum puerum enixa est, porrecta videbatur. Cúmque insolito stupore omnes ad prospiciendum miraculum concurrere certabant, en subitò signato prædictæ domûs ostio æthereas in auras manus reducta abscessit. Hoc novo stupefacti prodigio omnes qui intererant, in loco sanctæ apparitionis prostrati supplices pronis vultibus Dominum gloriæ magnificabant.

cunctis stupentibus. 7. Transactis verò orationum deprecationibus concurrentes ad invicem versare cœperunt, quidnam esset hoc novum, quod scrupulum plurimis excitavit. Illis ergo cum immenso stupore variis sermocinationibus multa inter sese conferentibus, ecce ex aula propiante qua supradictus infans nascebatur, mulier immensa velocitate currens clamabat: Stabilitote, quia futuræ gloriæ huic mundo natus est homo. Alii verò hæc audientes ex divino præsagio ad manifestandam nascentis gloriam illud fuisse perhibebant. Alii autem sagacioris sententiæ conjecturis promere cœperunt, hunc ex divina dispensatione in perpetuæ beatitudinis præmia prædestinatum fore. Erat ergo magna admirantium turba, intantum ut illius miraculi vagabundus rumor priusquam melliflua solis astra occiduis finibus vergerentur, mediterraneorum Anglorum totos pæne terminos impleret.

Baptizatus patrium nomen obtinet. 8. Igitur decursis bis quaternis dierum voluminibus, cùm ad salutaris lavacri sacratas undulas propinquasset, ex appellatione illius Tribus quam dicunt Guthlacingas, proprietatis vocabulum velut ex cælesti consilio GUTHLACUS percepit, quod ex qualitatis compositione consequentibus meritis conveniebat. Nam ut illius gentis gnari perhibent, Anglorum linguâ hoc nomen ex duobus integris constare videtur, hoc est *Guth* & *lac*, quod Romani sermonis nitore personat Belli-munus: quia ille cum vitiis bellando æternæ beatitudinis præmia cum triumphali infula perennis vitæ percepisset secundùm Apostolum dicentem: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Iac. I. 12.

In pueritia ut se gerit. 9. Postquam igitur sacri fontis lymphis spiritualibus divino gubernante numine abluit parentum delicta, infans miræ indolentiæ nobilibus antiquorum disciplinis auleis in paternis imbuebatur. Igitur transscensis infantiæ suæ temporibus, cùm fari pueriliter tentabat, nullius molestiæ parentibus nutricibúsve seu coætaneis parvulorum cœtibus fuit. Non puerorum lascivias, non garrula matronarum deliramenta, non vanas vulgi fabulas, non ruricolarum bardigiosos vagitus, non falsidica parasitorum frivola, non variarum volucrum diversos crocitus, ut adsolet illa ætas, imitabatur: sed eximia sagacitate pollens, hilari facie, sincera mente, mansueto animo, simplici vultu, in pietate parentibus, in obedientia senioribus, in dilectione collactaneis; neminem seducens, neminem increpans, neminem scandalizans, nulli malum pro malo reddens æquanimis utebatur. Erat enim in ipso nitor spiritualis luminis radiascens, ut per omnia omnibus quis venturus esset monstraretur.

Adolescens armis adsuescit. 10. Igitur cùm adolescentiæ vires increvissent, & juvenili in pectore egregius dominandi amor fervesceret; tunc valida priscorum heroum facta reminiscens, veluti ex sopore evigilatus, mutata mente, aggregatis satellitum turmis sese in arma convertit: & cùm adversantium sibi urbes & villas, vicos & castella igne ferróque vastaret, corrosisque undique diversarum gentium sociis immensas prædas gregaret; tunc velut ex divino consilio edoctus, tertiam partem adgregatæ gazæ possidentibus remittebat. Igitur transcursis novem circiter annorum orbibus, quibus persecutorum suorum adversan-

tiúmque hostium famosum excidium crebris vastationum fragoribus peregissent; tandem defessis viribus post tot prædas, cædes, rapináſque quæ arma triverunt, lassi quieverunt.

Ann. Chr. DCCXIV. April. XI.

11. Itaque cùm prædictus vir beatæ memoriæ Guthlacus inter dubios volventis temporis eventus & atras caliginosæ vitæ nebulas, fluctuantis inter sæculi gurgites jactaretur; quadam nocte dum fessa membra solitæ quieti dimitteret, & adsueto more vagabunda mente sollicitus mortalia intenta meditatione cogitaret; mirum dictu! extemplò velut percussus pectore, spiritualis flamma omnia præcordia suprà memorati viri incendere cœpit. Nam cùm antiquorum Regum stirpis suæ per transacta sæcula miserabiles exitus & flagitiosum vitæ terminum contemplaretur, necnon & caducas mundi divitias, contemtibilémque temporalis vitæ gloriam pervigili mente consideraret; tunc sibi proprii obitûs sui imaginatam formam ostendit, & finem inevitabilem brevis vitæ curiosa mente horrescens, cursum cotidie ad finem cogitabat, immo etiam audisse se recordabatur, ne in hieme vel sabbato fuga vestra fiat. Hæc & alia his similia eo cogitante, ecce subitò instigante divino numine seipsum famulum Christi venturum fore, si in crastino vitam servasset, devovit. Ergo exutis umbrosæ noctis caliginibus, cùm sol mortalibus ægris igneum demoverat ortum, in quo matutinæ volucres avido forcipe pipant; tunc indutos artus agresti de spatulo surgens arrexit, & signato cordis gremio salutari sigillo, se comitantibus præcepit, ut alium ducem itineris sui eligerent, nam se divinæ servituti destinasse perhibebat. Hoc audito comites ipsius immenso perculsi stupore, supplicibus obsecrationibus ne hoc quod dicebat incœpisset exorabant. qui contemtis eorum precibus in eo quod incœperat immotus perstabat. Ita enim in illo divinæ gratiæ inflammatio flagrabat, ut non solùm regalis indolentiæ reverentiam despiceret, sed parentes & patriam comitésque adolescentiæ suæ contemsit. Nam cùm ætatis suæ vicesimum quartum annum peregisset, abrenuntiatis sæcularibus pompis, spem indubitatæ fidei fixam in Christo tenebat.

Inde sæculo nuntium remittit,

Anno ætatis 24.

12. Exin accepto itinere, relictis omnibus suis, Monasterium quod Anglorum vocabulo nuncupatur Ripadum [a], usque pervenit, in quo mysticam sancti Petri Apostolorum Principis tonsuram accepit sub Abbatissa nomine Elfrida; ac deinde accepto clericali [b] habitu, præterita piacula expiare certabat. Ab illo enim tempore quo apostolicæ tonsuræ indicium suscepit, non ullius inebriantis liquoris aut alicujus delicati libaminis haustum excepto Communicationis tempore gustavit. Hac igitur ex causa omnibus Fratribus illic cohabitantibus aspero odio habebatur. Probantes verò vitæ illius sinceritatem & serenæ mentis modestiam, cunctorum animos in affectum suæ caritatis convertit. Erat enim formâ præcipuus, corpore castus, facie decorus, mente devotus, adspectu dilectus, sapientiâ imbutus, vultu floridus, prudentiâ præditus, colloquio blandus, temperantiâ modestus, interna fortitudine robustus, censurâ justitiæ stabilis, longanimitate patiens, patientiâ firmus, humilitate subjectus, caritate sollicitus.

Ripadunense in Monasterium admittitur.

Austerus sibi, aliis tamen amabilis.

[a] In Indice capitulorum *Hripandun*, Orderico *Ripalduum*, Matthæo Vvestmonasteriensi *Rependune*. quod videtur esse *Rapendune Monasterium* agri Cestriensis, Vvillelmo Malmesburiensi Monacho laudatum in lib. 4 de Pontif. Angl. ubi de Monasteriis pagi Vvigorniensis agit. ait siquidem Vvolstani regii pueri venerandas Reliquias *Rapendune locatas* fuisse, *tunc temporis famoso Monasterio. Nunc est villa*, sic addit, *Comitis Cestrensis. cujus gloria pro situ vetustatis exoleta.* Neque enim audiendus videtur Edvvardus *Maihevv*, qui *Rependune* Monasterium, in quod Guthlacus secessit, *Ripon* seu *Ripense* interpretatur. Siquidem Ripense virorum erat, non feminarum: Ripendunense utrorumque. Quamquam Ripense nonnumquam *Repodun* appellatur.

[b] Id est monastico, & infrà num. 17 & 25 *Clericus*, id est Monachus. Vide Præfationem Sæculi 2 num. 27.

ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI.

Ita enim omnium virtutum decorem sapientia in eo adornabat, ut secundùm Apostolum sermo illius semper sale divinæ gratiæ conditus fulgebat.

Litteris vacat & virtutibus.

13. Dum enim litteris edoctus psalmorum canticum discere maluisset, tunc frugifera suprà memorati viri præcordia roscidis roris cælestis imbribus divina gratia ubertim rigabat. Summis autem providentibus magistris & auxiliante gratia supernæ pietatis, sacris litteris & monasticis disciplinis erudiebatur. Igitur psalmis, canticis, hymnis, orationibus moribúsque ecclesiasticis per biennium imbutus, proprias singulorum secum cohabitantium virtutes imitari studebat. Illius enim obedientiam, istius humilitatem; illius patientiam, alterius longanimitatem; illorum abstinentiam, utriusque sinceritatem, omnium temperantiam, cunctorum suavitatem, & ut breviùs dicam, omnium in omnibus imitabatur virtutes.

Eremum petit Cruland,

14. Decursis itaque bis denis bis binísque mensium circulis, quibus sub clericali habitu vitam immensæ moderantiæ peregit, eremum cum curioso eximiæ sollicitudinis animo petere meditabatur. Dum enim priscorum Monachorum solitariam vitam legebat, tamen illuminato cordis gremio avida mente eremum quærere fervebat. Nec plura, intervenientibus aliquorum dierum cursibus, cum seniorum licita volentia in cœpto prosperitatis æternæ itinere solitudinem invenire perrexit. Est in mediterraneorum Anglorum Britanniæ partibus immensæ magnitudinis acerrima palus, quæ à Grontæ [a] fluminis ripis incipiens, haud procul à castello quod dicunt nomine *Gronte*, nunc stagnis, nunc flactiris [b], interdum nigris fusis vaporibus & laticibus, necnon crebris insularum nemoribus intervenientibus, & flexuosis rivigarum * ab austro in aquilonem maritenus longissimo tractu protenditur. Igitur cùm supradictus vir beatæ memoriæ Guthlacus illius vastissimæ eremi inculta loca comperisset, cælestibus adjutus auxiliis, rectissimo callis tramite perrexit. Contigit ergo proximantibus accolis illius solitudinis experientiam sciscitaretur, illísque plurima spatiosæ eremi inculta narrantibus, ecce quidam de illic adstantibus nomine TATWINUS [c] se scisse aliquam insulam in abditis remotioris eremi partibus adserebat, quam multi inhabitare tentantes propter incognita eremi monstra & diversarum formarum terrores amiserant. Quo audito vir beatæ recordationis Guthlacus, illum locum sibi monstrari à narrante efflagitat. Ipse autem imperiis viri Dei annuens, arreptâ piscatoriâ scaphulâ per invia lustra in tetræ paludis margines Christo viatore ad prædictam insulam quæ lingua Anglorum *Cruland* [d] vocatur, pervenit, quæ antè propter remotioris eremi solitudinem inculta & ignota manebat. Nullus hanc ante famulum Christi Guthlacum solus habitare colonus valebat, propter videlicet illic demorantium dæmonum phantasias: in qua vir Dei Guthlacus contemto hoste, cælesti auxilio adjutus, inter umbrosa solitudinis nemora solus habitare cœpit. Contigit enim divina dispensante providentia, ut æstivis temporibus, die quo sancti Bartholomæi festivitas venerati debet, insulam *Cruland* beatus Guthlacus devenisset, qui in S. Bartholomæi auxiliis cum omni fiducia eremum habitare cœperat. Igitur adamato illius loci abdito situ velut à Deo sibi donato, omnes dies vitæ suæ illic degere directa mente devoverat.

* *Ord.* rivigarum anfractibus

die festo S. Bartholomæi.

a Is mihi videtur esse fluvius, quem recentiores *Trentam* appellant, Lincolniensem tractum à pago Eboracensi dirimens.

b Orderico *flactris*, id est aquarum lacunis, quas Picardi nostrates vulgò *des flaques d'eaux* appellant.

c Tatvvinus, Cissa, Beccelinus, & Egbertus mortuo S. Guthlaco Crulandensi Abbate, *in singulis casulis non longè ab Oratorio S. Guthlaci de licentia Kenulsi Abbatis usque ad vitæ terminum separatas mansiones habuerunt*, inquit Ingulfus, qui tres primos Sanctos appellat, eorúmque tumulos à Danis violatos scribit.

d In veterrimo codice Vedastino ubique legitur *Cruglond*, Ordericus legit *Cruland*.

15. Aliquot itaque diebus illic permanens, quæque illius loci diligenti investigatione considerans versari cœpit, ut ad sodalium suorum colloquia perveniret, quos sibi eximiæ fraternitatis caritas in gremio catholicæ congregationis jungebat. nam eos antè insalutatos dimiserat: iterum resalutatis se commendare disposuit. Interea mortalibus ægris lux crastina demoverat ortum, cùm ille inde egressus remeare cœpit. Itaque intervenientibus ter tricenûm dierum circulis, vt sodales suos fraternis commendaret salutationibus, ad supradictum locum quasi ad paternæ hereditatis habitaculum binis illum comitantibus pueris unde venit regressus est. deinde peracto itinere die nono Kalendarum Septembrium, quo sancti Bartholomæi sollemnitas celebrari adsolet, in cujus suffragio omnia incœpta eremi habitandi * ex divina providentia inchoaverat, *Cruland* pervenit. Erat ergo annorum circiter viginti sex, cùm se inter nubilosos remotioris eremi lucos cum cælesti adjutorio veri Dei militem esse proposuit. Deinde præcinctus spiritalibus armis adversus teterrimi hostis insidias, scutum fidei, loricam spei, galeam castitatis, arcum patientiæ, sagittas psalmodiæ sese in acie firmans arripuit. Tantæ enim fiduciæ erat, ut inter torridas tartari turmas sese contemto hoste injecerat. O quàm admiranda est divinæ miserationis indulgentia, & quantum glorificanda paternæ dilectionis providentia, & quantum laudanda sit Deitatis prædestinatio, quàm inscrutabilia sunt perpetui Judicis arbitria, ut Apostolus confirmat, quàm inserutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ipsius! Nam sicut egregium Doctorem gentium Damascum pergentem, quem ante sæcula Evangelium Filii sui nuntiare prædestinavit, de tenebrosi Judæorum erroris caligine cælesti voce deduxit; sic & sanctæ memoriæ virum Guthlacum de tumido æstuantis sæculi gurgite, de obliquis mortalis sæculi anfractibus, de atris vergentis mundi faucibus ad perpetuam beatitudinis militiam, ad recti itineris callem, ad veri luminis prospectum perduxit: & non solùm præsentis sæculi famosâ venerantiâ beavit, sed gaudium perennis gloriæ æternæ beatitudini constituit, sicut Apostolica veritas deprompsit: *Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos autem vocavit, illos glorificavit.*

16. Igitur ut de sancti Guthlaci solitaria vita, sicut proposui, scribere exordiar; sicut à frequentatoribus ejus WILFRIDO & CISSAN audivi, eodem ordine quo comperi, easdem res narrare curabo. Erat itaque in præfata insula tumulus agrestibus glebis coacervatus, quem olim avari solitudinis frequentatores causâ lucri adquirendi defodientes scindebant, in cujus latere velut cisterna inesse videbatur: in qua vir beatæ memoriæ Guthlacus desuper imposito tugurio habitare cœpit. Vitæ scilicet illius hæc immota orthonomia * fuit, itaut ab illo tempore quo eremum habitare cœpit, non laneo, non lineo vestimine, nec alterius cujuscumque delicatæ vestis tegminibus vsus est, sed in pelliciis vestibus omnes dies solitariæ conversationis suæ exigebat. Quotidianæ ergo vitæ ipsius tanta temperantia fuit, ut ab illo tempore quo eremum habitare cœperat, exceptâ hordeacei panis particulâ & lutulentæ aquæ poculamento, post solis occasum nullius alicujus alimenti usibus vesceretur. Nam cùm sol occiduis finibus vergebatur, tunc parvam annonam mortalis vitæ cum gratiarum actione gustabat.

17. Sub eodem denique tempore quo præfatus vir beatæ memoriæ Guthlacus eremitare initiavit, cùm quadam die adsueta consuetudine psalmis canticisque incumberet, tunc antiquus hostis prolis humanæ, ceu leo rugiens, per vasti ætheris spatia, tetra numina comitans, novas artes novo pectore versat. Dum enim omnis nequitiæ suæ vires versuta mente tentaret, tunc veluti ab extenso arcu veneniflluam desperationis sagittam totis viri-

ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI.

Sodales revisit.

dehinc in eremum redit cum sociis quatuor.

* f. habitacula.

Rom. 8. 30.

Illic rigidè vivit.

* id est recta regula

Diabolo tentante pæne fractus animo,

Ann. Chr. DCCXIV April. XI. bus jaculavit, quousque in Christi militis mente umbone defixa pependit. Interea cùm telum toxicum atri veneni succum infunderet, tunc miles Christi totis sensibus turbatus, de eo quod incœperat desperare cœpit; & huc illucque turbulentum animum convertens, quo solo sederet nesciebat. Nam cùm sua antè commissa crimina immensi ponderis fuisse meditabatur, tunc sibi de se ablui ea non posse videbatur. Intantum enim desperare cœpit, ut infinitum & importabile opus se incœpisse putaret. Dein Christi famulus trium dierum vicissitudinibus quà se verteret nesciebat. Die autem tertio sequenti nocte cùm validissimus Christi miles robusta mente pestiferis meditationibus insisteret, velut prophetico spiritu psallere cœpit, *In tribulatione mea invocavi Dominum:* & ecce beatus Bartholomæus fidus auxiliator in matutinis vigiliis sese coram obtutibus ilico obtulit. nec sopor illudebat, sed palam splendentis cælicolæ agnovit vultum. Igitur vir præfatus, veluti miles inter densas acies dimicans, cùm cæleste adjutorium angelicæ lucis adventasse persensisset, extemplò excussis nefandarum cogitationum nebulis, illuminato turbulenti pectoris gremio, velut triumphali voce psallebat aiens: *Dominus mihi adjutor est, & ego videbo inimicos meos.* Exin sanctus Bartholomæus coram eo persistens, illum præceptis spiritalibus confortare cœpit, pollicens ei in omnibus tribulationibus adjutorem sui venturum esse. Sanctus autem Guthlacus his auditis & creditis, fidelissimi sui amici dictis spiritali gaudio repletus, indissolutam eximiæ valitudinis fidem in Domino Jesu defixit. Nam ex primi certaminis triumphali successu spem futuræ victoriæ robusto pectore firmabat. Ex illo enim tempore numquam zabulus adversus illum desperationis arma arripuit: quia ab illo semel infracta contra illum ultrà prævalere nequiverunt.

Psal. 17. 7.

animatur à S. Bartholomæo.

Psal. 117. 7.

Dehinc illius technas ludit.

18. Quadam quoque die dum de conversationis suæ quotidiano moderamine moderaretur, subitò coram illo velut ex aëre lapsi efferis vultibus duo zabuli humano habitu se obtulerunt, ac veluti cum familiari fiducia loqui cum illo exorsi sunt dicentes: Nos experti sumus te, & fidei tuæ valitudinem comperimus, perseverantiámque patientiæ tuæ invincibilem probantes, variarum artium adversus te arma suscepimus. Propterea insultare tibi ultra desistere conamur: & non solùm propositi tui orthonomias dirumpere nolumus, sed te antiquorum Eremitarum conversationes erudiemus. Moyses enim & Helias, & ipse humanæ prosapiæ Salvator, primo omnium ad jejunii fastigia conscenderunt: sed & famosi illi Monachi habitantes Ægyptum, humanæ infirmitatis vitia abstinentiæ frameâ interimebant. Et idcirco si tu vis antè commissa crimina abluere, imminentia necare; carnem tuam abstinentiæ flagellis afflige, & animi tui insolentiam jejunis faucibus frange. Quanto enim in hoc sæculo frangeris, tanto in perpetuum solidaris; & quanto in præsenti affligeris, tanto in futuro gaudebis. Nam cùm jejunio prostratus jacueris, tunc excelsus coram Deo elevaris. Jejunium ergo non bidui aut tridui, aut quotidianæ abstinentiæ gastrimargiæ sit; sed septenarum dierum valida castigatio jejunium est. Sicut enim sex diebus Dominus mundi plasma formavit, & septeno die requievit; ita etiam hominem decet sex diebus per jejunii plasma spiritu reformari, & septimo die comedendo carni requiem dare. His auditis beatus Guthlacus exsurgens psallebat: *Convertantur inimici mei retrorsum.* Quo audito, hostis strophosus velut fumus à facie ejus vacuas in auras evanuit: ille verò zabuliticum magisterium despiciens, ne ullus locus consentiendi illis in eo videretur, tunc adsumtâ hordeacei panis particulâ victum suum quotidianum vesci cœpit. Maligni verò spiritus se esse contemptos intelligentes, lacrymoso clamore, flebili ululatu, diversis singultibus plangentes, latè

Psal. 55. 10.

loca mæstis questibus impleverunt. Exin vir Dei immundorum spirituum phantasmata percepto ubique certandi brachio contemsit. ANN. CHR. DCC XIV. APRIL. XI.

19. Per idem fere tempus paucis intervenientibus dierum cursibus, cùm beatæ memoriæ Guthlacus adsueto more vigil, intermissis orationibus cujusdam noctis intempesto tempore perstaret, en subitò teterrimis immundorum spirituum catervis totam cellam suam impleri conspexit. Subeuntibus enim abundique illis porta patebat. nam per cryptas & cratulas intrantibus non juncturæ valvarum, non foramina cratium illis ingressum negabant; sed cælo terráque erumpentes, spatium totius aëris fuscis nubibus tegebant. Erant enim adspectu truces, formâ terribiles, capitibus magnis, collis longis, macilenta facie, lurido vultu, squalidâ barbâ, auribus hispidis, fronte torva, trucibus oculis, ore fœtido, dentibus equinis, gutture flammivomo, faucibus tortis, labro lato, vocibus horrisonis, comis obustis, bucculâ crassâ, pectore arduo, femoribus scabris, genibus nodosis, cruribus uncis, talo tumido, plantis aversis, ore patulo, clamoribus raucisonis. Ita enim immensis vagitibus horrescere audiebantur, ut totam pæne à cælo in terram intercapedinem clangisonis boatibus impleverunt. Nec mora ingruentes irrumpentésque domum ac casellam, dicto citiùs virum præfatum membris ligatis extra cellulam suam duxerunt; & adductum in atræ paludis cœnosis laticibus immerserunt. Deinde asportantes eum per paludis asperrima loca, inter densissima veprium vimina dilaceratis membrorum compagibus trahebant. Inter hæc cùm magnam partem umbrosæ noctis in illis afflictionibus exigebant, sistere illum paullisper fecerunt, imperantes sibi ut de eremo discederet. Ille stabilita mente, tandem respondens prophetico velut ore psallebat: *Dominus à dextris est mihi ne commovear.* Et iterum adsumentes flagellis velut ferreis eum verberare cœperunt. Cùm autem post innumerabilia tormentorum genera, post flagellorum ferreorum verbera, illum immota mente, robusta fide in eo quod incœperat perstare viderent, horridis alarum stridoribus inter nubifera gelidi aëris spatia illum subvectare cœperunt. Dum ergo ad ardua aëris culmina deventum est, horrendum dictu! ecce septemtrionalis cæli plaga fuscis atrarum nubium caliginibus nigrescere videbatur. Innumerabiles enim immundorum spirituum alas inobviam dehinc venire cerneres. Conjunctis itaque in unum turmis, cum immenso clamore leves in auras iter vertentes, suprà memoratum Christi famulum Guthlacum ad nefandas tartari fauces usque perducunt. Ille verò fumigantes æstuantis inferni catervas prospectans, omnia tormenta quæ priùs à malignis spiritibus perpessus est, tamquam non ipse pateretur obliviscebatur. Non solùm enim fluctuantium ignivomos gurgites illic turgescere cerneres, immo etiam sulphureos glaciali grandine mistos vortices, globis sparginibus * sidera pæne tangentes videbantur: maligni verò inter favillantium voraginum atras cavernas discurrentes, miserabili fatu animas iniquorum diversis cruciatuum generibus torquebant. Igitur vir Dei Guthlacus cùm innumerabiles tormentorum species horresceret, satellitum sibi velut uno ex ore turmæ clamabant dicentes: Ecce nobis potestas data est te trudere in has pœnas, & illic in atrocissimarum gehennarum tormento variis cruciatibus nobis te torquere commissum est. en ignis quem in delictis tuis accendisti, te consumere paratus est. en tibi patulis hiatibus igniflua crebi ostia patescunt; nunc stigiæ fibræ te vorare volunt, tibi quoque æstivi Acherontis voragines horrendis faucibus hiscunt. Sed illis hæc & alia plurima his similia dicentibus, vir Dei minas eorum despiciens, immotis sensibus, stabili animo, sobria mente respondens aiebat: Væ vobis,

A dæmonibus malè excipitur,

Psalm. 15. 8.

Ann. Chr. DCCXIV. April. XI.

filii tenebrarum, semen Caïn, favilla cineris, si vestræ potentiæ sit istis me tradere pœnis, en præstò sum: ut quid falsivomis pectoribus vanas minas depromitis? Illis verò veluti ad trudendum illum in præsentium tormentorum gehennas sese præcingentibus, ecce sanctus Bartholomæus cum immenso cælestis lucis splendore medias furvæ noctis infuso lumine interrumpens tenebras, sese ab æthereis sedibus radiantis olympi coram illis aureo fulgore amictus obtulit. Maligni verò spiritus non sustinentes cælestis splendoris fulgorem, frendere, tremere, fugere, timere cœperunt. Sanctus verò Guthlacus adventum fidelissimi auxiliatoris sui persentiens, spiritali lætitia gavisus est. Tunc deinde sanctus Bartholomæus catervis satellitum jubet, ut illum in locum suum cum magna quietudine sine ulla offensionis molestia reducerent. Nec mora præceptis Apostolicis obtemperantes, dicto citiùs jussa facessunt. nam illum revehentes cum magna suavitate velut quietissimo alarum remigio, itaut nec in curru, nec in navi modestiùs duci potuisset, subvolabant. Dum verò ad medii aëris spatia devenissent, sonus psallentium convenienter audiebatur dicens: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem.* Imminente ergo aurora cùm sol nocturnas cælo demoverat umbras, præfatus Christi athleta adepto de hostibus triumpho, in eodem statu à quo priùs translatus est, grates Christo persolvens constitit. Deinde cùm solito more matutinas laudes Domino Jesu impenderet, paullisper lumina devertens à sinistra, stantes duos satellites lugentes sibi præ ceteris aliis notos conspicit. quos cùm interrogasset quid plorassent, responderunt: Vires nostras ubique per te fractas lugemus, & inertiam nostram adversus valetudinem tuam ploramus. non enim te tangere, aut tibi appropinquare audemus. Hæc dicentes velut fumus à facie ejus evanuerunt.

iterum à S. Bartholomæo protectus.

Psalm. 83. 8.

Brittonum specie, dæmones sibi infestos fugat.

20. Contigit itaque in diebus Coinredi [a] Merciorum Regis cùm Brittones, infesti hostes Saxonici generis, bellis, prædis, publicisque vastationibus Anglorum gentem deturbarent; quadam nocte gallicianali tempore cùm more solito vir beatæ memoriæ Guthlacus orationum vigiliis incumberet, extemplò cùm velut imaginato sopore opprimeretur, visum est sibi tumultuantis turbæ audisse clamores. Tunc dicto citiùs levi sono expergefactus, extra cellulam qua sedebat egressus est, & erectis auribus adstans, verba loquentis vulgi Britannicáque agmina tectis succedere agnoscit. nam ille aliorum temporum præteritis voluminibus inter illos exsulabat, quoadusque eorum strimulentas loquelas intelligere valuit. Nec mora per palustria tectis subvenire certantes eodem fere momento omnes domus suas flamma superante ardere conspicit: illum verò inter eientes acutis hastarum spiculis in auras levare cœperunt. Tum verò vir Dei tandem hostis pellacis millenis artibus millenas formas persentiens, velut prophetico ore sexagesimi psalmi septimi primum versum psallebat, *Exsurgat Deus*, & reliqua. quo audito dicto velociùs eodem momento omnes dæmoniorum turmæ velut fumus à facie ejus evanuerunt.

Beccelini insidias detegit.

21. Post non multum tempus cùm vir vitæ venerabilis Guthlacus contra insidias lubrici hostis sæpe certando triumphabat, ecce zabulus vires suas fractas comperiens, novas versutias adversus eum sub toxico pectore versare cœpit. Erat enim quidam Clericus nomine Beccelinus, qui

[a] *Anno imperii Osredi* Northanimbrorum *Regis quarto*, teste Beda, id est Christi DCCIX, *Coënredus qui regno Merciorum nobilissimè tempore aliquanto præfuerat*, nimirum *annis quatuor*, ut habet Ingulfus, *nobiliùs multo sceptra reliquit. nam venit Romam, ibique attonsus Pontificatum habente Constantino, ac Monachus factus ad limina Apostolorum in precibus, jejuniis & eleemosynis usque ad diem permansit ultimum; succedente in regnum* Ceolredo *filio Æthilredi, qui ante ipsum Coënredum idem regnum tenebat.* Hæc Beda in lib. 5 hist. cap. 20.

seipsum

seipsum famulum fieri tanti viri sponte obtulit, ac sub disciplinis ipsius castè Deo vivere proposuit: cujus præcordia malignus spiritus ingressus, pestiferis vanæ gloriæ fastibus illum inflare cœpit, ac deinde postquam tumidis inanis fastûs flatibus illum seduxit, admonere quoque ipsum exorsus est, ut dominum suum, sub cujus disciplinis Deo vivere initiavit, arrepta letali machæra necaret; hoc ipsius animo proponens, ut si ipsum interimere potuisset, locum ipsius postea cum magna Regum Principúmque venerantia habiturus foret. Quadam ergo die cùm præfatus Clericus virum Dei Guthlacum, ut adsolebat, post bis denos dierum cursus tonderare devenisset, idem ingenti dementia vexatus, viri Dei immenso desiderio sanguinem sitiens, indubius illum occidere successit. Tunc sanctus Dei Guthlacus, cui Dominus assiduè futurorum præscientiam manifestabat, comperto novi sceleris piaculo illum sciscitari cœpit dicens: O mi Becceline, ut quid hebido sub pectore antiquum hostem occultas? quare amari veneni pestiferas lymphas non vomis? Scio enim te à maligno spiritu deceptum: quapropter flagitiosas meditationes quas tibi generis humani hostilis criminator inseruit, ab illis convertendo confitere. Tum ille cùm se à maligno spiritu seductum intellexisset, prosternens se ad pedes tanti viri Guthlaci, delictum lacrymabili voce confessus supplex veniam orabat. Itaque vir beatæ memoriæ Guthlacus non solùm illius culpæ veniam indulsit, sed & in futuris tribulationibus adjutorem illius se venturum fore promisit. Verùm quia superiùs quantum idem Guthlacus venerabilis adversus feras apertásque diabolicas insidias valuit explicavimus, nunc quoque quid adversus simulaticias malignorum spirituum fraudes prævaluit exponemus. ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI.

22. Iisdem fere temporibus cùm vir sæpe memoratus quadam nocte in assiduis orationibus adsueto more perstaret, ingenti sonitu totam insulam qua sedebat fremere circum putabat. deinde parvi temporis succedente intervallo, ecce subitò velut concurrentium armentorum crepitum cum magno terræ tremore domui succedere audiebat. Nec mora domum abundique irrumpentes variorum monstrorum diversas figuras introïre prospicit. Nam leo rugiens dentibus sanguineis morsus rabidos imminebat; taurus verò mugitans unguibus terram fodiens cornu cruentum solo defigebat; ursus denique infrendens validis ictibus brachia commutans verbera promittebat; coluber quoque squamea colla porrigens, indicia atri veneni monstrabat: & ut brevi sermone concludam, aper grunnitum, lupus ululatum, equus hinnitum, cervus axatum, serpens sibilum, bos balatum, corvus crocitum ad turbandum veri Dei verum militem horrisonis vocibus stridebant. Sanctus itaque Christi famulus armato corde signo salutari, hæc omnia phantasmatum genera despiciens, his vocibus usus aiebat: O miserrime satana, manifestæ sunt vires tuæ. nonne nunc miserarum bestiarum hinnitus, grunnitus, crocitúsque imitaris, qui antè æterno Deo te similare tentasti? Idcirco impero tibi in nomine JESU CHRISTI qui te de cælo damnavit, ut ab hoc tumultu desistas. Nec mora dicto citiùs universa phantasmata vacuas in auras recesserunt. Dæmonum terricula-menta ridet.

23. Contigit quoque sub cujusdam temporis cursibus, ut quidam alius Dei famulus ad colloquium Dei viri Guthlaci pervenisset, aliquot diebus in insula præfata habitare cœpit. Quadam autem die membranam quamdam scribens cùm ad finem scripturam suam deflexisset, extra domum recedens cùm in quodam Oratorio orationibus incumberet, ecce quidam corvus accola ejusdem insulæ intrans domum prædicti hospitis, ut chartulam illic prospexit, rapido forcipe arripuit. præfatus verò hospes cùm visus suos fortè foras devertisset, volantem alitem chartulam in ore suo portantem prospicit: confestímque cùm chartulam suam defuisse comperit, ab alite cor- Chartulam à corvo subreptam restituit.

ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI. vo raptam fuisse cognoscit. Fortè denique eadem hora sanctus Guthlacus extra Oratorium egrediebatur: qui cùm præfatum Fratrem subitâ mæstitiâ correptum prospiceret, consolari illum cœpit, pollicens ei chartulam suam cum Dei omnipotentis auxilio sibi recuperari posse, sine cujus potestate nec folium arboris defluit, nec unus passerum ad terram cadit. Inter hæc avis longè in austrum avolans cernitur, cursúmque suum inter stagnosa paludis ligustria * deflectens, sese subitò ab eorum obtutibus velut evanescens abdidit. Sanctus verò Guthlacus firmam fidem firmo pectore gestans, Fratri præfato præcepit, ut naviculam in contiguo portu positam conscenderet, & ut inter densas arundinum compagines quo via sibi monstraret incederet. Ille autem præceptis sancti viri obtemperans, quo se tramite ducebat perrexit. qui cùm ad aliquod stagnum haud procul à præfata insula situm devenisset, conspicit non longè in media planitie stagni unam arundinem curvato cacumine stantem, quæ stagni tremulis quassabatur undique lymphis: in cujus fastigio æquiparatam schedulam æquali lance pendentem velut ab humana manu positam cerneres, mirabile dictu! tangi incontacta contigua vicinis videbatur ab undis. at ille Frater arripiens de arundine chartam, cum magna admiratione grates Deo persolvens, venerantiam validæ fidei de eo quod contigit venerabili viro Dei Guthlaco conferens, inde egressus domum reversus est: præfatus verò Christi famulus Guthlacus non sui meriti quod contigit, sed divinæ miserationis fuisse confirmabat.

* f. ligustra

Benignus in animantia ipsa,

24. Erant igitur in supradicta insula duo alites corvi, quorum infesta nequitia fuit: itaut quidquid frangere, mergere, diripere, rapere, contaminare potuissent, sine ullius rei reverentia perderent. Nam veluti cum familiaribus ausis intrantes domus, omnia quæcumque intus forísque invenissent, veluti improbi prædones rapiebant. Supramemoratus autem Dei famulus varias eorum injurias perferens longanimiter pio pectore sufferebat, ut non solùm in hominibus exemplum patientiæ ipsius ostenderetur, sed etiam in volucribus & in feris manifesta esset. Erga enim omnia eximiæ caritatis ipsius gratia abundabat, intantum ut incultæ solitudinis volucres & vagabundi cœnosæ paludis pisces ad vocem ipsius veluti ad pastorem ocius natantes volantésque devenirent. De manu enim illius victum prout uniuscujusque natura indigebat, vesci solebat. Non solùm verò terræ aërísque animalia illius jussionibus obtemperabant, immo etiam aqua aérque ipsi veri Dei vero famulo obediebant. Nam qui auctori omnium creaturarum fideliter ex integro spiritu famulatur, non est mirandum si ejus imperiis ac votis omnis creatura deserviat. Et plerumque idcirco subjectæ nobis creaturæ dominium perdimus, quia Domino universorum creatori servire negligimus; secundùm illud: *Si obedieritis mihi & audieritis me, bona terræ comedetis.* item: *Si abundaverit fides vestra ut granum sinapis*, & reliqua.

Matth. 17. 19.

aves cicures habet.

25. Licet etiam beatissimi Dei famuli Guthlaci quoddam spiritale miraculum explicare. Contigit enim quadam die, cùm quidam vir venerabilis, nomine WILFRIDUS, jamdudum viro Dei Guthlaco spiritalis amicitiæ fœdere copulatus, ita ut adsolebat, cum eo loqueretur, fortè hirundines duæ subitò domum intrantes, velut magna lætitia avino forcipe flexuosi gutturis carmen canentes, veluti ad adsuetas sedes devenissent, sese non hæsitantes humeris viri Dei Guthlaci imposuerunt, ac deinde cantulis vocibus garrulantes, brachiis genibúsque pectoríque illius insidebant. Wilfridus verò stupefactus, efflagitatâ sermocinandi licentiâ sciscitari ab illo cœpit, ut quid incultæ solitudinis volucres humani successus insueti illam propiandi fiduciam habuerunt. Sanctus verò Guthlacus econtra respondit:

Nonne legisti, quia qui Deo puro spiritu copulabitur, omnia sibi in Deo conjunguntur; & qui ab hominibus cognosci denegat, agnosci à feris, & frequentari ab Angelis quærit? nam qui frequentatur ab hominibus, frequentari ab Angelis nequit. Tunc assumens quamdam ventinulam, posuit in ea festucam: quod cùm alites prospicerent, velut notato signo imbuti, illic nidificare cœperunt. Cúmque veluti unius horæ spatio transacto aggregatis quisquiliis nidum fundarent, sanctus Guthlacus exsurgens sub testitudine tecti quo sederet ventinulam posuit; volucres verò quasi adepto propriæ mansionis loculo, illuc manere cœperunt. non enim sine licita volentia viri Dei locum nidificandum sibi eligere præsumebant, sed in unoquoque anno petentes mansionis indicium ad virum Dei veniebant. Nulli ergo absurdum sit à volucribus formam obedientiæ discere, cùm Salomon dicat: *Vade, piger, imitare formicam, considera vias ejus, & disce sapientiam.*

ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI.

Prov. 6. 6.

26. Neque tacendum quoque esse arbitror quoddam præfati viri providentiæ miraculum. Erat itaque sub eodem tempore quidam exsul de inclyta Merciorum plebe, vocabulo ETHELBALDUS, qui quondam, ut adsolebat, virum Dei visitare malens comite præfato Wilfrido, adepta rate usque ad præfatam insulam pervenit. Wilfridus verò ratis de prora saltu terram petens, ambas manicas suas puppi dimisit: ac deinde ad colloquium sancti viri venientes postquam adinvicem se salutaverunt, inter alia sermocinandi colloquia supramemoratus vir beatæ memoriæ Guthlacus, cui Dominus absentia monstrabat, velut prophetiæ spiritu inflatus cùm domi sedisset, & nihil aliud excepto domûs vestibulo prospicere potuisset, subitò ab aliis sciscitari cœpit, utrúmne rem aliquam in navi dimisissent. Cui Wilfridus respondens, duas manicas suas illic oblivíscendo dimisisse se aiebat. Ille verò corvos suos tunc manicas possedisse, sicut eventus rei probavit, dicebat. Nec mora extra domum egredientes, conspiciunt corvinæ sobolis atrum prædonem in fastigio cujusdam casæ improbo forcipe manicam lacerare. Sanctus verò Guthlacus alitem leni sermone comprimebat, veluti criminis sui conscius esset: ales manicam in culmine casæ linquens, velut fugâ factâ occiduas in auras volabat. Wilfridus verò de culmine tecti in summitate virgæ manicam reducere fecit, ac deinde comperiens tanti viri potentiæ fuisse, alteram sibi reddi sicut & illam sollicitus de alterius manicæ damno fieri cœpit: ac vir Dei illum ægrota mente damnum rei graviter pertulisse sentiens, ludibundo verborum famine illum consolari cœpit, pollicens ei possibilitatis Dei fuisse, citò sibi rem perditam recuperari, si fides eorum non titubasset. Nec plura inter verba, ecce tres viri fratres pulsato signo ante portum præfatæ insulæ steterunt, ad quos dicto velociùs sanctus Guthlacus, ut adsolebat, hilari vultu secessit. nam semper gratia eximiæ caritatis in ore ipsius & vultu fulgebat. Salutatis verò fratribus confestim unus eorum inclinato sibi capite efflagitatâ veniâ fortè in via quamdam manicam de uncis pedibus corvi demissam invenisse fatebatur, & manicam sibi ostendit. Guthlacus parumper subridens, de manu illius manicam tenuit, & admiratus divinæ clementiæ benignitatem, loquente spiritu gratias egit, ac deinde salutatis illis, sicut antè promisit, Wilfrido manicam reddidit.

Ab Ethelbaldo exsule invisitur.

27. Fuit itaque in eisdem fere temporibus in orientalium Anglorum terminis quidam juvenis nomine HUCTREDUS*, inclytæ quidem (ut ferunt) sobolis, qui cùm in quotidianæ pietatis parentum jura impenderet, quadam die domi sedens subitò in illum nequam spiritus grassari cœpit. Intantum autem immensâ clementiâ vexabatur, itaut membra sua propria ligno, ferro, unguibus dentibúsque prout potuit laniaret. non solùm enim seipsum crudeli vesaniâ decerpebat, quin etiam omnes quoscumque tangere potuisset,

Arreptitium liberat.

* Ord. Vvethredus

ANN. CHR. DCC XIV. APRIL. XI.

improbi oris morsibus lacerabat. Eo modo autem insanire cœpit, ut eum prohibere aut alligare nullus auderet. Nam quodam tempore congregata multitudine cùm aliqui illum ligare tentarent, arrepta lunali bipenne tria virorum corpora letabundis ictibus humi sternens mori coëgit. Et cùm bis binis annorum cursibus dira peste vesaniæ vastaretur, & exsertâ macilentiâ arido in corpore vires distaberent; tum demum à parentibus suis ad sacratas Sanctorum sedes adductus est, ut à Sacerdotibus Episcopísque sacratis fontibus lavaretur. Cùm verò nullus eorum pestiferum funesti spiritûs virus exstinguere valuisset, tandem exploratis reprobatísque omnium remediorum stigmatibus demum reversi sunt. Quadam die namque cùm mæsti parentes nati mortem magis quàm vitam optarent, fama volat quemdam Eremitam in mediæ paludis insula *Cruland* sedisse, cujus rumor diversis virtutum generibus fines pæne totius Britanniæ longe latéque replebat. Quo comperto, orto mane illuc ducere vexatum certo consilio parant. Excussa ergo opacæ noctis caligine cùm sol aureum demoverat ortum, ligatis membris vexatum ducentes, cœptum iter vadere cœperunt. Vesperascente verò die cùm illuc iter divertissent, in quamdam insulam haud procul à *Cruland* noctem duxerunt, ac deinde jubare exorto ad portum prædictæ insulæ subvenientes, pulsato signo colloquium tanti viri efflagitabant. Ille autem more suo solito eximiæ caritatis ardore fervescens, sese coram illis obtulit: & cùm ipsi causam suam à primordio explicarent, vir Dei parentum sollicitudinem & vexatæ humanitatis labores miserascens, velut paterno pectore illis propitiari cœpit. Confestim enim manum vexati arripiens intra Oratorium suum duxit, & illis continuis tribus diebus jejuniis, flexis genibus orare cœpit: tertia verò die orto jam sole sacrati fontis undis abluit, & inflans in faciem ejus spiritum salutis, omnem valitudinem maligni spiritus de illo repulit. Ipse autem velut qui de æstuantis gurgitis fluctibus ad portum deducitur, longa suspiria imo de pectore trahens, ad pristinam salutis valitudinem redditum se esse intellexit. ab illo enim tempore usque in diem exitus sui molestiæ inquietudinem ab immundo spiritu non pertulit.

Egigam sanæ menti reddit.

* al. Ecgan

28. Alio ergo tempore cùm præfati exsulis ETHELBALDI comes quidam vocabulo EGIGA * ab immundi spiritus validissima violentia miserabiliter grassaretur, itaut quid esset, vel quò sederet, vel quid parabat facere nesciret; corporis autem & membrorum vigor illæsus permansit, facultas verò loquendi, disputandi, intelligendíque penitus defuit; quadam die propinqui sui formidantes perpetuam vesaniam sibi venturam, ad præfati viri Guthlaci limina duxerunt: confestímque ut se cingulo illius succinxit, omnem amentiam de se ablatam animúmque sibi integrè redditum persensit; se quoque ille cingulo semper præcingens, usque in ultimum diem vitæ suæ nullam à satana molestiam perpessus est.

Absentia videt.

29. Cœpit etiam inter ista vir Dei Guthlacus prophetiæ spiritu pollere, futura prædicere, præsentibus absentia narrare. Aliquibus enim diebus cùm quidam Abbas, ut adsolebat, ad verbocinium præfati viri devenire proposuisset, in cœpto itinere duo ministri ipsius simulatâ cujusdam causæ necessitate Abbatis licentiam poscebant, ut in aliam viam, quia causa cogebat, divertissent. Ille autem illis concessâ licentiâ quò proposuit perrexit: ac deinde veniente illo ad colloquium viri Dei Guthlaci, cùm sese alterutrum divinarum Scripturarum haustibus inebriarent, sanctus Guthlacus inter alia ab illo sciscitari cœpit aiens: Ut quid duo isti Clerici, (quos vocabulo nuncupavit) ut adsolebant, huc te comitari noluerunt? Abbas autem illis efflagitatâ licentiâ, alterius causæ necessitate in alteram viam divertisse dixit. At sanctus Guthlacus cui Dominus ex divina inspiratione absentia præsentabat, paullisper demissa fronte subridens vultum deflexit. Abbas autem cùm persensisset quòd viro Dei

aliter præsentaretur, obsecrans in nomine Jesu ut evidenter monstraret quod sibi de illis visum est, suppliciter rogabat. Guthlacus verò supplicibus obsecrationibus amici qui sibi spiritali fide in Christo copulabatur annuens, iter eorum per ordinem sibi pandere cœpit. Dicebat enim illos ad cujusdam viduæ casam divertisse, & dum non adhuc hora tertia esset [a], in delicatis viduæ fulcris inebriari cœpisse. Non solùm ergo vir Dei iter illorum à primordio narravit, quinetiam victum eorum & verba ex ordine monstrando explicavit. Non aliter enim sibi ex divino numine præsentabatur, quàm ut in Helisæo * cognitio furti facti Giezi Domino manifestante monstratum est. Intantum enim gratiæ divinæ spiritus in eo pollebat, ut absentia præsentibus & futura ut præsentia arbitraretur. Abbas itaque perceptis salutaribus documentis viri venerabilis Guthlaci, remeabili cursu domum suam migravit. Dum ut adsolebant duo præfati Clerici ministerio Abbatis obviarent, omnes de domo exceptis duobus illis discedere jussit: dúmque in domo sederet, ab illis Abbas ubi moram hesternæ diei duxerint sciscitabatur. Illi simulato pectore in alicujus amici sui se moratos casa dicebant. Abbas autem illos fuisse in domo viduæ, quam proprio vocabulo nuncupavit, alium sibi nuntiasse aiebat: illi contradicentes cum maxima procacitate illius dicta negabant. Abbas verò eorum impudentiam comprimens, nota signa monstrando culpam suam confiteri jussit. Ipsi autem cùm contra nota indicia calcitrare nequivissent, tandem se solo prementes, iter suum uno eodémque ordine quo vir Dei antè narravit confessi sunt.

ANN. CHR. DCC XIV. APRIL. XI.

* l. ut Helisæo furtum, &c.

30. Venerunt quoque his fere diebus de quodam Monasterio duo viri fratres, ut sancti Guthlaci verba doctrinæ audirent. nam illo tempore tanti viri fama ubique notabunda vagabatur. Deinde cùm insulam devenissent habentes secum binas flasculas [b] celiâ impletas, facto consilio illas in via sub quodam palustri sablone absconderunt, ut iterum revertentes iter suum illâ annonâ relevarent. Dúmque præfati fratres verbocinio venerabilis viri potiti uterentur, & præceptis salutaribus illos admoneret; hilari vultu leviter subridens, ludibri famine inter alia ab illis sciscitabatur dicens: Ut quid, filioli, huc portare noluistis binas flasculas, quas sub agrestis glebæ umbraculo abdidistis? Quo audito, illi immenso stupore perculsi se solo prosternentes, veniam perpetrati criminis orabant. Sanctus verò Guthlacus sublevatis eorum cervicibus veniam indulsit, pacem concessit, iter signavit.

31. Sub eisdem fere temporibus ad virum Dei Guthlacum multi diversorum ordinum gradus, Abbates, Fratres, Comites, divites, vexati, pauperes, non solùm de proximis Merciorum finibus; verumetiam de remotis Britanniæ partibus, famâ nimirum virtutum acciti, confluebant, quos aut corporum ægritudo, aut immundorum spirituum infestatio, aut commissorum errorum professio, aut aliorum quorumque criminum quibus humanum genus alluitur, vel varietas uniuscujusque, vel necessitas cogebat, à tantæ sanctitatis viro consolandos fore sperabant. nec illos vana spes fefellit. Nam nullus ab illo ægrotus sine remedio, nullus vexatus sine salute, nullus tristis sine gaudio, nullum tædium sine exhortatione, nulla mæstitia sine consolatione, nulla anximonia sine consilio ab illo reversa est: sed vera caritate pollens, omnium labores cum omnibus unanimiter pertulerat. Contigit ergo cùm omnes è diversis partibus variis causis ad tanti viri colloquium abundique confluebant, veniebat inter alios quidam comes

Multos ad se confluentes relevat.

a Nempe religio erat Britannis ante horam diei tertiam epulari, ut in Sæculo 2 adnotatum in Vita S. Cuthberti ad ann. 687.

b *Flasculas*, hoc est parvas flascones, *celiâ* (id cervisiæ genus) impletas.

ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI.

prædicti exsulis Ethelbaldi, OBBA nomine, ad verbocinium beati viri Guthlaci: & cùm alio die quædam loca spinosa perlustraret sine celle * agresti rura gradiendo, inruit in quamdam spinulam sub incultæ telluris herbis latentem medelanium * plantæ ipsius insigens, tenus talo rumpendo totius pedis cratem perforavit. Ille denique contra vires cœptum iter carpens, ad insulam prædictam in qua vir Dei permansit laboriosè pervenit: & cùm illic unam noctem exegisset, inflatico tumore dimidia pars corporis ipsius à lumbis tenus planta turgescens, intantum eum novi doloris molestia angebat, ut sedere aut stare vel jacere nequivisset. Nam fervente membrorum compagine ab imis ossium medullis immenso ardore coquebatur, ut morienti similior, quàm languenti videretur. Quod cùm viro Dei Guthlaco nuntiaretur, illum ad se duci præcepit; ac deinde cùm caussam vexationis suæ à primordio narraret, vir Dei Guthlacus exuens se luterio melotinæ in quo ille orare solebat, ipsum circumdedit. confestímque dicto citiùs postquam veste tanti viri se indutum persensit, eodem momento spinula velut sagitta ab arcu demissa statim de pede ipsius detruditur, quousque procul quasi jaculata institit, eadémque hora omnis tumidi fervoris violentia ex omnibus membrorum ipsius compaginibus secessit, confestímque exsurgens pede reducto gradi cœpit: & postera die allocuto viro Dei Guthlaco, qui totius sui corporis ex unius membri languore damnum præstolabatur, hilari animo sine ullius valitudinis molestia pergebat. Tunc omnes qui testimonio virtutis intererant, viri Dei valitudinem fidei mirantes, gloriam Domino reddebant.

* f. calle

* f. medianum

Aliorum de se judicia divinitus intelligit.

31. Non est prætereundum silentio quoddam miraculum præsagæ providentiæ venerabilis viri Guthlaci, cui ex divina donatione largitum est, ut verba absentium quasi scripta videret, cogitationésque præsentium velut locuta cognosceret. Cùm enim quidam Episcopus HEDDA [a] nomine, quasi cælesti consilio imbutus ad colloquium venerabilis viri Guthlaci veniret, habuit siquidem in comitatu suo virum librarium WILFRIDUM * nomine, qui cùm inter alios Episcopi ministros equitabat; alii eorum coram illo de virtutibus & miraculis tanti viri Guthlaci mirari cœperunt; alii asperitatem vitæ ipsius & perseverantiam virtutésque per ipsum factas ab ullo alio antè inauditas disputabant; alii in cujus virtute miracula illa quæ faciebat dubitantes erumpebant: Wilfridus autem se posse discernere & scire utrum divinæ religionis cultor esset aut pseudo-sanctitatis simulator, si umquam illum vidisset pollicebatur. Dicebat enim inter Scottorum se populos habitasse, & illic pseudo-anachoretas diversarum religionum simulatores vidisse, quos prædicere futura & virtutes alias facere quocumque nomine nesciens comperit. Alios quoque illic fuisse narrabat veræ religionis cultores, signis virtutibúsque plurimis pollentes, quos ille crebrò alloqui, videre, frequentaréque solebat: ex quorum experientia aliorum religionem discernere se potuisse promittebat. Ergo cùm prædictus Episcopus ad colloquium venerabilis viri Dei Guthlaci pervenisset, fraternis salutationibus peractis, sese alterutrum evangelici nectaris rore circumfundere cœperunt. Erat autem in viro Dei Guthlaco divinæ gratiæ luculentia intantum, ut quidquid prædicaret, velut ex angelico ore expressum videretur. Erat in eo tantæ sapientiæ affluentia, ut quæcumque dixisset, divinarum Scripturarum exemplis firmaret. Ergo prædictus Episcopus postquam colloquiis ejus potitus est, & melle dulciora præcepta sapientiæ ipsius gustavit; ecce repentè in medio sermone summissa cervice supplex adjurare cœpit illum

* Ord. Vvigfridū

Presbyter consecratus.

[a] Hedda scilicet Dorcicastrensis Episcopus, cujus Elogium lege suprà ad ann. 705. In Capitulorum Indice HEADDAN appellatur apud Ordericum HEADDA.

ut sacerdotale officium per eum susciperet. Guthlacus verò petitioni Episcopi nolens resistere, ociùs se solo prosternens, volentiæ illius obediturum esse promittit. Episcopus autem ovanti animo exsurgens, consecratâ prius Ecclesiâ, fidelem Sacerdotem summo Deo consecravit. Peractis ergo consecrationis obsequiis, rogatu summi Pontificis contra rem solitam vir Dei illo die ad prandium venire cogitur. Appositis ergo dapibus postquam prandium cœperunt, adspiciens sanctus Guthlacus prædictum fratrem Wilfridum procul sedentem inquit: O Frater Wilfride, quomodo tibi nunc videtur ille Clericus, de quo hesterno die judicare promisisti? Wilfridus verò hæc miratus, confestim exsurgens se totum solo tota mente prosternit, suppléxque veniam precatus sese peccasse fatetur. Mirantibus omnibus qui intererant, stupescere ad invicem cœperunt. sanctus verò Guthlacus dicebat: Comprobamini alterutrum, sciscitantes si quis hæc mihi nuntiavit. Contigit ergo consecratio insulæ *Cruland*, & constitutio beati Guthlaci in officium sacerdotale in autumnali tempore retro calculatis quinque diebus ab illo die quo Missa * sancti Bartholomæi celebrari solet.

ANN. CHR. DCC XIV. APRIL. XI.

* *id est* festũ

33. Alterius denique temporis prælabentibus circulis, reverentissima Virgo virginum Christi & sponsarum EGBURGA a Abbatissa, ALDULFI Regis filia, ad sublimium meritorum venerabilem virum Guthlacum sarcophagum plumbeum linteúmque in eo volutum, quo virum Dei post obitum circumdari rogabat, adjurans per nomen terribile superni Regis, séque ad patibulum dominicæ Crucis erigens in indicium supplicis deprecationis extensis palmis, ut in officium prædictum vir Dei illud munus susciperet; per nuntium alterius fidelis Fratris præcipiens, ut hoc indicium coram illo faceret supplici rogatu mittebat. Addidit quoque ut ab illo sciscitaretur, quis loci illius post obitum suum heres futurus foret. Qui cùm sanctæ Virginis fidele munus gratanter suscepisset, de eo quod interrogatur respondisse fertur, illius loci heredem in gentili populo fuisse, necdum ad Baptismatis lavacrum devenisse, sed mox futurum fore dicebat. quod spiritu providentiæ dixisse, eventus futuræ rei probavit. Nam ipse CISSA qui nunc nostris temporibus sedem viri Dei Guthlaci possedit, post annos* (ut ipse narrare solet) lavacrum Baptismatis in Britannia percepit.

Egburgæ sarcophagum mittenti successorem suum prædicit.

* *Ord.* post aliquot annos

34. Non me quoque supramemorati viri Guthlaci vatidico pectore quoddam spiritale præsagium narrare piget. Quodam enim tempore cùm exsul ille quem suprà memoravimus ETHELBALDUS, huc illúcque persequente illum CEOLREDO Rege, in diversis nationibus jactaretur; alio die deficiente virium ipsius valitudine suorúmque inter dubia pericula, postquam exinanitæ vires defecere, tandem ad colloquium sancti viri Guthlaci, ut adsolebat, pervenit: ut quando humanum consilium defecisset, divinum adesset. Illo verò cum beato viro Guthlaco loquente, vir Dei velut divini oraculi interpres, pandere quæ ventura erant sibi ex ordine cœpit, dicens: O mi puer, laborum tuorum non sum expers, miseriarum tuarum ab exordio vitæ non sum inscius. propterea misertus calamitatis tuæ, rogavi Dominum ut subveniret tibi in miseratione sua, & exaudivit me, & tribuit tibi dominationem gentis tuæ, & posuit te principem populorum, & cervices inimicorum tuorum subtus calcaneum tuum rediget, & possessiones eorum possidebis, & fugient à facie tua qui oderunt te, & terga eorum videbis, & gladius tuus vincet adversarios tuos. Et ideo confortare, quia Dominus adjutor tuus est; patiens esto, inquit Sanctus Ethelbaldo, ne declines in consilium quod non potest stabiliri. Non in præda, nec in rapina Regnum tibi dabitur, sed de manu Domini obtinebis. exspecta eum cujus dies

Ethelbaldo Regni restitutionẽ.

a Edburgam vocat Johannes Bromton, filiam Aldulfi seu Ealdulfi Regis Northanimbrorum.

ANN. CHR. DCCXIV. APRIL. XI.

deficient, quia manus Domini opprimet illum, cujus spes in maligno posita est, & dies illius velut umbra transibunt. Hæc & his similia illo dicente, ex illo tempore Ethelbaldus spem suam in Domino posuit: nec vana spes illum fefellit. nam eodem quo ordine compositionéque omnia quæ vir Dei prædixerat, non aliter contigerunt, sicut præsentis rei præsens effectus comprobavit.

35. Verùm quoniam humanum genus ab initio mortalis miseriæ quotidie ad finem decurrit, mutatis temporibus generationes & Regna mutantur, ad quem terminum dominus & servus, doctus & indoctus, juvenis & senex pari conditione demerguntur: & licèt meritis, pœnis, præmiísque disjungamur; tamen nobis omnibus restat exitus idem. Nam sicut mors in Adam est, ita & in omnes dominabitur. Quisquis enim hujus vitæ saporem gustaverit, amaritudinem vitare nequit. Contigit ergo inter hæc postquam dilectus Dei Guthlacus ter quinis annorum voluminibus devoto famulatu superni Regis vitam duxit solitariam, ecce Dominus Jesus cùm famulum suum de laboriosa hujus vitæ servitute ad perpetuæ beatitudinis requiem adsumere voluisset; quadam die cùm in Oratorio suo orationibus vacans perstaret, subita illum intimorum stimulatio corripuit: statímque cùm se subita infirmitate diri languoris vir Dei arreptum persensisset, confestim manum Domini ad se missam cognovit. Tunc se ovante spiritu ad perennis regni gaudia præparare cœpit. Septem enim diebus dirâ ægritudine decoctus, octavâ die ad extrema pervenit. Siquidem quartâ feriâ ante Pascha ægrotare cœpit: & iterum octava die, quartâ feriâ, quarto etiam lumine paschalis festi, finita ægritudine ad Dominum migravit. Habitabat ergo cum eo sub illo tempore unus Frater Beccelinus nomine, cujus relatione hæc de obitu viri Dei Guthlaci descripsimus: qui cùm illo die inchoatæ molestiæ ad eum venerit, cœpit illum virum Dei, ut adsolebat, de aliis interrogare. Ille autem tardè respondens, demum cum sermone suspirium traxit. Cui ipse Frater inquiens ait: Domine mi, quid novi tibi accidit? an fortè nocte hac ulla infirmitatis molestia te tetigit? At ille: Etiam, inquit, molestia me tetigit nocte hac. Quem item interrogans ait: Scísne, Pater mi, tuæ infirmitatis causam, aut quem finem hujus molestiæ ægritudinis » esse putas? Cui vir Dei respondens inquit: Fili mi, languoris mei causa est, » ut ab his membris spiritus separetur; finis autem infirmitatis meæ erit octa- » vus dies, in quo peracto hujus vitæ cursu debeo dissolvi & esse cum Chri- » sto. expedit enim sarcinâ carnis abjectâ Agnum Dei sequi. His auditis prædictus Frater flens & gemens crebris lacrymarum rivulis mæstas genas » rigavit. quem vir Dei consolans ait: Fili mi, tristitiam ne admittas, non » enim mihi labor est ad Dominum meum, cui servivi, in requiem venire » æternam. Tantæ ergo fidei fuit, ut mortem quæ cunctis mortalibus timenda formidandáque videtur, ille velut requiem aut præmium laboris judicaret. Interea decursis quaternarum dierum articulis, dies Paschæ pervenit: in qua vir Dei contra vires exsurgens, immolato dominici corporis sacrificio & sanguinis Christi libamine, præfato Fratri Verbum Dei evangelizare cœpit: qui numquam antè, neque pòst tam magnam profunditatem scientiæ se ab ullius ore audisse testatur. Denique cùm septimus dies infirmitatis ipsius devenisset, præfatus Frater illum circa horam sextam visitavit, invenítque eum recumbentem in angulo Oratorii sui contra altare: nec tamen tunc cum eo loquebatur, quia pondus infirmitatis facultatem loquendi exemit. Denique illo poscente ut dicta sua secum dimitteret, antequam moreretur; vir Dei cùm fessos humeros parumper à parie- » te levaret, suspirans aiebat: Fili mi, quia tempus nunc appropinquat, ulti- » ma mandata mea intende. Postquam spiritus hoc corpusculum deseruerit, perge

Post vitæ solitariæ annos 15 moritur,

quartâ feriâ post Pascha,

prænuntiato die,

celebratâ Missâ,

perge ad sororem meam PEGAM [a], & dicas illi, quia ideo adspectum illius in hoc sæculo vitavi, ut in æternum coram Patre nostro in gaudio sempiterno adinvicem videamur. Dices quoque ut illa corpus meum imponat in sarcophagum, & in sindone involvat, quam mihi ECGBURCH mittebat. Nolui quidem juvenis ullo lineo tegmine corpus meum tegere: sed pro amore dilectæ Christi virginis, quæ hæc munera mihi mittebat ad volvendum corpus meum, reservare curavi. Audiens autem hæc præfatus Frater exorsus inquit: Obsecro te, Pater mi, quia infirmitatem tuam intelligo, & moriturum te audio, ut dicas mihi unum de quo olim te interrogare non ausus diu sollicitabar. Nam ab eo tempore quo tecum, domine, habitare cœperam, te loquentem vespere & mane audiebam nescio cum quo. Propterea adjuro te, ne me sollicitum de hac re post obitum tuum dimittas. Tunc vir Dei post temporis intervallum anhelans ait: Fili mi, de hac re sollicitare noli, quod enim juvenis ulli hominum indicare nolui, nunc tibi manifestabo. A secundo etenim anno quo hanc eremum habitare cœperam, mane vespereque semper Angelum consolationis meæ ad meum colloquium Dominus mittebat, qui mihi mysteria, quæ non licet homini narrare, monstravit: qui duritiam laboris mei cælestibus oraculis sublevabat, qui absentia mihi monstrando ut præsentia præsentabat. O fili, hæc dicta mea conserva, nullique alii nuntiaveris, nisi PEGÆ aut ECGBERTO Anachoretæ, si umquam in colloquium ejus tibi venire contigerit, qui solus hæc sic fuisse cognoscet. Dixerat, & cervicem parieti flectens, longa suspiria imo de pectore traxit, refocillatoque rursus spiritu cùm parumper anhelaret, velut mellifluі floris odoratus de ore ipsius processisse sentiebatur: itaut totam domum qua sedeřet, nectareus odor infunderet. Nocte verò sequenti cùm præfatus Frater nocturnis vigiliis incumberet, igneo candore à mediæ noctis spatio usque in auroram totam domum circumsplendescere videbat. Oriente autem sole vir Dei sublevatis parumper membris velut exsurgens, cum supramemorato Fratre loqui cœpit dicens: Fili mi, præpara te, iter tuum perge, jam me nunc tempus cogit ab his membris dissolvi, & decursis hujus vitæ terminis ad infinita gaudia spiritus transtolli malit. Dixit, & extendens manus ad altare, munivit se communione [b] corporis & sanguinis Christi, atque elevatis oculis ad cælum extensisque manibus, animam ad gaudia perpetuæ exsultationis emisit anno ab Incarnatione Domini nostri septingentesimo quintodecimo [c]. Inter hæc præfatus Frater subito cælestis luminis splendore domum repleri, turrimque velut igneam è terra in cælum erectam prospicit: in cujus splendoris comparatione cùm tunc sol in medio cælo steterat, velut lucerna in die pallidescere videbatur. Cantibus quoque angelicis spatium totius aëris detonari audiebatur: insulam etiam illam diversorum aromatum odoriferis spiraminibus inflari cerneres.

b Viatico accepto, anno 715.

36. Deinde supramemoratus Frater immensa formidine tremefactus, exi-

a S. Pega post Guthlaci germani sui obitum vixit anno integro in cella fraterna; postea recessit in propriam cellam inde quatuor leucis distantem ad plagam occidentalem, ubi nunc opidum *Peag-kirke*. demum illic completo biennio & tribus mensibus, ad Apostolorum limina profecta, Romæ supremos vitæ dies absolvit, ut Ingulfus Abbas Crulandensis auctor est. qui etiam non semel meminit Cellæ S. Pegæ, quam Monachi Crulandenses diu tenuere. S. Pega in Martyrologio Anglo-Benedictino colitur 12 Aprilis, distinguenda à S. Pegia sorore S. Botulfi, cujus Acta retulimus anno 700.

b Guthlacus tamen ipso die Missam celebraverat, ex superioribus.

c Eumdem annum exprimit Ordericus, ne quis mendam in numeros irrepsisse putet. Et tamen Matthæus Vvestmonasteriensis, Chronologia Saxonica Bedæ adjecta, & si qui alii, Guthlaci obitum reponunt anno præcedente. & quidem rectiùs, si constat Guthlacum obiisse III Idus Apriles. nam finem vitæ fecit quartâ feriâ post Pascha, quod anno DCC XIV incidebat in VII Idus Apriles.

ANN. CHR. DCC XIV. APRIL. XI.

mii splendoris coruscationem sustinere non valens, arrepta navicula portum reliquit, ac deinde quò vir Dei praeceperat coepto itinere perrexit. Deveniens quoque ad sanctam Christi virginem Pegam, fraterna sibi mandata omnia ex ordine narravit. Illa verò his auditis velut in praecipitium delapsa, se solo premens, immensi maeroris molestiâ medullitus emarcuit, lingua siluit, labrum obmutuit, omnique vivali vigore velut exanimis evanuit. Post verò interventum temporis ceu somno expergefacta, imi de pectoris fibris longa suspiria trahens, arbitrio Potentis grates egit. Postera verò die secundùm praecepta beati viri insulam devenientes, totum locum omnésque domos velut ambrosiae odore repletas invenerunt. Illa verò Dei famula trium dierum spatiis fraternum spiritum divinis laudibus caelo commendans, tertia die secundùm praeceptum illius felicia membra in Oratorio suo humo tecta condiderat.

A Pega sorore sepelitur ejus corpus,

37. Volens autem divina pietas latiùs monstrare, quanta in gloria vir sanctus post obitum viveret, cujus ante mortem vita sublimibus crebrísque miraculorum indiciis populis, tribubus, gentibus latè ubique fulgebat; addidit quoque aeternae commemorationis indicium. Transactis enim sepulturae ejus bis senis mensium orbibus, immisit Dominus in animum sororis ipsius, ut fraternum corpus alieno sepulcro reconderet. Aggregatis ergo Fratribus, Episcopis, Presbyterísque, immo & aliis ecclesiasticis gradibus, die exitus ipsius aperientes sepulcrum, invenerunt corpus totum integrum, quasi adhuc viveret: & lentis artuum flexibus multo potiùs dormienti quàm mortuo similis videbatur. Sed & vestimenta omnia quibus involutus erat, non solùm intemerata, verumetiam antiqua novitate & pristino candore splendebant. Quod ubi qui intererant prospexerunt, statim tremefacti stupentes steterunt, adeout vix fari potuissent, vix miraculum intueri auderent, & vix ipsi quid agerent nossent. Quod ubi Christi famula Pega prospexit, spiritali gaudio commota sacratum corpus cum divinarum venerantiâ laudum in sindone, quam eo vivente Ecgbertus Anachorita in hoc officium mittebat, revolvit: sed & sarcophagum non humo terrae condidit, immo etiam in memoriale quoddam posuit, quod nunc ab ETHELBALDO Rege miris ornamentorum structuris in honorem divinae potentiae aedificatum conspicimus. ubi triumphale corpus tanti viri usque in hodierni temporis cursum feliciter pausat, per cujus intercessionem miserationis divinae indulgentiam, quisquis integra fide pulsaverit, impetrabit.

post menses 12 inventū incorruptū.

38. O virum beatae memoriae, ô magistrum divinae gratiae, ô vas electionis, ô medicum salutis, ô praeconem veritatis, ô thesaurum sapientiae, ô quanta gravitas, ô quanta dignitas in verbis & confabulationibus ejus erat! quàm alacer, quàm efficax in discernendis causis fuit! quàm in absolvendis Scripturarum quaestionibus promtus & facilis! quàm inremisso famulatu Deo servierat! intantum quòd numquam in illius ore nisi Christus, numquam in illius corde nisi pietas, nihil in illius animo nisi caritas, nisi pax, nisi misericordia, nisi indulgentia perstabat. Nemo vidit illum iratum, nemo elevatum, nemo superbum, nemo commotum, nullus maerentem: sed unus idémque semper permanens, laetitiam in vultu, gratiam in ore, suavitatem in mente, prudentiam in pectore, humilitatem in corde praeferebat, itaut extra humanam naturam notis ignotísque esse videretur.

Elogium ejus.

39. Postquam ergo praefatus exsul Ethelbaldus in longinquis regionibus habitans obitum sancti Patris Guthlaci audivit, qui antè solus refugium & consolatio laborum ipsius erat; subitâ arreptus maestitiâ ad corpus ipsius

Ethelbaldo de morte sua maerenti apparet,

pervenit, sperans in Domino daturum sibi refocillationem aliquam laboris sui per intercessionem tanti viri Guthlaci. Qui cùm ad sepulcrum ipsius pervenisset, lacrymans aiebat: Pater mi, tu scis miserias meas, tu semper adjutor mei fuisti, te vivente non desperabam in angustiis, adfuisti mihi in periculis multis: per te invocabam Dominum, & liberavit me; modò quò vertam faciem meam, unde erit auxilium mihi, aut quis consolabitur me, & quis, Pater optime, me consolabitur si me dereliqueris? in te sperabam, nunc me spes fefellit. Hæc & alia multa proloquens, se solo sternebat, & supplex orans crebris lacrymarum fluentis totum vultum rigavit. Nocturnis autem appropinquantibus umbris cùm in quadam casula qua antè vivente Guthlaco hospitari solebat, pernoctans, mæstam mentem huc illúcque jactabat, parumper nocturnis orationibus transmissis cùm lumina levi somno dimitteret, subitò expergefactus, totam cellulam in qua quiescebat in immensi luminis splendore circumfulgescere vidit: & cùm ab ignota visione terreretur, extemplò B. Guthlacum coràm adstantem angelico splendore amictum prospicit dicentem ei: Noli timere, robustus esto, quia Deus adjutor tuus est. propterea veni ad te, quia Dominus per intercessionem meam exaudivit preces tuas. Noli tristari, dies enim miseriæ tuæ præterierunt, & finis laborum tuorum jam advenit. nam priusquam sol bis senis voluminibus annitem circumvolverit orbem, sceptro Regni dominaberis. Non solùm autem, ut fertur, Regnum sibi prophetavit, sed & longitudinem dierum suorum & finem vitæ suæ sibi in ordine manifestavit. Ille verò econtra dicebat: Domine, quod signum mihi erit, quia omnia sic eveniant? Guthlacus respondit: Signum hoc tibi erit: cùm crastina dies advenerit, antequam tertia hora fiat, his qui hoc loco habitant, unde non sperant, solatia alimentorum donabuntur. Hæc dicens lux quæ coràm apparuit, ab oculis illius recessit. Nec mora, dicta effecta secuta sunt. nam priusquam tertia diei hora propinquasset, signum in portu pulsatum audierunt, hominésque illis insperata solatia portantes conspiciunt. Exin ipse omnia quæ sibi dicta erant recordans, indubia spe futura fore credebat, fidémque inseducibilem in vaticiniis viri Dei defixit: nec illum fides fefellit. Ex illo enim tempore usque in hodiernum diem infulata Regni ipsius felicitas per tempora consequentia de die in diem crescebat.

Ann. Chr. DCCXIV. April. XI.

eique fortē prædicit.

40. Nec etiam defuncto ac sepulto Christi famulo Guthlaco signa virtutum ac sanitatum quæ per illum viventem Dominus hominibus donavit, per invocationem intercessionis ipsius ubique candescere præsentem adusque diem cessaverunt: ut qui vivens pomposis virtutum rumoribus se elevare noluit, quanti meriti vel quantæ valitudinis erat post obitum suum per plurima miraculorum tropæa monstraretur. Erat namque quidam vir paterfamilias in provincia Wissa, cujus oculi bis senis mensium orbibus adepto visendi lumine fulvis albuginis nubibus tegebantur, itaut splendentis diei lumina à furvæ noctis caligine secernere nequiret. Qui cùm reprobatis pigmentorum auxiliis medendi salutem desperaret, perpetuámque sibi luminis orbitatem imminere comperit, tandem invento salubri consilio ad corpus sacratissimum viri Dei Guthlaci se duci rogavit dicens: Scio certè & confido, quia si aliqua de rebus ab eo sacratis lumina mea tetigerint, citò sanabor, & visum oculorum meorum mihi reddet. Amici autem illius ut ipse rogaverat fecerunt. duxerunt quidem illum ad portum insulæ *Cruland*, & illi navi adscensa devenientes insulam, appetiverunt colloquium venerabilis Christi virginis Pegæ: quæ ferventis fidei illius spem indubiam comperiens, intra Oratorium quo corpus beati Guthlaci recumberet, duci permisit. Illa ergo partem glutinam salis à sancto Guthla-

Cæcus ad ejus tumulum recipit lumen.

ANN. CHR. DCC XIV. APRIL. XI.

co antè consecratam arripiens, in aquam opertoriam [a] levi rasura mittebat; ipsam denique aquam cùm intra palpebras cæci guttatim stillaret, mirabile dictu! ad primum tactum primæ guttæ detrusis cæcitatis nubibus oculis infusum lumen redditum est. priusquam enim alterius oculi palpebris salutaris lympha infunderetur, quidquid in domo esset in ordine narrabat; visúmque sibi in eodem momento donatum fatebatur. Deinde postquam diu clausas gratia per gratiam frontis reclusit fenestras, cognovit inventum olim quod perdidit lumen, dux se ducentibus factus est revertens cursûs. Exin ubi lumen de fonte luminis hausit, ibat quò venerat, nec sic reversus ut erat: vidítque videntes quos priùs videre negavit, grates Deo persolvens dignas, quas nullus reddere nescit. Multi ergo diversis infirmitatibus gravati, auditis rumoribus miraculorum beati Guthlaci palustrem Croilandiam, ubi sanctum corpus quiescit, adeunt, precibus ejus sanitatem integram adepti Deo gratias referunt [b].


Ethelbaldus Crulándense Monasterium ædificat.


41. Rex autem ETHELBALDUS ut beatum consolatorem suum miraculis coruscare comperit, locum sepulturæ ejus gaudens expetiit, & ea quæ beato viro jam Regnum adeptus donaverat, servientibus ei perenniter concessit. Nam quodam tempore, dum idem Rex causâ visitandi patronum suum antequam migraret, Croilandiam adiret, & vir Dei quietam mansionem in eadem insula sibi ab eo concedi postularet, quinque miliaria ad Orientem, id est usque ad fossam quæ *Asendic* dicitur, & tria ad Occidentem, & quinque ad Aquilonem concessit, & ab omni redditu atque consuetudine sæculari omnibus modis absolvit: & inde chartam sigillo suo signatam in præsentia Episcoporum Procerúmque suorum confirmavit. Et quia palustris humus Croilandiæ, ut ipsum nomen intimat, (Croilandia enim crudam, id est cœnosam terram significat) lapideam molem sustinere non poterat; præfatus Rex ingentes ex quercu palos innumeræ multitudinis humo infigi fecit, durámque terram novem miliariis per aquam de Upolanda *, id est superiori terrâ, scaphis deferri, & paludibus commisceri statuit: & sic lapideam (quia sacer Guthlacus Oratorio contentus est ligneo) Basilicam cœpit & consummavit, deinde religiosos viros ibi aggregavit, Cœnobium condidit, ornamentis & fundis aliisque divitiis locum ditavit, & ad honorem Dei & sancti Anachoritæ quem valde dilexerat, pro dulci consolatione quam ab eo dum exsulabat multoties perceperat. Eumdem itaque locum omni vita sua dilexit, nec umquam post primam instaurationem quam idem Rex fecit, sedes Croilandiæ religiosorum habitatione Monachorum usque in hodiernum diem caruit, præstante Domino nostro JESU-CHRISTO, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

* *Ord.* Upalonda

[a] Sic legitur in utroque cod. ms. Vedastino & Uticensi. an legendum *aquam aperteriam*? ab effectu sic dictam. An *aquam adspersoriam*? an denique *offertoriam*?

[b] *Hucusque*, ait Ordericus, *Felicis Episcopi* (immo Monachi) *scripta de venerabili Guthlaco*. cetera quæ sequuntur aliáque *de constitutione Crulandensis Monasterii & habitatione Cœnobitarum*, iisdem uti hîc verbis profert *ex vera*, inquit, *relatione* ANSGOTI *Subprioris aliorumque seniorum*. Certè veterrimum Vedastinæ Bibliothecæ exemplar ms. desinit in hæc verba paullo superiùs edita: *quas nullus reddere nescit*. reliqua superaddit codex Lirensis.





VITA SANCTI THOMÆ ABBATIS FARFENSIS IN ITALIA.

Circa An. DCCXV. Decemb. X.

Auctore Monacho Farfensi anonymo.

Eruta ex ms. cod. Farfensi à R. D. Constantino Abbate Cajetano.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Monasterii Farfensis dignitas.

DE *hujus Vitæ Scriptore nihil occurrit dicendum.* Monasterium constructum in honore beatissimæ genitricis Dei sempérque virginis MARIÆ, quod vocatur Acutianum, in Ducatu Spoletano seu in territorio Sabinensi, *ut loquitur Carolus Magnus in diplomate ad* PROBATUM *Abbatem, nunc* Monasterium B. Mariæ de Farfa, *in agro Acutiano longè diu ante Thomæ Abbatis & instauratoris ætatem exsistebat. Lege quæ de hoc Monasterio diximus ad Vitam S. Laurentii Episcopi Sæculo 1 ad ann. 576. Edidit Andreas Chesnius in Tomo 3 Hist. Franc. magnam partem Chronici Farfensis, ex quo celeberrimam & amplissimam fuisse Abbatiam istam satis intelligitur. Ei suberant* Monasterium S. Marci Evangelistæ, situm juxta muros Spoletanæ civitatis; Monasterium S. Salvatoris, situm non procul ab eadem civitate; Monasterium Puellarum quod vocatur sancti Georgii sub muro civitatis Reatinæ; & in territorio Firmano Monasterium sancti Silvestri vel sanctæ Marinæ, *prout in Ludovici Augusti Privilegio ad* BENEDICTUM *Abbatem legitur. Possessiones propè infinitas recenset Lotharius Augustus in charta* SICHARDO *Abbati concessa. Amplissima fuit hæc Abbatia ad tempora usque S. Bernardi Abbatis Claravallensis. Siquidem testante Gaufrido in Vita Bernardina lib. 3 cap. 7,* Abbas Farfensis conventum Fratrum à Claravalle petierat, Monasterium eis ædificaturus. *Re per Romanum Pontificem impedita,* sexcentas fere marcas argenti *ad Bernardum transmisit. Hactenus subsistit Abbatia: at pinguior censuum portio Abbati commendatario; reliqua cedit paucis Monachis Congregationis Casinensis. Hîc observare convenit Hadrianum Papam I, teste Anastasio Bibliothecario, ad Desiderium Langobardorum Regem* deprecationis causâ direxisse Probatum religiosum Abbatem Monasterii sanctæ Dei Genitricis, siti in territorio Sabinensi cum viginti senioribus Dei servis Monachis: *ubi malè in quibusdam editis legitur* præfatum Abbatem.

CAPUT I.

a Thomas Gallus loca sacra adit cum sociis.

FUIT namque in Gallia vir vitæ venerabilis THOMAS nomine; ut alii ferunt Maurigenâ [a] exortus provinciâ. Hic etenim vir sanctus Presbyterii fungebatur officio: cui quippe Dominus inspirare dignatus est, ut Hierosolymam ad sepulcrum Domini atque alia sancta loca adoranda pergere deberet. Qua inspiratione vehementer accensus, aliquantis secum adsumtis discipulis, peregrinationis arripuit iter. Cúmque Romam veniens sanctorum Apostolorum limina adorâsset, quantociùs ad loca destinata festinabat. Adjunctis etiam sibi religiosis de Italia viris, MARCIANO videlicet, qui postea Firmanæ tenuit Ecclesiæ Episcopatum; necnon & MARTYRIO, qui apud B. Petri [b] Ecclesiam postmodùm Monasterio præfuit. Hi namque omnes caritatis adnexi vinculo, socialis viæ carpebant iter: qui post longa valde itinera tandem optata perveniunt ad loca. Tunc igitur desiderii sui vota complens, vivificum lignum

a Id est in Mauriana Sabaudiæ regione, cujus caput Mauriana urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Tarentasiensi.

b An Monasterium S. Petri Apostoli, quod *fundatum prope muros civitatis Benevento, subjectúmque* Monasterio S. Vincentii de Vulturno legitur in Chronico S. Vincentii edito apud Chesnium Tomo 3 Hist. Franc.

CIRCA AN. DCC XV. DECEMB. X. crucis Christi, & sepulcri venerabilem atque gloriosum adoraverunt locum, simúlque cuncta sancta loca habitationis & passionis Christi visitantes similiter adoraverunt. Sed Marcianus & Martyrius supradicti gloriosi viri suam repetentes viam reversi sunt in Italiam.

II. In oratione à B. Maria monetur de repetenda Italia, Ut verò venerabilis Thomas ad gloriosum Domini reversus est sepulcrum, ibi per tres continuos deserviens annos, Dominum diu noctúque cum fletu & nimio precabatur mærore, ut ipsum pro sua clementia ad salutis dignaretur dirigere portum. Sed quia secundùm Domini promissum, *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur;* eum quantociùs exaudire dignatus est Dominus. (Matth. 7. 8.) Denique, ut relatu comperimus patrum, dum nocte ad idem Domini pernoctaret sepulcrum, precibus fatigatus nimiis atque vigiliis sopore depressus est: túmque beatissima Dei Genitrix virgo MARIA per visum apparere eúmque percunctari dignata est dicens: Quid est, Frater, quòd tanto mærore ac fletu conficeris? constans esto, & viriliter age, Dominúsque adimplebit desiderium tuum. oportet namque te Italicas remeare ad auras: cúmque illuc fueris, Domino protegente regressus require in provincia Sabinensi, in loco qui dicitur Acutianus, tres magnæ altitudinis cypressos simul positas, juxta quas etiam Basilicam pulcri decoris in meo reperies honore dicatam, quem ego frequenter visitare soleo locum. (& construendo Monasterio.) Hunc quoque cùm reperceris, ibi cursum tuæ consummabis vitæ. in quo videlicet loco nunquam tibi vel posteris tuis aliquid boni veniet minùs: sed omnibus vitæ præsentis ibidem perfruemini bonis, copiosáque Fratrum multitudo tuo exemplo cælestia migrabit ad regna. Nam cùm hæc beatissima Virgo per revelationem venerabili Thomæ retexeret verba, panem miræ magnitudinis atque candoris manu gestans ei detulit dicens: Accipe panem hunc, & perge securus. hoc autem scito, quia nunquam ex eo minùs habebis, sed omni vitæ tuæ ævo abundanter tibi sufficiet. (Compunctionis donum cælitus accipit.) Tantam namque deinceps illi gratiam compunctionis atque lacrymarum divina largiri dignata est pietas, ut pæne de Deo loqui nihil sine lacrymis [a] posset, & die noctúque psalmodiæ, vel orationis accensus desiderio divino suaves funderet lacrymas. Verè enim hic Psalmista dicere poterat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* (Psal. 41. 4.)

III. Ephesi moratus tres annos, Igitur venerandus vir de revelationis sollicitus admonitione, reversionis ad Italiam cum omni suo comitatu arripuit iter: veniénsque Ephesum apud B. Evangelistæ Johannis sepulcrum moratus est, ubi fecit alios tres annos: sicque factum est, ut id quo ad Orientem de Gallia profectus ibidem commoratus, & quo idem reversus est tempus, septem complerentur spatia annorum. Reversus verò in Italiam Sabinensem peragrabat provinciam: veniénsque in locum qui dicitur Cervinaria, ibi sub quadam arbore quæ nunc superest, paullisper requievit; placuítque illi ut ibi sacrificium Deo offerri deberet. Peractis itaque Missarum sollemniis eum gravitudo arripuit. Tunc verò præcepit discipulis suis, ut dum ipse paullulùm requiescerer, si aliquid in suis haberent marsupiis ad reficienda corpora, pararent mensam. aiebat enim se festinanter Romam proficisci velle, ut adoratis iterum beatorum liminibus Apostolorum suam repetendi provinciam adsumeret iter. Mox ut sopore depressus est vir sanctissimus, iterum beata Dei genitrix virgo semper Maria, læto ac benignissimo ut est vultu, ei apparuit dicens: Ecce, Frater, iste est quem tibi promiseram locus. nunc verò confortare in Domino, & noli pusillanimis esse. Iterúmque ostendit ei tres in visu præfatas cypressos, & ait: Vade, & juxta has quas cernis arbores,

a Idem iisdem verbis de eo refert Autpertus Abbas in Vita S. Paldonis infrà ad ann. 720.

invenies quam tibi prædixi Basilicam nomini dicatam meo: ibi namque permanens optimam reperies quietem, & labora sicut bonus miles, ut accipias coronam vitæ. Ego verò tecum semper cum tuísque omnibus ero tam præsentibus quàm futuris, & congregabitur ad te copiosa Fratrum caterva ad omnipotentis Dei servitium animas commendantes suas. Cúmque evigilans hæc Fratribus detulisset, circumquaque respiciens vidit non procul contra Orientis plagas tres prædictas cypressos, gavisúsque ait: Ecce in veritate modò in visione ostensæ sunt arbores: surgite itaque pergamus ad eas. Qui jussa complentes, cum multo labore dextro, lævóque latere condensa, quæ ibi succreverant spinarum ac veprium, cultris succidentes suis, illuc usque profecti sunt: respectámque ingressi Basilicam Domino immensas retulere grates. Cúmque ibi aliquantos in Dei peregissent laudibus dies, cœperunt memorati viri Dei pusillanimes effici, & eum cum magno percunctari mærore dicentes: Quid faciemus, ô venerabilis Pater, cùm hæc quæ nostris detulimus in fasciculis alimenta defecerint? Locus enim iste nulli præter bestiis & latronibus est pervius, à quibus forsitan latronibus trucidandi sumus. Quos idem vir venerabilis Thomas benignè refovens, consolatus est dicens: Confido de omnipotentis Dei magna largitate & intercessione beatissimæ Dei Genitricis MARIÆ, quia neque fame hîc laboraturi, neque à latronibus perimendi sumus; sed citò nobis ejus subveniet clementia, quia ipse per Prophetam polliceri dignatus est dicens: *Sperantes in Domino non deficient omni bono*. cujus quoque promissa citò nobis complebuntur.

CIRCA AN. DCCXV. DECEMB. X.

erigit comitum animos.

Psal. 33. 11.

IV. A Faroaldo Duce cælitus monito alimenta accipit.

Per idem namque tempus FAROALDUS [a] magno regimine Ducatum tenebat Spoletanum. Hic denique Romam proficisci illo tempore volens, apparatum suum in ciborum atque vini copia cum oneratis hominibus atque jumentis præire jussit; in crastinum ipse quoque, ut cogitabat, suis cum commilitibus eos sequuturus. Sed eadem sancta Dei Genitrix virgo Maria nocte hunc admonere per visum dignata est, dicens: Vide ut ab hac profectione quiescere debeas, quia incommodum est nunc te pergere Romam, eoquòd minimè tibi expediat; sed potiùs meo consilio quod tibi melius proderit, præbe consensum. Est namque in territorio Sabinensi Basilica nomine dicata meo, in qua videlicet Monachi degunt peregrini, qui die noctúque in hymnis & orationibus Deo inserviunt. Has itaque omnes quas præire jusseras, eò deferre facito expensas, quatenus eorum adjutus orationibus Deum possis habere propitium. Qui statim de somno consurgens, hanc suis protulit ministris revelationem, dixitque eis: Perquirite quisnam hîc de Reatina sit urbe. At illi dixerunt, quòd probator * ipsius civitatis Castallus ibidem esset. quem accersitum percunctari cœpit, ubi in Sabinis ad honorem B. Mariæ semper virginis esset Ecclesia dicata, in qua peregrini degerent Monachi. At ille inquit: Multæ in honorem B. Mariæ semper virginis Basilicæ in Sabinis habentur constructæ, sed in qua horum Monachorum, vel peregrinorum sit habitatio, penitus ignoro. Tunc ille inquit: Vade, & diligenter fac perquirere ubi peregrini habitent Monachi, & omnia quæ Romam adire jusseram alimenta, eis quantociùs facito ferre. Cujus statim imperio parens, omnes illas Sabinis direxit impensas. Cúmque homines illius alimenta

* f. Prætor

[a] Fuere duo istius nominis Duces Spoletani, nempe Faroaldus ab Alboïno Langobardorum Rege impositus civitati Spoletanæ Dux primus, de quo Paulus Vvarnefridi in lib. 3 Hist. Langob. cap. 13; alter Trasemundi filius & successor, ab eodem Auctore laudatus lib. 6 cap. 30 & 44. De hoc Faroaldo intelligendus hic locus, qui in historia nongentorum Monachorum Farfensium à Saracenis decollatorum, Monasterio Farfensi multa concessisse dicitur.

Circa An. DCCXV. Decemb. X.

quæ jam dicta sunt perferebant, ad locum qui dicitur Pompeianus pervenissent, ab incolis loci illius inquirere cœperunt, quonam in loco in honorem B. Mariæ Dei Genitricis constructa esset Basilica, ubi peregrinorum esset habitatio Monachorum. Qui omnes una voce responderunt dicentes: Equidem in honorem B. Mariæ Sabinis multas novimus Ecclesias esse: sed ubi Monachorum sit habitatio, omnino nescimus. Verumtamen à patribus nostris audivimus, quòd patres vel avos suos referre audierunt, quoniam in Casale qui dicitur Acutianus, juxta tres cypressos ibidem posita sit Ecclesia B. Mariæ miro fabricata decore, in qua antiquitus tempore Romanorum habitatio dicitur fuisse Monachorum; sed modò nullam ibidem hominum scimus esse habitationem. Et hæc dicentes ostenderunt eis non procul ab ipso loco tres prædictas cypressos. Cúmque ad ipsum pergere locum minimè scirent, viámque nequaquam reperire possent; onerata quæ secum habebant jumenta eos præire cœperunt, rectóque itinere ad locum pergere destinatum: quæ sequentes ad locum ipsum pervenerunt. Sed antequam ad ipsum pervenissent, vocem ac strepitum audierunt Fratres: qui timore perculsi cogitabant, quòd armata latronum manus ad eos adveniret perimendos. Protinúsque ad Oratorium confugientes, venerabilem virum Thomam conquesti sunt dicentes: Ecce, Pater, sicut diximus, latrones adsunt, qui nos interficere volunt, januámque Ecclesiæ oppilare curaverunt. At verò hi qui onera deferebant, ante fores Ecclesiæ ipsa ponentes, jumenta exonerare fecerunt. Tunc unus ex iisdem venerandi viri Dei discipulis respiciens per foramen januæ, vidit ipsum apparatum ante fores Ecclesiæ depositum: reverténsque nuntiavit Patri atque sociis nihil mali adesse; sed econtra largissimis dapibus ciborum atque vini dorsis jumentorum humeris advectatis advenisse repletos. Tunc exeuntes ad eos interrogare curaverunt, quænam essent ipsæ dapes, aut quis eas illuc direxisset. Hi verò qui advenerant, prostrati in terram eorum se precibus commendare studuerunt, primúsque eorum per quem directa fuerant alimenta, dixit: Farovaldus gloriosus Dux Spoletanus admonitus à beata Dei Genitrice Maria, almæ vestræ beatitudini benedictionem dirigere curavit, postulans ut eum sanctis precibus Domino commendare dignemini. Tum oblatis muneribus, benedictione percepta Sanctorum, ad propria reversi sunt: & ex eo jam tempore ipse gloriosus Dux eis sæpissime sua munera dirigere curavit, ipsumque præfatum virum venerabilem Thomam Abbatem Spoletum ad se venire rogavit, atque ejus sanctis precibus commendare studuit, aliquantámque donationem per suum Præceptum ejus contulit Monasterio.

Spoletum arcessitus, ab eodem dotatur.

V. Discipulos ad se trahit.

Igitur cùm venerabilis ejus Patris sanctitas, odorísque boni fama longè latéque diffusa esset, cœperunt ad eum tam de proximis quàm de longinquis provinciis certatim concurrere, ut ejus scilicet magisterio se Domini servitio subderent, atque in ipso Cœnobio beatæ Dei Genitricis semper virginis Mariæ monasticam degerent vitam.

VI. in his tres Beneventanos in Galliam tendentes.

Eodem tempore fuerunt Benevento tres nobiles exorti progenie viri, consanguinitatis quoque jure propinqui, quorum uni nomen erat Baldo, alter verò Taso, tertius quoque vocabatur Tato. Hi enim ex duobus progeniti patribus, Baldo scilicet ex uno, Taso autem & Tato ex altero, divino succensi amore uno consilio paríque voto decreverunt, ut patriam parentésque relinquentes, ac mundi hujus se pompis, fallacibus exuerent divitiis, quatenus veras atque cælestes attingere possent opes. Galliarum itaque desiderarunt penetrare provincias, ut ibidem videlicet corpore, non animo separati, per diversa sese Monasteria servitio subjugarent

Dei

Dei omnipotentis. Sed cùm hoc apertè pro suorum ergà ipsos parentum sollicita cura implere minimè possent, ad sanctorum adoranda limina Apostolorum Romam se ire velle professi sunt. Nam oneratis ex his quæ eis in via videbantur esse necessaria animalibus, adscendentes equos profecti adorsi sunt iter. Ut ergo Beneventi peragrati sunt fines, Marsorúmque ingressi sunt provinciam; descendentes de equis, pueris præcipiunt, ut equos & omnia quæ secum detulerant auferentes ad propria remearent. dicebant enim cæleste votum se habere, ut hi tantummodo tres Romam suis pergere deberent pedibus. Quibus quoque remeantibus pueris dum præfati milites inceptum pergerent iter, viles sordidósque habentibus pannos pauperibus obviârunt, quibus pretiosa sua largientes vestimenta, eorum sordidis atque vilibus adoperti sunt indumentis. Recto verò pergentes itinere, Sabinis ad Cœnobium beatæ Dei genitricis semper virginis Mariæ pervenerunt, in quo tunc præfatus vir vitæ venerabilis Thomas regiminis curam habebat. Qui dum eosdem Christi milites suscepisset hospitio, more solito cum Patribus perrexit, ut secundùm Domini præceptum eorum ablueret pedes. Denique dum eorum delicata candidáque membra sordidis contecta vidisset vestibus, eorúmque adspectus præclaros cernens, intellexit nequaquam eos publicos, ut ipsi fingebant, esse mendicos. Cúmque operis dominici omne complevisset mandatum, in sua se contulit claustra. Mane igitur primo eos secretè ad se fecit venire, subtilitérque eos ac blandè interrogare curavit, dicens: Qui estis vos, fratres, vel unde venistis? obsecro itaque ut non mihi adventûs vestri celare debeatis causam, forsitan enim aliquid à judicibus hujus sæculi aliquod sustinetis judicium; aut etiam, ut humanæ contingere solet fragilitati, in aliquod dilapsi crimen fugistis. credite, inquit, mihi, quia in quantum valuero, vobis suffragium præbere conabor, tantummodo si rectam profitemini veritatem. Illi verò cernentes nequaquam venerabili Patri suum abscondi posse secretum, ei cuncta quæ egerunt, & unde essent, adventúsque sui causam, suáque ac patrum suorum nomina per ordinem narrarunt. Porro quòd Romam pergere vellent atque Galliarum expetere provincias, ei minimè celant; adjurantes eum, ut nequaquam eorum impediret propositum. At ille: Absit, inquit, ô filii, ut à bono proposito vos revocare cupiam, sed potiùs vobis adminiculum impendere volo. Nam usque ad limina beatorum Apostolorum vestri socius ero itineris. Idcirco hæc venerandus Pater volebat facere, ut ipsos religiosos viros sancto consilio à tam longo revocaret itinere, sicut & fecit. Quod utique Dei nutu actum fuisse minimè dubitamus. Qui cùm Romam cum beato viro Thoma iidem viri pervenissent, suam cum lacrymis devotionem suffragiis Apostolorum commiserunt.

Ann. Chr. DCCXV. Decemb. X.

Consilium eorum sciscitatur.

eos Romam comitatur.

VI. Erat denique Romæ eodem tempore anus quædam, vidua religiosa, quæ cum omni domo sua hospitalitatis studio serviebat. Quotiescumque verò venerabilis Thomas Romam causâ orationis vel ad salutandum Pontificem pergebat, in ejus domo hospitium habere consueverat: in qua etiam tunc cum prædictis hospitatus est viris. Peracta igitur (ut suprà retulimus) oratione, hos cœpit verbis admonere suasoriis, ut secum ad Monasterium deberent reverti, quatenus institutionis suæ propositum videndo & operando addiscere possent, ac deinceps quò eas Dominus vellet dirigere jam instructi securiùs irent. Nam hujusmodi eos alloquitur verbis: Audite inquit, ô carissimi filii, consilium meum, & mecum ad Monasterium beatæ Dei genitricis Mariæ, ubi Domino largiente præesse videor, reverti vos minimè pigeat. Et

Pòst in Monasterium suum eos reverti persuadet:

Circa An. DCC XV. Decemb. x.

quamvis [a] extra usum sit nostri Monasterii; propter ardorem tamen vestri laudabilis desiderii, vos intrinsecùs recipi faciam, ut videlicet communi cum Fratribus participetis mensa, eadémque ubi ipsi dormiunt domo, vos quoque soporetis, ac simul ad opus adsistatis divinum, ad manuum quoque labores pariter exeatis, ut eorum imbuti documentis scire possitis, quo ordine Monachus degere in Monasterio debeat. Hæc autem & his similia venerabili Patre dulci admonitione prosequente, adsensum ei memorati præbuerunt viri: sicque cum eo ad Monasterium rediere.

VII. qui à parentibus perquisiti,

Igitur cùm hæc omnia (ut diximus) peracta fuissent, contigit patrem duorum fratrum, Tasonis videlicet & Tatonis, cum ceteris parentibus suis huc illúcque eos perquirendo anxiando discurrere, Romámque venire; ubi dum eos studiosè per Monasteria Ecclesiásque atque domos singulorum perquirentes, religiosæ, cujus superiùs memoriam fecimus, viduæ ingressi sunt domum; quam solliciti percunctantes, eorum adspectus signáque dicentes, hunc ab ea accepêre responsum: Hos quos vos quæritis viros, ego in hac domo mea cum venerabili patre Thoma hospitio recepi: nam Sabinis eos in Cœnobio beatæ Mariæ, ubi regimen tenet, absque dubio reperietis. Hæc autem illi audientes valde gavisi effecti, utpote magni amoris stimulis agitati, ad prædictum Monasterium veloci properantes cursu, obnixè prædictum rogantes Patrem, ut eos adspectibus eorum præsentari juberet. At verò venerandus vir Domini Thomas compatiens eorum doloribus, suasibilibus verbis admonuit viros religiosos prædictos, videlicet Baldonem, Tasonem, & Tatonem, ut ad colloquium suorum exire deberent parentum. Quibus quoque hoc facere renuentibus, auctoritate cogens eos persuasit ejus parere præceptis. Cúmque ad eos ingressi fuissent, eos objurgare cœpere parentes: Cur nos, inquiunt, ô dilectissimi filii, tamquam mortuos æstimantes relinquere voluistis, nostrarúmque deseruistis curam animarum? Etenim nullus inest vobis pietatis affectus, consanguinitatísque nulla compassio? Nos namque converti ad Dominum, & sæculum funditus relinquere parati sumus. propterea rogamus vos, & per Dominum cæli & terræ conditorem adjuramus, ne nos deseratis, sed potiùs nobiscum revertamini; alioquin sciatis de vestra manu nos esse requirendos. At illi verba eorum lacrymásque ac singultus pro nihilo ducentes, nulla omnino pietate permoti sunt; sed Gallias, ut Domino voverant, se profecturos esse dicebant. Tunc verò venerandus vir Domini Thomas sancto in se loquente Spiritu his eos alloquitur verbis: O dilectissimi, inquit, filii, audite consilium, & de Dei misericordia diffidere nolite. Si enim mea monita aure cordis vobis percipere placuerit, per vestrum bonæ operationis exemplum ad cælestia multi regna migrabunt. Propterea, ô carissimi, salubres meos auscultate sermones, & vestrorum nolite preces despicere parentum. Nam si vultis, ostendam vobis locum in quo vestri possitis adimplere desiderii vota. Confido enim de Domini clementia & largiflua pietate, quoniam bonum ibidem Domino acceptabilémque facietis fructum. Siquidem isdem vir Domini dum de Orientis partibus Italiam remeasset, per Samnii provinciam habuit iter, in qua videlicet super Vulturni fluminis ripam, à mille fere passibus à quo initium sumit, reperit in honore B. Vincentii Martyris Oratorium dedicatum, quod densissima quoque ex utraque parte fluminis silva ambiebat, & nulla ibidem erat habitatio præter ferarum & latronum fortasse latibula. Ad quem locum præfatos dirigere cupiens viros, hoc quod suprà diximus eis

ægrè iis se videndos jussi exhibent.

Thomæ suasu ad Vulturnum fluvium secedunt.

[a] Quippe Novitii, ad mentem S. Benedicti in Regulæ cap. 58, separati ab aliis Monachis tum degebant in cella quam vocabant Novitiorum. Lege Menardum in Concord. Regul. cap. 65 §. 1, & Vitam S. Anstrudis Abbatissæ Laudunensis num. 37 Sæculo 2 ad ann. 688. Eadem verba, quæ hîc, refert Autpertus in Vita S. Paldonis infra.

dedit ipsius loci indicium, ad cúmque locum quantociùs eos properare admonuit dicens: Ite, ô fortissimi athletæ Christi, ite securi, & in eodem loco itineris vestri figite gressum: valet enim omnipotens Deus vos in eodem loco ab omni malo servare illæsos, & à timore latronum cunctos per id iter agentes reddere securos. Ego verò loci à Principe illius terræ vobis firmitatis accipiam Præceptum, atque in ejus vos revocare gratiam curabo. His igitur atque hujuscemodi emolliti admonitionibus, ab intentione quam cœperant ad Gallias eundi suos revocant animos, & tamquam Christum loquentem attendentes in venerabili viro, benedictione ab eo percepta, ad ipsum locum arripiunt iter. Et non multo pòst, sicut promiserat isdem Domini vir Thomas, nimio caritatis succensus amore eorum causa Beneventum pedester profectus est. CIRCA AN. DCCXV. DECEMB. X.

De GISULFI *visione.*

ERAT enim eodem tempore GISULFUS [a] vir spectabilis Ducatûs tenens principatum: cui quadam nocte per visionem sancta Dei genitrix virgo Maria cum eodem venerabili viro Thoma apparere dignata est, eíque præcepit dicens: Vide quidquid à te iste postulaverit peregrinus, ei nequaquam negare debeas: quia vir sanctus est, & orabit pro te. Et hæc dicens abscessit. Qui mane idem Dux de suo consurgens stratu, præcepit suis ministris dicens: Ite, inquit, & ante fores ejus perquirite palatii, si fortè invenire possitis peregrinum quemdam virum monastico vestitum habitu, estque venusti adspectûs atque calvus. quem cùm inveneritis, ad me cùm honore introducere festinate. Egressi verò ministri statim eum reperiunt ante januas stantem palatii, & sicut eis præceptum fuerat, ipsum sanctum virum ad eum perduxerunt Ducem Gisulfum. quem mox quoque prout vidit, in visu recognoscens, continuò de suo surrexit solio, & omni in terram prostrato corpore, eum adorans dixit: Alma Dei genitrix Maria te mihi hac nocte per visionem ostendit. Nunc verò quidquid tibi placuerit pete à me, & ego devotus tuæ libentissimè tribuam sanctitati. At ille: Unam, inquit, parvulam vestræ celsitudinis pietati postulo petitionem. Est namque in Samnii provincia super Vulturni amnis ripam locus quidam in solitudinem redactus, ubi nulla est habitatio hominum, & in B. Vincentii Martyris ibidem honore habetur Oratorium constructum: quem videlicet locum obsecro, ut mihi pietatis vestræ largitio concedere dignetur, quatenus habitatio ibi debeat esse Monachorum, & vestræ pro hoc pietati magna apud Dominum merces accrescat. Quam videlicet petitionem ipse Dux libenter accipiens, hilari vultu respondit dicens: Ecce, Pater, ipse de quo postulas locus ab hac hora in tua permaneat potestate, & firmitatis ex eo à me accipe Præceptum. Quod videlicet Præceptum se habere jussit, roboratúmque ejus tradidit potestati. præfatos verò viros Baldonem scilicet, Tatonem atque Tasonem vir Domini Thomas in gratiam ejusdem revocavit Ducis, atque cum eis festinanter ad eumdem perrexit locum. [b] Ibi quoque aliquantis demoratus diebus eis multa dedit monita salutis, ostendit eis in quo loco Refectorium Dormitoriúmque atque hospitum susceptionem, & omnia quæ necessaria erant habitacula construere deberent. Baldonem quoque qui omnibus mitior erat, elegit ut illis in regimine præesse deberet. Ipse autem reverentissimus vir Domini Thomas reversus est Sabinis ad suum

VIII. Ejusdem rogatu, Oratorium S. Vincentii à Gisulfo obtinent.

b Baldo Abbas præfectus Monasterio.

a Is est Gisulfus Dux Beneventanus, qui *defuncto Grimoaldo germano Ductor effectus est*, inquit Paulus Vvarnefridi lib. 6 cap. 2, *præfuitque Benevento annis decem & septem.* is, inquam, qui tempore Johannis Papæ VI, id est anno fere DCCII, Campaniam vastasse, sed missis ab Johanne legatis ad propria repedasse memoratur tùm apud Paulum lib. 6 cap. 27, tum apud Anastasium Bibliothecarium in Johanne VI. Alius est Gisulfus junior Dux itidem Spoletanus.

b Anno scilicet DCCVII, ut in Vitâ S. Paldonis videbimus ad ann. 720.

Circa An. DCC XV. Decemb. 2. Monasterium, deferens secum illud quod ei Gisulfus Dux dederat Præceptum.

IX. Monachorum utriusque Cœnobii societas. At verò memorati viri successorésque eorum multa annorum curricula congruis temporibus ad Monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ veniebant, & hebdomadas suas in coquinæ officio, sicut & alii Fratres, in ipso faciebant Monasterio, atque per dispositionem domini Thomæ Abbatis successorúmque ejus ipsum sancti Vincentii Monasterium ordinabatur.

X. Thomæ obitus. Venerabilis igitur Thomas cùm in suo Monasterio per longa annorum spatia exemplum sanctæ conversationis discipulis dedisset suis, jam senex plenúsque dierum migravit ad Dominum: corpúsque illius humatum est à discipulis in B. Mariæ Dei genitricis basilica. Præfuit namque huic sanctæ congregationi annis XXXV [a] & mensibus VII, ac diebus V. obiit verò IV Idus Decembris in pace.

a Hinc corrigendum id quod ex Jacobillo diximus in Vita S. Laurentii Episcopi Sæculo 1, ubi annos dumtaxat XXVI regiminis Thomæ adsignavimus. Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ex Martyrologio Farfarensi probat, Thomam IV Idus Septembris obiisse. Et tamen antiquum Vitæ S. Thomæ exemplar præfert IV Idus Decembris. Anno Christi DCC XV collocandus est obitus: siquidem anno DC XXC (ut volunt) Farfense Monasterium Thomas instaurare cœpit.



Ann. Chr. DCC XVI. Sept. XXV.

DE S. CEOLFRIDO ABBATE WIREMUTHENSI IN BRITANNIA,

& de HUETBERTO ejus successore.

1. Annus *Christi concepti septingentesimus sextusdecimus illustris est obitu* Ceolfridi *Abbatis Wiremuthensis & Girvvensis, cujus Acta cùm exhibuerimus Sæculo 2 ad annum 690 ex Beda in historia Abbatum Monasterii sui, ea hîc repetere otiosum fuerit. tantùm quædam analecta colligimus.*

Vita data Sæculo 2.

Ceolfridus à Naitono Rege rogatus,

2. *Anno circà* DCC X Naiton Rex Pictorum qui septentrionales Britanniæ plagas inhabitant, *ut Beda lib. 5 Hist. cap. 22 tradit*, admonitus ecclesiasticarum frequenti meditatione Scripturarum abrenuntiavit errori, quo eatenus in observatione Paschæ cum sua gente tenebatur, & se suósque omnes ad catholicum dominicæ resurrectionis tempus celebrandum perduxit. Quod ut faciliùs & majori auctoritate perficeret, quæsivit auxilium de gente Anglorum, quos jamdudum ad exemplum sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ suam Religionem instituisse cognovit. Siquidem misit legatarios ad virum venerabilem Ceolfridum Abbatem Monasterii beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quod est ad ostium Wiri amnis, & juxta amnem Tina in loco qui vocatur In-Gyrwm, cui ipse post Benedictum gloriosissimè præfuit, postulans ut exhortatorias sibi litteras mitteret, quibus potentiùs confutare posset eos qui Pascha non suo tempore observare præsumerent; simul & de tonsuræ modo vel ratione quâ Clericos insigniri deceret. Sed & architectos sibi mitti petiit, qui juxta morem Romanorum Ecclesiam de lapide in gente ipsius facerent ... Cujus religiosis votis ac precibus favens reverendissimus Abbas Ceolfrid, misit architectos quos petebat, & litteras scriptas in hunc modum: Domino excellentissimo & gloriosissimo Regi Naitono, Ceolfrid Abbas in Domino salutem. Catholicam sancti Paschæ observantiam quam à nobis, Rex Deo devote, religioso studio quæsisti, promtissimè ac libentissimè tuo desiderio,

mittit architectos, & Epistolam adversus errores Scottorum,

juxta quod ab Apostolica sede didicimus, patefacere satagimus. *Integram Epistolam legesis apud Bedam, in qua proposita quæstio solidè ac fusè agitatur.* ANN. CHR. DCC XVI. SEPT. XXV.

3. *Addit Beda:* Hæc Epistola cùm præsente Rege Naitono multisque viris doctioribus esset lecta, ac diligenter ab his qui intelligere poterant, in linguam ejus propriam interpretata; multùm de ejus exhortatione gavisus esse perhibetur, itaut surgens de medio Optimatum suorum consessu, genua flecteret in terram, Deo gratias agens, quòd tale munusculum de terra Anglorum mereretur accipere. *Dein præcepit Rex Pascha catholicum & tonsuram Romanam servari à subditis suis: quod illi incunctanter facto suo approbaverunt, ut Beda eo loci testatur.* probatam & receptâ.

4. *Ceolfridus abdicato Monasterii sui regimine*, ad limina beatorum Apostolorum tendens, priusquam illò pervenisset, tactus infirmitate, diem clausit ultimum, *prout ex Beda retulimus Sæculo 2.* Perveniens namque Lingonas circa horam diei tertiam, decimâ ipsius diei horâ migravit ad Dominum. Erat quando obiit annorum septuaginta quatuor, Presbyterii gradu functus annis XLVII, Abbatis officium ministrans annis XXXV, vel potiùs annis XLIII: quia scilicet à primo tempore quo Benedictus in honore beatissimi Apostolorum Principis suum cœpit condere Monasterium, ipse illi comes individuus, cooperator & doctor regularis & monasticæ institutionis aderat. Obiit autem, septimo Kalendarum Octobrium die, anno ab Incarnatione Domini DCC XVI, feriâ sextâ post horam nonam: in pratis memoratæ civitatis sepultus, in crastinum ad Austrum ejusdem civitatis miliario primo in Monasterio Geminorum, *vulgò* Geomes, *tunc Ordinis S. Benedicti, nunc Prioratu Canonicorum Regularium Ord. S. Aug. Locus antiquitus* Urbatum *dicebatur, ut constat ex Actis SS. Geminorum Speusippi, Eleusippi & Meleusippi apud Bollandum 17 Ianu.* Moritur apud Lingonas.

5. *Huc spectat Bedæ Præfatio in librum quartum Samuëlis, Abbatis sui mortem lugentis in hunc modum:* Tertio in B. Samuëlem completo volumine, putabam me aliquandiu reparatâ per quietem meditandi vel scribendi voluptate, sic demum ad inchoationem quarti manum esse missurum. Verùm hæc eadem mihi quies dicenda est inopinata mentis anxietas, prolixior multo quàm decreveram, nova circumstantium rerum mutatione pervenit, maximè discessu Abbatis mei reverendissimi, qui post longam monasterialis curæ observantiam subitus Romam adire, atque inter loca beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi corporibus sacra, extremum senex halitum reddere disponendo non parva commissorum sibi animos, & eo majore quo improvisa conturbatione stupefecit. Sed qui Moysi longævo ab humanis rebus tollendo Jesum Nave in ducatum, qui Eleazarum in Sacerdotium Aaron patri substituit; ipse provecto ætate Ceolfrido ad beatorum Apostolorum limina sancta properanti HUETBERTUM juvenem, cui amor studiúmque pietatis jam olim EUSEBII cognomen indidit, ad regendas Sacerdotio ducatúque spiritali Fidelium animas Abbatis vice substituit; ejusdémque substitutionis gradum post electionem fraternam, sua per tuum, dilectissime Antistes *Acca*, officium benedictione confirmavit. Beda ejus mortem deflet.

6. Reliquiæ ossium, *inquit Vvillelmus Malmesburiensis lib. 1 de Regib. Angl. cap. 3*, posterioribus annis ad Monasterium *scilicet* Wiremuthense aut Girwense; deinde Danicæ vastationis tempore cum ossibus beatæ Hildæ Glasconiam portatæ sunt. *Certè in Monastico Anglicano, ubi de Sanctis Glastoniæ quiescentibus agitur, hæc legimus pag. 4.* Ibi requiescunt ossa Ceolfridi Abbatis venerabilis Bedæ sagacissimi Doctoris, ac SS. Confessorum Benedicti cognomento Biscope, Hesterpini, *aliis* Easterwini, Sigfridi, & Herberti *seu* Huecberhti, Wiornensium Abbatum, quorum gesta etiam apud nos Reliquiæ & cultus.

ANN. CHR. DCC XVI. SEPT. XXV. habentur, de dono Regis Edmundi senioris. *Ex quibus manifestum est, jam ante principatum* Edmundi senioris, *qui anno* CM XLVIII *vitâ functus est, Ceolfridi Reliquias in veneratione fuisse, immo etiam Huetberti ipsius successoris. Certè Alcvvinus in Epistola 49 ad Monachos Vvirenses* Ceolfridum sanctissimum Patrem *appellat his verbis:* Regularis vitæ observationem quam statuerunt vobis sanctissimi Patres, Benedictus scilicet & Ceolfridus, diligentissimè custodite.

Huetberti Abbatis gesta attinguntur. 7. *Quoniam verò Huetberti Ceolfridi successoris mentio sese offert, non supervacaneum fuerit pauca de eo adnotare. Fuit is Bedæ discipulus, qui adhuc in inferiori gradu exsistens, Commentarium in Apocalypsin à Præceptore impetravit cum hac Præfatione:* Dilectissimo Fratri Eusebio salutem, *&c. Et Beda in Epistola ad Accam Episcopum præfixâ Explanationi in Acta Apostolorum, hæc de eo scribit:* Post Expositionem Apocalypseωs sancti Evangelistæ Johannis, quam Fratris nostri EUSEBII rogatu tribus libris complexam tibi transscribendam destinavi, *&c. De Huetberti electione in Abbatem fusè agit Beda in Historia Abbatum Monasterii sui, ubi Huetberti commendatoriam pro Ceolfrido Epistolam ad Gregorium Papam II adducit, relatam Sæculo 2 ad ann. 690. Eidem Huetberto jam Abbati Beda* percurrendum offert librum de ratione temporum. *Quid rei postea egerit Huetbertus, nobis latet, nisi quòd fortean Bedæ Præceptori suo, non diu tamen, supervixit. Id testantur Bonifaciana Epistola, nona quidem inscripta* HUETBERTO Abbati & universis Fratribus congregationis ejus, *quâ Epistolâ Bonifacius flagitat ipsius preces, rogátque* ut aliqua de opusculis sagacissimi investigatoris Scripturarum Beda Monachi conscripta transmittere dignetur, quem NUPER, *inquit,* in domo Dei apud vos vice candelæ Ecclesiasticæ scientiâ Scripturarum fulsisse audivimus. *Ex quibus verbis Bedam jam tum obiisse intelligimus. Quamquam Epistola 150, quæ verbis nullatenus differt à nona, non* Huetberto, *sed* Cuthberto *Abbati inscripta est. Porro* Cuthbertus *seu* Gutbertus *Huetberto Abbati successit, pluresque accepit litteras à Lullo Archiepiscopo Maguntino, nimirum 70, 89, 95, 111, inter Bonifacianas. Et Cuthbertus ipse Epistolam encyclicam de Bedæ obitu scripsit: adeout suspicari liceat, num Huetbertus tum in vivis superesset. Ceterùm quòd ipsius Reliquiæ Glastoniam translatæ sint ex dictis; colligimus eum antiquitus in numero Sanctorum fuisse habitum, tametsi nomen* Huetberti *in Martyrologiis non reperitur.*




CIRCA AN. DCC XVII. FEBR. XVII.

VITA SANCTI SILVINI EPISCOPI APUD MORINOS IN GALLIA.

Auctore ANTENORE Episcopo, Interpolatore anonymo, qui vixit ante medium sæculum IX.

Ex Guillelmo Catello & mss. codd. Februario Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Silvini Acta, 1. *N Alchiacensi Monasterio apud Morinos Patronus colitur S.* SILVINUS, *quem alii Tarvennensem, Tolosanum alii, alii incertæ sedis Episcopum fuisse aiunt. Acta ejus legimus tum manu descripta, tum edita apud Bollandum & Guillelmum Catellum in historia Episcoporum Tolosatium. Auctorem esse antiquum patet ex Prologo, in quo testatur Auctor, se post* ANTENOREM

Episcopum quemdam, Silvino familiarem, id operis aggressum esse hortatu LEUTEWITH *Abbatissæ Alchiacensis; ac proinde ante Nortmannorum tempestatem, à quibus Alchiacense Parthenoion solo æquatum est, nec umquam Sanctimonialibus, sed Monachis restitutum.* CIRCA AN. DCCXII. FEBR. XVII.

2. *Acta illa viderat Ado Viennensis Episcopus, cujus in sincero Martyrologio hæc verba sunt:* XV. Kalend. Martii S. Silvini Tarvanensis Episcopi & Confessoris, cujus gesta habentur. *Variat germanus Vsuardus in designando natali die & sedis loco. Sic enim habet exemplar nostrum, auctoris ætate exaratum:* XIII Kalend. Martii in pago Tarvenensi S. Silvini Tolosanæ civitatis Episcopi. *tametsi locus sedis in recentioribus apographis correctus est.* dies obitûs,

3. *Legerat & Acta illa Menardus noster, cujus hæc sententia in lib. 1 Observat. ad Martyrologium Benedictinum ad diem 17 Febr.* Ex eadem Vita non satis liquet an fuerit Monachus S. Silvinus. *Putant aliqui, testante Vuione, eum in Cœnobio Bertiniano Monachum fuisse. Non tamen inter Sanctos Monasterii S. Bertini numerari solet. Quidquid id est, ejus Acta referre juvat in gratiam Alchiacensium nostrorum, qui S. Silvinum Patronum & loci sui primarium decus & ornamentum agnoscunt.* an Monachus.

4. *Alchiacum seu Alciacum Monasterium, vulgò* Auchy les Moines, *quo nomine distinguitur ab Alciaco castro; situm est in Morinis seu in Artesia*, ut vocant, haud procul ab opido Hesdino ad Quantiam fluvium. Monasterii fundamenta circiter annum* DCC *posuere* Adalsquarus quidam & ejus conjunx Aneglia, *nobiles Franci, ut in hac Vita legitur, &* Basilicam in honore sanctæ Dei genetricis MARIÆ construxere, ubi etiam eorum filia Siccherdis deposito sæculari habitu Deo sacrata est. *Cœnobium istud Sanctimonialibus stetit adusque excidium ejus à Nortmannis patratum: instauratum postea, ac Monachis Benedictinis datum (qui illud hactenus possident) eo pacto, ut Abbatem sibi proprium è Monasterio Sithivensi seu S. Bertini eligere tenerentur. Id ratum esse jussit Innocentius Papa III in lib. 5 Decretal. tit. 41 cap. 25, quod* Abbati S. Silvini Alciacensi *inscriptum est, tametsi libri editi mendosè præferunt* S. Silvani Alciatensi. SUBLGERUM *Abbatem primum Heribertus Sithivensis Alciaco præfecit anno* MLXXII, *teste Johanne Iperio in Chronici Sithivensis cap. 38 parte 4.* Alciacum Monasterii initia & status. * Artesia.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. QUIDAM Episcopus ANTENOR nomine, satis in divina pollens Religione, sed non admodum in disciplina eruditus litterali, post obitum sancti SILVINI actus & vitam ejus describere conatus est: scilicet ut affectum quem vivens erga eum subjectionis habuit, post transitum illius non amitteret obsequendo. Quocirca aliquid ejus sanctitatis quod scire potuit, litteris adnotare non distulit. Sed nescio utrùm negligentia habitatorum ejusdem loci, aut invidia diaboli obumbrante, usque ad tempus devotissimæ LEUTEWITH Abbatissæ hæc descriptio non comparuit. Denique præfata Abbatissa eam investigans reperit in corruptis membranulis, jámque vetustate nimia ex parte deletis: quam sæpiùs relegens animadvertit, partim rusticè, partim vitiosè compositam fore juxta normam litteralis artis. Inde ducta devotione pia sancti Silvini, fecit eam denuo emendatiùs rescribi, non sensum mutando, sed enucleatiùs quæ inordinata * videbantur componendo. Ceterùm si aliqua omissa sunt quæ dici oporteret, aut aliquid superfluitatis adnotando quod non debuit; devotioni illius ac simplicitati imputetur qui primùm scripsit, non obsecutioni scriptoris, qui secundò imperatus prout valuit correxit. Vita ab Antenore scripta, à Leutevvith reperta, ab anonymo expolita. * al. in melius ordinata

INCIPIT VITA SANCTI SILVINI EPISCOPI

cujus festum est XIII Kal. Martii.

2. MODERNIS temporibus divina ordinante providentia exortum est quoddam exemplar justitiæ miræque sanctitatis refulgens nitore à partibus meridiani climatis, SILVINUS nomine, in Episcopatûs honore sublimatus, Confessórque Christi devotus. Hic quidem beatissimi meriti Silvinus videtur esse quasi quoddam confinium inter cessantia Sanctorum præcedentium miracula & fidem sequentium populorum, ùt & meritis præcedentium Sanctorum jungeretur æqualibus, & caput atque sanctitatis exemplum foret sequentium. Hunc etiam sanctum Silvinum nobilis To- Silvinus ortus in pago Tolosano,

CIRCA AN. DCCXVII. FEBR. XVII. losana genuit terra, sed Tervanensium felices continent fines. Clarus ex prosapia nobilitatis juxta sæculi dignitatem, sed clarior ex fide sanctitatis secundùm Dei voluntatem. Floruit quoque tempore prioris CAROLI Regis & CHILDERICI ejus Principis, perseverans usque Vinciacum bellum, quod gestum est * inter CAROLUM & RAGENFRIDUM Francorum Regem, ubi magna strages facta est populorum fugato Ragenfrido cum paucis qui remanserunt.

floret Childerico Rege.

* anno DCCXVII.

3. Igitur tempore juventutis desponsavit quamdam puellam juxta ritum uxores ducentium. Sed tandem in semetipsum reversus, sumto altiori consilio arcani pectoris reliquit fœderationis pactum, ut mundo corde & casto corpore imitaretur filium Virginis, qui semper mundus permanet, cuique omnia placent munda, non immemor Evangelii dicentis: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem & matrem aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.*

Sponsam intactâ relinquit.

Matth. 19. 29.

4. Denique Domino providente, ut & meritum sanctitatis ejus augeretur, & plures per suam salvarentur doctrinam; ad occidentales [a] destinatus pervenit partes, videlicet Tervanensis regionis, ubi non parvam plebem populi Domino adquisivit. Erat enim incolis hujus terræ cultus divinus ex parte incognitus, quem verbo prædicationis simulque exemplo justè vivendi reparavit, Deum unum prædicans in majestate perfectum trinumque in personis esse fatendum. Unde in eis cultu fidei crescente amabatur ab omnibus ut pater, venerabatur ut dominus. Et jure à cunctis colebatur, qui omnes fere tunc temporis viventes præcellebat in sanctitate boni operis. Humilitatis quoque gratiâ in omnibus præditus, cunctósque bene viventes diligebat ut fratres, amplectebatur ut carissimos filios, non attendens personas potentium, sed magis cultum religionis & sanctæ humilitatis devotionem. Fuit enim admodum largus ad omnes, maximè, ut scriptum noverat, ad domesticos fidei, affamine delibutus lenifico, prudens in doctrina, humilis in cultu, sanctissimus in imitatione, facie decorus, hilaris vultu, pauper habitu, dives in Domino. Semetipsum verò primum intuens correxit quidquid reprehensionis reperit, ac dein alios corrigere, immóque ad calcem recti itineris perducere non piguit prædicando & monendo quotidie: quoniam ejus studium in hoc maximè viguit, ut sua opera Domino accepta forent, & plurimos lucrari posset, atque ovili summi Pastoris Christi copularet. Hospites & peregrinos in sua domuncula tamquam Christum assiduè excipiebat, pedes eorum lavans, simulque alimenta juxta facultatem tribuens, atque partem vestimentorum indulgens. Desiderabat quidem è numero eorum esse, quibus in futuro Dominus dicturus est: *Hospes fui, & suscepistis me*, &c.

Tarvennicum pagum adit,

ubi plures adducit ad Christum.

Gal. 6. 10.

Caritatis actibus dat operam.

Matth. 25. 35.

5. Equo usus erat in via iter peragens, non propter gloriam ad delectationem carnis, sed propter infirmitatem corporis, etiam ad extremum ob nimiam senectutem. Hic fere assiduè profectus peregrè propter amorem omnipotentis Dei multa Sanctorum limina circuivit orando precésque fundendo, ut nullus Justorum remaneret, quem propitiatum ad exitum hujus peregrinationis habere non possit, atque jam precibus suis copulatum: quoniam æstimans non se satis esse de se, aliorum auxilium deposcens, ut promtior transiret ad gloriam. Legerat enim scriptum, neminem per semetipsum posse fieri salvum, & non solùm satis illi fuit in his provinciis votum peregrinationis atque precum perficere, quæ mari undique cinguntur, sed etiam trans mare devectus visitavit terram ubi Dominus noster JESUS-CHRISTUS secundùm carnem natus & educatus exstiterat, & loca pertransiens diversa pervenit Golgotha, quod est Calvariæ locus, ubi Dominus ab impiis Judæis & militibus Romanorum crucifixus est. Et quia Dominum corporeis oculis videre non poterat, quamquam spiritualibus jugiter contemplaretur, saltem vel locum quo ipsum & totum genus humanum de potestate diaboli redemit suo sanguine, & victor spolia ejus abstulit, invisere mereretur, quatenus tali visione roboratus in animo fusaque oratione securior repedaret in patriam. Denique veniens ad Jordanem, ubi Christus Filius Dei pariter & hominis baptizatus est, nostrum Baptisma sanctificans, hausit inde sacram undam, conspergens se totum ex illa: unde lotus effectus & quasi denuo renatus ac totus intrinsecùs reparatus recessit, jam prope omne desiderium in præsenti vita completum habens.

Varias peregrinationes suscipit,

etiam ad loca sancta.

[a] Ex hac narratione patet, Silvinum relictâ sponsâ statim accessisse in pagum Tarvennicum, nec videtur umquam rediisse Tolosam: ubi proinde Episcopus non fuit. Neque etiam Tarvennæ. Siquidem toto illo tempore quo apud Morinos demoratus est, istius Ecclesiæ sedem tenuerunt Drausio, Bainus, Ravengarius, & Erkembodo ad annum DCCXXXVII superstes.

Templa

6. Templa etenim Sanctorum cum magna veneratione excolebat, illustrans luminaribus juxta facultatem suam, juncta oratione & Missarum sollemniis. Sacerdotes Dei miro affectu diligebat, Monachos venerans, virgines corrigens, ut castitatem corporis & cordis illibatè usque ad calcem conservare non desisterent. Omni Clero & populo Dei in sancta Ecclesia consistenti sine aliquo defectu quotidie prædicabat ad pænitentiam provocans, simúlque pro eorum delictis misericordiam Dei exorare indesinenter non piguit. Et quia Confessor Christi fuerat, confessiones confluentium populorum suscipiens, dabat consilia quomodo salvi esse possent, & vias justitiæ sine defectu alicujus tædii immobiliter retinerent, docens quidem jugum Christi suave esse & ejus onus leve, nihílque utilius quàm illi servire, qui regnum æternum daturus est his qui diligunt eum ex toto corde, tota anima, omníque virtute: & nihil stultius quàm satanæ voluntati parere, qui pœnam perpetuam & æternum ardorem suis promittit sequacibus, &c.

CIRCA AN. DCC XVII. FEBR. XVII.

curat res sacras & proximi salutem. Confessiones audit.

7. Omnia quæ habuit, Domino consecravit, & non suis imputans meritis bonum quod agebat, sed misericordiæ largientis Domini. Unde pro his rebus transitoriis atque caducis præmia est consecutus æterna. Construxit enim in suæ proprietatis jure ob venerationem omnipotentis Dei & memoriam sancti sui nominis Ecclesias duas, unam in loco nuncupato Mundini-cisterna [a], & aliam in Remicensi Campania, ubi laudes Dei celebrantur assiduè.

Oratoria duo construit.

8. Si quidem multos captivos in longissimis regionibus redemit, & ingenuos faciens reliquit ire quò vellent jam imbutos fidei disciplinâ, & signo crucis exarato in frontibus eorum. Hinc moris erat, quando infirmi ad eum confluebant diversas habentes infirmitates; primùm pro eis immensam Domini clementiam exorare intra cubiculum secreti cordis, & intrinsecùs curare animas: ac deinde quosdam perfundere balneis, & quosdam sancto ungere oleo; & sic sanos & incolumes remittebat ad propria sumto charismate sanctæ Communionis, acsi numquam læsi exstitissent ab aliqua infirmitate. Et non mirum, si Dominus JESUS-CHRISTUS per suum servum sanctum tanta peregit miracula in mundo, qui ei ab adolescentia serviens placuit, &c.

Captivos redimit, infirmos sanat.

9. Fuit enim vir magnæ abstinentiæ, & (sicut fertur) quadraginta annos vixit panem non comedens, nisi corpus & sanguinem Domini, contentus tantùm oleribus & ceteris fructibus terræ. Vestimenta speciosa numquam indutus emicuit, nisi fortè rarò in sollemnitatibus Missarum. Sed deformibus, asperis & simplicibus utebatur, observans quod scriptum est: *Non in veste speciosa*; & quod alibi legitur: *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Sed iste magis in cilicio & cinere studens suo Regi militare, quàm vestibus auro subtextis, aut fulgentibus margaritis. Somnum quoque paullulum quando rapiebat, non super stragmenta lectorum recubans, sed aut super purum lignum, aut super nudam terram: & ut magis suum affligere posset corpus, & velut inutile mancipium subjugare circulos ferri imponens membris suis, quos multo tulit tempore, dilacerans carnem nimia austeritate ferri & æruginis, memorans quòd Dominus JESUS-CHRISTUS in cruce ferreis confixus clavis pro illo mori non est dedignatus. Insuper lapideas molas eodem affectu Romam tulit, & in signum triumphantis ante fores Basilicæ sancti Petri statuit, ibíque dimisit.

Solis oleribus vescitur. Utitur vulgari veste. 1. Tim. 2. 9. Matth. 11. 8. Humi cubat. Gestat circulos ferreos, & lapideas molas Romam.

10. Hic beatus Silvinus sæpissime ad palmam martyrii pertingere concupivit, & talionem Domino suo reddere. Sed gratiâ Dei cessantibus jam malorum persecutionibus, pollente fidei dono in sancta Dei Ecclesia, nullus in eum consurrexit inferens mortem. Voluit etiam solitariam vitam eremi ducere, ac soli Deo vacare relictis populorum negotiis, sed jugi obsistente corporis infirmitate contra votum animi retentus est. Tamen nec impar Martyribus est qui assiduè suam maceravit carnem, ferendo sponte vincula ferri in membris: nec longè distat ab Eremitarum parsimonia, quì quadraginta annis abstinentiam panis excepta Communione sancti charismatis viriliter tenuit.

Martyr & solitarius voto.

11. Innumeras quoque virtutes, & sanitatum restaurationes per eum Dominus operatus est in terra. De multis hominum corporibus dæmonia ejecit, oratione & Communione corporis & sanguinis Domini attributa leprosos curavit, paralyticos mundavit, claudis gressus restituit, &c.

Miracula patrat.

12. Nunc igitur veniendum est ad illud, quomodo hæc beata anima de ergastulo carnis & instantis vitæ transiit cælos penetrans. Tempore enim transitûs sui appropin-

Febre correptus,

[a] Mundini-cisterna, vulgò *Maunice*, locus est haud procul ab Alchiaco. Ecclesia in Remicensi Campania sita videtur fuisse locus vernaculè dictus *S. Remy-Champagne* in eodem tractu, ex Bollando.

CIRCA AN. DCC XVII. FEBR. XVII.

quante cœpit ægrotare, & vi magnarum febrium attentiùs conteri: sed quanto magis infirmitas corpus urgebat, tanto minùs à laude sui Conditoris reticebat, confortatus in animo illo Apostoli antidoto: *Quando infirmor, tunc fortior sum & potens.* Sed ille non inscius appropinquare diem depositionis suæ, quotidie ante eum Missarum sollemnia celebrabantur, & psalmorum cantus audiebatur; non oblitus corpus & sanguinem Domini sumere cum signo sanctæ crucis apposito. Monebat etiam indesinenter suos qui præsentes aderant, ut semper memores essent diei mortis, fugientes peccatum, & per vias gradientes vitæ. Et quia in laude sui Redemtoris jugiter in vita sua versatus est, in ipsa usque in finem mortis fideliter perseveravit. Inde veniente hora vespertina diei sancti [a] sabbati, vidit Angelos Dei ad suum properare obsequium. Paullulúmque in hac visione intentus magnifica, resumtis viribus dixit præclara voce cunctis audientibus: Ecce Angeli Dei ad nos, ecce Angeli Dei ad nos. & statim in hoc eloquio emisit spiritum. Nullíque venit in dubium, quòd sanctorum Angelorum obsequio devectus est ad cælos, propter quem missi ad terras venerunt; & consequens fuit, ut in die sabbati quod est requies, transiret de mundo, qui in æterna requie recipiendus erat continuò. Aderant verò in obsequio hujus sancti funeris, prout dignum erat, Sacerdotes & Clerici multi ac sanctæ mulieres Deo sacratæ, celebrantes sollemnia officii beatæ depositionis, & inter voces cantantium resonabat mistus lacrymarum fletus pro morte tanti Pontificis & pii absentia patroni, &c.

2. Cor. 12. 10.

Missam quotidie audit & psalmos.

a

Angelis visis obit,

13. Tunc quoque missum est ad Centulam [b] Monasterium, ubi sanctus Richarius corpore requiescit, quod non multùm longè distat ab Alciaco Cœnobio, ut venientes Monachi qui sub regulari habitu ibi sanctè degebant, tumularent corpus sancti *Silvini* Antistitis cum reliquo sancto Clero: rectum arbitrantes fore, ut qui omnes Ordines ecclesiastici cultûs suo sancto exemplo atque doctrinâ roboravit in vita, ab omnibus ei obsequium exhiberetur in morte. Unde venientes simul sepelierunt beatum Antistitem cum hymnorum laudibus & aromatum odoramentis in Alciaco Cœnobio, cum magno timore & sanctissima veneratione. Post expletum verò officium funeris, ADALSQUARUS quidam vir prudens satísque devotus, & ejus conjux ANEGLIA nomine, de nobilissima exorta Francorum prosapia, præparaverunt convivium magnum ad opus eorum qui ad sepeliendum venerant sanctum corpus, quo repleti unusquisque ad propria posset repedare sine defectionis labore. Isti etiam construxerunt Basilicam Alciaci Cœnobiii in honore sanctæ Dei genitricis virginis MARIÆ, ubi etiam ante adventum sancti Silvini eorum filia SICCHERDIS nomine, deposito sæculari habitu jam Deo sacrata inerat: quæ post transitum ejusdem famuli Dei ornavit Ecclesiam coronis & lampadibus, sepulcrúmque ejus fabricari fecit ex auro & gemmarum splendoribus. Insuper baculum recurvum, quem vir Dei manu ferebat ad sustentandam corporis senectutem, auro & argento circumdedit per totum, reponens in ipsa sancta domo.

b

Monachis Centulensibus vocatis sepelitur Alchiaci,

ubi cõstructa B. Mariæ Ecclesia.

14. Multas quidem virtutes ob meritum sancti Silvini post ejus beatum transitum operatus est Dominus in finibus Tervanensium, maximè in loco ubi ipse corpore requiescit, quo plurimi obsessi à dæmonibus liberati pristinam sanitatem receperunt. Sæpissime verò contractos vidimus multos qui sepulcrum ejus circumeuntes orando sedula intentione sani exinde redierunt. Unde nuper quædam mulier contracta membris cœpit ejus auxilium deposcere continuis precibus, & quasi importuna exsistere, quæ subitam extorsit recuperationem. Postea quidem velo capiti imposito, in eodem loco appetiit vitam finire. Similiter quidam puer eadem obstrictus infirmitate, destinans se longiùs protrahi ad alium locum sanctum, ubi plurima signa tunc temporis fiebant, causâ novitatis, credens se fortè ibi recepturum sanitatem; casu devolutus est ad limina hujus Sancti, paullulúmque restitit orans: & qui infirmus atque contractus accessit, sursum adspectans & incolumis recessit. Sic iterum quædam mulier cæca Burgundiensibus orta finibus, in somniis admonita est Tervanensium adire fines, ibíque illuminari meritis beati Silvini. Sed illa evigilans, ductore adsumto, non longitudinem reformidans itineris, tandem post aliquod tempus pervenit ad locum sibi optabilem. Denique sumto quodam liquore ex vase adhuc

Contracti ad ejus tumulum erecti teste Auctore.

Cæca lumẽ recipit.


a Non tamen in pervigilio Paschæ, ut videtur. Initio hujus Vitæ signatur dies XIII *Kal. Aprilis*, uti & apud Usuardum. Silvinus pervenit ad Vinciacum bellum anno DCC XV incœptum, prœlio diremtum anno DCC XVII. an diu superstes vixerit, incertum.

b Vix septimo miliari Gallico distat ab Alchiacensi Cœnobio Centula seu Monasterium S. Richarii, cujus Acta exhibuimus Sæculo 2.

ibidem reservato, quod sanctus Silvinus secum ibi à longè attulit; & perlinita ex eo genarum loca atque oculorum, mox lumen recepit, quæ jam peractis viginti sex annis, ut ipsa professa est, cæca permanserat. Sed Dominus JESUS-CHRISTUS qui per semet ipsum oculos cæci nati primùm aperuit Siloë undâ perfusos, ipse per meritum sui famuli patefecit foramine oculorum hujus mulieris isto delibuta liquore. Unde submissis atque continuis precibus postulandum est, ut hic qui tantorum miraculorum meritis refulget, pro nobis & nostris reatibus intercedere apud Deum non dedignetur, quatenus favore ejus suffulti digni efficiamur promissionibus Christi, qui vivit & regnat in unitate cum Patre & Spiritu-sancto Deus per infinita sæcula sæculorum, Amen. CIRCA AN. DCC XVII. FEBR. XVII.

MONITUM.

PLURES leguntur *S. Silvini Reliquiarum Translationes. Bollandus citat manu scriptum Florarium in hac verba :* XV Kal. Martii apud Harstallum in terra Leodiensi translatio S. Silvini Tarwanensis Episcopi & Confess. *Translationem aliam è Besuensi Monasterio in urbem Divionem sæculo* IX *factam describit* THEOBARDUS *Besuensis Monachus in lib. 2 de mirac. S. Prudentii, Tomo 2 novæ Bibliothecæ Labbeanæ. penes auctorem sit fides. Propiùs verum est id quod memorat Johannes Iperius in Chron. cap. 26, testatus corpus S. Silvini penes Sithivenses resedisse sæculo* X. *quamquam eo loci nescio quid fabulæ admistum videtur. Sancti mandibulam Cœnobitæ Alchiacenses ab Antonio Bergensi, Abbate Sithivensi obtinuerunt anno* MDXVI.



S. HILDELITÆ ABBATISSÆ BERKINGENSIS IN ANGLIA

CIRCA AN. DCC XVII. MARTII XXIV.

ELOGIUM HISTORICUM.

1. ERKENWALDUS *seu* Erconwaldus priusquam factus esset Episcopus *Londoniensis*, duo præclara Monasteria, unum sibi, alterum sorori suæ Æthilburgæ construxerat; quod utrumque regularibus disciplinis optimè instituerat: sibi quidem in regione Sutherciæ juxta fluvium Tamisam, in loco qui vocatur Ceortesei, id est Ceoroti insula; sorori autem in orientalium Saxonum provincia in loco qui vocatur In-Bercingum, in quo ipsa Deo devotarum mater ac nutrix posset exsistere feminarum. Quæ suscepto Monasterii regimine condignam se in omnibus Episcopo fratri & ipsa rectè vivendo, & subjectis regulariter ac piè consulendo præbuit, ut etiam cælestia indicio fuere miracula. *Ita venerabilis Beda in lib. 4 Hist. Eccles. cap. 6. qui etiam cap. 7 & seqq. miracula in eodem Berkingensi seu Berecingensi Monasterio facta sub Æthilburga seu Edilburga Abbatissa commemorat.* Berkingensis Monasterii Abbatissa prima Æthilburga,

2. *Annum quo conditum est Berkingense Monasterium, difficile fuerit definire. Id construxit Erconvvaldus* priusquam factus esset Episcopus: *proinde ante annum* DC LXXV, *quo sedi Londoniensi impositus fuisse dicitur. immo ante annum* DC LX. *Siquidem ingruente pestilentia, quæ testante Beda lib. 3 cap. 27, accidit anno dominicæ Inc.* DC LXIV, pars illa Monasterii quâ viri tenebantur correpta est, *lib. 4 cap. 7. Hîc vides duplicem fuisse (ut alibi passim) Berkingi conventum, virorum ac feminarum. Æthilburga posthæc* tacta est gravissimo corporis morbo: & per annos novem pia Redemptoris nostri provisione multùm fatigata, ergastulo carnis educta est. Cujus talem constat fuisse vitam, ut nemo qui eam noverit dubitare debeat, quin ei exeunti de quo primum anno. moritur.

CIRCA AN. DCC XVII. MARTII XXIV.

hac vita cælestis patriæ patuerit ingressus. *Colitur in tabulis Benedictinis die* XI *Octobr. Adhuc in vivis supererat post annum* DCC LXXV. *Siquidem* Hodelredus parens Sebbi Regis Estsaxonum *prædia concessit* Hedelburgæ Abbatissæ ad augmentum Monasterii quod dicitur Bedenham: *cui concessioni subscripsere* Ebbi Rex Estsaxonum, Erkenewaldus Episcopus *& alii, uti legitur in Tomo 1 Monast. Anglic. pag. 80. Monasterium Berkingense, situm in Comitatu Essexiæ prope Tamisim fluvium,* in latere Lundoniæ ad octo miliaria, *inquit Vuillelmus Malmesburiensis Monachus lib. 2 de Pontif. Angl. perstitit usque ad infelicissima tempora Henrici VIII Britanniæ Regis, ac multa religione floruit. Æthelburgæ suffecta est* HILDELITA, *de qua sic Beda cap. 10.*

Hildelita succedit,

3. Successit autem Æthilburgæ in officium Abbatissæ devota Deo famula nomine HILDILID, multisque annis, id est usque ad extremam senectutem eidem Monasterio strenuissimè & in observantia disciplinæ regularis, & in earum quæ ad communes usus pertinent rerum providentia præfuit. Cui cùm propter angustiam loci in quo Monasterium constructum est, placuisset, ut ossa famulorum famularúmque Christi, quæ ibidem fuerant tumulata tollerentur, & transferrentur omnia in Ecclesiam beatæ Dei Genitricis, unóque conderentur in loco; quoties ibi claritas luminis cælestis, quanta sæpe fragrantia mirandi apparuerit odoris, quæ alia sint signa ostensa, in ipso libro de quo hæc excerpsimus, quisquis legerit inveniet. *Quem sanè librum excidisse cum Capgravio dolemus. Unum dumtaxat miraculum in istius Monasterii cœmiterio factum subjicit Beda in eodem cap.*

ossa defunctorum alliò transfert.

Discipulam habuit S. Cuthburgam.

4. *Hildelida Abbatissa in suo Monasterio instituit S. Cuthburgam, de qua nos ad ann. 725. Audiamus interim Vuillelmum Malmesburiensem in lib. 1 de Regib. Angl. cap. 2.* Habuit Rex Ina sorores Cuthburgam & Quemburgam. Cuthburga Alcfrido Regi Northanimbrorum nuptui tradita, sed non post multum conjugio diducto primùm apud Berkingum sub Abbatissa Hildelida, mox ipsa magistra Regulæ, Winburnæ Domino placitam vitam peregit. *Plures etiam alias sanctas habuit discipulas, uti ex sequentibus patet.*

Aldhelmus huic dedicat librum de Virg.

5. *SS. Aldelmo & Bonifacio Episcopis accepta fuit Hildelita. Aldhelmus siquidem huic nuncupavit librum soluta oratione conscriptum de Virginum laude, cujus hæc Præfatio:* Reverendissimis Christi Virginibus, omnique devotæ germanitatis affectu venerandis, & non solùm corporalis pudicitiæ præconio celebrandis, quod plurimorum est; verumetiam spiritalis castimoniæ gratiâ glorificandis, quod paucorum est; HILDELITHÆ regularis disciplinæ & monasticæ conversationis Magistræ, simulque JUSTINÆ ac CUTHBURGÆ, necnon OSBURGI mihi contribulibus; necessitudinum nexibus conglutinatæ ALFGIDÆ ac SCHOLASTICÆ, HIDBURGÆ ac BERNGIDÆ, EULALIÆ ac THECLÆ, rumore sanctitatis concorditer Ecclesiam ornantibus, ALDHELMUS segnis Christicola crucis & supplex Ecclesiæ vernaculus, optabilem perpetuæ prosperitatis salutem. Jamdudum ad pontificale proficiscens Conciliabulum fraternis sodalium catervis comitatus, almitatis vestræ scripta meæ mediocritati allata suscipiens, erectis ad æthera palmis immensas Christo pro sospitate vestra gratulabundus impendere grates curavi. *Et in fine Præfationis:* Valete, ô flores Ecclesiæ, Sorores, monasticæ alumnæ, scholasticæ Christi, margaritæ, paradisi gemmæ, & cælestis patriæ participes. Thecla *hac in Præfatione nominata videtur ea esse quæ recensetur in numero piarum feminarum, quas S. Bonifacius in Germaniam arcessivit. Scripsit porro Aldhelmus hunc librum post Synodum, cujus jussu edidit opusculum contra errores Britonum: at verò ante annum* DCC V, *quo ex Abbate Maildunensi seu Malmesburiensi factus est Schireburnensis Episcopus, ut vidimus ad ann. 709.*

6. *Bonifacio itidem nota ac familiaris fuit Hildelita, de qua sic iste in sua Epi-*

stola 21 ad Eadburgam Abbatissam: Rogabas me, Soror carissima, ut admirandas visiones de illo redivivo qui nuper in Monasterio Milburgæ Abbatissæ mortuus est & revixit, quæ ei ostensæ sunt, scribendo intimare & transmittere curarem, quemadmodum istas venerandâ Abbatissâ Hildelidâ referente didici. *Hac in Epistola memoratur, Ceolredum libidinosissimum Regem, tametsi adhuc viventem, in dæmonum tandem potestatem devenisse: qui Rex anno* DCCXVI *exstinctus est.* CIRCA AN. DCCXVII. MARTII XXIV. S. Bonifacio nota fuit.

7. *Quamdiu in vivis superstes fuerit Hildelita, non constat. Abbatissa esse cœpit circiter annum* DCXXCV, *ut colligitur ex dictis.* pervenit ad extremam senectutem, *ut suprà ex Beda legimus. Iam è vivis excesserat eo tempore quo Bonifacius Eadburgæ prædictam scribebat Epistolam. nam ita Epistolam concludit:* Hæc autem quæ te diligenter flagitante scripsi, quod tribus mecum religiosis & valde venerabilibus Fratribus in commune audientibus exposuit: qui mihi in hoc scripto adstipulatores fideles testes esse dignoscuntur. *Si enim Hildelita tum in vivis fuisset, ad eam sine dubio Bonifacius remisisset Eadburgam in narrationis suæ confirmationem. Atqui Bonifacius hanc Epistolam exaravit necdum Episcopus,* Winfredus, *inquit,* exiguus: *quod nomen rarò usurpavit post acceptum Episcopi honorem, aut certè utrumque conjunxit* Winfredus *&* Bonifacius, *addito insuper* Episcopus *aut* servus servorum Dei: *neutrum verò hîc præstat. Hinc conficimus, Hildelitam obiisse circiter annum* DCCXVII. *Diem obitûs cùm ignoraret Vuilsonus, elegit diem vacuum 24 Decembris, quem in suo Anglicano Martyrologio Hildelitæ tribuit, eúmque secuti Eduvardus* Maihew, *Menardus, & Bucelinus. nam Vuion sine die certo Hildelitam retulit in Appendicem. Richardus Vuithfridus Brigittanus Monachus in suo Martyrologio anno 1526 excuso festum S. Hildelitæ diem signat 24 Martii his verbis:* In Anglia in Monasterio Berkingensi festum S. Hildelitæ virginis & proximæ post S. Ethelburgam Abbatissæ, quæ fuit femina, ut Beda scribit, singularibus virtutibus dotata & multis miraculis illustris. *Notarunt hoc socii Bollandiani, adducúntque nonnulla Kalendaria mss. in quibus Hildelita eo die celebratur. Capgravius in Legenda anno 1516 edita, ait B. Hildelitam sanctitatis titulo sollemnizari; at diem non exprimit.* Moritur quo anno? Martii 24.

8. *In eodem Berkingensi Monasterio martyrium à Danis passæ sunt complures Sanctimoniales cum Abbatissa, eodem quo S. Eadmundus tempore, nempe anno* DCCCLXX. *sæculo verò insequenti S.* Wlfilda *seu* Wlfhcidis *Abbatissa, de quibus aliàs.* Martyres Berkingenses.



VITA S. VVINNOCI ABBATIS WOROMHOLTENSIS IN FLANDRIA PRIMI,

ANN. CHR. DCCXVII. NOVEMB. VI.

Scripta ab Auctore anonymo sæculo XI.

Ex Surio & ms. cod. Compendiensi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. ACTA S. WINNOCI *Abbatis rudiori stilo exarata polire conatus est anonymus quidam Auctor, alius à* DROGONE, *rogatu Bergensium Monachorum. Id operis aggressus videtur Interpolator ante medium sæculum* XI, *uti ex miraculis ab ipso relatis colligitur, & ex miraculis à* DROGONE *Monacho postea descriptis, quæ fere à medio sæculo* XI *initium ducunt. Interpolatorem unicum nancti hîc* Vitæ Scriptores.

ANN. CHR. DCCXVII. NOV. VI.

reddimus tum ex Surio, tum ex codice manu scripto Abbatiæ S. Cornelii apud Compendium, ex quo eruimus librum miraculorum ejusdem Sancti, à DROGONE *seu* Dracone Presbytero & Monacho Cœnobii *Vvinnoci-Bergensis compositum sæculo* XI, *à nobis primò vulgatum, omissis nonnullis miraculis, quorum tamen summaria capitula retinuimus.*

liber Mirac.

Molanus corrigitur. Vvinnoci tres.

2. *Hîc corrigendus est Molani, viri certè eruditi, lapsus duplex, dum* S. Winnocum Abbatem *confundit cum* Winnoco *æquè Brittone, de quo agit Gregorius Turonicus Episcopus in Hist. lib. 5. cap. 21, & lib. 8 cap. 34. & dum* libros secundum & tertium *Vitæ S. Vvinnoci* à Drogone Episcopo Morinensi *scriptos adfirmat. Quàm diversus sit Vvinnocus Gregorii à Vvinnoco nostro, patet tum ex utriusque ætate, siquidem hic vixit tempore S. Bertini, id est post annos ampliùs centum quàm Vvinnocus alter Guntchramni Regis æqualis decesserat: tum ex utriusque fine seu obitu, cùm ille nimio mero sui impotens factus, in carcere animum egerit; hic morte Sanctorum vitam clauserit. Fuit & alius* Winnocus Presbyter *in Vita sancti Columbani Abbatis laudatus. Ad alium lapsum quod attinet,* Drogo *quidem litteris mandavit miracula non pauca sancti Vvinnoci eo tempore, quo* Drogo *Episcopus Morinorum Ecclesiam regebat. Verùm iste Auctor non Episcopus fuit, sed Monachus Cœnobii S. Vvinnoci, apud Bergas Flandriæ opidum instituti post destructionem Monasterii Vvoromholtensis, quod S. Vvinnocus erexerat. Liber miraculorum S. Vvinnoci hunc præfert titulum in exemplari ms.* Incipit Prologus Domni DRACONIS Sacerdotis & Monachi. *Is cap. 18 meminit* Drogonis Tarvennensis Episcopi, *itémque in* historia Translationis S. Lewinæ Virginis & Martyris, *quam ipse dictavit &* RUMOLDO Abbati Bergensi *nuncupavit hac Præfatione:* Domino ac venerabili Abbati RUMOLDO peccator DROGO Presbyter & Monachus, *&c.* Acta est hæc Translatio anno Inc. Domini N. J. C. millesimo quinquagesimo octavo, Indict. III, VI Feria, regente Henrico Rege sceptrum Regni Francorum, optimo autem Comite Balduino gubernante Flandriam, vivente etiam DROGONE Episcopo Tarwannense, administrante verò Bergense Cœnobium Rumoldo venerando Abbate. *An alium de S. Vvinnoci gestis librum scripserit Drogo Monachus, mihi latet. forsitan liber iste miraculorum in duos libros distinctus alicubi reperitur. Drogo profectionis suæ in Daniam meminit cap. 22, ubi se Monachum Vvinnoci-Bergensem disertè profitetur.*

Vvinnocus Armoricus, an S. Judoci frater.

3. *Vvinnocum non ex Britannia insula, ut quidam falsò opinantur; sed ex Britannia Galliæ provincia, Armorica dicta, ortum fuisse constat. Plerique eum S. Judoci fratrem existimant, mihi nepos fuisse videtur. Id probat veterrimus & gravis Auctor in libro de Vita S. Judoci à nobis editus sæculo 2, his verbis:* Postquam Judoci sanctissima anima Idus Decemb. carnis domicilium deserens, ad perpetuam regni cælestis migraverat felicitatem, duo nepotes sui, WINNOCH scilicet & ARNOCH, in ejus succedentes locum, corpus sancti viri exanime quod incorruptum diu mansit, frequenter lavare cum aqua atque tondere consueverunt. *Nec est quòd quis dicat, fuisse & alium Vvinnocum S. Judoci fratrem, alterius Vvinnoci patruum. Huc argumentis opus, quæ non facilè quis proferre possit. Certè si Vvinnocus S. Bertini discipulus fuerit Judoci frater, ampliùs centum annis vixisse dicendus est: cùm Judicaël utriusque germanus, amisso patre, jam annos aliquot Britanniam administrasset anno* DCXXXVI, *ut ex Fredegario in Actis S. Judoci demonstratum est. Verùm ne propriis conjecturis nimiùm indulgere videar, exhibeo S. Vvinnoci genealogiam in ms. cod Vedastino ejus Vitæ præfixam, quâ forsitan adversæ sententiæ auctores causam suam tuentur. quamquam an ab ipso Vitæ scriptore condita sit hæc genealogia, meritò dubitari possit, ut quæ in paucis mss. codd. reperitur.*

GENEALOGIA S. WINNOCI ABBATIS.

*al. Rivvalus.


IWALUS Britanniæ Dux filius fuit Derochi, filii Witholi, filii Urbieni, filii Cathovi, filii Gerentonis. Hic autem Riwalus * à transmarinis Britanniis veniens cum multitudine navium, possedit totam minorem Britanniam tempore CHLOTHARII Regis Francorum, qui CHLODOVEI Regis filius exstitit. Iste RIWALUS genuit filium nomine DEROCHUM, Derochus genuit RIATHAM, & Riatha genuit JONAM, & Jona genuit JUDWALUM, & Judwalus genuit

JUTHAELUM, Juthaëlus autem genuit S. JUDICAHELUM Regem, & S. JUDOCUM, & S. WINNOCHUM, EOCHUM, EUMAELUM, DOETWALUM, GOZELUM, LARGELUM, RIWAS, RIWALDUM, JUDGOZETHUM, HELOM, LUDON, QUENMAELUM. Idem autem Juthaëlus genuit filias, quarum ista sunt nomina: S. CURIELA, ONNENNA, BREDEQUEN, CLEOR, PRUST. XVI Kalend. Januarii transitus S. JUDICHAELIS Confessoris, Britanniæ Regis. hic autem rexit Britanniam tempore DAGOBERTI filii Chlotharii. ANNO CH. DCC XVII. NOV. VI.

PROLOGUS AUCTORIS.



CUM titulos olim majorum copia honestaverit dicendi, & fortia facta veterum in posteros non parum gloriosè transmiserit; eo etiam exemplo plerique quos nostra ætas habet affecti, sanctorum facta virorum vel dicendo, vel scribendo cælo visi sunt æquare. Sic Severus Martinum, Fortunatus Hilarium, sic alii alios conscripsere, eósque in ornamentum Ecclesiæ dedêre. Cúmque in dicendo nil minus à magnis oratoribus effecerint, nullo modo tamen (ut sine detrimento majestátis eorum dixerim) virtutes Sanctorum scriptis æquare valuerunt: & ne derogationis in tam præclaros Ecclesiæ Dei oratores arguar, idem ipsi unà mecum sentiunt, minus esse meritis Sanctorum omne quicquid dixerint. Nec mirum, ad quorum enim nutum creatura Creatore disponente naturam interdum ignoravit, & elementa vim visa sunt pati, in eorum laudibus oratorum linguam succubuisse parum est. Hæc idcirco diximus, ut tanto scribenti mihi ignoscatur, quanto à magnis oratoribus minus habet ingenium, & coram quibus, ut ita dicam, nostra sordescit oratio. Sed ne me scribentem temeritatis accuset, quicumque ille est, causas scribendi præcognoscat, & tunc demum vel accuset, vel ignoscat. Nam à Fratribus Cœnobii S. Winnoci, quorum caritate non parum jocundè refrigeratus sum, non sine confusione, fateor, mei suggestum accepi, ut actus & Vitam memorabilis quem præfatus sum Patris novo stilo ex veteri sumto cuderem, Ciceronis linguam in ore rustico quærentibus. Quid enim? satis mihi timebam Patribus non parere, vicémque eis quibus multa debui non reddere. & quid agerem qui multa debui, exactus quod non habui? Hinc caritatem, hinc imperium illorum considerans, inter utrumque positus caritati vicem, imperio obedientiam debui. Cúmque diversus has in partes ægrè spiritum traherem, & conatus sum posse quæ non habui posse, venit in mentem os Prophetæ calculo de igne altaris sublato emundatum, & quod mirabilius est, os asinæ in verba distinctum. Proinde Sanctus hic quem laudare compellor, facilè habet in apertione oris mei gloriosus fieri, qui cùm voluit multorum linguas absolvere promtum habuit: & quamvis parum gloriosum sit divina humanis laudari; habet tamen devotio sancta laudis suæ præmium, negligentia periculum. Devotionis enim est piè laudare, negligentiæ non laudare. Et licèt non sit speciosa laus in ore peccatoris, de negligentia tamen judicabitur, si non conatur utcumque mereri ut laudet. Precibus ergo Patrum confisus aggrediar opus quod injungunt, obediendi scilicet devotione, non scribendi præsumtione. Cúmque extremam manum operi dedero, pensúmque operis Patribus reconsignavero, si quid manus nostra erravit, jubentibus magis quàm obedienti lector imputare habebit: quia facilè potiorem me in hoc opere scriptorem admittere potuerunt. Quia ergo non piguit eos magna jubere, nec me pudebit magnis parere, quamquam futuro operi longè viribus impar sim.

Auctor rogatu Vvinnocensium Monachorum exponit vitam S. Vvinnoci.

ANN. CHR. DCCXVII. NOV. VI.

CAPUT I. *Vvinnocus è Britannia patria sua migrat.*

a BEATUS igitur Winnocus in Britanniæ [a] finibus ex regali prosapia nascendi sumsit exordia, sed titulum nobilitatis indole adornavit probitatis. Qui cùm à prima ætate novis virtutibus quasi semper inciperet, inter ipsa tamen primordia consummator apparuit, & in mundo positus extra mundum fuit, & sub habitu sæculi Christi militem gessit. Inter hæc stupebat in sinu suo Britannia civem suum peregrinari, & intra fines proprios novis quotidie actibus exsulare: & qui mente jam à patria exsularet, ut etiam corpore exsularet non ægrè operam dabat, atque ut alter Abraham exire de terra & cognatione sua meditatione versabat assidua. Sed succedentibus ad integrum votis consilium invenit res diu mente concepta. Habuit proinde in consortium subeundæ peregrinationis conjuratos in Christi sacramenta tirones, QUADANOCUM videlicet, INGENOCUM, atque MADOCUM; genere quidem exspectabiles & vitâ probabiles. Hi unà cum B. Winnoco rerum suarum onere expediti, patrio solo parentúmque opibus exuti, ad currendam viam mandatorum Dei passibus ducebantur fidei, illud apostolicum suorum vocibus operum conclamantes: *Non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Igitur post longa viarum spatia, regioni tandem appulere Morinorum, ubi fama vulgante religionem compererant tunc floruisse Sanctorum.

Hebr. 13. 14.

II. *Quòd B. Bertinum expetierint, ejúsque se regimonio subdiderint.*

ERAT tunc temporis in præfata Morinorum seu Tarvennensium regione B. BERTINUS, in ornamento Ecclesiæ Dei lapis pretiosus, in *Sithiu* Monasterio merito & officio Abbas. Hic sanctitatis suæ aromata longè latéque spiraverat, & in militiam Christi exemplo suî quamplures attraxerat. Cujus laudabilia gesta nosse qui velit, ex libello plenissimè actibus * ejus inscripto palam habebit. Tanti ergo Patris regimonio præfati viri debito se subdidere obsequio, & egregium omnino duxere ad doctrinam Sancti animo pervigili pendere. Quorum laudabili devotioni congaudens memoratus vir Dei, sub norma pii Patris BENEDICTI edocuit ferre jugum Christi: & ut monasticis deservirent sanctionibus, & verbis instituit & actibus. Cúmque eos inter ipsa primordia conversionis culmen miraretur attigisse perfectionis, locum eis quo singulariùs Domino vacarent delegavit, & ut Cellam in ea sacris occupationibus congruentem struerent imperavit. Parent imperio, ædificando incumbunt ædificio. Est autem idem
b locus Morinorum regione situs, mons S. Winnoci [b] usque in præsentem diem vocitatus, ubi viri Dei aliquamdiu positi, se mundo, mundum crucifixere sibi.

* *suprà ad ann. 709.*

[a] Id est Armoricæ, siquidem popularem & consanguineum habuit S. Judocum Armoricâ ortum, ut suprà observavimus. Ex quo intelligitur, Vvinnocum regio sanguine sicut & Judocum fuisse progenitum. Dubitasse veteres an Regis esset filius, observat Drogo in lib. Mirac. cap. 17. quod tamen uti certum adfirmant recentiores quidam. Judicaëlis Britanniæ seu Armoricæ Ducis, S. Judoci fratris, forsitan filius fuit. Porro Britanniæ Duces passim *Reges* appellitabantur. Falluntur qui Quadanocum, & alios duos Vvinnoci socios hîc memoratos, ejus fratres germanos fuisse dicunt.

[b] Grunoberga antiquitus dictus, inquit Malbrancus lib. 4 de Morinis cap. 20, ubi postea insignis Abbatia in opidum accrevit, infrà cap. 16.

III.

III. *De illustri viro* HEREMARO *aliquando largiente prædium B. Vvinnoco, Ecclesiæque constructione in ejusdem prædii possessione.* ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VIII.

HABEBAT tunc sanè mater Ecclesia egregium corporis sui membrum, virum scilicet illustrem nomine HEREMARUM, tam opibus quàm moribus præclarum. hic pro adipiscenda portione in terra viventium, Deo sanctóque Winnoco quoddam sui juris obtulit prædium, quod *Vvoromholt* [a] ab incolis vocitatum, usitatissimum usque ad nos servat vocabulum. Adjacet eadem possessio super fluviolum qui dicitur Pena * Tarvennensium Flandriarúmque confinio, pingue satis solum & fertile frugum. Igitur S. Winnocus cum coadjunctis sibi famulis Dei operam dat pro constituendis servorum Dei habitaculis, in quibus & Christus in pauperibus cariùs susciperetur, & monasticus Ordo secretiùs, immò devotiùs ageretur. Viri ergo Dei succincti in militiam Christi lumbos mentis & divina fortitudine adjuti, inchoatum opus maturare festinant. Fervet opus, surgunt ædificia, aptantur xenodochia, itaut in brevi consummatam domum Dei facile esset honorem ab incolis promereri. Sancti quippe viri in labore manuum suarum adeo pleni erant gratiarum, ut non solùm quæ sua, sed quæ JESU-CHRISTI quærentes, aliorum salutem sua salute plurifacerent: lucrum suum fecêre, detrimenta aliorum supplere. Etenim nil jocundius in omni vita habuere, quàm hospitium pauperum peregrinorum commodis prospicere. Erat eis cor unum & anima una, & secundùm illud erat alius alii dimidium animæ. His ergo instrumentis in semetipsis templum Spiritus-sancti construentes, usque ad finem vitæ à rigore propositi non erant deficientes.

(margin: a; * le Peene)

IV. *Qualiter Dei famulus & laudabilis pariter Vvinnocus gregi præordinatur Monachorum.*

CONTIGIT interea post discessum trium sanctorum virorum superstitem fieri S. Winnocum. qui regularibus adprime imbutus disciplinis, profecerat sanè in omnibus fidei doctrinis, proferens de thesauro cordis nova & vetera. Cúmque sæpe memorati tres viri extremum clauderent diem perpetuam translati in requiem, S. Bertinus virum Dei gregi Monachorum elegit præesse, quippe quem jam didicit humiliter subesse. Nam præfatis tribus viris minor quidem ætate, sed non inferior sanctitate, adeo præeuntium Sanctorum se fecit sectatorem, ut in nulla eum virtute Ecclesia miraretur posteriorem. Non enim, ut aiunt, posterior rota currebat, sed præeuntes quosque in bonis actibus maturè attingebat, illud Apostolicum & animo revolvens, & opere complens: *Quæ quidem retro sunt* Philip. 3. 14.
oblivíscens, ad ea quæ priora sunt me extendens, ad destinatum persequor bravium supernæ remunerationis. Nam quid humilitatem ejus atque patientiam egregiè prædicem? de quibus quidquid dixero, minùs invenietur quàm quod in ipsis vir Dei meretur. Didicit enim mitis & humilis esse ab eo qui dicit: Matth. 11. 29.
Discite à me quia mitis sum & humilis corde. & item: *Qui major est vestrûm,* Mar. 10. 43.

[b] *Vvormhout villa* vocatur in Actis S. Bertini suprà ad ann. 709, quam *quidam prædives* HEREMARUS *Deo sanctóque Bertino contulisse* dicitur, *& in prædicto fundo S. Vvinnocum à pueritia suâ disciplinâ instructum cum ejus aliis commilitonibus direxisse.* Charta donationis teste Johanne Iperio sic incipit: *Omnibus præsentibus & futuris qui Christiana censentur, &c. Actum in Sithiu Monasterio Kalend. Novemb. anno primo Hildeberti Regis*, anno proinde Domini concepti DCXCV, quo Vvoromholtensis Monasterii jacta sunt fundamenta. Excisum est à Nortmannis Monasterium anno DCCCLXXX. nunc Præpositura à Baldevvino Comite attributa Ecclesiæ Bergensi, de qua infrà.

Ann. Chr. DCC XVII. Nov. VIII. *Matth. 23. 12.* *erit minister vester.* &: *Qui se humiliaverit exaltabitur.* Egregium duxit subjectis sibi Fratribus ministrare, quia novit Christum non venisse ministrari, sed ministrare. Hospitalitas in eo promta, quia caritas non ficta: adeo ut illum diem egregiè lætum duceret, cùm hospitem, immo in hospite Christum suscipere meruisset. Quidquid operis aliorum manus velut arduum & grave refugiebat, impigrè iste & incunctanter arripere non timebat. In argumentum præterea tantarum virtutum accessit ei à Domino gratia signorum: & qui se parvulum in oculis suis fecit, gloriosus factus *Isa. 66. 2.* est per eum qui dicit: *Super quem alium requiescam, nisi super humilem & trementem sermones meos?*

V. *De mola ad orationem viri Dei divinitus rotata.*

Vir ergo Dei ultimo senio confectus, sed fatiscentem non causatus ætatem, in emeritis artubus adhuc militiam Christi gessit: in qua licèt fessus pedem fortiùs fixit, & virtute qua potuit ad erogandam familiæ Christi tritici mensuram fidelis dispensator incubuit. Sæpiùs namque illud *2. Thess. 3. 10.* Apostolicum animo revolvens: *Qui non laborat, non manducet;* illúdque Psal*Psal. 127. 2.* migraphi: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit;* iisdem præceptis non solùm affectu, sed etiam effectu paruit, atque labore manuum tam suis quàm aliorum necessitatibus prospexit. Nam molam sibi aptavit ad opus, in quo quidam locus injuriæ esse solet: quam subinde manibus rotando, subinde orando suis pauperúmque utilitatibus ministram fecit. & mirum in modum cùm vicissim operi succederet oratio, orationem divinam secuta est glorificatio. Nam parcere volens Dominus labori fessi senis sui, molam (mirum dictu!) per se jussit rotari, consulens famuli sui & defessæ ætati & necessitati. O mirabilem Deum in Sanctis suis, qui in creaturarum ministerio sic ministris suis ministrat, ut etiam naturis legem excedere jubeat. Vir itaque Domini securus jam laborum, utpote qui Deum adjutorem perspexerat suum; credidit frustra laborandum, ubi manus Domini operabatur, qui dat escam esurientibus, & implet omne animal benedictione. Oculis namque ac manibus in cælum semper intentus, pro collatis sibi à Domino beneficiis cordis atque labiorum exsultat sacrificiis. Fratres verò qui labore manuum viri Dei jocundè reficiebantur, & alimentorum copiam & in serie operis efficaciam mirabantur. Nec erat incerta suspicio senem divino adjuvari solatio, cui & ætas prolixior, & virtus ad occasum erat proclivior.

VI. *De curioso Fratre divinitus cæcato, sed per orationem viri Dei illuminato.*

Fratribus igitur inter se mirantibus hinc copiam panis, illinc imbecillia membra senis, unus eorum curiositatem præsumtione armavit, omnémque ordinem rei oculata fide explorare tentavit. Accedens ergo ad domum ubi vir Dei & labori manuum & orationi incumbebat, curiosis per foramen oculis molam ad orationem viri Dei divinitus rotari, atque farinæ copiam evomuisse pervidebat. Ad cujus intuitum, à solito mox cursu refrenata immobilis mansit: sed hanc præsumtionem ultio divina secuta est, quæ præsumtorem & solotenus stravit, & justa cæcitate damnavit. Hanc pœnam superfluus quilibet scrutator majestatis pertimescat, & à plus justa curiositate saltim resipiscat. nam plus sapere quàm oportet sapere, quid aliud est quàm desipere? Hic quippe quidam elanguerunt circa veri-

tatem, recipientes in semetipsis justam præsumtionis suæ mercedem. Sed ad propositum redeamus. Præsumtor ergo præfatus, tam visu quàm gressu damnatus, aliorum manibus est revectus: & qui in non sua plus quàm debuit exstitit curiosus, in sua minùs quàm oportuit factus est officiosus. Minùs, inquam, officiosus, quia & virium & oculorum amisit officium. Altera autem die quid viderit, quid perpessus fuerit, his qui aderant palam fecit, & ad virum Dei perductus pedibus ejus advolvitur, se præsumtorem, se reum non sine lacrymis queritur. Nec venit res in dubium, ubi cæcitas & pavor erant in testimonium. Sed servus Dei patientis Domini exemplo reo in se condoluit, fontémque illi misericordiæ aperuit, & primùm injuriam sui relaxat, oculos rei sui signat, dehinc orationis antidotum parat, visúmque cæcato reparat: & sicut facile habebat injuriam sui relaxare, sic etiam facile cæcitatis damna restituere. Mæror reparati Fratris mutatur in gaudium, confusio in jubilum; & tam lætum habebat veniam sceleris meruisse, quàm cæcitatis pœnam evasisse. Ecce vir Dei quàm facilis ad ignoscendum, quàm benignus ad miserandum; immemor in se injuriarum, sed memor in adversarios misericordiarum. Attendant quæso hoc exemplum Prælati, illi nimirum, qui occasione acceptæ potestatis sunt elati, qui si quando à subjectis vel modicè offenduntur, in ultionem eorum totis insaniæ facibus accenduntur; ad remittendum ea quæ in Deum sunt faciles, sed veniam injuriarum in se difficiles. His ita se habentibus reliqua virtutum viri Dei percurramus. ANN. CHR. DCC XVII. Nov. VIII.

VII. *De multimoda viri Dei devotione & in Christo dormitione.*

ERAT vir Dei juxta testimonium evangelicum verè Israëlita sine dolo. Jam enim mente Deum videbat, à quo se in corpore peregrinari dolebat. Fidelis in domo Domini œconomus plus amari quàm timeri, plus studebat ministrare quàm ministrari. Nec occasione regiæ nobilitatis qua gloriosè pollebat, ex servitio convertenti se præponebat. Animo & vultu hilaris, fide robustus, spe longanimis, caritate diffusus, à dextris & à sinistris per arma justitiæ incessit, nec prosperis erectus, nec adversis dejectus. In consilio providus, in interventu strenuus, sapientiæ sale conditus, armis virtutum contra spiritalia nequitiæ munitus. His & hujuscemodi virtutum instrumentis bella dæmonica peregit, & ut fortis armatus principem hujus mundi subegit. Nec deerant miracula tantum virum attestantia, quamquam plura ex his (quod sanctis viris facilè solet) silentii nube obtexerit: gloriam enim Dei magis quàm suam quæsivit. In hac convalle plorationis incolatum suum gemebat, quia anima ejus ad Deum vivum sitiebat, & cupiens dissolvi & esse cum Christo, Educ, inquit, Domine, de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Cujus desideriis Dominus annuens, haud petitioni ejus defuit, sed angelicis mox spiritibus accitum ad se evocavit. Evocavit, inquam, & donativum militi suo emerito erogavit, quod oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non adscendit. Obiit sanè octavo Idus Novembris [a] meritis maturus & annis, atque in Monasterio quod ipse construxerat in honore S. Martini in præfato prædio *Vvoromholt* tumulum sumsit: ubi non sine gloria Dei glorificati hominis fuit videre gloriam, gloriam quæ in corporibus ægris curationum

[a] Johannes Iperius reponit S. Vvinnoci obitum anno ipso, quo Carolus Dux adversus Chilpericum *apud Vinciacum in pago Cameracensi pugnavit.* Atqui testante Fredegariani Chronici continuatore cap. 106, *bellum iniêre die Dominica in Quadragesima*, XII *Kalend. April.* quæ notæ conveniunt in annum Christianum DCC XVII.

ANN. CHR. DCC XVII. Nov. VIII.

distillavit gratiam, vim naturis spectaculum excitavit populis.

VIII. *De Oratorio viri Dei flammis concremato, sed sepulcro ejus divinitus intacto.*

NON multum temporis post excessum sancti viri effluxit, & res sæculis inusitata contigit. Quadam die cùm sol à meridiano fervore jam teperet, Fratrúmque caterva præfato in loco somno paullulum indulgeret, ignis ex vicina domuncula flammam evomuit, quæ proxima quæque ædificia exurendo absorbuit. Nam & in Ecclesia membrorum viri Dei servatrice totis regnavit habenis, nec furoris sui refrenavit impetum, donec ad beati viri veniret tumulum. Ubi ex virtute Dei, meritisque Sancti naturam ignis ignoravit, eodémque in loco non sine miraculo intuentium longè refugit; sicque exemplo trium puerorum rem contigit evenisse. Sicut enim tunc in illis, ita & nunc ad sepulcrum Sancti flamma vires perdidit. Exhinc omnibus igni absumtis cùm fomes igni defecit, flamma in se victa resedit. Tunc qui aderant rei novitate perterriti, ad tumbam viri Dei concurrebant, unde nil aliud quàm pæne adustam credebant. Sed res in admirationem versa est intuentium, quia sepulcrum Sancti unà cum adjacentibus sibi ornamentis inter medios ignes videbant intactum. Quod ut viderunt, pro ceteris damnis consolationem receperunt: quia in membris Sancti incendia nil valuêre, quæ in adjacentibus materiis nil reliqui fecêre.

IX. *Quòd inter manus bajulorum corpus beati viri immobile manserit.*

PLACUIT Fidelibus corpus sancti Patris de proprio sepulcro levare, & remotiùs ex jam usto Oratorio transferre, donec damna quæ ignis intulerat repararent, atque pristino item loco illud restaurarent. Sed tam piæ intentionis affectum divina prohibuit virtus transire in effectum. Nam levato sacrorum loculo membrorum erat cernere immobilem fieri inter manus bajulorum. Sed dum quid facto opus esset anxiè quærerent, tandem intellexere divini non esse judicii sacrosanctum corpus longiùs transferri: & consilio accepto operæ pretium censebant precibus à Deo obtinere, quod humanis viribus non valuere. Nam dum in horto qui forte Ecclesiæ adhærebat, proponerent illud transferre, ad movendum celerem effectum mox invenere, levantésque præscripto in horto posuere. In quo loco in argumentum adhuc sanctitatis ejus signa non defuere, quæ odore suo populos longè latéque contraxere.

X. *De quodam claudo meritis Sancti sanato.*

QUIA cœpi loquar magnalia Dei. Quidam officio pedum multatus, capitis manuúmque tremore insuper damnatus, ad sepulcrum Sancti aliorum manibus venit, & mediantibus dominicæ resurrectionis nocte nocturnis vigiliis, precibus indulgens & lacrymis, pro recuperatione suî meritum exspectabat Sancti: nec elusa est spes confracti. Nam inter recitandum post nocturnas vigilias Evangelium cæleste idem adest remedium. Immenso quippe lumine circumdatus, quasi geminas igneas sagittas utrimque singulis in auribus sensit vibrari. Erat cernere utraque ex aure sanguinis copiam fluxisse, officiúmque membrorum hominem recepisse, sicque fidem hominis medela Sancti non fefellit, quæ inopinata salute venit:

impletúmque est illud Prophetæ: *Tunc saliet sicut cervus claudus.* Mox pro collato sibi divinitus remedio immenso exsultavit gaudio, & pro recuperatione suî gloriam prædicat Sancti. Rei ordinem his qui aderant pandit, noctémque diémque in laudes Dei expendit. Perpendite, quæso, in hoc miraculo quàm celebris sit hic Sanctus in populo, quàm potens miraculorum, quàm efficax curationum. Quanti putas gloriosior est in cælis, qui sic gloriosus est in terris? Certè pudorem nostrum nullo modo excusamus, si talem habentes Medicum ægrotamus.

ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VIII.

Isa. 35. 6.

XI. *De quodam viro meritis beati viri post ruinam illæso.*

VIRTUS virtutem comitatur, & adhuc in Sancto suo Deus glorificatur. Neque silentio est prætereundum quidquid in Sancto Dei est jocundum: quamquam ætas in æternum plura nobis invideat, & pauca de plurimis futuræ ætati perspicua faciat. GERARDUS quidam Comitatum gerens, Deo sanctóque Winnoco adeo erat devotus, ut impensas magna ex parte de collaboratu proprio pro restaurando sancti viri administraret Oratorio. Sed hanc boni viri industriam humani generis inimicus vidit, & amicâ sibi zelotipiâ invidit, fraudísque suæ commentis cœptum opus parat impedire, quod invidus non potuit non invidere. Nam cuidam qui consummando operi deserviebat, præcipitium ex alto dedit, quem vitam finisse ipsa ruina suspicabile fecit. Sed virtus Sancti fraudem elusit inimici. Nam post horam ita meritis Sancti incolumis surrexit, ut non solùm nulla præcipitii damna sentiret, sed promtiùs quam solebat ad cœptum opus rediret: sicque ex hoc miraculo stupor simul & gaudium accrevit in populo.

XII. *De præfati illustris viri Gerardi donatione, calicísque vitrei conquassati redintegratione.*

POSTQUAM fama tanti miraculi ad præfatum illustrem Gerardum pervenit, magis magísque ipsum in amorem Sancti accendit, adeout illum pro ea quam habebat devotione patrimonii sui donaret largitione. Cum omni namque integritate Spirliacam ei villam dedit, sumtuum etiam copiam adjecit pro construendo eodem in loco in honore sancti viri Oratorio. Cui operi honestiùs maturando Fratres de Cœnobio sancti viri evocantur, atque industriâ eorum ad plenum omnia formabantur. Vita enim eorum doctrinâ & virtutibus egregia erat, ideóque ad sententiam eorum facilè omne opus processerat. Quo in loco quadam die dominica contigit ad conficiendum corpus & sanguinem dominicum calicem deesse. Cúmque non parva sollicitudine super hoc moverentur, ne fortè hac sacrosancta die sacramentis dominicis frustrarentur, casu vitreum vas erat appositum, sed confractum. Quod quidam Fratrum cùm leniter aquâ purgaret, inter lavandum paullatim resolidatur, sicque mirum in modum divino ministerio aptatur, adeout etiam usque ad nostra tempora [a] in similes usus haberetur.

XIII. *De Reliquiis sancti viri per incuriam perditis, sed meritis ejusdem mirabiliter inventis.*

DIES Rogationum advenerat, populus cum crucibus & Reliquiis & cambuca Sancti longiùs processerat, sed tardiùs solito Monasterium

[a] Vides usum calicum vitreorum in sacris perdurasse ad sæculum x. Lege Vitam S. Benedicti Anianæ Abbatis Sæculo proximo.

ANN. CHR. DCCXVII. Nov. VIII.

repedaverat. Sed cùm circa Reliquias Sancti negligentiùs quàm oportuit ageretur, negligentia meritò damnum meretur. Nam à fronte cambucæ particula auri cum Reliquiis cecidit, atque inveniendi se vestigia nulla reliquit, tantíque perditio thesauri usque mane latuit. Mane autem facto Capicerius Ecclesiæ damnum rei publicæ primùm expertus incredibili timore diriguit, rémque Fratribus retulit, si fortè hujusmodi damno conscientia alicujus subvenire posset. Sed cùm in hac re nihil in eorum conscientia perspicuum foret, cùm etiam earumdem Reliquiarum bajulus nil sciscitantibus satisfacere posset; viâ quâ venerant ad requirendum repedatur: sed quærentium labor frustratur. Res mira! tantæ desolationi divina pietas subvenit, atque gloriam Sancti in gloria sua palam fecit. Nam manum casu ad capitium ducens Capicerius [a], desiderio inveniendi quod quærebatur est satisfactum: quia in eodem capitio quas quæsiverat Reliquias est nactus: sicque præter spem evenit, super inventione enim earum ex integro jam diffidit. Adseverabat enim coràm, extra conscientiam suam rem evenisse, quia sibi conscius non fuerat, vel se, vel quemquam mortalium rem super qua quæstio erat in capitium suum deposuisse: eamdem quoque vestem nocte se exuisse, & mane rursum induisse. Unde non incerta erat suspicio rem ob meritum Sancti divino geri imperio. Fratres verò super vitio incuriæ pænitudine ducti, & in reliquum cautiores facti, Deum in facto suo laudibus extulerunt, quem sic gloriosum & in ipso & in omnibus Sanctis intellexerunt.

XIV. *De vitrea ampulla olei ad tumulum Sancti post ruinam illæsa.*

VINCIT materies stilum & tempus, atque impar est sermo miraculis. Nam

Ante diem clauso componet vesper olympo,
Quàm poterunt Sancti virtus & facta referri.

Tempori tamen & ingenio dicendi æquabitur ratio. Ad Memoriam Sancti oleum cum lumine perpetuabat, quod ampulla vitrea in umbone pendens servabat. Quam Quadragesimæ diebus hora diei sexta contigit ruinam dedisse, & in aures circumstantium sonum adeo injecisse, ut in æstimatione esset omnium muri corruisse arcum. A Fratribus tunc in orationem prostratis concurritur, vestigium ruinæ quæritur. Erat enim æstimare rem non sine damno evenisse: sed secus ac putabatur res evenit. Nam ne ruinæ vestigia quisquam invenit: quia virtus Dei in Sancto suo id insigne facti dedit ampullam vitream post ruinam tam sine sui contritione quàm sine olei effusione. Ignoravit quippe vas olei inter ruinas læsionem, quia servaverat illud Sanctus hic vas in honorem. Libet hîc hoc facto intueri in dilecto suo virtutem Dei. Quoniam Sanctus iste quoad vixit, in vase oleum habuit, hoc est in conscientia opus bonum; vas materiale cum oleo æquè materiali testimonio, vas, inquam, post ruinam non confractum cum oleo sine damno sui mirabiliter servato. Sic sic quotidie inter ruinam Justus quisque servatur, Justus enim septies cadit & resurgit; atque cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

[a] Is est sacræ supellectilis custos, quem nostrates vocant *le Chevecier*, eo quòd præcipuè curam habeat apsidis, vulgò *le Chevet*, in qua sacra κειμήλια custodiri solita. Hinc capitaneum altare suprà in lib. 2 Mirac. S. Bertini.

ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VIII.

XV. *De piratarum intra fines Flandriæ irruptione sacríque corporis ejus translatione.*

KAROLUS cognomine Calvus Francorum in sceptris imperium agebat, BALDEWINUS ejusdem gener monarchiam Flandriarum gloriosè pollebat, vir cujus ingenio & militia nil in viris clarissimis gloriosius umquam habuit Flandria: cui ex occasione fortissimi animi cognomen accessit Ferreus. milite enim multo & militia de hostibus triumphare non parum erat strenuus. His diebus mucro divinæ animadversionis de vagina sua eductus circa marina maximè loca ulciscenda frena laxavit: merito enim sui erroris populus terræ id promeruit. Nam regio Danorum satellitem funestum de sinu suo evomuit, qui quæque circumcirca gladio igni absorbuit, maximéque in Flandriarum atque Mempiscorum * confinio incredibili desævit exterminio. Unde contigit sacrosanctum corpus beati viri de loco propriæ quietis *Vvoromholt* efferri, & ad *Sithiu* in Ecclesiam B. Audomari [a] transferri. Visum est enim commodum illò ire declinatum pestis hujus incommodum. Quo in loco immensa ætate non infimo Audomaricolis honori fuit, donec pestis præfata Dei miseratione sopita quievit.

* *id est*, Turnacensium

XVI. *De castri Bergas constructione, sacríque corporis B. viri illò translatione.*

SUCCESSU interea temporum surrexit in Flandria optimum inter millia caput BALDEWINUS cognomine Calvus, famam cum rebus peperit cui plurima virtus. Hic à progenitoribus Flandriæ monarchiam sortitus, tum facilè habebat obvium sibi suísqueconsultum ire, dum & ingenio & armis divina humanáque jura ex æquo librare. Qui suspicione irruptionis adversæ partis, quæ jam post longum furorem vix quieverat, ductus, fines Flandriæ facilè usque ad id temporis accessibiles & pervios hosti castris munierat, omnique in reliquum impugnationi clauserat. Tunc etiam locum Bergas [b] dictum præsidio placuit munire, quod munitioni omni circumquaque esset pattiæ:ubi etiam Ecclesiam construi fecit,quamtitulis ConfessorumChristi Martini atque Winnoci insigniri fecit. Animo insuper quiddam honestè utile & utiliter honestum concepit, quod tam honestè quàm utiliter opere perfecit, sacrosanctum videlicet corpus B. Winnoci illò transferre, ut Flandria ulteriùs secura laborum tanto gauderet protectore. Tenebat ea tempestate sceptra Francorum Rex KAROLUS, quem dolo captivaverat HERIBERTUS. Quem præfatus Flandriarum Monarches adiens, (habuit enim apud ipsum plurimùm posse) consilium animi sui Regis roboravit consilio, & magnificavit privilegio. Nam mox ut animum Regis super præfati loci mentione convenit, proprii sese voti compotem invenit: quia super eodem loco privilegium regale facilè obtinuit, affectúsque sui effectum auctoritate regia promeruit. Tunc demum *Sithiu* perrexerat ire, quo jam (ut diximus) timore hostili sacrosancti Winnoci membra contigit trans-

a Id contigit anno DCCC XLVI, uti legitur in Chronico de gestis Nortmannorum, quod Andreas Chesnius ex msf. cod. Carthusiæ Montis-Dei edidit Tomo 2 Hist. Franc. Lege Johannem Iperium in Chron. cap. 13 §. 4.

b Sic montes vocant Gallo-Belgæ. Bergæ seu Vvinoci-Berga, vulgò *Berg Sainct Vvinox*, clivus est haud procul ab Oceano, ad Colmam fluvium, quem locum S. Vvinnocus cellâ exstructâ excoluit illustravítque antè, quàm Vvoromholtense Monasterium ædificaret, infrà in Appendice hujus Vitæ. Legesis Johannem Iperium cap. 21 parte 1, cap. 36 parte 2, & cap. 38 parte 4. item Malbrancum de Morinis lib. 8 cap. 24.

ANN. CHR. DCC XVII. Nov. VIII. ferri. Et licèt qua arte poterant obtinentibus Audomaricolis sacrosanctum corpus abstulit, & ad locum Bergas quo destinaverat transtulit: quem jam regali & privilegio & munificentia (ut diximus) adeo ditaverat, ut eum Flandria honestam sui partem hodiéque habeat. Acta est hæc translatio à
anno 900. Baldewino cognomine Calvo, anno humanati Verbi nongentesimo, Karoli Regis ab Heriberto Virmandorum postea capti [a] anno octavo, Indictione tertia.

XVII. *De corpore ejus ad locum pristinæ quietis deportato, & de cæco illuminato.*

FIDELIBUS sanè Deo sanctóque Winnoco devotis convenit sacrosanctum corpus Sancti ad pristinæ quietis locum *Wormholt* quotannis deportari, cùm natale Præcursoris Christi annuus indicit cursus celebrari. quamquam nostra ætas ad deportandum illud morem gerat, cùm adventum Spiritus-sancti Ecclesia sollemniter celebrat. Deportandi illò quò diximus sacri corporis dies illuxit, plebs non modica invitante merito Sancti undecumque confluxit, visura gloriam Dei in gloria Sancti sui. Nam in magno grege confluentis eò populi quidam Adelbertus cum uterino fratre suo Tancrado pars erat populi, cum fratre, inquam, à primis cunabulis cæco: cæcitas enim pœnæ æquæva sedecim jam annos in homine æquaverat. Hic fide in spem recuperandæ per Sanctum sanitatis erectus, excubias noctis ante loculum sacri corporis longis vigiliis trahebat, & indefessè vigil lumen quod non habebat quærebat. Et ecce resolventibus ora in laudes nocturnas Fratribus dormitans dormierat, vigiliis enim in longum continuatis lassescerat. Moxque in articulo quo oratio dominica Evangelii pronuntiationem præcesserat, senem canis jocundè respersum splendidè circumamictum baculo nitentem viderat, hisque verbis inclamantem audierat: Quid sopore & desidia sopitus deprimeris? Minimo insuper digito palpebras semi vigilantis cæci adjecit ferire, utque somno expergisceretur imperare. Hanc visionem inconditus mox expergefacti clamor sequitur, anhelantibus dehinc verbis sese percussum conqueritur. A circumadstantibus accurritur, causa clamoris inconditi inquiritur: sed non egent doceri quibus res ipsa per se loquitur. Nam erat cernere rem spectaculo novam & laude dignam, oculos paullo antè cæci sanguine tabóque madere, cæcum se videntes videre. Animi populorum stupore concutiuntur, gaudio eriguntur, & in laudem Dei præter jubilum nil erat audiri. Altera dies illuxit, populus reditum unà cum sacris artubus maturavit: adolescens pridie illuminatus loculo Sancti crucem præferebat, & pro reparatione luminis non parum Deo Sanctóque habebat exsultare.

XVIII. *De cæca illuminata.*

ALIUD non dissimile huic miraculo non dissimiliter cernentibus fuit spectaculo. Quædam mulier emporio Furnensi * oriunda, rebus paupercula, utroque oculorum lumine orbata erat: cui cùm cæcitas triennio consenuisset, eámque Medicorum manus eisdem ipsis rebus quæ inopi fuerant exhausisset, sed nil remedii attulisset; animo induxit Sanctorum loca peragrare, longéque melioribus Medicis salutem exspectare. Et peragratis quaquaversum sacrosanctis Sanctorum cubilibus, tandem visere

* *de Furnes.*

[a] Frodoardus in Chronico tradit, Carolum cognomento Simplicem Perronam ab Heriberto Comite fuisse retrusum anno CM XXIII, & post annos sex in carcere exspirâsse.

locum

locum venit, quo pausam membrorum S. Winnocus elegit. Quæ luminare parvo quo potuit sumtu elaboratum tulit, conviante secum duce viæ ad altare Sancti venit, corpus humi, cælo animum dedit, & ab hoc efficacissimo animarum corporúmque Medico remedium quærit. Vix humi prostrata orationem dominicam peroravit, & ecce vota sua divina præveniri pietate sensit, humo resilivit, oculos aperuit, quos trima cæcitas luminis clausit. Vespertina synaxis tunc à Fratribus agebatur, res palam populo gesta non parum stupori habebatur. Mulier verò salutis suæ auctori grates non modicas dedit: & quæ duce venit, ducem rediens non quærit, altero duce veniens, se duce rediens. ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

XIX. *De reo captivato, sed meritis Sancti liberato.*

QUEMDAM ex familia Woromholtensi, quæ sancto viro attinebat, reipublicæ præfectus captivatum loris adstrinxerat: ubi cùm omnem salutis spem exhaustam haberet, hoc unicum remedii credebat in invocatione hujus Sancti dies noctésque continuare, & ab eo ereptionem sui exspectare. Et ecce primâ vigiliâ noctis cernit adesse senem, magno fulgore nitentem. Hic nitet, ille stupet, prorsus uterque silet. Cúmque aliquamdiu in hoc lux, in illo stupor, in utroque esset silentium, cum sene lux abiit, captivo ereptio venit. Nam vinculis manuum pedúmque expeditus, libertate eundi quò voluit potitus, claustris apertis egreditur, viam quæ ducit *Vworomholt* ingreditur. Nec mora, nec requies, ad præfatum locum festinatò pervenit, ereptori suo gratias dedit, ereptionis suæ ordinem cunctis palam fecit. Testabatur etiam sibi profugo prosperos ad votum successus arrisisse, nec feram, nec hominem (quod facile nocturnis profugis timori esse solet) obvium habuisse.

XX. *Item de quodam captivo meritis Sancti erepto.*

ALIUD alio tempore, nec dissimile miraculum hoc auctore gestum ex scriptis futura ætas habeat manifestum. Adalardus quidam erat non infimum ex familia præfati Confessoris caput. Villam vocabulo Suivesela mansionem habebat, famulos ipse famulus plures possidebat: quorum pleríque fugam noctu capere, Bononiam parant tendere. Erat tunc temporis eisdem Bononiæ partibus quidam Mirolfus pravi potens, recti impotens, rebus pauper, alieni appetens. Qui præfatos fugitivos facit sibi captivos, avaritia & ipse captus, servans eos cismarinis vendendos negotiatoribus. Adalardus quem præscripsimus, suos evestigio insequitur fugitivos, eos apud Mirolfum reperit captivos: virum convenit, suos publicis legibus repetit. At ille insanire, Adalardum æquè famulis concaptivare, vinculis, pedicísque damnare, postremò omnia quæ reorum sunt in ipsum intentare. Sed magis ille reus quàm qui sine crimine læsus, nocens ille vincla, innocens iste preces ingeminat; preces, inquam, quibus B. Winnoci nomen interdiu noctúque frequentarat. Neque fieri non potuit in invocatione nominis sui pietatem Sancti deesse quæ multoties antequam invocetur solet adesse. Nox media advenerat, homines sopor altus habebat, catenatus etiam ille somnum ceperat, sed in somno salutem sibi jam jamque adventare senserat. Viderat enim senem canitie jocunda caput respersum, virgam manu præferentem, quem vidisse salus & gaudium videntis fuit. Nam somno excitus vincla colli ferrea cum manicis & compedibus æquè ferreis tum gremio cecidisse, tum claustra

ANN. CHR. DCCXVII. NOV. VI.


custodiæ suæ videt patuisse. Sicque liber vinculorum, securus sui, dum desinit esse captivus, incipit esse fugitivus, reliquum noctis indulgens fugæ, & per palustria viæ consulens vitæ. Nam palustria loca octo fere miliariis continua ingressus, felices adeo abeundi habuit successus, ut aqua quæ paludibus deesse non solet, plantis paludem ingredientis deesset: sicque exemplo Israëlitici populi res gesta est. Sicut enim illi fugienti maria, sic isti æquè fugienti cessere palustria. Perpende, prudens lector, in uno eodémque homine duplex miraculum, hinc vincula sine manibus dissoluta à manibus & pedibus captivi, hinc loca palustria solidata sub pedibus fugitivi. Evadens itaque homo captivitatis suæ periculum post multa devia Sancti intrat Oratorium, hoc auctore se ereptum clamat, Deo grates, populo spectaculum ingeminat.

XXI. *De muliere à nativitate cæca, coram lipsana Sancti illuminata.*

SANCTUM hunc in artubus suis defunctis vivere, plura adhuc documenta sunt, quamquam compendii gratiâ ad finem festinet oratio. Annuus induxit recursus sacrosanctum Sancti corpus *Vuoromholt* deportari, cùm adventus Spiritus-sancti sollemniter solet celebrari. Accurrit populus, properat sine nomine vulgus. Habebat enim summè festivum, patrocinia Sancti ire comitatum. Mulier cæca à nativitate populo se immiscuerat, tandémque ad locum destinatum populo evecta magis quàm adducta pervenerat, & indice strepitu populi prope lipsana accessit Sancti. Cujus genuina cæcitas tunc præsentibus tam spectaculum quàm compassionem suscitavit, & pro recuperatione ipsius hinc preces, hinc vota fundunt, tum recursum sui annuum, tum etiam dona annua Sancto spondent. Inter preces intrant voces & vota frequentant, adeo ut voces Fratrum in synaxi psallentium vincerent. Sed & cæca mulier lacrymis indulget, & precibus precum suarum mox lætificanda effectibus. Quid plura? sanguinem orbes oculorum evomuere, nec minùs quàm pressi copiam lactis. Cerneres cæcam cæcitate usque ad id informem perspicuam videndi accepisse formam, & in miraculo visibili erat mirari Medicum invisibilem. Sed primùm novitate rei mulier concussa humi æquatur, dehinc tam confortata quàm illuminata in pedes constitit, perpetuos quo adviveret famulatus Sancto vovit: quósque vovit adeo exhibuit, ut in obsequio sancti viri contritione carnis & spiritus senesceret, & ad exitum vitæ cursum ab hac intentione non reflecteret.

Hæc de viro sancto dicta sufficiant, quamquam signorum ipsius materies omnem stilum exsuperet, miraculísque ejus omnis sermo inferior sit. Nec credi non debet in artubus suis defunctis ipsum adhuc vivere, cui olim in terris viventi Christus fuit vivere.

Pro nobis oret, sub quo Patre Flandria floret:
Ac me scribentem, te respiciátque legentem.



LIBER MIRACULORUM S. WINNOCI

Auctore DRACONE seu DROGONE Monacho Bergensi, sæculo XI, qui est alius à Vitæ interpolatore, uti ex stilo aliisque notis apparet.

Ex eodem mſ. cod. Compendienſi.

PROLOGUS AUCTORIS.



SÆPE & multùm quivis mortalis se exercitationi alicui sive studio dedere debet, ut quodammodo fugiendo quid mali, nitendóque aliud quid utilis, post vitium habeatur, virtutisque claræ bonive summa sequatur. Nam otiositas vitiis jungitur, studium verò officii omne virtutis est, maximè scriptitando aut lectitando quæque utilia, unde virtus animi clarescit, nitescit, floret. Id siquidem hujus officii dedito exercitationi quod proferimus patet, cùm utrumque inde eveniat, & vitium caveatur, & virtus animi, fama boni, claritudo scribendi modò augescat, modò floreat, manendóque dilatetur. Istud dignæ rationis, ídque ratæ orationis tandem me quamquam indoctum ad scribendum compulit, ut & posteris digna relatu legenda pro posse relinquerem, & ut nonnullius salutem utilitatis primò mihi, deinde multis providerem. Nec quidem id cœpti meæ temeritati sive audaciæ quivis prudens lector adscribat, cùm quisque suæ utilitatis commodum quærat. Nam id quidem fatuitati ac negligentiæ deputatur, si quis salutem suam negligat. Verùm etiam crebro adhortatu caritas & dilectio meorum Fratrum me scriptum venire coegit, ut partim visa, partim audita stili officio commendarem, & mira dictu, digna relatu, summa oratu posteris relinquerem, &c. *Auctor visa & audita narrat.*

CAPUT I. *De cæca nata, meritis beatissimi Confessoris illuminata.*

ANTE non multis annis quàm puer parvulus ad propositum sanctæ Religionis venissem, id quod primò dicturus sum contigit, quódque virtute suæ bonitatis, meritísque beatissimi Confessoris Winnoci Omnipotens operari voluit. Adveniente alta Pentecostes sollemnitate, solito more multi mortalium *Vvoromholt* dictum locum convenêre, inter quos puella nomine Malguera deducta aliorum auxilio convenit. Cæca enim nata, externi ductûs adminiculíque indigebat. Attamen deducta ante Templum quod idem Confessor Winnocus construxerat in honore S. Martini, relinquitur: ibíque interdum stans, modò jacens Deum totius pietatis, Regémque omnia tenentem, cuncta videntem deprecabatur, ut per B. Confessoris merita suæ miseriæ subveniret. Cúmque ipsam modò orantem, tum autem interdum alta suspiria fletúsque emittentem, pectus pugnis tundentem quidam conspexissent; super ea misericordiâ moti manibus elevant, brachiis attollunt, hujusmodi miseriâ affectam in Templum deducunt. Eadem hora Fratres in choro stantes psallebant, Deóque altè canentes vota laudum, sicut erant adsueti, solvebant. Verùm ante chorum in medio Templi statuitur, clamor ingens versus cælum tollitur, adeout vix aut nullo modo antè psallens multitudo Fratrum audiretur, cùm derepente oculi puellæ primò sanguinem fundunt, &c. Tandem ad adjutoris sui loculum deducitur, sola pergit, loculo Sancti appropinquat, accedit humilis, hilaris, læta ac exsultans osculatur. Tunc ibidem Deo sanctóque

ANN. CHR. DCCXVII. NOV. VI.

Winnoco piæ devotionis obsequium spondet, promittit: quæ in eodem devotionis promisso, dum vixit, perseveranter permansit.

II. *De cæco nato, ad tactum viri Dei illuminato.*

QUIDAM puer Bergensis villæ, vix unius anni ætatem habens, jam me puero tertia feria hebdomadæ Pentecostes à matre cæcus natus, uti eadem adfirmabat, in Monasterium Bergense cum candela deportatur. Mira quæ ego ipse vidi dicturus sum. Mater manum cæci pueri cum candela tenuit, ut eam deponeret indixit. Qua deposita, dexterâ impressâ capiti illius ter osculari loculum coegit. At ille mox dextera manu, quasi mirum & jocunditati sibi hoc foret, tetigit, & convertens se ad matrem & arridens huic, lævâ percussit. Tunc genitrix in primis Deum laudavit, Sanctóque suo gratias reddidit, cujus meritis suus parvulus eâ horâ primùm lumen habuit. Vicini Deum laudant atque mirabilem in Sancto suo glorificant.

III. *De cæca nata, ad tactum viri Dei illuminata.*

QUIDAM vir ejusdem villæ incola prolem feminini sexus quatuor annorum ætatem habentem in paschali hebdomada, feria quarta, cæcam cum candela detulit, quam etiam ponere super sanctum altare fecit. Post hoc autem ante altare nuda humo ut jaceret suasit, & ut talem ætatulam oportebat, minitando jacere indixit. Jacuit tandem minas patris timens, verùm haud diu quidem. Nam subitò velox surrexit, ad suum longè stantem genitorem cucurrit, genua illius amplectens. Pater filiam suscepit gaudens, quam ilico sciscitatus est an videret. Video, respondit parvula. Ille autem volens probare utrum id verum foret, ostendebat quædam rerum. Verùm quæ nomina natura rebus indidit, apertè adstantibus protulit. Et mirum relatu! rebus quas minimè quidem antea viderat, nomina dabat, unamquamque nomine separatim monstrabat. Eadem hora ADHELA Flandrensis Comitissa orationibus vacans in Templo aderat: laudantes equidèm super hoc miraculo audivit, quid illud quidem esset nosse volens inquisitum misit. Refert nuntius factum Dei virtute signum. Illò festina advolat, cernit miraculum, inquirit verum, Omnipotentem laudat. Præterea haud parvi pretii pallio Sanctum donat, gaudens redit, merita Sancti omnibus prædicat.

IV. *De cæca nata, in deportatione sacri corporis illuminata.*

MOS habetur mortalibus Bergensis pagi, ut octavis Pentecostes, die scilicet qua sanctæ Trinitatis unius ac veri Dei commemoratio [a] recolendo celebratur seu celebrando recolitur, deportari ossa venerabilis Patris Winnoci utriusque sexûs sequente multitudine, deferríque dominorum vota quæ promiserint oppressi quacumque valitudine. Deportabantur more solito cum maximo tripudio hujus Sancti pignora, præcedebat ac sequebatur laudantium Dominum multitudo maxima. Hi laudes reddebant docti legis ac gratiæ cantica solvere, illi clamantes juxta id quod videbatur, seu secundùm suum scire carmina dicebant. Inter hujusmodi homines unus aderat, qui natam cæcam mæstus tristísque brachiis

[a] Vides festum sanctissimæ Trinitatis ante annos sexcentos celebratum esse octava die post Pentecosten. Lege Menardum nostrum in librum Sacramentorum pag. 162 & 163. Cistercienses receperunt cantum de S. Trinitate anno MCLXXV, cum fortean quem Stephanus Leodicensis composuit medio sæculo x. Supplicatio de qua hoc loco agitur, jam dudum aliò ordinari consuevit ex dicendis infrà in Appendice hujus Vitæ.

ferebat, & propinquare Sancti loculo festinando cupiebat. Verùm reprimebatur, repellebatur vi multitudinis. Ignorabat quid posset agere: tamen præmeditatus transeuntes parum exspectare, opperiri demorando voluit, cùm ecce fortè fortuna adfuit. Turbis jam rarescentibus emergitur, currit è regione, præcedit, cum voto filiam Sancto Dei offert. Mox cæca nata lumen recipit, miratur circumstantes, intuetur quæ numquam viderat, admirationi sibi sunt cuncta Vix potest credi quanto pater exsultavit gaudio, quantis laudibus Deus mirabilis in Sanctis suis glorificatur, quibus verbis & Sanctus Dei meritò dignè laudatur. ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

V. *De servo capitis dolore cæcato, patrocinio Sancti illuminato.*

MANUS omnipotentis Domini æquè potestatis & filiis pauperum & servis divitum semper habetur, nec aliquorsum detorqueri valet suum velle, nec mutari ullo tempore quid suum posse. Omnia quæcumque vult, dicit Psalmista, operatur, semper omnipotens in cunctis suis operibus prædicatur. Vicedominus Bergensis pagi, bonus vir ad comparationem eorum qui hodie aëre fruuntur, utuntur vita, vivunt, nomine ERKEMBOLDUS erat, cui conjunx vocabulo ALSWILDIS bonæ memoriæ femina lecto jungebatur. His denique erat servus nomine Raingerus, qui ob longam infirmitatem capitis perdiderat viatici facultatem luminis. Nec mirum videatur, quòd interdum apponam aliquorum nomina pro testimonio, aliquorum taceam: quia nonnulla occurrunt memoriæ, nonnulla verò menti recordationíque excidêre. Verùm is Raingerus, de quo jam diximus, dum jam longo tempore corporali caruisset lumine, crebrò Dominum rogabat, ut sibi redderet amissum oculorum lumen, qui solus valebat. Sed & sanctum Confessorem Winnocum nocte diéque deprecabatur, ut pius intercessor exsisteret, quò amissi luminis facultatem ejusdem meritis reciperet. Instare sedulus, orare frequens & peccatorum à Deo remissionem, & manum Sancti propitiam & adjutricem sui. Jam venerat tempus quo persæpe petenti munus concederetur, crebrò pulsanti ostium misericordiæ aperiretur, ut & Domini adesset misericordia, & Sancti miserum adjuvarent merita. Nam adveniente Nativitate Salvatoris, qua nasci dignatus est ex utero Virginis, miser præmeditatus Templum intrare, ad honorem Domini lumen manu tenere, noctem ipsam pervigilem insomnémque ducere; dominam oravit, ut vel parvam quantitatem luminis sibi daret. Fortasse enim, dicens, Dominus me miserum exaudiet, mihíque sanctus Confessor sese oranti subveniet. Precibus illius domina libenter annuit, quod poscebat concessit. At ille lætus intrat Templum, & per totam noctem pervigil permansit. Uno in loco stabat servus orans, at juxtà domina intenta animum in cælo erat vigilans; cùm repentè caligo ab oculis ejus cadit, tenebræ rarescunt, lumen quod manu tenebat adspicit. Video, video, domina, clarè, clamat, video, (& monstrat candelam manu) Dominum Salvatorem laudo, intercessoríque meo Confessori suo gratias reddo. Sic denique quamdiu vixit, utroque lumine mentis & corporis præstitit. Sese quotquot diebus vitæ mores correxit, & patratum miraculi signum ad sui memoriam reduxit.

VI. *De vidua paupercula, in Oratorio Sancti luci reddita.*

ANTE vigiliam Pentecostes, id est sextâ feriâ quæ præcedit sabbatum, multi mortalium utriusque sexus quærentes suffragia tanti viri, ali-

ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

quid propter remittenda seu indulgenda onera criminum quæ admiserant, ad Monasterium suprà sæpius nominatum convenere; aliqui propter diversarum infirmitatum, valitudinum languores accelerarunt properare, quò levamen harum adjuvante sancto Patre meruissent accipere. Inter hujusmodi affectos miseriæ valitudinísque habitudine, vidua pauper convenerat, quæ jam annorum octo spatio lumen cæli non viderat. Adducta in Templum, in choro ante gradus in prima vigilia noctis cùm multis jacuit, modò orans Deum, aliquando flens, tum autem pectus pugnis tundens, doloris vocem ab alto cordis emittebat. Quapropter nonnullis erat importuna, his præsertim seu illis maximè, qui hujus minimè considerabant incommoda. Verùm dum hæc lamentando frequenter ageret, subitò quasi sopita somno aliquantulum siluit. At postea altiùs clamare, ipsa vocem emittere quàm primùm fecisset videbatur. Tunc quidam vir qui nuncupabatur Leodulfus, Tace, inquit, mulier, nec nos derideas, ne tu ipsa derisioni sive ludo nobis habearis. At illa: Ista mea derisio mihi salus, gaudium mihi, amodo lætitia erit, quæ jam multis annis lumen, quod hac hora video, minime vidi. Hæc dicens omnes qui aderant credere compulit, & facto mane gaudens discessit, &c.

VII. *De contracto sanato.*

MORTALIUM quidam pauper substantiæ filium habebat, quem contractum à primis infantiæ annis mærens ac tristis quot diebus pascendo, sive cibando dolebat. Nam aliorum sustentatione idem pauper vivebat, & quod sui necessitudini corporis subtrahere posse videbatur, misero filio impertiebat. Verùm idem quem dixi puer jam pæne adultus, modum pueritiæ crescendo dimiserat: quem quamquam artubus dissolutis ligasset tenendo, tenuisset ligando; infirmitas tamen modum naturæ haud quibat auferre, quin totum corpus, membra, artus juxta id quidem quod ingenii erat crescerent. Quapropter minimè quidem credebat illius pater tanti incommodi affectum miseriâ, sed adfirmabat filium fingere infirmitatem. Sæpe tentabat hunc hoc modo miser miserum. Ponebat escam & potum isdem qui erat ejus genitor ex altera parte suæ cellulæ, & idcirco agebat ut ipsius valitudinem probaret. At ille usque ad vesperam jejunabat, non enim nec rependo sese illò trahere valebat. Hoc denique cernens pater escam & potum deferebat, & tandem impossibilitatem nati confitebatur. Verùm hujusce affecto miseriæ valitudine nocte quadam sanctus senex pulcherrimus in visu apparuit, & ut ad Bergense Monasterium quàm festinus iret admonuit. Ego, inquit ille, cujus rationis modo id agam, qui nequidem de lecto surgere, nec me ipsum quamvis parum quoquam valeo trahere? Pater tuus, respondit, tibi auxiliabitur, & ejus adminiculo utêris ad id agendum. Mane facto refert patri visionem, visum senem, suique responsi pactum edicit. Paratur vehiculum, ad locum jamdictum itur, relinquitur miser ante ostium Monasterii. Ibi non multis diebus jacuit: quem ædituus nomine LETFRIDUS victu sustentavit. Sollemnitate sanctorum Apostolorum Petri & Pauli qua passio eorum recolitur, oravit hunc ipsum Monachum, ut se deferret in Templum. At ille hunc illò deferre voluit, sed minimè quidem valuit. Ille gravis erat, hic jam ætatis senio gravabatur. Tandem miserè trahendo ipsum ante unum altare reliquit. Jam Missa erat expleta, jam hora sexta pulsabatur, cùm is membris dissolutus cœpit erigi, cœpit extendi, tum altos tollere mugitus, quos magis quàm clamores videbatur, audiebatur, credebatur imitari. Post diatim

meliusculus cœpit esse : quem postea validum vigentem membris totius corporis vidimus. Attamen idem memor sui, quis fuerit, quísve tunc foret sæpenumero nobis referebat. ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

VIII. *Item de clinico ex utero matris sanato meritis piissimi Patris.*

ALTER quidam adhuc puer clinicus ex utero matris contractúsque membris, adeout calces natibus adhærerent, à patre ad eumdem locum defertur, atque in eo loco ab eo negligenter relinquitur. Geminis scabellis innixus difficillimè hac, illacque sese trahebat, in quo miseriam videre erat dum traheretur, dumque clauda pars corporis miseriæque quidem per terram reptando sequeretur. Multi mortalium misericordiâ moti stipendia suggerebant, nonnulli ex Fratribus necessitati illius quædam impendebant. Unus erat qui magis aliis misericordiâ movebatur, qui usque pietate præsens aderat, qui ampliùs juvit cùm tempus opportunum adfuit. Nam sabbato sancto Pentecostes cùm deportatum pararentur beati Patris Winnoci membra, is puer contractus sub altari jacebat, Sanctum auxilii opem orabat, patrocinium ejus precabatur. Et dum operiretur manum propriam Domini, jam pignera sancta pii Patris longè recesserant; cùm subitò contracta membra extenduntur, enodati nervi sonitum, immo crepitum reddunt, &c.

IX. *De sene longo tempore cæcato, ad nutum Sancti illuminato.*
X. *De contracto rustici filio meritis Sancti integræ sanitati reddito.*
XI. *De contracto in Oratorio viri Dei sanato.*
XII. *De contractâ sanata eodem die, & alia paullo pòst sanata.*

XIII. *De matrona surda à Sancto Dei curata.*

SOLET quis mortalis cùm minimè abundat huic substantia, & cogit sui valitudo seu vitium corporis, quamquam sit altus sanguine, locum mutare, ne sibi suísque dedecori habeatur. Quædam matronarum adacta simili necessitudine substantiæ, tum vitio sui, surda enim quàm multis annis exstitit; dimisit locum suum viciniam quærens, ubi posset actitare vitam. Casu itaque devenit ad ATHELAM Flandrensem Comitissam. Quæ postquam cognovit hanc, hujusmodi secum detinuit, benignè largita est corporis necessitatem. Gnara habebatur operum, magis diligebatur, colebatur. Ipsa verò placere illi & omnibus manibus quæritans, injunctum sibi opus sollerter, studioséque peragebat. quapropter haud immeritò quidem multis placebat. Fortè providentia Dei tandem adfuit, miseram hujusmodi affectam infortunio divina bonitas adjuvit. Nam nocte Natalis Domini cùm sollemniter recoleretur ipsius Nativitatis altitudo, aderat pernoctans cum aliis in Templo. Instabat precibus piæ mentis, munus Domino offerebat: quod erat cernere, cùm lacrymando devotè videretur orare. Verùm dum inchoaretur responsum, *Te laudant Angeli*, uti stabat erecta ut adoraret crucem, & deprecaretur sanctum Winnocum ut sibi subveniret, prona terram petiit. Tum paullulum inclinata, paullulum cælitus detenta in surgendo quasi unam morulam fecit. Æstimabant circumstantes orationis causâ hanc ipsam in elevando morari, donec viderunt utrasque aures stillantes sanguinem, suspiriáque alta cum planctu trahentem. Protinus auxilio eorum elevatur, tum clarè sese audire fatetur, ad interrogata respondet, cui paullo antè signa pro verbis innuendo fiebant. Eadem hora benedicitur Deus, gloriosè laudatur. Verùm post aliquot dies ad propria revertitur jam sui tuta, infamiæ obprobriique secura.

ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

XIV. *De matrona surda curata.*

XV. *De brachio ligati soluto meritis Sancti, confracto ferreo circulo.*

NOTA. a

LIGANTUR pro malè admissis quorumdam mortalium membra circulis ferreis [a], ut sit hoc tormentum seu hæc pœna præsentis vitæ remedium criminis, salus animæ: ut dum pro peccatis torquentur, humilitate sive sui recordatione meliorentur, admissáque crimina deleantur. Quidam hujusmodi brachium ligatus ferro, injunctámque pænitentiam ducens, jam multis annis provincias patrias peragrabat, patrocinia Sanctorum devotè quærebat, ut suis sibi meritis auxilio forent, ut tandem Omnipotens ei subveniret, pietate moveretur: qui jam diutino ac sævo tormento quot diebus torquebatur, stringebatur ferro, angebatur animo. Tandem una dierum jam sole ad vesperam demisso, ad Monasterium Bergense venit, intravit, oravit. Fratres vespertinos hymnos solventes in choro concorditer psallebant, vota laudésque reddebant, cùm idem devotè finita oratione surrexit, utraque brachia elevavit. Denique cùm hæc elevaret, ferreus circulus divinitus frangitur, in maceriam Templi ictum dedit. Clamat solutus tormento, sanguinis rivuli eunt. Reddit gratias Deo, sanctóque Winnoco servitium sui offert.

XVI. *Item de brachio Aquitanici laxato, piissimo Dei Confessore invocato.*

ALTER æquè quidem pro commisso crimine ligatus ferro, (fratricidium enim admiserat) Domini misericordiam, ipsiúsque Sanctorum patrocinia quærens ad eumdem locum venit. Sciscitatur nomen Sancti ab aliquibus qui fortè aderant: respondetur, quia S. Winnocus vocaretur, & quoniam magni meriti foret. Compatitur siquidem miseris, languores levat, oppressos infortuniis liberat, attollit, adjuvat. Dúmque ostentaret brachium, juvamen illi implorant dicendo: Et tibi ferat pius Sanctus auxilium. Horum dictis confortatus, animo compunctus Templum intrat, diúque intentè modò pronus, modò veniam petens, aliquando stans orat, brachium in altum erigendo levabat, & quasi hunc cerneret viventem seu præsentem, hoc ipsum monstrabat. Interim preces fundere, suspiria cum lacrymis miser addere, cùm repentè ferrum crepitum dedit, longè repulsum fecit sonitum, adeout adstantibus id signi sonitus pavori haberetur. Altera die redditurus gratias omnipotenti Deo interrogantibus Fratribus respondit se fore Aquitaniensem adprime nobilem, peccatum suum indicat, germanum suum à se enecatum ferro confitetur, ad ultimum valedicens adstantibus Fratribus patriam repedavit. Sic sic usque agas, præclare Pater, sic eat prosperitatis bonum, sic nobis tuum veniat remedium. qui ferreos circulos solvis, oramus solvas vincula criminis: quemadmodum summa munera concedis corporibus, ita & tuis precibus tuísque meritis animis proveniat perpetua salus.

XVII. *De Abbate S. Amandi exaudito meritis Sancti.*

ANTIQUUS hostis quosque arte nefanda ad casum trahit ut sui similes efficiat, quos sua calliditate circumvenerit, semper quemque majoribus malè admissis occupat, ut tum maximè mortalis perditum eat,

a Ex hoc sequentíque exemplo patet, id genus pænitentiæ quod Carolus Magnus jamdudum vetuerat, duravisse ad sæculum XI. Lege adnotata ad Acta S. Bertini suprà, & S. Bertæ infrà.

quando

quando irritavit Creatorem. scit enim tunc insolubilibus catenis suum teneri, cùm Creator rerum meritò manum subtraxerit. Subtrahit Omnipotens auxilium, cùm in servos suos quivis iniquus injustitiam machinatur, seu hereditatem horum invadendo, sive pravæ actionis circumvenit negotio. Quidam potens hereditatem S. Amandi injustè invaserat, suíque jurisditioni subdiderat. Abbas ipsius loci potestati ejus haud in sua quibat resistere, tamen sæpenumero hunc ipsum adibat, super ea re illi loquebatur, suadebat, hortabatur hunc, ne justitiam Deo & Sancto suo faceret; ut ab incœpto desisteret modò precario, modò iram Domini minitans monebat. At ille nec mitibus dictis, nequidem duris movebatur, sive flectebatur; oratu responsóve non hujus Abbatis, nec aliquorum admonitione, non suasione, ne hortatu quidem mitior reddebatur. Quapropter Comitem BALDEWINUM [a] idem Abbas adiit, super nequam viro injustitiam injuriámque clamitans. Verùm Comes potentem militem offendere nolens, primò negotium protrahebat, tum (ut ita dicam) Abbatem dulcibus verbis lactabat. Ad ultimum verò cùm ille hunc ipsum crebrò adiret, obtunderet verbis, adeo importunum iratúmque sibi reddidit, ut super hoc ampliùs admittere auditum Comes negaret: quin etiam subiratus huic palam clámque minitari. Cúmque jam pæne desperaret, nec ullus apud se consilii locus foret, ait suis: Melius est confidere in Domino quàm in homine, melius est sperare in Domino quàm in Principibus. Hic enim corda Regum quò vult convertit. Adhuc unum quiddam tentabo: quo tentato quidem aggrediar Comitem, & siquidem id frustra conatus fuero, vel frustratus spe omni, invitus etiam quiescam. Audivi, & legitur, & verum habetur, quia S. Winnocus Confessor de progenie clara Regum ortus sit: quin etiam vulgò fama est quòd Regis filius. Sive hoc sit, sive illud, seu utrumque, tentabo illius bonitatem adjutorio Dei confidens, ac precibus ejus adibo Comitem. attamen venientem Bergas opperibor, ubi requiescit pretiosissimus Confessor. Dum præmeditatus talia firmaret, adfuit qui diceret sic: Necdum Bergas Comes venit, ventura luce veniet, & ibi quivis eum quærens reperiet. Quid plura? venit Abbas Bergas, ubi jam acto triduo Comes morabatur; noctem illam quamquam lassus, quamvis fatigatus ætate in oratione perpetuat. Mane autem facto terram ante sanctum Winnocum petiit, *Deus judicium tuum Regi da & justitiam tuam filio Regis*, dixit, huícque versui, *Honor Regis judicium diligit*, addidit. Tu autem an sis qui diceris, mihi hodie tuo judicio apparebit. Ad ultimum silentio movens labia, quæsivit licentiam, & sic festinus Comitis adivit curiam. Venienti fores aperiuntur, antequam hic veniens benediceret. Verum est enim illud cujusdam Sapientis: Cor Regis Dominus in manu tenet, & quò vult idipsum vertit. Jam retinentem gressum Comes Abbatem compellat, alodium Sancto reddit, ne quis vim ampliùs fecerit auctoritate suæ censuræ interdicit, prohibet. tum tenere sua Abbatem imperat. Verùm postquam permulta verbis feruntur, Comes dicti factíque pænitens ad ultimum huc evasit: Quem Sanctorum, inquit, ad adjutorium tui priusquam huc ad me venires invocasti, cui te tuáque commisisti? Sanctum, inquit, Winnocum oravi, ut mihi amore B. Amandi, cui in cælis conjungitur, succurreret: hunc deprecatus sum, hic preces meas audivit, eásque sat scio ad effectum perduxit. Ita habetur, inquit ille, nam nullomodo id esse posset, nisi is quidem

Margin: ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI. — Psal 71. 1. — Psal. 98. 4. — Prov. 21. 1.

[a] Fortè Baldevvinum Insulanum, qui duxit uxorem Adelam, Roberti Francorum Regis filiam, de qua suprà cap. 2.

Ann. Chr. DCC XVII. Nov. VI. divina virtute ad id facti me ipsum promovisset. Nam mihi ratum in animo fuit nusquam jurejurando flecti sententiam. Hæc sic sic vera esse, ita evenisse renarravit Abbas Malboldus multis adstantibus. Laus tibi, gloria, omnipotens Deus.

XVIII. *De cæca nata suffragio Sancti illuminata.*

DIE Adscensionis Domini quo vexilla ampli triumphi intulit cælis, quidam vir pauper, dives fide, detulit filiam cæcam natam cum candela quam posuit super altare. Tum uterque jacuit, & quidem diu humi stratus. Verùm pater fundebat lacrymas, cum lacrymis orationem, cùm subitò clausi orbes aperiuntur, sanguinis rivuli per genas fluunt. Id cernens genitor, filiam manibus ab humo elevat, brachiis attollens imponit, ad stantes in choro festinat. Ibi erat Drogo [a] Tarvennensis Episcopus, Abbates nonnulli, inter quos aderat Alardus tunc temporis Abbas S. Vedasti. Mirum dictu, mirum visu! stabat patratum signum omnibus, unde laudabatur, glorificabatur omnipotens Dominus.

XIX. *De ferreo malleo cælitus dissiliente, nullo ictuum signo in loculo Sancti apparente.*

QUID de loculis Sancti ubi deposita sunt ossa ejus ostenderit omnipotens Dominus, paginæ inserendum est, memoriæque stilo commendandum. Loculus novus honori Sancti aptioris altitudinis longitudinísque quod erat videri componebatur, verùm modum excedere à nonnullis dicebatur. Ut primùm communis in medium venit sententia ut brevior fieret, adfuit artifex cum dolabro: qui dum semel ac bis feriret lignum, ictúsque solita virtute daret, in eodem loculo nulla signa ictuum apparuêre. At dum tertiò quasi iratus dolabrum fulminat, in minutas partes ferrum dissiliit. Tum abjiciens lignum quod manu tenebat, exclamans, dixit: Numquid non potestis videre, quia quod vos conamini Sancto displicet? In argumentum mei dicti factíve ictus in ligno minimè quidem apparet, dolabrum in partes, uti cernitis, dissiliit. Cessandum est mihi ab incœpto, & vos qui me adegistis, pænitemini. His dictis esse longitudinis dimittitur cujus erat, nec reincidendo brevior redditur, primùm uti sententia stabat.

XX. *De Fratribus ante sacrum corpus divinitus in terram corruentibus.*

POSTQUAM novus loculus fuit auro gemmísque comtus, uti decebat tam pretiosissimi ossa [b] Confessoris, dignum duxit venerabilis Abbas Rumoldus, quemadmodum vir prudens gnarúsque consilii, inquisitum iri, quid infra vetustum lateret loculum, quid & quomodo repositum, an totum ibidem reconditum, an aliquid de corpore deesset. Eo siquidem recluso reperit & alterum duris ferreis circulis suprà infráque ligatum, clavis ferreis æquè quidem firmum, quod humana vi haud

a Drogo Tarvennensis Episcopus sedit ab anno MXXIV ad MLXXIX. Alardus verò Abbas vix uno anno MLXVII.

b S. Vvinnoci Reliquias hactenus adservant Benedictini Bergenses, caput quidem in scrinio argenteo auro ac gemmis decorato, alia ossa in theca itidem argentea. Ostendunt item partem pedi pastoralis ac stolam sacerdotalem, quibus vir sanctus usus fuisse dicitur. Cambucæ, id est baculi Abbatialis S. Vvinnoci meminit Vitæ Scriptor cap. 12.

facilè auferri posset. Quo viso non protinus fuit ratio hunc derepente recludi, verùm triduano jejunio providentiam Dei omnipotentis pietatémque sancti Patroni primò deprecatum iri. Hoc itaque triduum jejuniis & orationibus continuatur. Postea eo transacto Abbas & aliqui Fratres boni testimonii adsunt, quin etiam aurifex cum armamentis venit: aptat manus, ferrum læva tenens, dextera ferrum admissum circulo percutit, ictum ictui addidit. Cùm verò tertiò omni corporis vi totóque conatu ictum daret, omnes adstantes letaniásque cantantes unà in terram cecidêre. Malleus ferreus quem manu tenebat artifex, versùs Septemtrionem in parietem ictum dedit, alterum verò parietem versus Meridiem percussit. Morulâ autem unâ transactâ surrexere, divinæ virtutis rem erga se actam cognoscentes. Hoc signum cælestis virtutis non valuit celari, quamquam hi pariter firmarunt silentio tegi. Nam quidam Frater juxta ostium contiguum altari per foramen introspiciens, ferrea instrumenta hac illacque ferientia Abbatem, Fratrésque cadentes & jacentes vidit: quæ omnia multis annis supervivens etiam cum lacrymis adfirmavit. ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

XXI. *De primo sacri corporis loculo, quòd honore non caruerit congruo.*

PLURA magísque mira his succedunt, de quibus alia postponentes pauca perstringemus, memoriæque posterorum pro posse nostro commendabimus. Superiùs binos loculos monstravimus scripto, unum infrà ligatum ferro, alterum extrà comtum argento, tertium recèns comtum auro gemmísque. diximus. minùs capaces sententiæ providentes, ut qui minùs animadvertunt, planum videant, ne ab his minimè ab gnaris quidem rerum obscuritatis seu brevitatis materiei arguamur. Igitur id propter media materies orationis est tenenda, ne sit obscura his legentibus. Postquam in novo loculo cum digno honore pretiosissima Confessoris ossa fuêre recondita, primus loculus in Ecclesia super unum altare ponitur, nec primo honore funditus caret propter sancta ossa quæ in eo multis annis condita fuêre.

XXII. *De persona dæmone liberata particulâ ligni sacri loculi ejus capiti impositâ.*

EO in tempore accidit, ut quidam Episcopus nomine BOVO [a] à Saxonia Bergas veniret, ibíque multis diebus detinendo moraretur. Qui etiam multoties querebatur, quòd nequidem providentiâ Dei licuit interesse sanctæ translationi. Nam jamdudum & notus sibi erat locus, & memoriam Sancti crebrò faciens, adjutorem sui & reddendo volebat, & volendo reddebat. Ut primùm libuit, tum autem habuit parare reditum ad propria, Abbatem qui tunc temporis regebat Bergense Cœnobium, convenit, orationibus se Sancti Fratrúmque humiliter committens, licentiam accepit. Sed & particulas quasdam quas valuit auferre secum tulit, ex quibus unam in sinum amore sancti Confessoris misit, alias verò inter suas secretas res collocavit. Si minimè quidem, inquit, aliquid de tanto Confessore mecum tollere merui, saltem partes hæ loculi quo tot annis venerata sunt ossa, erunt mihi pro ossibus pignera. Hæc dicens, iter arripit, ad propria festinat. Hamaburgensis est locus super Albim validum latúmque amnem situs. Ibi ejus hospitium erat, illò festinus tendebat. Etiam Albim navi transierat, dignúmque

[a] Nullus hujus nominis Episcopus exstat inter Hamaburgenses Antistites. Forsitan is est Unvvanus, qui ab anno MXIII ad MXXIX Hamaburgensem Ecclesiam rexit.

Ann. Chr. DCC XVII. Nov. VI.

ducebat non primùm quidem diverti ad hospitium, quàm oraturus intraret Templum. Mira res & vehementer stupenda tunc contigit. Dæmoniacus ligatus loris in Templo tenebatur, pro quo triduanum jejunium concives in commune primùm fecerant, ut à diaboli potestate solveretur. Sacerdotes aderant, letanias cantabant, Clerus stabat orans, populus *Kyrie eleyson* decantans: positus in exorcizata aqua, uti mos est, tenebatur. Adjurabat diabolum Sacerdos, ut pervasum hominem relinqueret, cùm per os dæmoniaci respondit: Nequicquam laboratis, frustra nitimini, non enim propter vos exibo, minimè quidem propter vos dimittam pervasum hominem. A mane usque ad horam nonam adjurationibus, psalmodiis, letaniis ut exiret laborabant: cùm Episcopus Bovo Templum intrat, clamare dæmon per os obsessi hominis multoties iterando: Winnocus, Winnocus, Winnocus me ejicit. Intellexit veniens Episcopus vocem confitentis, verùm accessit, omnes allocutus est: Locum nobis concedite, videbitis hunc latronem Dei sine mora virtute exire. Hæc dicens partem ligni quod detulerat à sinu protulit, & super caput dæmoniaci posuit. Cúmque poneret, quid illud foret interrogavit. At ille & nomen Sancti, & partem ligni, & quia de loculo ipsius esset, clara voce confessus est. Interrogavit Episcopus quis ille Sanctus sit, cujus virtutis habeatur. De clara Regum progenie, ait, remotæ Brittanniæ exstitit, magnæ humilitatis vir, vix aliquis mortalium hujus fuerit. Quapropter nullus nostrûm, nec ipse princeps noster illi resistere valet. Et nunc non horum adjuratio, verùm hujus sanctitas humilitásque me ejicit. His dictis vi divinâ virtutéque cælesti victus exiit, & habitatorem quem pessimus latro tenebat reliquit. Post illa, particulæ ejus ligni eo in loco & circumquaque in magna veneratione habentur, & nequidem hoc solùm divina virtus, verùm etiam per easdem multa alia quot diebus operatur. Evenit mihi qui hæc quoquomodo cudo, ut in Donamarcham * irem, & casu per Hamaburgense opidum redirem. Interrogavit nos Præpositus ejus loci, qui & unde essemus: cognovit enim propter dissonantiam linguæ esse incolas alterius patriæ. Respondimus nos Flandrenses fore *. Sciscitatus est æquè quidem de quo loco: addidimus, Bergensis locus dicitur, ubi pretiosissimus Christi Confessor Winnocus requiescit. Ipsius amore bene venistis, ait, ejus honore vos benignè hospitio suscipiam, & omnia necessaria vobis impendam. Benignè suscepit, necessaria largitus est, & postea omnia hæc ordine narravit, quæ superiùs prælibata sunt. Oramus, felix Pater, qui aliis in longinquis partibus degentibus subvenis, & nobis tibi famulantibus subvenias, ut hostes animæ insidiantes removeas, tua ope serves, tui auxilii scuto protegens custodias.

Nota.

Auctor in Daniam profectus. * l. Danemarcham. * esse

XXIII. *De facta pluvia inundatione pro sacri corporis deportatione.*

Siccitas venti, uredo solis, calor omnem Flandriæ terram constrinxerant: quapropter arva his indurata segetes hominibus, gramina animalibus negabant. Super his homines sibi providentes, consilium sive auxilium quærentes, præsentiam sancti Winnoci petiere, id est ut per Ecclesias patriæ deportaretur, si fortè ejusdem meritis pluviis terræ irrigarentur. Ut primùm commune consilium adfuit, Sancti pignera deportantur, mira sunt oratu & pæne incredibilia quæ eo in tempore evenêre. Ad demonstranda enim merita Sancti & quasi cujus oratione descenderat pluvia, cùm terminos intraret villæ, omnes circumquaque immensis imbribus ejus irrigabantur terræ. Mi-

rum quidem: nam non usquam pluvia descendebat, nisi cùm præsens tanti gaudii pignus adesset. Cerneres hos lætari agricolas de ipsius præsentia, videres illos certare & quasi vim inferre, & nonnullos ad arma concurrere velle. Nam nequidem id miraculi in uno loco, vel in duobus, sive in tribus evenit, verùm etiam eo in tempore ubicumque deportabatur. De præsentia ejus, tum autem de abundantia pluviæ irrigantis terram populus exsultabat, laudabat, lætabatur. Ad ultimum quo magis lector mirare, deportatus à proprio Monasterio, statim vota populi clementer exaudivit, pluvias secum duxit, tum autem revertens secum reduxit. ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

XXIV. *De Fratribus gravissimè ægrotantibus, allato Sancti corpore convalescentibus.*

ALIO tempore dum deportarentur hujus Sancti Reliquiæ simili necessitudine, dúmque abesset totius autumni tempore, febris Bergensis Cœnobii nonnullos invasit, quam mors nulli parcens subsecuta est. Unus post alium lectulo decidebat, nec mora abstractus luci plangebatur. Nuntius mittitur, pervolat, refert omnem congregationem citò interire, nî Sancti pignera cum festinatione ad proprium locum referantur. Festinantes Fratres reditum optabant, plangentes adeo mæsti super his qui obierant. Iter trium dierum uno perficitur, in domum in qua infirmi Fratres jacebant Sanctus deportatur. Hic vicinus morti amiserat loquelam, ille raucum sonabat gulâ ac pectore, nec jam supererat his ulla spes vitæ. O mira velocitas sanitatis! antequam reportaretur, antequam de loco moveretur, qui sustentabatur scapulis manibúsque suorum, oculos aperuit, sudore quidem quodam subtili cælitus concesso sanitatem testabatur. Altero verò die lectis resident, tertio autem adeo sani efficiuntur, ut nec signa infirmitatis in eis ulla monstrarentur. Adhuc siquidem supersunt nonnulli qui hæc vidêre.

XXV. *De Fratribus nullam post præcipitium læsionem habentibus.*

VIDIMUS quosdam Monachos laïcos de fastigio Templi hujus cecidisse, verùm nil periculi vitæ in casu suo passos fuisse. Nam Monachus quidam vocitatus EILBODO cùm casum passus fuisset, confestim in pedes stetit.

XXVI. *De latomo cadente gratiâ Sancti casum æquè suum ridente.*

ALIUS similiter latomus nomine Rogerus, in die Parasceves ab altitudine Templi cecidit, & protinus surgens & seipsum mirando nobis circumadstantibus casum suum lætus risit. Eâ ipsâ horâ Comes BALDEWINUS per chorum transiens territus sonitu & fragore lignorum, inquisivit quid illud esset. Dicitur quia ibi cecidit vir, & nihil periculi passus est vitæ. In argumentum fidei adducitur sospes qui ceciderat. Qui hæc, inquit, & hujusmodi operatur, credendus est quòd vivat in cælis, & quia intercedere ac supplicare Deo queat pro peccatis nostris.

XXVII. *De serviente meritis Sancti nulla ruinæ dispendia sentiente.*

XXVIII. *De casu illæsi Fratris, dum caderet nomen piissimi Patris invocantis.*

QUIDAM ex Fratribus Monachum gerens, ne sui quidem, neque utilium rerum satis sollicitus, juvenis enim erat, eóque uti leviùs ferebatur

ANN. CHR. DCCXVII. NOV. VI. ante Collationem quæ Completorii horam præcedit, turrim Templi imperfectam, verùm jam in magnam altitudinem elevatam adſcendit. Dum itaque hac illácque diſcurreret, pedibus labitur. Jam tum imminentis fortunæ ictum timens, & ſuæ vitæ ſaluti deſperans, nomen ſancti Winnoci biſque térque iteravit. Quid ultra? caſus caſum dedit ubi lapidum & cæmenti quàmplurima congeries erat, ut ex hoc comprobaretur indicio, minimè ſalvari hunc alicujus eventûs levamine, ſed ſolius Patris auxilio, cujus nomen dum caderet iteravit. Haud nequiquam quidem videremur immorari huic loco, mirari altitudinem, diſcriminis caſum, ſi non eſſet in promtu cernentibus mirum, adſpicientibus timori. Teſtatus eſt idem Frater nobis poſt aliquot dies ſui casûs nequidem ruinæ diſpendia ſenſiſſe, verùm quaſi levi volatu dum in præceps raperetur ſe ſuſtentari. Adfirmabat etiam id diſcriminis, id casûs, ídque ruinæ, ſuî incuriâ paſſum, id inſolentiâ illius eveniſſe: qui dum optimum factum fore ſciret ſtuduiſſe lectioni, Heu! (exclamans inquit) poſtpoſui meam utilitatem, ſecutus ſum quam haud quaquam debui pectoris levitatem. Audiat iſtud, perpendat, timeátque tale quid ſibi hujus memorans, quiſquis ſeria poſtponit, inutili delectatur, ne æquè quidem cum exterioris corporis ruina diſpereat Dei luce inſignita anima.

XXIX. *De juvene conducticio æquè poſt caſum illæſo.*

PROVIDENTIA Dei omnipotentis incomprehenſibilis habetur, & idcirco magis ipſam mirando laudari, quàm inquiſitum iri ab ullo mortalium ratum tenetur, ne inde diſpendium patiatur humana fragilitas, unde valet adquiri mentibus virtutum ſedulitas. Omnis ſententia ac ſeries orationis firmo quodam gradu nititur, cùm ſententia ſententiæ continuando jungitur, & oratio oratione probatur, tum exordium medio, medium fini concordat. Id etiam verum quidem animadvertere valet, ſi quis mente idipſum concipit. Etiam manum ferulæ ſubduxit quidam Monachum gerens, ut ſuperiùs diximus, ſalutem ſui tulit adjutus ope pretioſiſſimi Confeſſoris Chriſti Winnoci, ne paſſus quidem vitæ diſpendia, non membrorum damna: & utinam poſt caſum corporis nullam ſenſiſſet ruinam mentis. Verùm unuſquiſque onus ſuum portabit. Quidam alter conducticius ut injunctum opus perageret, adſcendit Templum. Jam trabes poſitæ erant, his ſolis videbatur ornari maceria, nec adhuc ſuo tecto tegebatur. Forte media die ceciderat pluvia, trabes compleverat, & inde lubricæ reddebantur. Super unam trabium dum ille conductus jam juvenis quaſi incautus ſtaret, aſſiduitas enim aluit audaciam, ſubitò labitur. Hujus caſus altior & viſu & menſurâ habetur ruinâ alterius ſuperiùs memorati. Exanimis factus velut mortuus jacuit, ſed haud diu quidem. Nam vires loquendi vidéndique reſumens, primum exordium quod cœpit hujus mihi fuit: Oro, ne miſer meæ matri id caſus, ne id mei infortunii intimetur, ne ſuper mea miſeria magno dolore afficiatur. O natura parens rerum, ô amor connectens fœdera! & ô utinam verus amor res mortalium connecteret, qui ſolus fœdera rerum connectit! O utinam amicitia cultrix virtutum coleretur, uti mortales bono aſſueſcerent, vitiorum devia poſtponerent, ne falſo deceptionis lumine paſſim agitarentur tanto vitiorum errore. Verùm ut ad hunc de quo cœpi redeam, poſt aliquot dies ſanus & integer redditus in eodem opere deſudat; caſum tantum & adhuc timet & ridet. Nam altitudo ipſa timor cernenti eſt, nedum ruinæ paſſio. O mirum viſu, quin etiam ultrà quàm probari valeat ſcripto, mirum dictu! Quis enim ſat quit probare

verbis providentiam Omnipotentis? credimus, id tantum sancti Patris humilitas meruit, ut de alto cadens omnis alis ejus protectionis sustentetur, quicumque in eo spem habens meritis illius innititur. ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

APPENDIX

De S. Winnoci festis, delatione annua, sodalitio & Cœnobio Bergensi.

1. *REVERENDUS admodum ac prænobilis Abbas Vvinnoci-Bergensis, D. Maurus* de Wignacour, *litteris à me interpellatus, ut rebus S. Vvinnoci illustrandis manum daret; id præstitit humanissimè tum per se, tum per religiosum Cœnobitam suum D. Amandum* Belver, *qui Vitam S. Vvinnoci singulari libello Hispanicè scripsit. Ex utriusque observationibus quædam huc paucis referre visum est.*

2. *S. Vvinnocus in Cœnobio & opido Bergensi, ubi Patronus habetur, triplici festo honoratur quotannis. Primus est dies Depositionis ejus* VIII *Idus Novembris: quo die Martyrologia recentiora eum laudant. Secundus est dies Elevationis seu Exaltationis (ut vocant)* X *Kalend. Martii. Tertius Translationis* XIV *Kalend. Octobris, quo scilicet Sancti corpus in Cœnobium Bergense illatum est. Et prima quidem veneratio cum octava & laboris cessatione in opido; secunda ritu semiduplici; tertia ritu festorum secundæ classis celebratur.* Festa.

3. *Præterea loculus sacrarum Reliquiarum S. Vvinnoci, quas Monachi nostri Bergenses religiosè adservant, singulis annis circumfertur die festo sanctissimæ Trinitatis, & in fluvium Colmam præterfluentem immergitur in memoriam suscitati quondam pueri, qui eô loci aquis præfocatus & obrutus fuisse dicitur. Tempus facti incertum: at fama perpetuâ ac constanti majorum traditione in posteros derivata, supplicatio anniversaria, sodalitium exinde in S. Vvinnoci honorem institutum, rem satis confirmant, & à Scriptorum silentio vindicant. Quamquam ante annos sexcentos jam fieri solebat supplicatio & delatio corporis sacri in Ecclesiam Vvoromholtensem ipso die sanctæ Trinitatis, ut patet ex lib. Mirac. cap. 4. Lege Malbrancum lib. 10 de Morinis cap. 4.* Circumlatio. Sodalitium.

4. *Antequam Voromholtense Monasterium conderet S. Vvinnocus, aliquamdiu cum sociis consederat apud Scovebergam, nunc Bergas vocant; ibique ædicula & Oratorio exstructis circumpositos incolas ad veri Dei cultum hortatus est. Mortui corpus Vvoromholtô in S. Audomari castrum Nortmannis sævientibus delatum, postea Balduinus Calvus, exstructo Bergis Templo in honorem S. Martini & S. Vvinnoci, eò transferri curavit, & locum sæcularibus Canonicis concessit. Post annos ampliùs centum Balduinus cognomento Barbatus, cincto muris opido, ex Oratorio prædicto corpus sacrum die 18 Septembris intulit in Cœnobium, quod in superiore urbis parte construxerat. Arcessiti istuc è Cœnobio Bertiniano Monachi circiter annum* MXXX, *quibus præfectus* RODERICUS *Bergensis Abbas primus. Crevit sub eo, inquit Sanderus in Tomo 2 Flandriæ illustratæ, Monasterium ac monastica disciplina, quam* HERMES *Abbas collabentem nonnihil restituit anno* MCVI; GERARDUS *Cluniacensibus institutis confirmavit; eamdémque inter civilia bella penitus languescentem anno* MCCCCLXXX *reduxit. Habuit idem Cœnobium Monachos sanctitate celebres,* GERVINUM, *virtutis merito ad Abbatiam Aldenburgensem evectum, spiritu clarum prophetico, summæ virum abstinentiæ, ut qui quadraginta annorum spatio carnibus & omni eo quod vitam aliquando accepit, abstinuisse memoratur; &* BERTULFUM *qui post cædem B. Godolevæ profugus, reliquum vitæ suæ pœnitens ibi transegit. item viros doctrinâ non obscuros,* JOHANNEM *Chronici veteris auctorem;* THOMAM *Draconum Supplementi & cladis Gallicanæ anni 1383 scriptorem; Petrum Vvallomcapellum librorum sex de Monastices institutione concinnatorem doctissimum, cujus operâ Molanus se adjutum fatetur. Hæc fere Sanderus, qui superioribus addit* DROGONEM, *de quo antea diximus. Addimus & venerabilem virum* JACOBUM *Muissant ex-Monacho Bergensi Abbatem Affligemiensem, qui virtute ac pietate illustris obiit anno* M DC XXVI. *De his aliàs. Huc corollarii loco adscribendus videtur Abbatum Bergensium catalogus ad me recèns transmissus, cui pauculas intersero observationes.* Cœnobium Bergense.

ANN. CHR. DCC XVII. NOV. VI.

CATALOGUS ABBATUM BERGENSIUM.

1. RODERICUS *ex-Monacho Vedastino Abbas Sithivensis, dein Bergensis ab anno* M XXX *(aiunt) in annos septem: quibus expletis reversus est ad Monasterium Bertinianum, ubi decessit anno* M XLII.

2. GERMANUS, *qui vix quadriennio præfuit, obiit anno* M XLI. *Invenio tamen Germanum Abbatem S. Winnoci subscripsisse chartæ commutationis quorumdam altarium, factæ inter Balduinum Tarvennensem Episcopum, & Rodericum Abbatem S. Bertini: cui chartæ apponitur hæc clausula:* Actum Tarvennæ in Basilica B. Mariæ in Synodo anno M XXVI, regnante Francorum Rege Rodberto, Baldewino verò Marchionatum agente anno XXXIX. *Ex quo intelligimus, aut Germanum bis Cœnobio Bergensi præfuisse, aut Rodericum ante annum* DCC XXVI.

3. RUMOLDUS *Bertinianus, interfuit Inventioni S. Bertini, mortuus anno* M LXVIII. *Eo Abbate ex Anglia in Bergense Monasterium facta est Translatio Reliquiarum S. Levvinæ, cujus rei historiam referemus anno 1058. De eo in lib. Mirac. cap. 20.*

4. ERMENGERUS *ex-Monacho Bergensi Abbas, vir probus, injustè ejectus ab æmulis anno regiminis circiter decimo; postea restitutus.*

5. MANASSES *Roberti Frisonis Flandriæ Comitis cognatus, qui à Gregorio Papa VII insignia episcopalia primus accepit.*

6. INGELBERTUS *Bergensis Asceta, Balduini Barbati Flandriæ Comitis ex filia nepos, præfuit annis* XXI, *obiit anno* M C XV. *cui suffectus in duos annos* ERMENGERUS *antè immeritò expulsus.*

7. HERMES *monasticæ disciplinæ instaurator, præfecturam abdicat anno* M C XX, *& in Remense Monasterium S. Nicasii secedit, ibique religiosissimè obiit. Privilegio Balduini Comitis Bertinianis concesso pro Ostersela subscripsit* Ermes Abbas Bergensis, *adjecta hac clausulâ:* Actum est hoc apud S. Audomarum in sollemni curia, anno M C XIV, Indict. VII, regnante Ludovio Franc. Rege, principante in Flandria eodem Balduino Comite, ea scilicet die qua ab ipso Comite cunctisque Proceribus Flandriæ pax confirmata est sacramentis, *ut ego legi in Tabulario quodam Bertiniano à D. Herovallio communicato.*

8. THOMAS, *quo Abbate opidum cum Abbatia periit anno* M C XXIII. *Is decessit die 4. Aprilis.*

9. ASTGERUS *seu Algerus, à quo restauratum Cœnobium, Templum dedicatum à Milone Morinensi, Alvisio Atrabatensi & Simone Tornacensi & Noviomensi Episcopis; præsentibus Theodorico Flandriæ Comite, aliisque Prælatis. Is etiam S. Winnoci Reliquias in thecam auro argentóque confectam includi curavit per Milonem Episcopum prædictum anno* M C XXXVIII, *mortuus post annos decem, die 29 Julii.*

10. THEODORICUS *ex-Monacho Bergensi Abbas primùm in Capella S. Mariæ juxta Caletum, dein Bergensi Cœnobio præfectus, obiit 14 Januarii. Eo Abbate Balduinus natu major filius Theodorici Flandriæ Comitis in Bergensi Monasterio sepelitur.*

11. ACHERUS *obiit Remis in Monasterio S. Nicasii.*

12. WALTERUS *seu Galterus obiit 20 Novemb.*

13. ALEXIUS *anno* M C LXXII *subscripsit chartæ Philippi Comitis Flandriæ pro quibusdam paludibus Abbatiæ S. Bertini. obiit 19 Martii.*

14. PHILIPPUS

15. INGELMARUS *vir prudens.*

16. GUILIERMUS *seu Willermus de Slippe.*

17. JOHANNES *de Brouckburch.*

18. JOHANNES de Lois.

19. WALTERUS *de Fornizeela.*

20. ÆGIDIUS *de Bosedo.*

21. GUILIERMUS *de Bapalmis in Artesia.*

22. BALDUINUS de Billeke.

23. PETRUS *Fulekius. hic cum successore magnificam, qualis nunc cernitur, chori structuram inchoavit & absolvit.*

24. NICOLAUS *sepultus est in Alchiacensi Monasterio S. Silvini.*

25. GUILIERMUS Marant.

26. JOHANNES Uleggart.

27. SIMON Plotin.

28. JOHANNES Waghelrincq, *aliàs, de Ipra, primus in choro novo sepultus.*

29. JACOBUS *Piscis. obiit 16. Januarii anno* M CCC XXXVIII.

30. JOHANNES de Bulscamp.

31. JOHANNES Borniincq. *obiit Lutecia Parisiorum, ibidem sepultus in Ecclesia S. Maglorii.*

32. SIMON Moor.

33. ANDREAS Bolin.

34. JACOBUS Pinchenier, *quo Abbate anno* M CCC LXXXIII *opidum Bergense penitus eversum, cæsi opidani; Ecclesia spoliata,*

spoliata, Prior captivus abductus, fugati Cœnobitæ. obiit anno M CCC XCIV *die 21 Novembris.*

35. SIMON de Haringhes *Decretorum Doctor ex-Priore Abbas, in prædicta vastatione in Neustriam abductus apud Honfleur; gravi ære Monasterii redemtus, Abbas electus & confirmatus, obiit tamen non consecratus.*

36. MICHAEL *Brassatoris obiit etiam paullo post annum* M CCC XCIV.

37. GEORGIUS Moor *ex-Monacho Bergensi Abbas primùm Aldenburgensis, dein Vuinnocensis, vir magni nominis & auctoritatis, præfuit annis* XXVI, *mortuus anno* M CCCC XX, *Aprilis 5.*

38. WALTERUS Baudlaëre *obiit anno* M CCCC XLII, *Novembris 28.*

39. PETRUS Lotin, *vir religiosissimus, dignitati nuntium remittit post annos* XXXI *regiminis, vitâ excedit anno* M CCCC LXXII.

40. JOHANNES *Masius obiit anno* M CCCC LXXXVIII.

41. JOHANNES *obiit anno* M CCCC XCVIII.

42. HADRIANUS de Preve *bonis operibus plenus anno* M D XII.

43. JACOBUS Wilgiers *ex-Præposito Voromholtensi electus Abbas, moritur anno* M D XVII.

44. JACOBUS Courtevile *obiit anno* M D XXIV.

45. ROLANDUS Streulandt *anno* M D XXVII.

46. FRANCISCUS Oudegheeste *exspirat anno octavo regiminis.*

47. GERARDUS Americourt *postquam Bergensi Cœnobio præfuit annis decem, ad S. Bertini est evectus anno* M D XLIV, *ac demum anno* M D LXIII *primus Audomarensis Episcopus consecratus, retento regimine Abbatiæ Bertinianæ, in qua eductus fuerat. Is in ea urbe pauperum scholarium seminarium ac Collegium Patrum Soc.* JESU *expensis Abbatiæ suæ erexit.*

48. FRANCISCUS d'Auchoult, *dictus* d'Helfaut, *præcipua in Artesia nobilitatis, ex proto-Notario & Canonico Morinensi factus Abbas Liquensis Ord. Præmonstratensis, deinde translatus ad Abbatiam S. Johannis prope Tarvennam Ord. S. Benedicti, & istinc ad Bergensem; demum primus Gandavensium Episcopus electus, oblatam sibi à Philippo Hispaniarum Rege dignitatem modestè recusavit, contentus Abbatiâ Blandiniensi, cujus regimen postquam Bergensibus præfuit annis* XII, *accepit anno* M D LVI.

49. HIERONYMUS Frimberghe *sacræ Theologiæ Licentiatus multis avorum imaginibus clarus, Abbas datus eodem anno.*

50. JOHANNES le Roy, *nobilis Artesianus* ex Bouvelinghen, *ex Oeconomo Abbas factus anno* M D LXXVI, *obiit anno* M D LXXXIII, *de familia sua optimè meritus.*

51. JOHANNES Mouflin, *vir doctissimus, ante perceptam benedictionem obiit anno* M D LXXXVII.

52. THOMAS l'Ardeur *Audomarensis ex-Monacho Bergensi Rationarius Broniensis ad S. Gerardum prope Namucum, ab avunculo suo ejusdem urbis Episcopo Minorita ac Broniensi Abbate bis in Hispaniam directus ad Philippum Regem, altera profectione anno* M D LXXXIX *Bergensi Abbatiæ præfectus, exstinctus est anno sequenti.*

53. CAROLUS d'Argenteau *antiquâ familiâ è Brabantia Gallicante pago* Ligny, *ex-Monacho Abbas designatur anno* M D XCII, *Martii 28, vir acerrimo judicio, mirâ eloquentiâ præditus, obiit anno* M DC XXV, *Martii 26, ætatis anno 80, regiminis 33, professionis 60, Presbyteratûs 53.*

54. CAROLUS d'Argenteau, *id nominis alter, prioris nepos, ex pago Namucensi, vico Vellenne, Abbas consecratus anno* M DC XXV, *Maii 1, vir mitissimus & humilis ac verè Pater, obiit anno* M DC LX, *Novembris 24, anno ætatis 70, regiminis 36, postquam Monasterium magna ex parte dirutum instauravit.*

55. MAURUS de Vignacourt *illustri familia ex Comitibus* de Fletere *ortus, Abbas instituitur anno* M DC LXII, *Martii 29; Gandavi in Ecclesia Cathedrali ab Illust. Episcopo Carolo Vanden* Bossche *consecratus Aprilis 16; Bergas festivè exceptus die 30 ejusdem mensis. Ei multos annos.*

In vacuum hocce pagellæ spatium adscribam rotulum, quem Cœnobitæ Bergenses Corbeïensibus remiserunt post carmen lugubre (Titulum *appellant*) *de morte* FULCONIS *Corbeïæ Abbatis, anno* M XCVII. Orate pro nostris Fratribus RUMOLDO, INGELBERTO, ERMENGERO Abbatibus; SICBOLDO, ODGERO, ALOLFO, MEYZONE, DROGONE Sacerdotibus; REYBOLDO, BERNOLDO, ARNOLDO, IDESBOLDO Diaconibus, & ceteris in Christo quiescentibus. *Hæc Bergenses ad Corbeïenses pro mutua societate.*

CIRCA AN. DCC XVII. DECEMB. XXX.

VITA S. EGVVINI EPISCOPI WIGORNIENSIS IN ANGLIA,

Auctore anonymo qui videtur sæculo XI vixisse.

Ex Januario Bollandiano & Capgravio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VITAM S. EGWINI *seu* ECGWINI, *Vvicciorum in provincia Merciorum Episcopi, antiquitus exaratam fuisse, innuit Vvillelmus Malmesburiæ Monachus in lib. 4 de Pontif. Angl.* Quid illud? *inquit,* credendúmne putatur quod tradit antiquitas? *&c. nimirum de compedibus S. Egvvini: qua de re infrà. S.* BRITHWALDUM *seu* BRITHWOLDUM *ex-Monacho Glastoniensi Cantuariensem Archiepiscopum, Bedæ Venerabilis æqualem, istius scriptionis conditorem agnoscunt Johannes Pitseus in lib. de Script. Angl. Henricus Spelmannus in Notis ad chartam Egvvini tomo 1 Conc. Angl. ad annum 709, & alii. Ejusdem scriptionis Brithvvaldo attributæ fragmentum edidit Franciscus Godvvinus, agens de Vvigorniensibus Episcopis: sed quæ mentionem facit excidii Eoveshamensis, quod Eadgaro Rege accidit, hoc est post annum* CMLIX, *quo Eadgarus Regni habenas moderari cœpit. Hinc conjecturam capio, istius fragmenti auctorem non esse antiquum illum* Brithwaldum *Cantuariensem Antistitem, sed alium* Brithwoldum *ex-Monacho itidem Glastoniensi Vvintoniensem Episcopum, cujus meminit Monasticon Anglicanum in Historia Glastoniensis Abbatiæ his verbis:* Brithwoldus Wintoniensis Episcopus, Monachus Glastoniæ, obiit anno Domini MXLV, *&c. Istud fragmentum referemus post vitam prolixiorem, quam hîc damus primo loco ex Johanne Bollando: tametsi hujus Auctor vixit post initium sæculi* XI, *ut patet ex miraculis Vitæ subjectis, in quibus memoratur* Elfwardus Londoniensis Episcopus, *denatus anno* MXLIV. *Verùm aliam antiquiorem frustra perquisivimus.*

Alius anonymus.

Vitæ utriusque quanta auctoritas.

2. *Vvillelmus Monachus loco jam citato miratur, cur S. Egvvinum silentio presserit venerabilis Beda, qui annis fere quindecim Egvvino supervixit.* Eveshamum, *inquit,* fundavit B. Egwinus Episcopus, de quo quid miraculi sit quòd Beda tacuerit, nondum per me potui advertere, vel per alios addiscere: præsertim quòd cum Kenredo Rege Merciorum & Offa Rege orientalium Anglorum, *immo Saxonum,* Romam iverit, quorum profectionem historicus non siluit. Verumtamen quæcumque res hanc taciturnitatem imperaverit, constat eum tertium Wigorniensium Præsulem fuisse; locum illum quo nunc Cœnobium visitur, peculiariter amâsse, incultum antea & spinetis horridum, sed Ecclesiolam ab antiquo habentem, ex opere forsitan Britannorum. Eo loci vir sanctissimus, dum solitudine invitante frequentaret excubias, Dei Genitricis visione & allocutione mulceri meruit, planè & absque scrupulo præcipientis, ut ibidem sibi fundaret Cœnobium futurum sibi gratiosum, illi negotiosum. Institit ille jussis, & complens opus, apostolicis & regiis privilegiis corroboravit. *Non omnino probat Vvillelmus id quod de S. Egvvini compedibus hîc narratur. Ita enim subdit.* Quid illud? credendúmne putatur quod tradit antiquitas? peccatorum juvenilium quondam conscium, pedes compedibus irretiisse, clavibus compedum in amnem jactatis palam dixisse, tum se demum de peccatis securum futurum, cùm compedes vel divinitus, vel ipsis reserarentur clavibus: ita Romam profectum prosperéque reversum. Jam verò in illo mari quo à Gallico continenti Angliam navigio transmittitur cùm navigaret, immanem piscem saltu puppim qua Pontifex vehebatur ingressum, certatimque adnitentibus nautis retentum: in ejus exenterati jecore clavem repertam, feræque compedum appositam, Sancto soluto securitatis plurimùm donâsse.

Sancti cultus.

3. *S. Egvvini memoria in recentioribus fastis celebratur* tertio Idus Januarii. *Præferenda Vitæ utriusque auctoritas, in quibus Egvvini obitus* tertio Kalend. Januarii *reponitur.* Nominatissimus profectò Pater est, *testante Vvillelmo jam laudato,* & petentibus exorabilis, si credulitas rogantium non titubaverit.

4. *Egvvinum ante Episcopatum fuisse Monachum, adfirmant Arnoldus Vvion, Johan-*

nes Pitseus & alii nonnulli. Praestat audire Monasticon Anglicanum in haec verba de Abbatibus Eveshamensibus. Anno gratiae DCXCII tempore Regis Etheldredi, filii Pendae Regis Merciorum, & Brithwaldi Archiepiscopi, S. Egwinus Deo dilectus Wigorniensis Ecclesiae praesulatum suscepit, cui gloriosissima virgo MARIA decimo anno sui Episcopatûs, in loco qui dicitur *Hethome*, nunc verò *Evesham* nominatur, manifesta visione apparuit. Quem quidem locum consentiente Rege Etheldredo atque donante statim aedificare inchoavit in honore ejusdem gloriosae Virginis MARIAE. Sexto siquidem anno posthaec Episcopatum praedictum ex toto reliquit, & apud Evesham primus Abbas, Pastor & Patronus effectus est, ubi sanctissimè ac religiosissimè novem annis vivens cum Fratribus, devotissimè perrexit ad Dominum, videlicet III Kalend. Januarii anno gratiae DCCXVII, *&c.* CIRCA AN. DCCXVII. DEC. XXX.

5. *Egvvinum calumniantur Centuriatores Magdeburgenses Cent. 8 capp. 7, 9 & 10, quasi sanctarum imaginum cultum primus in Anglo-Saxonum Ecclesias invexerit: quippe qui B. Mariae imaginem in Ecclesia sua collocaverit, mandaveritque ut à populo coleretur. Quod quàm gratis confingant Centuriatores, demonstrant non solùm Baronius atque Binius; verùmetiam Henricus Spelmannus tomo I Conc. Angl. ad ann. 709.* Cultus imaginum an ipsi tribuendus.

6. *De Eveshamensi Monasterio agri Vvigorniensis in provincia Merciorum lege Monastici Anglicani tomum I pag. 144 & seqq. ubi varia referuntur diplomata, à Spelmanno examinata, in quibus dicitur Eoveshamense Monasterium institutum* secundùm Regulam S. BENEDICTI. *Monachis pulsis successere Canonici saeculares anno* CMXLI, *quibus non semel ejectis restituti Monachi tanta religionis laude floruerunt, ut* ERICUS Danorum Rex *cellam duodecim Monachis Eoveshamensibus exstruxerit Othenesiae in Dania, eámque Eveshamensi Abbatiae subjectam esse voluerit. Ex illo Coenobio evocati ab Ethelbaldo Merciorum Rege Monachi & Kenulfus Abbas in Monasterium Crulandense, quod ipse Rex* sub norma S. BENEDICTI *condiderat, ut suprà vidimus in Vita S. Guthlaci ad ann. 714.* Monasterium Eoveshamense.

1. TEmporibus Regum ETHELREDI atque KENREDI, qui Merciorum regimen obtinuerunt, in territorio Wigorniensi exstitit vir religiosus, nomine EGWINUS, regali ex prosapia ortus: qui in adolescentia positus, postposita saecularis fastûs ambitione bonorúmque temporalium jocunditate, paupertatem voluntariam propter Deum appetivit, & ecclesiastico cultui divinísque officiis se omnino mancipavit. Per singulos itaque ordinis ecclesiastici gradus ad Sacerdotium usque provectus, mox totam vitam suam in contemplatione divina convertit. Egvvinus regiae stirpis, Sacerdos,

2. Ubi verò Wigorniensis sedes orbata est Pontifice, clamat Clerus, petit populus beatum virum pro sanctitatis merito ad episcopalem dignitatem sublimandum. Beatus autem Egwinus multùm reluctans & renitens, consentiente cum Clero & populo Rege Ethelredo, immò rogante & plurimùm cogente, ad Episcopatum praefatae urbis adsumtus est[a]. Et statim divini verbi inclytus praedicator effectus, bonis actibus omni conamine operam dedit; tantò humilior, quantò altiori sublimatus erat officio, carus Deo & hominibus; ipsique Regi prudentiâ, aequitate, & doctrinâ, consilio, omníque probitate erat acceptus. pater orphanorum, sustentator viduarum, & desolatorum erat consolator. Potenter eos redarguebat, qui sanae fidei resistebant, & leniter suavi Christi jugo colla submittentes demulcebat. Pravis erat sermo ejus quasi stimulus, & quasi clavus in altum defixus; mansuetis quasi oleum apparebat. Populos noviter conversos & gentilitatis adhuc plurimum sapientes, & errore vetusto in multis deceptos, illicitísque connubiis contra Christianam sectam involutos, à faucibus diaboli abstrahere cupiens, & ab errore & squalore vetustae gentilitatis convertere desiderans, de talibus ad eos saepe locutus est, de praedictis sceleribus & erroribus atque illicitis copulationibus durissimè eos increpans, & ampliùs talia Episcopus Vvintoniensis ut se gerit.

a Nempe post Ostforum Boseli primi Vvicciorum Antistitis successorem, & quidem anno DCXCVIII, ex dictis.

Circa An. DCCXVII. Dec. XXX.

agere interdicens, Deum ista damnare adseruit, tremendi judicii & sempiternorum tormentorum crebris verborum tonitruis retundens lapidea corda, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia & doctrina.

Dejicitur à sede sua. *al. hæreticis

3. Verùm quia insanabilibus morbis plerumque officit medicina, ab invidis * & inimicis fidei sæva tempestas persecutionis excitatur, & seditiosa in Sanctum Domini grassatur, & in vitam ejus falsis figmentis armatur vulgus. Ergo & populus cujus vita & intentio proclivis erat ad malum, videns illicita sibi non licere, & adsueta vitia nolens relinquere; unde proficere debuit, inde contra Sanctum Domini in iram & odium exarsit, & eum ab Episcopatu expulit. Permisit hoc etiam excitatus contra eum livor regius. De eo nempe non solùm apud Regem accusatio, sed etiam apud Romanum Pontificem ab inimicis prolata fuerat delatio.

Romam pergens,

4. Tunc vir Dei fide munitus, divinâ consolatione roboratus, angelico consilio fretus, cùm se vidisset ad certamen vocari, pro salute errantis populi & annihilandis inimicorum figmentis ad apostolicam Sedem ire disposuit. Quamvis enim vir Dei coram hominibus se immunem ab illatis sciret, tamen quia coram Deo peccatis se obnoxium esse non diffitebatur, & etiam pro peccatis populi sui pedes suos vinculis ferreis adstrinxit, quæ clave poterant ligari & reserari, ipsámque clavem in fluvium, Abdona [a] vocatum, Anglicè *Aven*, projecit, & versus Romam ire cœpit. O virum cunctis mirabilem, nec terroribus concussum, nec blandimentis seductum, nec laboribus victum, qui inter corporis sui pressuras & abjectiones, nec mundanas laudes captavit, nec adspectus hominum recusavit! O fortissimum victorem laborum, contemtorem exprobrationum Angelis & hominibus admirandum, & tot populis ac gentibus spectaculum factum!

pedes vinculis adstringit.

Romæ sacris operatur.

5. Sicque in conspectu populorum vinctis ferro pedibus Romam ingreditur, in Ecclesia S. Petri Apostolorum principis ad orationem prosternitur. Quâ cum magna prolixitate completâ, ad sacra Missarum sollemnia celebranda præparatur. Interim namque famuli sui pro cibis emendis ad fluvium pergunt, & emto quodam pisce magno & exenterato, compedum clavicula quibuscum Sanctus pedes adstrinxerat, in visceribus invenitur; ferrúmque quod Anglica Avena absorbuerat, Romana Tiberis exhalat. Allatâ famulo Dei claviculâ, voluntati Dei se subjiciens, coram cunctis clavem accepit, & vincula sua reseravit.

Honoratur à Pontifice.

6. Tanti miraculi novitas in omnes erupit, Romam implet. qui miserabilis & noxius putabatur, sanctus & venerabilis commendatur. Quis illum videre non certabat? quis ab eo benedici non festinabat? Ipse etiam reverendus Papa cognito S. Egwini adventu, auditis angustiis & laboribus in itinere ab eo perpessis, & qualiter omnipotens Dominus à nexibus eum absolverat, eum accersiri fecit, & volentem sibi prosterni dignâ reverentiâ detinuit; quem benedicere debuerat, ab eo benedici & absolvi petiit, & sibi consedere fecit. Ante se Missarum sollemnia celebrare coëgit; ad ejus singulare colloquium & consilium frequenter admissus, gratiosè auditur.

In sedem reversus,

Controversiæ suæ & itineris causâ tandem coram summo Pontifice recitatâ, discussâ, & omnimoda ventilatione ad votum diffinita, cum apostolica benedictione & litteris ad sedem propriam regressus est.

Regis filios instituit.

7. Auditis autem Rex miraculis & virtutibus per sanctum virum patratis, plurimùm gratulatus in propria sua sede restituit eum. Et non solùm pater spiritualis, verùm etiam circa filios ejus compater factus carnalis, ei filios suos litteris & moribus informandos Rex commendare curavit.

[a] Abdona seu Avona fluvius locum Eovesham irrigat, ac Sabrinæ aquis miscetur.

8. Illis diebus locus erat in territorio Wigorniensi, dumis & vepribus condensis incultus, qui à modernis Eoveshammium appellatur: hunc B. EgWinus à Rege Merciorum Ethelredo expetiit & obtinuit. Super illam quoque silvam quatuor pastores gregum ad victualia servorum Dei nutrienda constituit. Ex quibus unus, Eoves nomine, quadam die ad interiora silvæ progressus est: & ecce adstabat in loco quodam virgo quædam cum aliis duabus virginibus præclarissima, omnem mundanam pulcritudinem, & ipsius solis fulgorem sui splendore & gloriâ devincens, librum in manibus tenens, & cum sacris virginibus cælestia cantica psallens. Expavit vir ille tam coruscâ visione hebetatus, nec ferens cælestia conspicere, tacitus ac tremens domum rediit; quæ viderat sancto Episcopo intimare curavit. Vir autem Dei tacitè rem considerans, post jejunia & preces quadam die cum tribus sociis, & cum psalmis & orationibus devotis, nudus pedes ad locum designatum pergit, eminúsque relictis sociis ipse interiùs processit, diutiúsque terræ accubans, cum gemitu & lacrymis implorabat respectum misericordiæ Redemtoris. Surgente illo ab oratione, tres virgines non minoris splendoris & gloriæ quàm priùs apparuere: quarum quæ media erat præcelsior, & omni nitore splendidior præfulgebat, liliis candidior, rosis vernantior, odore inæstimabili fragrantior; librum quoque manibus præferens, & crucem auream luce radiantem. Cúmque cogitaret hanc Domini Genitricem esse: virgo præcellentissima quasi favens tam piæ æstimationi, adorantem prætensa quam tenebat cruce benedixit, & cum tali valefactione disparuit.

CIRCA AN. DCC XVII. DEC. XXX.

Eoveshammio loco à Rege, impetrato.

B. Virginis nutu,

9. Gavisus itaque vir sanctus, & Deo gratias agens, intellexit esse divinæ voluntatis, ut locus ille Dei cultoribus consecraretur, & beatæ Dei Genitrici dedicaretur. Voverat enim inter varias tentationum angustias, si Dominus prosperum faceret desiderium suum, ædificaturum Domino templum. Locum ergo protinus mundavit, opus inchoavit, & ad finem perduxit. Scripsit quoque idem Sanctus, & palam omnibus fecit Monasterii ædificationem, tunc nomine Homme vocato, sub his verbis.

Monasterium Homme ædificat,

EGo EgWinus Wicciorum humilis Episcopus, volo manifestare omnibus Fidelibus Christi, qualiter ego primùm per Spiritus-sancti inspirationem istum locum elegi, & Monasterium ædificavi in Homme in honore omnipotentis Dei & sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis. Contigit quodam tempore non sine Omnipotentis dispensatione, quòd ego in laboribus multarum & magnarum visionum ductus fui. Qua de re arsit meo in animo per Spiritus-sancti inspirationem, quòd ego unum locum ædificare deberem ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & sanctæ Mariæ; & omnium electorum Christi, & etiam mihi ad æternam retributionem, antequam ab ista mutabili vita discederem. Cùm itaque maximè florerem in diebus Ethelredi Regis Merciorum, cœpi benignè deprecari, ut mihi concedere dignaretur antiquum Cœnobium, quod *Fledanburch* a nuncupatur. Satis ille libenti animo quod petebam concessit. Regnante post illum Rege Kenredo, contulit Deo & mihi, tum pro amore Dei, tum pro affectione carnalis amicitiæ qua penitus mihi devinctus erat, 84 mansos in ambitu loci illius, qui & Homme dicitur. Post modicum tempus ALDHELMUS * religiosus Episcopus migravit ad Dominum. quod ego per revelationem agnoscens, convocatis Fratribus

qua occasione

* Aldh. ann. 709.

a Nunc *Flatbury* teste Cambdeno, haud procul ab Avona, infra Eovesham.

CIRCA ANNUM DCC XVII. DCC.XXX. » & Clericis excessum venerandi Patris eis aperui, & in Meldunensi Monasterio cum honore sepelivi. Post hæc verò cum Kenredo Rege Merciorum, & Offa Rege orientalium Anglorum [a] Romam perrexi, & de Cœnobio fundando, ad vota cuncta peregi [b].

Fontem cælitus obtinet.

10. Fertur enim quòd dum itinere illo per montuosa & arida iret loca, die quadam fame, siti & lassitudine omnino addictus est, & socii ejus cum plurima populi turba. Rogatus igitur à sociis sanctus Episcopus, preces ad Deum fudit, & fons aquæ limpidissimæ ex arenis statim prosiliit: accepitsque panibus, & paucis cibariis quæ habebat, per populos dispersit: refectisque omnibus Deum in Sancto suo glorificaverunt.

Privilegium à Romano Pontifice.

11. Detulit autem secum à Roma vir Dei privilegium, cujus talis erat tenor.

» CONSTANTINUS *Episcopus servus servorum Dei*, BRITWALDO, *Britanniarum Ecclesiarum Primati, salutem & apostolicam benedictionem*. Venerabilem virum Egwinum Episcopum, quem bis tua fraternitas ad apostolicam Sedem misit, etiam nunc secundò manipulis justitiæ refertum tibi remittimus, monentes quatenus sic suos affectus adjuvando prosequaris, sicuti illum à Deo incœpisse, & in via Dei cucurrisse cognovisti. Porro de visione illa, immo aperta ostensione, qua se beata virgo Maria ei manifestavit, æquè ita certum esse tenemus, quemadmodum de viri bonitate non dubitamus. Denique vigilantiam tuam admonemus, quatenus illis in partibus in quibus manifestatio habita fuisse refertur, concilium totius Angliæ cogas, Episcopos sacrique ordinis religiosas personas illuc convenire facias, Optimatésque regni cum Proceribus suis adesse præcipias. Quibus in nomine Domini congregatis denuntiamus, quòd duo Reges Angliæ Kenredus & Offa, cum quibus jam dictus Episcopus ad limina Apostolorum venit, in loco ostensæ visionis plurima de suis beneficiis in præsentia nostra, regia libertate donata, & apostolica auctoritate confirmata contulerunt; quatenus ibidem congregatio Monachorum secundùm Regulam memorandi Patris BENEDICTI, quæ minùs adhuc in illis partibus habetur, possit instaurari, & Christo indesinenter famulari. Ipsas autem donationes & beneficia præfati Reges in ipsorum privilegio nominatim determinaverunt, & à nobis corroborari fecerunt. Igitur, Frater dilecte, quoquo modo Christus adnuntietur, lucrum Christi inquire, opus Christi exerce, promulgatisque in concilio undique sententiis, tum à Deo ostensæ visionis, tum apostolicæ auctoritatis, tum regiæ libertatis & donationis, tum tui ipsius, Clerique & populi adsensus & favoris, constitue ovile Christi divinitus ostensum, apostolica auctoritate fultum, regia libertate donatum, Cleri & populi benedictione sancitum. Tibi autem & successoribus tuis, memorato Episcopo Egwino adsentiente, curam animarum ejusdem Ecclesiæ præcipuè injungimus, ut si (quod absit) aliquando diaboli impulsu quisquam pervasor ac tyrannus sacrum locum minuere ac impugnare præsumserit, ubi * à Deo concessæ potestatis sententia & anathematis percussus verbere complere non audeat. Si quid verò sinistræ partis oriri inibi compertum fuerit, auribus summi Pontificis [c] potiùs deferatur, quàm per alicujus occultam sententiam sanctus locus injustè depravetur. Ipsum ergo locum, quem regia

* f. id

[a] Spelmannus observat hîc mendum, quòd Offa iste non Anglorum, sed Saxonum orientalium Rex fuerit, Romam profectus anno DCCIX.

[b] Simile huic instrumentum Egwini de conditione Eoveshamensis Monasterii proferunt Clemens Reinerus, Monasticon Anglicanum, Spelmannus & Bollandus; librum nonnulli appellant.

[c] Romano Pontifici non erat tunc temporis singulare *summi Pontificis* nomen.

potestas regiæ libertati donavit, & nos auctoritate Dei, & Sanctorum Apostolorum, & nostrâ donamus; ut nullus cujuscumque ordinis homo, hoc quod constituimus, depravare, aut minuere præsumat. Qui hoc destruxerit, aut malè contaminaverit, sit ille maledictus: qui verò servaverit & adauxerit, benedictionibus repleatur. Scripta est hæc Epistola anno gratiæ DCCIX, in Ecclesia Salvatoris Lateranensi, præcipiente & confirmante Constantino apostolicæ sedis Antistite, adstantibus & confirmantibus Regibus Angliæ Kenredo & Offa, rogante venerabili viro Egwino Episcopo, coram pluribus Archiepiscopis & Episcopis, Principibus & nobilibus diversarum provinciarum, cunctis acclamantibus: Laudamus, concedimus, & confirmamus. † Ego CONSTANTINUS Romanæ sedis Episcopus, per signum sanctæ crucis has donationes & libertates confirmavi. † Ego EGWINUS humilis Episcopus confirmavi. † Ego Rex KENRED corroboravi. † Ego Rex Offa consensi.

CIRCA ANNUM DCC XVII. DCC. XXX.

12. Et consecrato loco per S. Wilfridum Episcopum, idem Wilfridus [a] & Egwinus coram omnibus sic locuti sunt: Domine Deus qui in cælis habitas & omnia creasti, conserva illum qui locum istum pacificabit & conservabit. Nos etiam præcipimus in Dei omnipotentis & omnium virtutum cælestium nomine, ut nec Rex, nec Principes, nec ullius ordinis homo locum istum sanctum diminuat: sed sit, ut optamus, gregibus & Dei pastoribus murus bene dispositus in potestate proprii Abbatis, secundùm Regulam Dei & S. BENEDICTI. Si autem (quod absit) aliquis avaritiæ spiritu evertere velit, judicetur ante tribunal Dei, & numquam in Christi veniat memoriam; sed nomen ejus deleatur in æternum de libro viventium, & ligetur æternarum pœnarum nodis in inferno, nisi in hac vita pænitens emendet. Hujus Ecclesiæ dedicatio facta est anno gratiæ DCC. XIV.

Ecclesia dedicatur, anno 714.

13. Cœpit deinde vir Dei Egwinus, omissis regalium negotiorum curis, ad contemplativæ vitæ statum se conferre, virtutibus & miraculis coruscare, curas mundi postponere, damna rerum temporalium simplici animo tolerare, sacris lectionibus insistere, vigiliis & abstinentia venerabile corpus suum castigare. Erat enim iste Egwinus Episcopus Confessorum sanctissimus, humilis in habitu, in sermone jocundus, in prædicatione devotus, verax in judicio, in moribus venerabilis, in orationibus pervigil, in lectione assiduus, in affectu pius, multis etiam miraculis fulgens. Nam inter lacrymas & singultus, quos die ac nocte indesinenter omnipotenti Deo fundebat, sæpe Angelorum visionibus demulcebatur, & alloquiis, & aliorum Sanctorum, qui de hoc sæculo excesserant, continuis consolationibus refovebatur.

Egvvinus omni cura posthabita studet rebus divinis.

14. Beatissimam verò Mariam Domini nostri JESU-CHRISTI genitricem toto affectu & spiritu, toto corde & amore amplexabatur, ut numquam à memoria ejus excideret, numquam in verbis ejus deesset. Cujus visitatione & consolatione Dei servus Egwinus sæpe recreatus, omnia quæ mundi erant omittebat, & ea quæ Dei erant indesinenter exercebat: miseris condolebat, pauperes recreabat, esurientes pascebat, & cetera pietatis opera indesinenter adimplebat.

B. Mariæ devotus cultor,

15. In diutinam tandem infirmitatem decidens, non cessabat die ac nocte à divinis quidem laudibus, necnon canticis spiritualibus: & quod per se minùs poterat, per alios complere faciebat. Curam pauperum & peregrinorum ante omnia procurabat: multis etiam infirmitatibus cum invocatione nominis sanctæ Trinitatis salutem impendebat, tactu manuum.

[a] An magnus Vilfridus Ebotacensis Archiepiscopus? qui obiit IV Idus Octobr. anno DCC IX. Neque enim aut Vvilfridus junior ejusdem sedis regimen, aut Vvilfridus Egvvini successor Vvicciorum sedem tum obtinuerant.

CIRCA AN. DCCXVII. DEC. XXX.

suarum dolores expellens, & ab obsessis corporibus dæmones effugans. Sanctus itaque Egwinus cùm à primævo juventutis flore semper usus fuit cilicio, nunc in cinere jacens asperrimo, ad carnem nudam indutus erat * trogulo; ipsam debilitatem & infirmitatem carnis suæ corporali maceratione & jejunio devincens.

* id est cilicio oblongiori.

Castrum ob spretam ipsius prædicationem hiatu absorptum.

16. Cùm enim B. Egwinus operibus caritatis totus effluerct, maximè tamen prædicationi operam dedit. Erat namque juxta Eovesham ad octo miliaria castrum *Alvecestre* *, regale tunc mansum, cujus loci habitatores quanto rerum opulentiâ & temporalium abundantiâ affluebant, tanto magis gulæ & luxuriæ dediti; studentes avaritiæ & cupiditati, misericordiâ Dei se indignos efficiebant. Ad hunc locum accedens B. Egwinus, prædicavit illis regnum Dei: sed gens absque consilio & sine prudentia, & cervicis duræ, nec adsueta vitia relinquere, monitis illius nolebat adquiescere. & cùm castrum illud velut nemoribus undique consitum, conflandi ferrum locus esset aptissimus, & fabris & ferri excusoribus maximè repleretur; gens incredula incudes malleis ferreis tanto strepitu continuò percutiebat, ut beati viri sermo non audiretur, & à castro recedere cogeretur. Beato igitur viro castro exeunte, præ concussione, immo confusione malleorum & incudum adhuc tinniebant ambæ aures ejus, & levatis oculis in cælum, flexis in terra genibus, contra artem fabrilem illius castri Dominum deprecatus est. Et ecce subitò castrum ipsum terra absorbuit, ita quod novo super vetere qualitercumque reædificato, usque in hodiernum diem in constructione novarum domorum in fundamentis antiqua ædificia reperiuntur. numquam enim postea in loco illo aliquis artem fabrilem rectè exercuit, nec aliquis eam exercere volens ibi vigere potuit.

Ipse facta ad suos oratione moritur.

17. Cùm autem ad extremum vitæ pervenisset, convocatis Monachis & filiis quos Deo genuerat, ait: Viri fratres, apud vos nec pudet vixisse; feci enim quod potui, quamvis omnino exiguum sit quod feci. Quid agere, & à quibus vos oporteat declinare, dixi: quibuscumque modis dicendum esse existimavi. Ostensâ igitur rectitudinis viâ precor ut gradiamini, nec vos decipiat præsentis umbra felicitatis: fugit enim, & numquam in eodem statu permanet. Ipse qui est via, veritas, & vita, viam iniquitatis à vobis amoveat, viam suarum justificationum vos instruat. Sicque plenus virtutibus circa annum Domini DCCXX, tertio Kalendas Januarii migravit ad Dominum, & in Monasterio quod à fundamentis construxerat, sepultus est.

Perjurus dat pœnas.

18. Post ejus obitum multa Deus miracula pro ipso operari dignatus est. Rusticus quidam partem terræ S. Egwini surripuit: & cùm Judices sanxissent ut certo die veniret, & terram illam suam esse juraret, pulverem de domo sua sumsit, & * sotulares implevit, ut tutè jurare posset, quòd super terram suam staret. Cúmque super Reliquias S. Egwini juratus manum porrigeret, ferro falcastro quod in manu gestabat, nescio quo casu in cerebro percussus, subitò ad terram mortuus ruit, & vitam cum terra coram omnibus amisit.

* id est calceos

Item alius.

19. Cùm alius quidam terram S. Egwini invadens possideret, Judicum sententiâ decernitur, ut manu propria super Reliquias S. Egwini jurando terram adquireret: erat enim vir ille grandævus, & barbâ prolixâ barbatus. Adsurgens ergo barbam propriam concludit palmo: Per istam, inquit, barbam mea est terra, & ego eam possidebo jure hereditario. Vix emiserat verbum;

* Castrum ad Alnum fluvium in confiniis Eoveshamii, in quo habita Synodus generalis ex mandato Constantini Papæ, suprà. Lege Spelmanni tomum 1 Conc. ad ann. 709.

&

& ecce totam barbam coram cunctis lapsam ita projecit ad terram, acsi apposita esset, non naturaliter nata. Sic qui alienam terram injustè invasit, jure cum ipsa terra barbam propriam perdere meruit. CIRCA AN. DCC XVII. DEC. XXX.

20. Londoniensis Episcopus ELFWARDUS [a], cùm in mari orta tempestate maxima naufragium pæne pateretur, invocato S. Egwini suffragio subitò sedatur tempestas, & tranquillitate mari reddita ad portum optatum cum gaudio pervenit. Tempestas sedata.

21. Juvenis quidam à nativitate mutus, pro salute recuperanda Romam pergens, tribus annis ibi mansit. Et ecce nocte quadam albis vestibus quidam indutus sibi apparens, dixit: Redi festinus ad terram tuam, & ad sepulcrum S. Egwini, si volueris, sanitatem consequêris. Quò cùm pervenisset, solutis quidem vinculis linguæ apertè loquendo verba protulit. Muto vox reddita.

22. Ante Nortmannorum adventum in Angliam, tanta miraculorum frequentia Monasterium S. Egwini illustravit, ut omni fere die sabbati aliqua infirmitate vel molestia detentus gratam per S. Egwinum medelam æger quispiam reportare mereretur. Miracula S. Egwini frequentia.

23. Monachus quidam Conventrensis, nomine Sperculfus, solitus erat Monasterium S. Egwini in Sanctorum festivitatibus frequentare, in orationibus pernoctare. Is cùm in quodam festo S. Egwini more solito in Ecclesia ejusdem Sancti nocturnas vigilias in vigiliis & orationibus præoccuparet, admirabilem visionem oculis corporis videre meruit. Vidit enim primò lumina divinâ virtute exstincta, & Ecclesiam paullatim superna luce illustratam, & incredibili fulgore irradiatam. Cúmque ad hoc spectaculum territus animum & oculos convertisset; conspicit processionem maximam sanctorum spirituum advenientem, in qua quidam pueri luminum portitores cum candelabris præcedebant, dehinc ephebi sequebantur; post quos seniores venerandâ canitie nitentes secuti sunt. Hi omnes albis stolis induti mirum spectaculum præbuere. Post hos quidam pontificalibus indutus advenit, quem dextrâ lævâque bini seniores deducebant. Accedentes ergo ad altare S. Egwini Matutinas cantare cœperunt. Mira res! Missa incipitur, ac mirabili dulcedine decantatur: quâ completâ, sicut intraverat totum illud collegium, sicut antè procedendo egressum est.

24. Cùm idem Monachus quadam nocte in Ecclesia Dei Genitricis in eodem Monasterio, in illius festo vigilans pernoctaret, janua clausis, cum inæstimabili claritate & decore conspicit simili modo processionem venientem, sanctúmque Egwinum gloriosam Dei genitricem Virginem MARIAM deducentem. Pervenientes igitur ad altare beatæ Virginis MARIÆ, venerandus Pontifex Egwinus post Matutinas honestissimè decantatas, Missarum sollemnia exorsus est. Monachus verò qui hæc vidit, stupefactus intra se dixit: Quid est hoc? num sensum perdidi? nonne hîc quidam sunt, quos diu ex hac luce subtractos intelligo? Et accedens secretò ad quemdam, quæ esset cui Missa decantaretur, inquirit. Et ille: Tace, num ignoras dominum nostrum S. Egwinum beatæ Dei genitrici & semper Virgini MARIÆ sacrum mysterium celebrantem? Itaque Missa completa duo Episcopi cæli Reginam dextrâ lævâque adsumentes, eodem ordine quo intraverant cum processione regressi sunt.

[a] Elfwardus seu Alwordus, anno M XIV factus Abbas Eoveshamensis, pòst Episcopus Londoniensis, decessit anno M XLIV.

Circa An. DCC XVII. Dec. XXX.

FRAGMENTUM ALTERIUS VITÆ,

Scriptæ à BRITWALDO Wintoniensi Episcopo sæculo XI.

Ex Francisco Godvvino de Episc. Vvigorn.

1. EGWINUS, regali ortus prosapiâ, Wigorniensis patriâ, temporibus Adelardi & Kenredi Regum Merciorum fit Wigorniensis Episcopus: unde paullo pòst ejectus est. Romam profectus, à Papa (coram quo Missas sollemniter celebravit) Episcopatui restituitur. *Et paullo pòst.*

2. Post reditum à Roma impetravit locum, qui Æthamne dicitur, & postea Eovesham à nomine cujusdam bubulci (Eoves) B. Egwini, qui in silva quadam porcam perditam & septenum fetum parituram invenit. Ab illo igitur omine locus Eovesham dicitur, & Monasterium nomen inde tulit. Sed primò Ethelredus Rex reddidit ei antiquum Monasterium *Fledamburch*, quod Egwinus dedit subregulo provinciæ Huicces pro alio Cœnobio, quod *Stradford* dicitur. Paullo pòst ab OSWARDO Regis fratre alias Egwinus terras obtinuit, videlicet 30 mansas apud Twiford. Pòst Kendred affinis Egwini dedit ei 48 alias mansas in ambitu loci qui Cotham dicitur.

3. Deinde Romam proficiscitur cum Offa & Kenredo ad impetranda pro Monasterio suo privilegia. Quibus impetratis in Angliam redierunt, & congregata Synodo generali in loco qui Alne dicitur, cui' interfuerunt Berthwaldus Cantuariensis & Wilfridus Eboracensis, donationes illæ omnes confirmatæ sunt, misso Wilfrido ad locum consecrandum. Quo facto Egwinus ibi Benedictinos Monachos constituit. Postea obiit III Kalend. Januarii.

EPITAPHIUM S. EGWINI.

RUPE sub hac vili tegitur vir summus, & urnâ
Clauditur angustâ, quem subvehit alta per orbem
Veri fama volans. Genus hic spectabile duxit,
Et mores habuit præclaros, magnáque gessit.
Ecclesiam fecit, quam nunc dicunt Eovesham:
Ditavit terris, & multa nobilitavit
Libertate locum. qui Regni jura tenebat,
Omnimodam scripsit, subscripsit Curia Regis:
Et qui Romanam sedem tunc fortè regebat,
Confirmavit eam, proprio testante sigillo.
Vitâ migravit cùm Solis per Capricornum
Tertius ac decimus [a] medians exsisteret ortus.

Sepelitur in Monasterio quod exstruxit. Temporibus verò Edgari Regis, sub Abbate Oswardo, Ecclesia de Eovesham constructa ab Egwino corruit.

[a] Locus obscurus. Bollandus explicat diem tertium Januarii. quod ita est, si Auctor ingressum Solis in signum Capricorni reponat ad diem 21 Decembris. At cùm in utraque Vita & in libro Abbatum Eoveshamensium in observatione prævia citato Egvvinus obiisse dicatur *tertio Kalend. Ianuarii, anno gratiæ* DCC XVII, huic calculo subscribere præstat. Egvvinus in sede Vvicciorum seu Huicciorum successorem habuit Vvilfridum, de quo Beda in Hist. Angl. lib. 5 cap. ult.





VITA S. RUDBERTI EPISCOPI SALTZBURGENSIS IN BAJOARIA,

ANN. CHR. DCC XVIII. MARTII XXVII.

Auctore anonymo, qui non longè ab ejus tempore vixit.

Ex Tomo 2 antiq. lect. Henrici Canisii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Tametsi S. Rudbertus, quem antiqui etiam Hrodbertum *&* Ruodbertum *seu* Rodbertum, *recentiores* Rupertum *ac* Bajoariorum Apostolum *vocant, nusquam in variis Actis* Monachus *appellatur: non tamen sine causa in tabulis Benedictinis locum habet, is scilicet quem monastica, immo Benedictina Religionis propagatorem eximium fuisse constat, quin & alumnum, infrà. De ejus gestis quinque omnino habentur lucubrationes. Henricus Canisius quatuor edidit, unam in tomo 2, alias in tomo 6 antiquarum lectionum: quinta exstat in tomo 3 Martii Bollandiani. Prima Canisiana, quæ quidem compendiosior est, videtur esse primarii Auctoris, quem alii postea expolire & amplificare studuerunt. Eam proinde aliis prætulimus, quæ interpolamentis valde incertis aucta sunt; addituri vice commentarii S. Rudberti Elogium historicum, ut ex variis hinc inde fragmentorum historicorum laciniis ejus Acta quò fieri poterit integriora exhibeamus.* Vitæ plures.

1. Tempore igitur Hildiberti Regis Francorum, anno scilicet regni ejus secundo, honorabilis Confessor Christi Rudbertus in Wormatia civitate Episcopus habebatur. qui ex regali progenie Francorum ortus, catholicæ Fidei & evangelicæ doctrinæ totius bonitatis nobilissimus refloruit doctor. Erat enim vir simplex, pius, justus, in judicio providus, in consilio prudens, in sermone verax, strenuus in actu, conspicuus in caritate, in universa morum honestate præclarus. Ita innumerabiles ad ejus sanctissimam convenerunt doctrinam, & ab eo æternæ salutis documenta susceperunt. Rudbertus Francus, Vvormatiæ Episcopus,

2. Cúmque fama sanctæ conversationis illius longè latéque crebresceret, pervenit ad notitiam cujusdam Ducis Bavariæ regionis, nomine Theodo *, qui supradictum virum Dei enixis precibus, prout potuit, libentissimè rogare studuit per missos suos, ut Noricam provinciam visitando sacrâ illuminaret doctrinâ. Unde prædicator veritatis divino compunctus amore adsensum præbuit, primò suos dirigens legatos, posteà verò ad Christi gregem lucrandum per semetipsum venire dignatus est. Hoc audiens præfatus Dux, magno perfusus est gaudio; obviámque illi cum suis pergens, sanctum virum evangelicúmque doctorem cum omni honore & dignitate suscepit in Ratisbona civitate. Quem vir Domini cœpit de Christiana conversatione admonere, & Fide catholica imbuere; ipsum non multo pòst & multos alios istius gentis nobiles atque ignobiles viros ad veram Christi Fidem convertit, sacróque baptismate regeneravit, & in sancta corroboravit Religione. in Bajoaria rem Christianam promovet. * al. Dieto seu Thieto

3. Præfatus itaque Dux sancto viro concessit licentiam locum aptum eligendi sibi & suis, ubicumque eis placeret in hac provincia ad Episcopii sedem, & Ecclesias Dei construere, & cetera ad ecclesiasticum habitaculum perficere. Tunc supradictus vir Domini acceptâ licentiâ per alveum Episcopatûs sedem quærit.

Ann. Chr. DCCXVIII. Martii XXVII.

Danubii usque ad fines Pannoniæ inferioris spargendo semina vitæ, navigando iter arripuit: sicque tandem revertens, ad Laureacensem pervenit civitatem, multósque ibi infirmos variis languoribus oppressos orando per virtutem Domini sanavit, & veræ Fidei plures inibi sociavit. Deinde arrepto itinere pervenit ad quemdam locum qui vocatur Walarium, ubi exit Vischaha de eodem lacu: ibique Ecclesiam in honore S. Petri principis Apostolorum construxit & dedicavit. Hoc facto præfatus Dux Theodo tradidit ad ipsam Ecclesiam eumdem locum, & primitus ibidem in circuitu aliquas proprietatis possessiones ei tribuit.

Juvavi sedem locat episcopalem, * al. Juvarum

4. Postea verò ad notitiam venit sancto Pontifici Rudberto, esse locum juxta fluvium Warum *, antiquo vocabulo Juvavensem vocatum, ubi antiquis temporibus multa fuerunt mirabiliter constructa ædificia, & cuncta pæne dilapsa silvísque cooperta. Hoc audiens vir Domini, propriis cupiens prospicere oculis quid inde ipsius rei veritas haberet; propter fidelium animarum lucrum, divina disponente gratia, cœpit Theodonem rogare Ducem, ut ipsius potestatem loci tribueret ad expurganda loca, & ecclesiasticum, prout ei libitum foret, ordinaret officium, & Episcopii ibi sedem statueret. Quod ipse Dux consensit, tribuens in longitudine & latitudine de territorio super duas leugas possessiones, ut ei faceret quid ei placeret ad utilitatem istius sanctæ Ecclesiæ. Tunc vir Domini ista cœpit renovare loca, primò Deo formosam ædificans Ecclesiam, quam in honore S. Petri principis Apostolorum dedicavit, ac demum claustra cum ceteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter construxit: postea verò delegato sacerdotali officio omnem ibidem quotidie Cursum * congruo ordine fecit celebrari.

constructo Monasterio. * id est Officium divinum. Reversus in patriam, socios inde secum reducit. Erndrudi Parthenona condit.

5. Tunc prædictus doctor Rudbertus cupiens aliquos adipisci socios ad doctrinam evangelicæ veritatis, propriam repetivit patriam: iterúmque cum duodecim revertens discipulis, secúmque virginem Christi nomine ERNDRUDEM adducens. quam in superiori castro Juvavensium statuens, ibidémque colligens congregationem Sanctimonialium, & earum conversationem rationabiliter, sicut deposcit Ordo canonicus, per omnia disposuit.

6. Ipse quoque assiduè totum istius circuïens solum patriæ, confirmans animas Christianorum, admonénsque in fide fortiter permanere; quod verbis docuit, operibus adimplevit mirificis. Ubi constructis consecratísque Ecclesiis, ordinatísque inferioribus & superioribus gradibus, proprium sibi ordinavit successorem. Ipse verò præsciens longè antè diem vocationis suæ, confirmatis discipulis ad propriam remeavit sedem: ibique adstantibus admonitione divina peracta Fratribus, inter verba orationis reddidit spiritum in pace, die videlicet resurrectionis Domini nostri JESU-CHRISTI. Ad cujus sepulcrum exuberant innumera beneficia curationum cunctis fideliter petentibus usque in hodiernum diem, per eum qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Successore designato obit.

* Quæ sequuntur apud Canisium, alterius videntur Auctoris, inferiùs examinanda.

ELOGIUM HISTORICUM.

Auctores examinantur.

1. *ANTEQUAM S. Rudberti res gestas ex diversis in unum conferamus, juvat de ejus Vita Scriptoribus pauca adnotare. Quinque omnino superiùs enumeravimus. primum, qui quidem antiquior videtur, hactenus exhibuimus ex Canisii tomo 2. Illud ejus antiquitatem probat, quòd & compendiosior sit ac simplicior, ejúsque verba ac sententias alii Auctores adhibeant & amplificent. Auctores alii tres exstant in tomo 6 Canisiano. Unus quidem*

pag. 1038, qui pauca habet à primario Scriptore diversa. Alter qui legitur pag. 1107, malè interpolavit antiquam historiam. *sic enim primariam lucubrationem vocat in cap. 1. Nam Rudbertum* ex regali prosapia Francorum Ducúmque Scotiæ originem duxisse antiqua, *inquit*, tradit historia: *cùm tamen in primaria scriptione nulla* Ducum Scotiæ *mentio fiat; sicuti nec Romanarum peregrinationum, quas recentior ille Auctor Rudberto adfingit, immo violentam ejectionem ex sede Vvormatiensi jussu Bertarii Ducis. Postremus Auctor in editione Canisiana pag. 1139 editus, discipulus erat S. Eberhari Saltzburgensis Episcopi, qui anno* M C LXIV *supremum diem absolvit. Istius Auctoris ope nonnullas primarii mendas correximus. Denique Scriptor quintus à Bollandianis sociis ex membranis Rubeæ-vallis excusus, quamquam recentior, nulla fere habet à vero aliena. Nunc horum Scriptorum & aliorum, si qua sunt, testimonia conferamus.* An. Chr. DCCXVIII. Martii XXVII.

2. *De S. Rudberti patria parentibúsque, quando nihil certi succurrit, ariolari non libet. Francus origine fuit, regio sanguine ortus, forsan in ipso Vvormatiæ solo, ubi Episcopus exstitit. Fratrem (si tertio Auctori Canisiano fides est)* TRUDBERTUM *habuit, neptem S.* ERNDRUDEM *seu* Erendrudem, *de qua postea sermo recurret. Vvormatiæ Episcopus erat, proprius, an auxiliaris, priusquam à Theodone invitatus in Bajoariorum partes accessit. Illud movet, cur, si istius civitatis Ecclesiæ addictus erat, tam facilè sedi suæ Bajoariam prætulisse dicitur, ne mentione quidem facta vicarii aut successoris.* Rudbertus Francus, Episcopus,

3. *In Bajoariam profectus est vir sanctus hortatu Theodonis Ducis* anno secundo CHILDEBERTI Regis *Francorum. At cùm tres hujus nominis Reges Francis imperaverint, constétque hîc non intelligi Childebertum seniorem Chlodovei Magni filium; secundo, an tertio id conveniat, disquirendum est.* in Bajoariâ venit,

4. *Qui Rudberti in Bajoariam accessum referunt ad Childeberti secundi annum secundum, Christi* D LXXVII, *(referunt verò fere omnes) facilè ex Paulo Vvarnefridi aliisque Auctoribus fide dignis revincuntur. Rudbertus ex Vvormatia civitate in Bajoariam ivit à Theodone Duce invitatus. Nullus toto Childeberti secundi principatu Dux Theodo vocatus Bajoariis præfuit. Audi Paulum Diaconum in libro 3 de gestis Langobardorum capite 10. Postquam* Sigisbertus Rex Francorum occisus est fraude Hilperici germani sui, Regnúmque CHILDEBERTUS ejus filius adhuc puerulus cum Brunechilde matre regendum suscepit: Evin quoque Dux Tridentinorum accepit uxorem filiam GARIBALDI Bajoariorum Regis, *id est Ducis, nam à Theodorici Chlodovei filii principatu Bajoaria parebat Austrasiorum Regibus, à quibus illi provinciæ imponebantur Duces. Anno* D LXXXIX, Flavius Rex Authari, *inquit idem Auctor cap. 31*, legatos ad Bajoariam misit, qui GARIBALDI eorum Regis filiam Theudelindam sibi in matrimonium peterent. *Iam ergo à Sigiberti Regis nece ad Childeberti ejus filii annum regni* XV, *Christi* D XC, *non Theodo, sed Garibaldus Bajoarios administravit. Paullo post Theudelindæ cum Authario connubium,* TASSILO à CHILDEBERTO Rege Francorum apud Bajoariam Rex, *id est Dux* ordinatus est, *eodem auctore in lib. 4 cap. 7, qui & addit cap. 41.* Mortuo Tassilone Duce Bajoariorum *anno circà* D C X, filius ejus GARIBALDUS in Agunto à Sclavis devictus est. *Ex istis Pauli Diaconi locis manifestum est, toto Childeberti secundi principatu, qui ab anno* D LXXV *ad* D XCVI *excurrit, Bajoariorum Ducem nomine Theodonem fuisse nullum. Quis Garibaldo secundo successerit, incompertum.* Childeberto Rege tertio, quod constat ex serie Ducum Bajoariorum.

5. *Arnolfus ex-Comite Monachus Cœnobii S. Emmerami apud Ratisponam, in lib. 1 de mirac. S. Emmerami cap. 1, plures nobis suggerit Bajoariorum Duces:* DIOTONEM *seu* Theodonem, cui filii in Regnum non successerunt: *item alium* Theodonem, sub quo clarissimus Christi Confessor RUOTPERTUS cum aliis Dei servitoribus Juvavium devenit. *qui* Dux filios habuit

Ann. Chr. DCC XVIII. Martii XXVII.

successores Diotpertum videlicet atque Grimoaldum: post quos Ducatum genti huic præbuit Hucbertus, qui B. Georgio & S. Emmeramo donaverat curtem. Hujus Ducis temporibus beatissimus Præsul Bonifacius ingressus Bajoariam, nonnullos hæreticorum ex ea depulit. Quo Franciam reverso, & præfato Duce defuncto, sub Principe Pippino gentis hujus Ducatum adeptus est Udilo. *Hac ex Arnolfo auctore gravi, qui Henrico Magno Imperatore floruit, ipsámque Ducum seriem ex sui Monasterii monumentis excerpsit.* Udiloni *seu* Otiloni *successit* Tassilo *secundus, ejus ex Chiltrude Carlomanni & Pippini sorore filius, is qui ob violatam Carolo Magno fidem tonsus ac factus Monachus est, uti suo loco dicemus. En Ducum Bajoariorum series, quam Arno Saltzburgensis Antistes, Caroli Magni aqualis, disertè confirmat in Adnotatione seu Indiculo possessionum Ecclesia sua. Theodoni enim qui Rudbertum invitavit in Bajoariam, subjicit Theodbertum Ducem ejus filium; Theodberto filium Hucbertum, Hucberto Otilonem, Otiloni filium Tassilonem. Superest ut probemus Theodonem secundum, quem alii tertium dicunt, sub Childeberto tertio Ducem exstitisse, & Rudbertum in Bajoariam excepisse.*

6. Is qui Rudbertum ad se arcessivit Dux Theodo, filios habuit Theodbertum & Grimoaldum, ex præmissis: isdémque primus Bajoariorum Dux Romam voti causâ profectus est. Bajoariis praerat initio principatûs Childeberti tertii Francorum Regis, & ad pontificatum Gregorii Papa secundi pervenit. Id constat tum ex atate utriusque filii, tum ex Romana ejus peregrinatione. Theodbertus quippe in paterni Ducatûs portionem venit anno DCC V, *quod ex Paulo Vvarnefridi sic conficimus.* Ansprandus vir sapiens & illustris, *cui Chunibertus Langobardorum Rex Liutbertum filium commendaverat moriens; postquam ab Ariperto Regni invasore superatus est,* fugit Clavennam, *inquit Paulus lib. 6 cap. 21.* deinde per Curiam Rætorum civitatem, venit ad Theudebertum Bajoariorum Ducem. *quod regni Ariperti anno primo, Christi* DCC V *contigit, & quidem anno primo Theodberti Ducis. Siquidem Ansprandus post annos exsilii novem,* promoto Theudeberto decimo anno, *è Bajouria in Italiam redisse dicitur in ejusdem libri cap. 35. Et tamen idem Auctor postea cap. 44 scribit, Theudonem Bajoariorum Ducem* ad beatorum Apostolorum vestigia venisse: *quod Anastasius Bibliothecarius refert ad initium pontificatûs Gregorii secundi, nempe ad* Indictionem XIV, *qua anno Christi* DCC XVII *illigatur. Denique Grimoaldus Theodonis filius eodem fere tempore S. Corbinianum excepit, ut inferiùs in ejusdem Sancti Actis videbimus. Hucbertus Theodberti filius jam Dux in solidum erat anno* DCC XXV, *quo à Carolo Francorum Principe devictus est, teste Adone. S. Bonifacium excepit anno* DCC XXXII, *eumdémque anno* DCC XXXVIII *Otilo seu Odilo Dux: cui Tassilo filius successit anno* DCC XLVII, *uti suo loco probabimus.*

7. Ex his tandem inferre necesse est, Rudbertum à Theodone Duce invitatum in Bajoariam venisse Childeberti Regis, *non secundi, sed tertii* anno secundo, *qui cum era Christiana anno* DC XCVI *convenit. Hac fusiùs persequi opus erat, ut nova sententia fundamenta solidiùs adstruerentur. Ad ordinem revertor.*

An Bajoarios convertit.

8. *Rudbertus in Bajoariam exceptus,* Theodonem Ducem & multos alios istius gentis nobiles atque ignobiles viros ad veram Christi Fidem convertit & baptizavit. *Mirari subit, cur per Rudbertum ad Fidem Christi conversi dicantur Bajoarii, quos ad Christiana vita præscriptum vixisse jam à Theodorici senioris Austrasiorum Regis principatu, ex legibus Bajuvariorum intelligitur. Porro cùm illius gentis Duces ab Austrasiorum Regibus Christianis constituerentur, istos Duces è paganorum classe electos ab istis Regibus fuisse, parum simile veri est. Et forsitan*

non à ritibus paganorum, sed ab hæreticorum erroribus per B. Rudbertum liberatos Bajoarios dicere convenit. immo si quis plerosque eorum in idololatriam relapsos fuisse per extremorum Regum Francorum incuriam dicat, is fortè à vero non aberrabit. Certè Arnolfus jam citatus in lib. 1 cap. 1 scribit, Noricis quia nuper Christianitatem acceperant, sese immiscuisse hæreticos, *Bonosiacos fortasse & Fotinianos*, qui ut in aliis regionibus facere consueverant, fas ibi nefásque confuderant. *Et S. Bonifacius Martyr in Germaniam missus,* injungebat Christianos denuo baptizari, quòd fuerit in eadem provincia Sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens Latini eloquii infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria, *&c. quamquam Bonifacius à Zacharia reprehensus hac de re est. Potuit ergo ob similes aliásve causas Rudbertus Theodonem Ducem alióśque provinciales, seu in idolorum cultum elapsos, seu ab hæreticis non legitimè baptizatos sacris aquis intingere.*

ANN. CHR. DCC XVIII. MARTII XXVII.

9. *Perlustrato agro Laureacensis civitatis, vulgò* Lorch, *quæ olim Norici metropolis ad Anasum flumen, Rudbertus venit* ad locum Juvavum *seu* Juvavensem *dictum*, juxta fluvium Juvarum, *aliis Vvarum appellatum: ubi* ædificavit Ecclesiam in honore S. Petri & claustra cum ceteris habitaculis Clericorum, *id est Monachorum: &* ibidem quotidie Cursum, *seu officium divinum* congruo ordine fecit celebrari. *Celebre etiamnunc est S. Petri Monasterium Ordinis S. Benedicti in urbe Iuvavensi, nunc Saltzburgo dicta ad Saltzam fluvium, qui olim Iuvarus seu Vvarus vocabatur. Istic insignis Universitas, quam Monachi Benedictini hactenus regunt. Monasterium diu nobilitatum est sede Episcopali, immo Archiepiscopali, quæ tempore Caroli Magni Laureaco istuc translata est, Monachis cathedralem S. Petri Ecclesiam semper, Abbatibus plurimùm Archiepiscopalem sedem occupantibus, ut patet ex Vita S. Thiemonis seu Theodamari Archiepiscopi Saltzburgensis, referendâ Seculo VI Benedictino: donec Conradus* de Abensperg *Archiepiscopus cathedram ab Ecclesia S. Petri in S. Rudberti Basilicam à B. Virgilio exstructam transtulit anno MCX, S. Rudberti Basilicâ Canonicis attributâ, qui tamen in hodiernum usque diem Monachis S. Petri digniorem locum cedunt. De ista S. Petri Ecclesia primaria intelligendus Albinus Flaccus in Epigrammate 224.*

Episcopalem sedem in Monasterio S. Petri erigit.

Claviger ætherius portas qui pandit olympi,
Petrus Apostolico præclarus maximè princeps,
Protegat hanc aulam Christo donante per ævum.
Quam Pater egregius HRODBERTUS fecerat olim,
Ut foret altithrono laus, gloria semper in illa:
Septies inque dies laudes ubi dicere Christo
Conveniunt pariter devoto pectore Fratres.

Idem Albinus seu Alcvvinus sanctissimis Fratribus Juvavensis *Ecclesiæ inscribit epistolam 78, in qua monet, ut ne* Monachus suam faciat voluntatem, & murmurationis malo insolescat. *in fine iisdem Fratribus adprecatur beatitudinem,* intercedente B. Hrotberti aliorúmque Patrum societate pro eis. *Ex quibus intelligitur,* Clericorum *nomine in Vita accepto, uti aliàs sæpius, Monachos significari, & quidem Benedictinos. Sic enim Eugenius Papa III in litteris Monachis ejusdem Cœnobii concessis statuit,* ut regularis Ordo qui secundùm Deum & B. BENEDICTI Regulam per S. Rudbertum quondam vestrum Abbatem & Episcopum Saltzeburgensem in eodem loco introductus & institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. *Colligimus etiam Rudbertum ipsum fuisse Monachum, ut qui se Monachorum patronum & Abbatem tulit. tametsi id in medio relinquit Auctor tertius à Canisio editus, cujus hæc verba cap. 14.* Claustra Monasterii cum ceteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter construxit in eodem loco, ubi postea sacellum in honorem sanctæ Crucis exstructum est, &

ANN. CHR. DCC XVIII. MARTII XXVII.

usque hodie Spelunca S. Rudberti appellatur, inibíque non paucos disposi-tos Monachos qui die ac nocte laudes Deo canerent instituit, additâ Regulâ S. Benedicti, quâ Monachi integrè & sanctè viverent. Verùm fueritne hic sanctissimus Pater Monachus, haud satis constat.

E patria adducit socios 12,

10. *His peractis, vir sanctus* cupiens aliquos adipisci socios, propriam repetivit patriam, *an Vvormatiæ solum*: iterúmque cum duodecim revertens beatis discipulis, secúmque virginem Christi nomine Erndrudam adduxit, *quam Parthenoni à se* in superiori castro Juvavensium *constructo præfecit*, & earum conversationem rationabiliter, sicut deposcit Ordo canonicus, per omnia disposuit. *Aventinus in lib. 3 de reb. Boiorum, Rudberti socios his nominibus appellat*, Gisolarium, Domingum, Maternum, Dignulum, Chunaldum, Isenardum, Gerardum, Ariofridum, Vitalem, Ratharium, Erchanofridum; *quibus Colganus addit* Erenfridum. *ex quibus* Vitalis, Chunaldus *seu* Chunialdus *vel* Conaldus, *&* Gizolarius *seu* Gilizarius *sancti habentur. Certè in litteris Leonis Papæ tertii apud Hundium in Metropoli Saltzburgensi relatis*, in Ecclesia Juvavensium quæ & Petena nuncupatur, quæ in honore B. Petri principis Apostolorum venerabiliter est constructa, requiescere *dicitur* corpus sacri Pontificis Rudperti, unà cum venerabilibus suis sodalibus, scilicet Chunaldo & Gisilario, quorum corpora ibidem à Fidelibus honorantur. *De Vitali infrà.*

Erndrudem etiam neptem,

11. *In B. Erndrudem variant sententiæ. alii S. Rudberti sororem falsò, alii neptem veriùs dicunt. Arno Saltzburgensis Antistes id probat* in Adnotatione, *ut vocat, jussu Caroli Magni à se edita*, de hoc quod traditum est ad Episcopium B. Petri quod constructum est infra opidum *Salzburg* in pago Labaocensium super fluvium Igonta, qui alio nomine Salzaga vocatur, ubi & domnus Rodbertus Episcopus atque Confessor unà cum sociis corpore requiescit. *Cui Adnotationi seu indici addit enumerationem bonorum, quæ à Theodoberto Duce collata sunt* Monasterio puellarum, quod constructum est in honore sanctæ Dei genitricis Virginis MARIÆ juxta ipsum Episcopium in castro superiore, quem * domnus Hrodbertus Episcopus ac Confessor primùm ædificavit, quem & *Saltzburg* appellavit, in quo & NEPTIAM SUAM Christi famulam ERNDRUDAM constituit cum aliis puellis, in quo honorificè requiescit. *Perstat etiamnunc isdem Parthenon* Nunberga *seu* Nunnarummons *appellatus. Lege Hundium parte 2 Metropoleως, ubi Cœnobium istud antiquitus* Cellam *dictum, sub Henrico II Imperatore ait restitutum. De S. Erndrude infrà.*

* quod Monasterio præfectam.

Cellam aliam construit.

* al. Bongau

12. *Ad hæc Rudbertus in eodem Arnonis Indiculo* Cellam S. Maximiliani in loco PongaWi*, *favente Duce Theodone ædificasse dicitur. Rem sic ab Arnone accipe.* De cella verò S. Maximiliani ita contigit ut construeretur ab initio. Ibant duo fratres in locum qui dicitur Pongawi, nomen unius Tonazanus, & alterius nomen Urso, in venatione & ad aurum faciendum. Et viderunt illic multa luminaria pluribus noctibus, & alia signa multa: & venientes ad domnum Hrodbertum Episcopum dixerunt ei quod ipsi ibi viderunt, & ipse pergens cum eis vidit ibi similiter. Tunc quoque perrexit domnus Hrodbertus ad Theodonem Ducem, & dixit ei ipsa miracula, rogánsque eum licentiam sibi dare, ut cellam ibi construeret. & ita Dux Theodo ei licentiam dedit. Veniénsque domnus Hrodbertus iterum ibidem cum hominibus suis & cum prædictis fratribus, cœpit ibi stirpare, & locum mundare, & Oratorium facere. Facto autem Oratorio venit iterum ad Theodonem Ducem, & rogavit eum secum ibi venire. Venientes autem ibidem, domnus Hrodbertus consecravit ipsum Oratorium, & Theodo Dux tradidit ipsum locum ad S. Petrum ad *Saltzburg* Monasterium, & ex omni parte miliarios tres: & ipsi

psi prædicti fratres cum licentia & cum consensu Theodonis Ducis tradiderunt ibidem omnem rem eorum quamcumque habebant, & nepotes eorum commendaverunt ad discendum & ad tendendum ad Saltzburg Monasterium. nomen unius Wrmhari, & alterius nomen Cissimo. Sed domnus HRodbertus misit ibidem suos Monachos ad officium Dei faciendum, & ad ipsamCellam faciendam. Cùm autem Wrmhari & Cissimo litteras didicerunt, cœperunt rogare domnum HRodbertum, ut medietas Episcopi rei quam parentes eorum ibidem tradiderunt, eis ad usum fructuarium præstaretur usque ad obitum eorum. Et ita fecit domnus HRodbertus. Illam aliam medietatem jussit servare ad S. Petrum: ipsi autem suis nepotibus illam aliam medietatem complacitabant usque ad obitum eorum. Et ita inde fuit hoc in beneficio de Monasterio Saltzburg usque ad tempus Oddonis Ducis. *Auctor tertio loco à Canisio editus addit cap. 16.* Huic *Cellæ* Theodebertus Dux Bavariæ, filius Theodonis præmemorati, fundos adjecit, quorum proventibus Monachi quos S. Rupertus inibi collocaverat, uterentur. Verùm post obitum viri Dei Sclavi ex Carinthia venientes, qui nondum baptismi characterem susceperant, Monasterium præfectum despoliaverunt, ejectis etiam atque disturbatis Fratribus. Sicque locus ille usque ad tempora S. Virgilii Episcopi mansit desolatus. Is divino compunctus honore & amore, cœpit Cellam S. Maximiliani diligere, & in amorem Dei renovare & ampliare, congregaríque iterum inibi fecit Clericos, *id est Monachos, ut legenti patet*, & Deo servientes. Quonam autem modo evenerit, ut jam secundariò desolatus exsistat, compertum non habemus. ANN. CHR. DCC XVIII. MARTII XXVII.

13. *Post hæc aliáque patrata, Rudbertus designato successore*, inter verba orationis reddidit spiritum die Resurrectionis Domini nostri JESU-CHRISTI. *Scriptores antiqui diem dominicam non rarò* diem Resurrectionis Domini *appellant. at diem Paschæ hoc loco interpretantur Auctores alii qui de S. Rudberto scripsêre. Cùm ergo Rudberti in Bajoariam accessus anno Domini* DC XCVI *constitutus à nobis sit, constétque ex tabulis Saltzburgensibus eumdem obiisse* VI *Kalend. Apriles; ejus obitus illigandus est anno Christi* DCCXVIII, *quo Pascha in eum diem incidebat.* Moritur die Paschæ.

14. *Miraculis ad S. Rudberti tumulum crebrescentibus*, anno Incarnationis Domini DCCXVII. *ut legitur in tomo 6 Canisii pag. 1171*, Virgilius Episcopus cœpit ædificare Ecclesiam miræ magnitudinis apud *Saltzburg* Indict. VII. Anno *verò* DCC LXXIII dedicata est primò Ecclesia S. Rudberti à S. Virgilio Episcopo anno XXVI regni Tassilonis Ducis. Eodem anno transtulit idem Episcopus S. Rudbertum & duos ejus Capellanos B. Kunialdum atque Gisilarium, nempe VIII Kalend. Octob. quæ dies officiis dedicationis Ecclesiæ intantum occupata est, ut huic celebrationi ejus plenè nequeat deservire: & dies transitûs ejus VI Kalend. April. die Resurrectionis dominicæ propter officia Quadragesimæ vel officia Paschæ rarò sic, ut dignum est, contingit celebrari. Ideo postera dies, id est VII Kalend. Octobris illi consuetudinaliter inofficiatur atque vacatur, sed intra urbem illam tantùm; *dies verò sequens per totam diœcesim.* Ex qua consuetudine Translationem ejus quidam causæ ignari, in diem eumdem, *scilicet* VII *Kalend. Octob.* transscripserunt, sicut in quibusdam Martyrologiis habetur. *In quadam Synodo Saltzburgensi anno* MCCLXXIV *habita hoc statutum legitur in tomo 6 Canisii.* Patres nostros venerabiles & Patronos venerabiliter honorandos, scilicet Rupertum, Virgilium & Augustinum, honoribus debitis, nostræ humilitatis obsequiis venerantes, dies festorum suorum celebres esse volumus, & sub pœna excommunicationis præcipimus in eisdem diebus ab omni opere servili abstineri. Ecclesia ejus & Translatio prima. Festum.

15. *De S. Rudberto intelligendum videtur Alcuvini hoc epigramma 239.* Ara.

Circa An. DCC XVIII. Martii XXVII.

Tres Patres summi meritorum pondere magno
Hæc tenet ara simul, Hrodbertum nomine clarum,
Pontificem præclarum Bertum nomine dictum:
Jungitur Ansfridus istis & tertius almus.

De Gislario vero epigramma 235, in cujus fine hoc distichon:

Presbyter egregius, necnon Gislarius urnam
Defendant precibus semper præsentibus istam.

Translatio secunda.

16. *Volvebatur annus* MDCXII, *quum Ecclesia S. Rudberti ante annos* XVI *incendio pæne consumta, ab Marco Sittico primùm, deinde à Paride Lodronio Archiepiscopis, magnifico opere à fundamentis restituta est, in eámque Reliquiarum S. Rudberti pars quædam à B. Virgilio in æde S. Petri relicta, in novam S. Petri Basilicam illata est sollemni triumpho, quem Thomas Vveisius Neresheimensis Monachus in Chronico Benedictino à se latinè verso auctóque elegantissimè descripsit.*

17. *Præter Rudbertum ejúsque per hoc sæculum successores, de quibus mox agemus, alios etiam sanctos ejusdem Ecclesiæ Episcopos sibi vindicat Ordo noster:* S. Thiemonem, *&* B. Eberhardum *hujus nominis primum, quorum Acta Deo dante referemus Sæculo* VII, *ut prætercam alios illustres ac pios Ordinis nostri viros, qui eamdem cathedram insederunt.*

APPENDIX

De Vitale, Johanne, Virgilio, Aquila, aliisque S. Rudberti successoribus sæculo VIII.

1. Anonymi *lucubrationi superiùs editæ continenter subjicitur index successorum S. Rudberti ad Virgilium usque in hæc verba.* Igitur post discessum beatissimi Rudberti Pontificis, vir clarus omni populo egregiúsque Doctor & seminator verbi Dei Vitalis Episcopus sedem Juvavensem regendam suscepit. Post cujus transitum Anzologus exstitit Abbas. post cujus depositionem prædictæ sedi adhæsit Savolus Abbas. cujus vitæ finito cursu Ezzius Abbas successit. quo migrante de sæculo iterato illa sedes honorata exstitit Episcopo Flobargiso. post quem Johannes pastoralem gessit in sede præfata curam. Eisdem igitur temporibus, scilicet Otilonis Ducis Bavariæ, qui tunc subjectus fuit Regi Pippino Francorum, venit vir quidam sapiens & bonus doctor de Hibernia insula, nomine Virgilius, ad prædictum Regem in Francia loco vocato Karisiaco*, qui propter Dei amorem retinuit eum secum fere duobus annis: & comperto eo bene docto, misit eum præfato Duci Otiloni, ac concessit ei Episcopatum Saltzburgensem Rectore vacantem. Qui dissimulata ordinatione ferme duorum annorum spatiis, habuit secum proprium Episcopum comitantem de patria, nomine Dordagreum* ad persolvendum episcopale officium. Postea verò populis petentibus & Episcopis regionibus illius, consensit Virgilius consecrationem accipere: ordinatúsque est à comprovincialibus Præsulibus ad Episcopum, anno scilicet Nativitatis Domini DCCLXVII, sub die XVII Kalend. Julii. *Hactenus index, qui an ab ipso primariæ Vitæ scriptore confectus sit, incertum. certè quæ sequuntur, à quodam recentiori commentarii vice adjecta sunt. Indicem consideremus.*

* Creſſy

* al. Dobdagrecum

Vitalis.

2. Vitalem *Rudberto succeſsiſſe, facilè crediderim*, si tamen alius fuit à* Vitali, *qui Arnonis Indiculo subscripsisse invenitur.* Johannem *&* Virgilium *Saltzburgensi Ecclesiæ præfuisse constat. de aliis certò pronuntiare non velim. De his pauca adnotanda.*

3. Vitalis *canonizationem, ut vocant, à Pio Papa II postulârunt Abbas & Monachi Saltzburgenses anno* MCCCCLIX. *Huc designatus à Pio* Commissarius Johannes Frisingensis; *delegati* Exsecutores Ulricus Chiemensis & Geor-

gius Succoviensis Episcopi: *subdelegati Abbates* Petrus S. Petri Saltzburgi, Georgius S. Michaëlis in Peurn Monasteriorum, & Benedictus Præpositus in Heglwert Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium. *qui omnes varia de B. Vitalis miraculis testimonia perquisierunt. Pius re infecta mortuus. postea delata res est ad Leonem X; qui litteras pro B. Vitalis commemoratione concessit anno* M D XIX. *In his dicitur* Pius secundus, volens de meritorum excellentia & miraculorum coruscatione felicis memoriæ VITALIS olim Monasterii S. Petri Abbatis, & in Ecclesia Salisburgensi post B. Rupertum immediati successoris, veridicè informari, *nonnullis Episcopis dedisse in mandatis, ut ejus rei testimonia examinarentur. At cùm per Pii mortem res infecta penderet, Leo ipse annuit*, ut in Ecclesia dicti Monasterii Missas de uno Confessore & Pontifice ad honorem dicti Vitalis, quoties ad id devotio moverit; atque in die depositionis ad honorem ejus Horas canonicas de uno Confessore & Pontifice (non tamen omissis Horis per eumdem diem occurrentibus) *Monachis* celebrare *liceat*: donec dictus Vitalis *per se aut successores suos Romanos Pontifices* aliorum Sanctorum catalogo adscriptus fuerit. *Horum omnium instrumenta legesis in tomo 6 Canisii à pag. 1023.* ANN. CHR. DCC XVIII. MARTII XXVII.

4. JOHANNES *in vacuam sedem Ecclesiæ Saltzburgensis suffectus est per S. Bonifacium Episcopum & Martyrem, ut in S. Bonifacii Actis Othlonus testatur lib. 1. & in quodam vetusto instrumento relato apud Brovverum in lib. 3 Antiq. Fuld. cap. 11, Iohannes ipse Fuldensi Ecclesiæ domum & fontem salis in opido Halla nuncupato obtulisse dicitur. Vix annos septem dignitati suæ superstes vixit. nam Gregorius Papa II ejus institutionem à Bonifacio factam probat* Indictione VIII, *ut patet ex Gregorii epistola quadam ad Bonifacium, quæ inter Bonifacianas est ordine 130; id est anno* DCC XL. *ejus verò mortem anno* DCC XLVII *accidisse, constat ex Zachariæ Pontificis Romani litteris ad eumdem Bonifacium, datis* Indictione prima, *quæ cum anno* DCC XLVII *concurrit. Hac Zachariæ epistola inter Bonifacianas est 143, cùm 144 esse deberet.* Johannes.

5. *Iohannes successorem habuit* VIRGILIUM, *cujus Acta referemus ad ann. 780.* Virgilius.

6. *Virgilio* BERTRICUS *in annum unicum successisse dicitur; Bertrico post aliquod vacationis tempus* ARNO, *qui anno* DCCC XXI *decessit. Verùm in Episcoporum Saltzburgensium catalogo restituendus est* AQUILA, *Alcvvini frater, quem istius Ecclesiæ Antistitem fuisse certum est. Exstat Alcvvini ad eum epistola 66 hoc modo inscripta:* Carissimo germano meo Aquilæ Antistiti Albinus salutem. *Hîc scribit Alcvvinus, ivisse se* ad S. Amandi protectoris sui dulcissimas mansiones, ut *Aquila* dulcissimo alloquio refrigeraret animam suam. Sed quia, *inquit*, necdum de nido Juvavensi avis optata, *id est Aquila* evolavit, misi hanc invitatoriam obviam illi chartulam, *&c. Quibus ex verbis nemo non intelligit, Aquilam Antistitem sedi Iuvavensi seu Saltzburgensi præfuisse. Est & alia ejusdem Alcvvini ad eumdem epistola 104, ex cujus exordio patet, Aquilæ nomen in Baptismo impositum à parentibus fuisse. & tamen Brovverus in Notatione ad HRabani carmen 9 ait, Aquilæ nomen etiam fuisse Iohanni: ratus fortasse id ei tributum quod Apostolo, qui & Iohannes nomine, & Aquila symbolicè dictus ei. Quidquid id est, certum est Aquilam, etiamsi & Iohannes vocatus sit, distinguendum esse à Iohanne alio superiùs memorato, ac restituendum in catalogo Episcoporum Saltzburgensium post Virgilium, aut certè post Bertricum. Id enim Alcvvini fratris ætas exigit.* Bertricus. Aquila.

7. *In quodam catalogo Episcoporum Saltzburgensium apud Canisium tomo 6 pag. 1244, condito anno* M C LXXXVI, *notanda hæc verba.* In catalogo istorum Episcoporum quinque Abbates continentur, qui absque pontificali ordine & dignitate regebant Episcopatum Juvavensem. hi verò sunt: ANSOLOGUS, SAVOLUS, EZZIUS, BERTRICUS, AMMILON. *De his satis.* NOTA.

Circa An. DCC XVIII. Junii XXX.

VITA S. ERENDRUDIS VIRGINIS

ET ABBATISSÆ NUNBERGENSIS PRIMÆ.

Ex tomo 6 antiq. lect. Canisii pag. 1123, qui eam ex membranis vetusti admodum characteris exscripsisse se dicit.

1. MISERICORDIA Domini per climata orbis diffusa, & prophetica fervens olla, dum circumquaque de multis cordibus esset exclusa, contigit beatum Rudbertum Episcopum divinitus fieri Noricæ gentis Pannoniæque satorem evangelicæ doctrinæ, quatenus idolorum cultores de abysso infidelitatis erutos, sacramentis fidei imbutos, liberos faceret antiquæ ruinæ. Hic quasi fructifera arbor radices atque propagines lato germine ramosque extendens, seminarium multis in locis cœpit serere salutis, atque studiosè laborando ad effectum bonorum operum claræ perducere virtutis.

2. Ut autem ex utroque sexu hac in regione Ecclesiæ clarescerent luminaria, idoneos doctores atque ERENDRUDEM neptem [a] suam, sacram virginem advexit de proprio solo ac patria. Francigena igitur ex nobili stirpe exstitit progenita, cujus ingenuitas nobiliorem eam reddidit, juxta sacræ utriusque legis scita. Nam universarum virtutum incrementis nitens procedere ab infantia, humilitatem, obedientiam, patientiam, castitatem, caritatem, & in bonis operibus perseverantiam semper observabat omni instantia.

Erendrudis Franca,

3. Primitus enim Abbatissæ officium eadem sacra virgo religiosè administrabat in Francia, ubi subditas Virgines regebat cum omni suavitate & sapientia: quia in domo Dei laboravit cum consensu & concordia maxima; nec usura, nec dolus, nec ibi colebatur avaritia, quamvis minuta. Sed omnium bonorum inimicus graviter ferens sanctarum mentium unanimitatem, superseminavit zizaniam, & prævaluit iniquitas & labor in medio earum, & injustitia.

Abbatissa,

4. At verò virgo perfectissima jurgia, discordias, simultates declinans, cum sancto Patre Rudberto Noricorum venit in partes, & apud Juvaviam in Monasterio, quod ipse construxit in proximo monte in honore sanctæ Dei genitricis MARIÆ, constituit eam Matrem virginum, ut doceret eas spirituales artes. Quæ & qualis esset in hoc regimine, stilus & manus exarare valent minimè. Mons enim verè ille in quo beneplacitum est Deo inhabitare, & in quo lapis ille sine manibus abscissus, qui est Christus, vult laudari, quotidiéque ab omnibus se invocantibus, non solùm voce & ore, sed & intimò cordis affectu ardentissimè cupit amari. Laudant illum sol & luna, & omnis eum contremiscit creatura; quanto magis homines spiritu & ratione fruentes, quibus promittuntur gaudia futura?

ad Noricos profecta, Parthenoni Juvavensi præficitur.

5. In hoc igitur Monasterio piè vivendo, orando, jejunando, vigilando, sensus quoque suos ab omni pravitate avertendo, in omnibus actibus ita composuit suos mores, ut cunctarum virtutum instantiâ præcelleret subditas

[a] Sic Rudberti neptem vocat Erendrudem Arno Archiepiscopus Saltzburgensis in Adnotatione sua, ex dictis. Falluntur ergo qui sororem appellant.

Sorores, ut stellas luna minores. Pocula verò de calice Babylonis studiosè respuens, cunctis videlicet mundialibus pompis calcatis, orationibus, vigiliis, jejuniis corpus macerabat: quæ Domini sunt, & quæ de scripturarum fonte potuit haurire, ut in illa fructificarent, medullitus Deum exorabat. Creverunt in ea de virtute in virtutem spiritualia dona, ita sanè, ut semper inter epulas non cessaret loqui de cælesti corona. Ab omni verò pravitate & elatione erat munda, eleemosynarum & epularum largitate in modum Sareptanæ viduæ, cui lecythus olei non est imminutus, exstitit fecunda; quia hilariter tribuit habita, ut ejus merces fieret in vita secunda. Circa An. DCC XVIII. Jun. XXX.

Hîc quosdam communes locos resecuimus.

6. Cùm autem sibi finem hujus flebilis vitæ appropinquare intelligeret, corde & ore sæpe ruminabat verba Psalmistæ, dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam*, &c. Sancta itaque Deo dignissima virgo Erendrudis certa de præmio æternæ remunerationis, cautè se munivit deifico Viatico & dono perfectæ confessionis, Virginum catervas sibi commissas cælesti Sponso commendans, accensisque lampadibus, cum prudentibus virginibus obviàm Sponso processit, plena operibus bonis & eleemosynis, liberata de hujus vitæ ergastulo, 11 Kalend. Julii, gaudium Domini intravit; maximúmque luctum & fletum cum lacrymosis suspiriis, cunctis non solùm Virginibus, sed & aliis advenientibus piè Deum colentibus dereliquit. Aderant sine dubio in illius vocatione spiritus angelici, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginúmque chori, laudantes & benedicentes Dominum, qui eam liberavit de hujus mundi voragine, & incerta habitatione hominum, & perduxit in æterna tabernacula, ubi cum omnibus Sanctis gaudet per cuncta sæcula. Piè moritur.

7. Sepulta est autem in crypta ejusdem Monasterii cum decenti honore, ibíque colitur maximè à Virginibus in virginali decore. Miraculorum autem signa quæ per ejus merita Dominus dignatus est facere diversis corporibus, in multis hominibus, præ multitudine non possumus scriptis commendare; sed neque visa, neque audita præsentes valent enumerare. Sed in omnibus beneficiis suis dator omnium bonorum laudetur & glorificetur Deus in sæcula sæculorum, Amen. Sepulta in crypta.

FRAGMENTUM.

Ex libro Donationum Ecclesiæ Saltzburgensi factarum tomo 6 Canisii pag. 1151.

Coepit autem idem beatus Pontifex unà cum consilio & voluntate domini Theodeberti Ducis in superiori castro sæpe dicti Juvavensis opidi construere Ecclesiam ac Monasterium sacris Virginibus ad habitandum in servitio Dei & S. Mariæ matris Domini: & peractâ Ecclesiâ, consecravit eam Domino in honore ejusdem sanctæ Dei genitricis Mariæ, posuítque ibidem, per licentiam & voluntatem domini Theodeberti Ducis, Christi ancillam Deo sacram neptem suam, nomine Erendrudem, cum aliis Deo devotis feminis in servitium Dei & sanctæ Mariæ Virginis Christíque genitricis. Et ipse Dux pii studii, ob voluntatem Dei omnipotentis, tradidit ibidem in alimoniam ancillis Dei & in mercedem genitoris sui & sui ipsius, villam quæ vocatur Einheringa cum commanentibus ibidem servis & aliis exercitalibus hominibus triginta, cum omnibus quæ

CIRCA AN. DCCXVIII. JUN. XXX.

habebant super fluvium Sala, ad puellarum Dei Monasterium deservire. Tradidítque ibidem ipse Dux Teodebertus villam cum tributalibus viris super Salzaha quæ dicitur Glæza, id est *Glas*, & aliam Marciago, id est *Morck*: tradidítque tributales Romanos ad eumdem locum in diversis locis centum sedecim. Tradidit in *Talgou* Ecclesiam & prata & silvam & piscationis tertiam partem *Mansee*, & similiter in *Parnsee* tertiam partem piscationis. Ad cuculas colonos sex & prata & silvam & alpes quatuor: tradidítque idem Dux Theodebertus ad ipsum Monasterium puellarum in Vischaha mansus sex & molendinum & prata & silvam; dedítque ibidem ad salinas loca fornacium novem cum servis illuc pertinentibus. Dedit quoque ibi ad censum persolvendum ad idem Monasterium omnes qui in salinis habitant, & in Mona & in Nana: ut unusquisque eorum à medio mense Maïo usque ad Missam S. Martini, in unaquaque hebdomada donent feriâ sextâ de sale modium unum, exceptis quatuor manentibus. Tradidit quoque illuc quæ dicitur Waginga cum mansis XL, & omnia quæ ad ipsam villam pertinent. aliam quoque villam in eodem pago nuncupatam ad Chamerem cum manentibus XIV, cum omnibus appendiciis suis. Juxta Trun quoque fluvium in eodem pago Trunwalha dedit qui dicuntur Romanos tributales LXXX. Dedit etiam ibidem ad Tietramingen, super Salzaha fluvium, casam & curtem cum omnibus appendiciis suis & mansis LX inter servos & tributales necnon & exercitales homines. Nam & in *Atergou* dedit tributales quatuor cum colonis suis. in pago quoque Trunse dedit tributales XV cum colonis suis. dedit etiam idem Dux Theodebertus ad idem Monasterium puellarum venationem in silva & alpibus & monte qui dicitur *Reikberg* usque ad *Stegen*: & hæc omnia perpetualiter ibi confirmavit.

MIRACULORUM LIBER,

Auctore CÆSARIO Nunbergensi Capellano.

1. CUM in his quæ ad cultum divinum, gloriam & laudem Sanctorum pertinere dignoscuntur, non maligna, sed potiùs benigna & devota interpretatio ac diligentia sit adhibenda: inde Pater & domine reverende, ego CÆSARIUS, Capellanus vester in Nunberga, vestris piis ac sanctissimis medullitus congaudens desideriis, non ausu temerario, sed pietatis vestræ jussu armatus benigno, miracula sanctæ Erendrudis virginis gloriosæ, quantum parvitas ingenii mei sufficit, scribere ausus sum, prout ex relatione antiquorum didici, non solùm Sanctimonialium, sed etiam extraneorum fide dignorum sicut etiam jam viginti octo annorum, quibus in officio divino in dicto Monasterio desudavi, certa comperi experientiâ, infrà scripta studui comportare.

Auctor scribit relata ab aliis.

2. Primò & principaliter de curatione sancti HENRICI Imperatoris cognomento Pii, qui (ut dicitur) permittente sive disponente Deo morbum incidit phrenesis [a] sive epilepsiæ, & multa medicorum sollicitudine curari non poterat; multorum etiam Sanctorum liminibus visitatis, tandem ad tumbam sanctæ Erendrudis pervenit, & optatæ sanitatis sortitus effectum, Reliquias ejusdem gloriosæ Virginis impertiri sibi petivit, & easdem anulo aureo recludi fecit, collo suo jugiter portavit, & interim motum sive

Henricus Imp. à morbo caduco sanatus semel,

[a] Notat Canisius, nullam istius affectionis apud Historicos fieri mentionem.

fecit, collo suo jugiter portavit, & interim motum sive rabiem dictæ infirmitatis numquam sensit, & ad tumbam prædictam duo calcaria aurea obtulit, pro quibus curia quædam in Austria, dicta *Uladniz* comparata, adhuc ipsi Monasterio deservit. Circa An. DCC XVI. Jun. XXX.

3. Accidit quoque non longo temporis intervallo interposito, ut Monasterium Nunbergense cum claustro adhærente, quod beatus Rudbertus unà cum Duce Theodeberto fundavit, quod tunc situm fuit in loco, ubi nunc est cella Sacerdotum, ut patet in ruina murorum & fundamentis ipsorum, per ignem penitus destrueretur. & eodem tempore præfatus Imperator balneum quoddam intravit, & Reliquiis perditis in infirmitatem sæpe dictam recidivavit: prædicti Monasterii exustionem in spiritu cognovit, & quòd beata virgo MARIA sanctaque Erendrudis per eum ruinam Monasterii supradicti vellent reparari, & ad meliorem statum & situm reduci. Unde factum est, ut pius Imperator urgente cum infirmitate ad tumbam sanctæ Erendrudis devotè remearet; vidénsque locum desolatum & igne deformatum, vovit Deo omnipotenti, beatæ & gloriosæ Virgini MARIÆ sanctæque Erendrudi, ut si ab antè memorata relevaretur ægritudine, Monasterium à fundamento vellet reædificare. Et statim ad tumbam sanctæ Erendrudis cum lacrymis & oratione ferventi provolutus, sanitati pristinæ est restitutus: & sicut voverat, Monasterium cum adhærente claustro, ubi nunc situm est, pulchro schemate, ut liquidò apparet, construxit [a]: & donavit *Ehrnprechtstorff* situm in *Longee*, sive *Lungavv*, cum omnibus suis attinentiis ad honorem Dei omnipotentis & dictarum patronarum sanctæ MARIÆ Virginis & sanctæ Erendrudis, Sanctimonialibus ibidem Deo servientibus. iterúmque, Monasteriū restituit.

4. Peractâ quoque & ædificatâ structurâ tam Monasterii quàm aliarum officinarum, & dedicatâ Ecclesiâ in honore sæpedictarum patronarum, ipso Imperatore præsente, per beatum HARTWICUM Archiepiscopum corpus sanctæ Erendrudis de antiquo tumulo in crypta ubi nunc requiescit, summo cum honore translatum fuit, scilicet in altaris medio collocatum, licèt antea per beatum Virgilium miraculis plurimis attestantibus fuerit canonizatum & translatum. Erendrudis corpus levatur.

5. Cujus translationi ultimæ etiam interfuit MAZALINUS Abbas sancti Petri, frater WIRADIS Abbatissæ, qui præsumtuosè rapuit os pectoris sanctæ Erendrudis. Quapropter cæcitate statim percussus, omnésque qui aderant perterriti & obumbrati, quibusdam tenebris quasi eclipsi stabant compuncti. Ipse verò Mazalinus reatum suum agnoscens, cum lacrymis & suspiriis beatæ Erendrudi supplicavit ut sibi ignosceret, quòd venerandas reliquias ipsius ausu temerario præsumsisset attrectare: promittens Deo sanctæque Erendrudi, si visum pristinum ejus meritis atque suffragiis impetraret, Abbatiam vellet resignare, & vitam eremiticam eligere. Qui statim illuminatus Abbatiam resignavit, & in monte caprarum usque ad obitum suum vitam solitariam duxit, & in Monasterio memorato circa cryptam sanctæ Erendrudis ad januam aquilonarem est honorificè tumulatus. qui etiam sanctus reputatur, quia multa beneficia ad sepulcrum ejus languidis & tribulatis misericordia divina patrare dedignatur. Legitur etiam de ipso Mazalino, quòd cùm jam obiisset, rustici ipsum currui imposuerunt, & ad Ecclesiam sancti Petri volentes eum vehere, quantumcumque boves stimularentur ad viam directam, tamen concito gradu ad Monasterium sanctæ Erendrudis properabant, quia vivens ibidem sibi elegerat sepulturam. Mazalinus Abbas ob raptas Reliquias cæcatus, visu recepto fit Eremita sanctus.

[a] Id factum anno Christi M I, docet Chronicon Saltzburgense tomo 6 Henrici Canisii editum.

Circa An. Dec. xviii. Jun. xxx.

Desperatio Monachæ ob duritiã Abbatissæ.

6. Fertur siquidem de prædicto viro Mazalino, quòd cùm soror sua Wiradis Abbatissa subditas sibi Moniales rigidè gubernaret, easdem ipsa via laudabili & honesta conversatione semper præiret; quædam ex Monialibus concepit. Et cùm jam tempus parturiendi instaret, anxia & nimis turbata, nesciens qua via tegeret scelus commissum, & qualiter evaderet Abbatissæ acerbitatem pœnamque sibi infligendam, & in oratione se prosternens in capella sancti Viti, uberrimásque lacrymas effundens, angustiis & tribulationibus undique convoluta, non solùm de sua pressura & dolore imminente, verùm etiam de partu quid esset factura, & sic in oratione posita obdormivit. Cúmque evigilasset, & nihil consolationis humanæ nec divinæ inveniret, in desperationem ducta invocato spiritu maligno dixit: O diabole, fer mihi auxilium in hac maxima tribulatione, & dabo tibi hunc fetum quem producam cum corpore & anima in damnationem sempiternam. Interea dæmones gaudentes transibant cellam viri Dei Mazalini in eremo pernoctantis in oratione. Et quærens ab eis quò irent? Qui responderunt: Grande negotium habemus. Qui ait: Ite, & peracto negotio per Deum viventem vobis præcipio ad me redeatis. Qui euntes invenerunt puerum jam natum, quem rapuerunt. reversi sunt ad virum Dei, narrantes ei quæ gesta sunt, quomodo mulier infelix & desperata, eis puerum cum corpore & anima tradidit in potestatem. Hoc audiens Mazalinus confisus in Domino præcepit eis per Deum vivum & verum, ut puerum sibi relinquerent. Qui statim puerum in cella viri sancti projicientes, volantes per viam suam abierunt. Eadem autem nocte vir Dei surrexit puerum accipiens, & mane ante diluculum venit ad portam Monasterii, exspectans quando veniret Abbatissa, & januas reseraret: quod per se singulis diebus & noctibus faciebat. qua veniente & vidente fratrem suum, multùm attonita mirabatur dicens ei: Ad quid venisti, frater? Qui respondens dixit Abbatissæ: Propter austeritatem & malitiam vestram quam exercetis in subditas vestras, (ostendens ei puerum dicens) hæc anima in damnationem & potestatem diaboli fuerat tradita; sed mediante gratia & misericordia Dei eam eripui de manibus spirituum malignorum. narrans ei omnia per ordinem gestæ rei, præcepítque ei in virtute Dei & sanctæ obedientiæ, ut de cetero misericordiùs, exemplo beati Benedicti, cum subditis sibi ageret, & misericordiam judicio superexaltaret. Fecítque puerum statim baptizari & tradi nutrici ad alendum, quousque in fide catholica instrui posset, ac pleniùs informari. Vir autem Dei in eremum ad cellam suam cum gaudio remeavit, gratésque Deo omnipotenti referens de ereptione animæ pueri à diabolica servitute.

7. Prætereundum etiam silentio non est, qualiter patronæ gloriosæ, beata virgo & sancta Erendrudis locum & possessiones sui Monasterii suffragiis defensare jugiter, & à sævientium luporum fraudibus sæpius eripere curarint. Temporibus domini Friderici *de Vualchen* Archiepiscopi Salzburgensis memoriæ venerandæ, accidit ut de terminis sive metis mineræ salium, & de fodina salis intra & extra in monte, *Durrenberg*, inter dominam Diemudem *de Belben* Abbatissam in *Runberg* ex una, & Fratrum conversorum de *Salem* ex parte altera, lis maxima esset suborta: quæ lites ad jussum prædicti Archiepiscopi & consilium sapientum ordinatum est, ut magistri montium suis particis & mensuris fideliter experirentur, quæ pars alteri præjudicaret. Quod cùm factum esset, quidam frater Albertus, salutis suæ immemor, dictos magistros montium fraudis suæ malitiâ corrupit, ut particas de fodina extractas indirectè collocarent in præjudicium Ecclesiæ Nunbergensis. Quibus peractis, prætaxatus Archiepiscopus

Albertus pejerans exspirat.

pus cum suis optimatibus & nobilibus montem adscendens, terminum partibus præfixit ad litis discordiam decidendam. Nocte verò præcedenti, præfata Abbatissa Diemudis cum antiquioribus Sanctimonialibus de conventu accedentes ad altare S. Erendrudis, & lychnis ipsum altare per quadrum mensuraverunt, & exinde candelas formaverunt: quibus accensis in oratione prostratæ, usque ad consummationem luminum in devotione perseverarunt. Mane autem facto, iter arripientes, dictum montem adscenderunt. Episcopus sæpedictus personaliter judicio præsidens, adstantibus nobilibus & universis qui aderant, primùm vocavit fratrem Albertum antè dictum, & ab eo requisivit, si bene & fideliter & sine fraude, tam in fodina quàm in agro per terram, particæ sive mensuræ essent collocatæ. Ipse frater flexis genibus coram Archiepiscopo erecta manu, & indicto sibi juramento dixit: Sic me Deus adjuvet, & beata Virgo & sancta Erendrudis. Hoc dicto & juramento imperfecto, procidit ad pedes Archiepiscopi sæpedicti, & mortuus est cunctis stupentibus & mirantibus, cum luctu deportabatur, mercedem suæ fraudis recepturus justo judicio Dei.

ANN. CHR. DCC XVIII. JUN. XXX.

8. Quidam leprâ infectus pluribus videntibus, & à multis reprehensus, clara luce cryptam S. Erendrudis intravit, & ad tumbam ejus prostratus in oratione, multo spatio diei ibidem peroravit, sanus corpore & vultu hilari coram omnibus Ecclesiam exivit; pruritus etiam in loco, ubi sanatus fuit, tamquam squamæ inventus est à pluribus miraculum volentibus indagare, omnipotentis Dei misericordiam & S. Erendrudis merita dignis laudibus excolendo.

Leprosus sanatur.

9. Mulier quædam de *Halaberk*, uxor Conradi dicti Taurstahn civis Hallensis, pustulis circa lumbos sauciata intantum quod ambulare non poterat, sed tantùm portabatur hinc inde in grabato. Item eadem mulier valde elata, etiam leprâ elephantiâ percussa, nulla arte medicorum, quia dives erat, nec per medicos de studiis generalibus vocatos, nec per Magistrum SIMONEM Monachum de Rahtenhaklach, cujus nomen adhuc ibidem clarum habetur, liberari poterat. Sed consilio quorumdam inducta, in *Tetingam* in curru quodam vecta, pervenit ad quamdam feminam sanctam, quæ habebat gratiam curationum, & operibus misericordiæ plenam, quæ plurimos diversis infirmitatibus pressos curavit. A pauperibus nullam mercedem recepit, sed gratìs eos pavit, & medicinam quam potuit impendit. Prædicta verò mulier leprosa cùm ad domum sanctæ feminæ venisset, in cathedra eam præ foribus coram se locavit, & non multùm eam considerans, præmissa oratione, sicut semper facere solebat, mulieri præsente Magistro Simone & alia familia sua dixit: Domina, omnes medicinæ de mundo pro vobis impensæ, vobis prodesse non possunt: sed consulo ut eatis Salzburgam ad sanctam virginem Erendrudem, ibi sanitatem consequi potestis, divina gratia cooperante. quia dicta femina omnes infirmos ad se confluentes, quos curare non poterat, ad limina Sanctorum direxit. Memorata siquidem leprosa aptatis curribus, ad consilium beatæ feminæ, ad S. Erendrudem perrexit, & ibidem tribus diebus in oratione & lacrymis devotè persistens, sanata est à pustulis & lepra, mediante Salvatoris gratia & misericordia, suffragantibus sibi meritis S. Erendrudis virginis gloriosæ. Quæ quidem cum gaudio ad propria remeavit, & post mortem mariti sui multis annis supervixit. Sed depauperata nimis, licèt antea divitiis abundaret, nostris temporibus visa est & cognita à multis, inter homines & suos concives, sana & incolumis usque ad mortem est conversata *.

Item femina.

* *Hic quædam omissa.*

10. Faber quidam Chunradus dictus Rohtschmidt, civitatis Salzburgensis, in dextro latere percussus apoplexia, & tredecim hebdomadibus officio manûs & pedis destitutus, auxilium divinum & multorum Sanctorum jugiter implorando; finaliter cùm dolor & molestia & compunctiones acutissimæ ni-

Paralyticus curatur.

Ann. Chr. DCCXVIII. Jun. XXX.

mium ipsum urgerent, ad B. Erendrudem currebat, ejus suffragia fiducialiter expetendo: & quò corporaliter ire non poterat, mentis devotione ferebatur. Nocte vespere igitur quadam, finitis vesperis, cùm dolores infirmorum plus solito acuuntur, candelam suæ staturæ per matrem & uxorem suam ad S. Erendrudem direxit. Quibus cùm introïtus Monasterii non pateret, sed ad januam in oratione se prosternentes, B. Erendrudem suppliciter invocando, lumine accenso non multùm morando, quia nox instabat, sed inde recedentes, antequam ad hospitium redirent, dolor viri sensibiliter fuit mitigatus, & eadem nocte ac die sequenti sanitas rediit, & officio manûs & pedis, necnon totius lateris, de misericordia Dei & meritis S. Erendrudis est integraliter restitutus. Beneficium quoque sibi impensum plusquam novem annis occultavit, S. Erendrudem frequentiùs visitando & pro modulo suo ipsam venerando.

Johannes Parisiensis liberatur brachii dolore.

11. Anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo Magister JOHANNES [a] Parisiensis, artis medicinæ competenter instructus, per annum dimidium & ultrà in brachio dextro dolore vehementi & continuo cruciabatur. Cùm nec aliquo remedio per propriam sollicitudinem, nec aliorum consilio posset relevari, tandem consilio inductus devotorum, altare S. Erendrudis virginis, ubi corporaliter quiescit, præsentialiter accedens, se in orationem, sicut devotiùs potuit, prostravit. primò & secundò sanitatem peroptatam non consecutus, quia plerumque spes differtur, ut desiderium crescat; tertiò rediens spe ampliori permotus, pio proposito altare accedens, talibus verbis Sanctam Dei allocutus: O B. Erendrudis virgo gloriosa, si verum est quod de vobis dicitur, cantatur & legitur, quæso à languore & dolore hujusmodi me dignemini liberare. Et cum brachio tangens altare sanatus est, & cum gaudio ad propria remeavit.

Mulier violato Sanctæ festo punita curatur.

12. Item anno Domini MCCCV, quædam mulier nomine Haylbirg, lotrix & paupercula, in die depositionis S. Erendrudis, quia tunc etiam est dedicatio cryptæ in Nunburga, finitis Missarum sollemniis accedens ad altare, S. Erendrudem sic est allocuta: Tu nosti, Virgo sacratissima, quòd ego multùm indigens sum & paupercula, & habeo multas vestes hodie abluendas. unde deprecor te in Domino, ut mihi non irascaris, quia vacare non possum. Quæ recedens post prandium cœpit lavare vestes, sicut aliis diebus facere solebat. Et cùm ultimam vestem extergeret, incurvata est ejus manus dextera. Quæ anxia & turbata nimis flevit amarè, nesciens quid esset factura. Mane verò sequenti spe divinæ misericordiæ armata, accessit altare S. Erendrudis, sic oravit: O S. Erendrudis, propter gaudium quo tu frueris coram Deo cum omnibus Sanctis & Angelis Dei, lætifica me miserrimam peccatricem, quia graviter deliqui & offendi te. unde deprecor te, ignosce mihi, & restitue mihi manus meæ pristinam sanitatem. Et hoc dicto manum curvam ponens super altare, & sanata est: & in signum hujus sanationis infra juncturam ipsius manus statim apparuit quidam nodus subter cutem ad magnitudinem nucis magnæ per duos annos, & decrescebat & augmentabatur secundùm cursum lunæ. Mulier verò prædicta sanitatis avida, iterum recurrens ad S. Erendrudem supplicavit, ut ejus meritis & suffragiis consequi mereretur integram & optatam sanitatem. quod & factum est: nodus disparuit, & hæc mulier adhuc superstes cicatricem omnibus volentibus videre ad oculum ostendit.


Item alia Eucharistiã videre non valens.

13. Item anno Domini MCCCIX, quædam mulier de Salzburga, peccatis suis exigentibus visu privata per annos quatuor, licèt homines & alias creaturas hujus mundi plenè videret, corpus Christi nec procurandis infirmis in altari, in manu Sacerdotis videre non potuit quocumque se diverteret. Tandem anno quinto spiritu Dei ducta, quandocumque capta hora & die, quotiescumque & ipsa celebrantur divina apud sanctam Erendrudem, per integrum

[a] An Johannes Parisiensis Ord. Prædicatorum, qui anno MCCCIV turbas super Eucharistiæ sacramento excitavit.

annum devotabatur, Sanctæ Dei devotè supplicando, ut apud Deum pro ipsa intercedere dignaretur. Cúmque devotionem suam continuaret Missas audiendo, anno sexto in manu Sacerdotis celebrantis quadam die dominica circa altare sæpedictum corpus Christi vidit, & postmodum semper suffragante sibi gratia Dei & meritis sanctæ Erendrudis, ob beneficium sibi impensum Deo & beatæ Erendrudi grates quas poterat referens, locum frequentiùs visitavit, miraculum etiam in eadem factum, quantum potuit, occultando. CIRCA AN. DCC XVIII. JUN. XXX.

14. Item atavus Radekariorum dictus Gerhohus juvenis exsistens, vovit beatæ Erendrudi singulis annis pro censu quinque denarios se daturum. quod aliquibus annis fecit, videlicet quinque, sed postmodum tepescere cœpit. Unde factum est, ut una Sanctimonialis dicta Harschicherin eidem familiaris una noctium audiret vocem sibi dicentem: Dic Gerhoho ut solvat sanctæ Erendrudi quod promisit, aut malè habebit. Quæ de mane vocavit dictum Radekarium, quærens ab eo quæ promiserit sanctæ Erendrudi. qui confessus est de quinque denariis censualibus usque in finem vitæ suæ. Tunc Monialis quod audivit eidem narravit: qui recedens verba hujus non advertit. Altera vice venit vox, & eidem Moniali dixit: Dic Gerhoho, quòd beatæ Erendrudi exsolvat quod promisit, aut damnum maximum sustinebit. Quæ ut priùs ipsum præmonuit, sed minimè curavit. Tertiò advenit vox ad eamdem: Dic Gerhoho, quia jam admonitus bis, promissum suum adimplere neglexit, & votum transgressus est, jam tempus adimpletum est, & beata Erendrudis dilationem ampliorem sibi non dabit., quòd ipse recipiet damnum quod ipse & omnis parentela sua numquam recuperabit: quod & factum est. In brevi quidem postmodum castrum *Matsee* perdidit, & omnibus bonis spoliatus est, necnon possessionibus, equis, pecoribus, & aliis mobilibus & immobilibus quibuscumque. Hæc tempore dominæ DIEMUDIS *de Belben* Abbatissæ inchoata sunt. Sed tempore dominæ ELIZABETH Abbatissæ, nepotes dicti Gerhohi redeuntes ad cor, unam puellam militarem, dictam Dimudem Tuntingerin, super altare sanctæ Erendrudis liberè obtulerunt, ob dicti census refusionem. Voti negligens punitur.



VITA S. VVLFRAMNI EPISCOPI SENONENSIS IN GALLIA,

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

Scripta primùm à JONA Fontanellensi Monacho, dein ab aliquo alio interpolata.

Ex mss. codd. & Martio Suriano.

1. CTA S. WLFRAMNI * *Senonici Episcopi à* JONA *Monacho litteris mandata interpolâsse mihi videtur* HARDUINUS *itidem Fontanellensis Monachus, de quo paullo inferiùs agendum. Breviorem ejusdem Sancti historiam in ecclesiasticis olim officiis legi solitam ediderunt Jona prætermisso Godefridus Heuschenius & Daniel Papebrochius, Bollandiani operis continuatores, rati (id quod res est) vulgatum Jonam non esse omni parte genuinum. Ad hæc* INGELRAMNUS Vitæ Scriptores. * S. Vulfran

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

Abbas Centulensis, Roberti Francorum Regis principatu, S. Wlframni Archiepiscopi honori proprios cantus coaptavisse *fertur in Chron. Centul. lib. 4 cap. 11. Hic habes Jonæ lucubrationem ad varios codd. mss. exactam. Id quo consilio factum sit, paucis accipe.*

Jonas an auctor Vitæ.

2. *Dubius hæsi, fateor, aliquamdiu, essetne operæ pretium Jonam vulgatum huc repræsentare, an potius rejicere. Sanè incertum primò videbatur, an re vera Jonas Monachus esset dicendus auctor istius scriptionis: tum quia pugnantia continet, dum* Ovonem *ex Saxonum gente Monachum in Prologo adhuc superstitem, in Vita cap. 6 jam mortuum allegat: tum quia in ea scriptione fit mentio* Wandonis & Ostrulfi Abbatum, *qui Cœnobii Fontanellensis regimen nonnisi post S. Baini, cui nuncupata est Præfatio, obitum inierunt. Hæc argumenta suadebant, ut Jonam missum faceremus. At verò ut Jonam qualemcumque retineremus, alia & forsitan potiora evicerunt. Quippe res gestas S. Vulframni à Scriptore pene compari posteris commendatas fuisse discimus ex Chron. Fontanell. cap. 15 in editis, ubi* HARDUINUS *ejusdem Cœnobii alumnus sub finem sæculi* VIII, librum Vitarum SS. Wandregisili, Ansberti & Wlframni Confessorum *exscripsisse dicitur. Auctorem præferunt mss. codices* Jonam, *Monachum scilicet Fontanellensem, cujus nuncupatoria præmittitur epistola* ad Bainum Tarvennensem Episcopum, *Vulframni æqualem. Et quidem ista Præfatio Jonæ ad Bainum reperitur in omnibus exemplaribus etiam vetustissimis: qualia sunt Gemeticense ante annos sexcentos Abbate Annone exaratum; nostrum Germanense, & etiam Compendiense ante annos quadringentos. Consultius proinde visum est, Auctorem jam receptum denuo recensere, iis parenthesi inclusis quæ interjecta videbuntur: maximè cum veri simile sit, Harduinum prædictæ vitæ exscriptorem, ejusdem etiam interpolatorem fuisse.*

Vulframni memoria.

3. *Vulframnus laudatur in germano Usuardi Martyrologio ad* XIII Kalend. April. *his verbis:* Ipso die S. Wlframni Conf. *Mirum est Adonem in suo, Alcuvinum in Actis S. Vuillibrordi de Vulframno ejus socio altum silentium tenuisse. Non sic Auctores posteriores, ex quibus Odorannus & Clarius Monachi Cœnobii S. Petri Vivi, Matthæus Vuestmonasteriensis, Auctor Chronici Malleacensis, Petrus Equilinus, aliique honorificentissimè Vulframni meminerunt. Hugo Autissiodorensis Monachus ait, Vulframnum* sub Carolo Principe floruisse mirabili sanctitate.

Monastica professio.

4. *De S. Vulframni professione monastica constat, non verò de tempore quo primùm Fontanellæ in Monachorum numerum relatus est. Alii ex Episcopo Monachum, alii ex Monacho Episcopum, & rursus ex Episcopo Monachum factum adfirmant. In ipsius Actis dubia sunt in utramque partem argumenta. quamquam prior sententia alteri præponderare videtur, tametsi Vulframnus antequam esset Episcopus, Fontanellæ* prædium Mauriliacum *tradiderat, cap. 3. & posthabitis suæ diœceseos Monasteriis, à Fontanellensi prædicationis socios expetiit.*

Rerum gestarum series.

5. *S Vulframni res gestas in suum quamque tempus digerere haud facile fuerit.* Possessionem suam quæ vocatur Mauriliacus, prædicto sacro loco contradidit anno XII, Regis Theoderici, *id est anno Christi* DC LXXXIV, *aut insequenti, quum* necdum Pontificatûs conscenderat gradum. *Lantberto Senonensi Episcopo successit circiter annum* DCXC. *Post regiminis annos aliquot auditâ famâ S. Vuillibrordi apud Frisios rem Christianam promoventis, istuc etiam se conferre proposuit: accedénsque Fontanellam monasticas vestes suscepit, & socios ab Hildeberto Abbate postulavit obtinuitque. Dein è Frisia Fontanellam reversus, monasticam professionem firmavit, túmque* patenam *è pelago eductam unà* cum suo calice *aliisque instrumentis sacris Fontanellensi Ecclesiæ largitus est. Frisiam repetiit non semel: ex qua tandem senio confectus ultimò Fontanellam se recepit post mortem Ratbodi, hoc est anno* DCC XIX. *ibique permansit usque ad obitum, quem reponimus anno* DCC XX. *tametsi eum Odorannus & Clarius rejiciunt in annum* DCC XLI. *In breviori historia Martii Bollandiani non exprimuntur anni Incarnationis, nec Radbodi factum memoratur: non quòd alia narratione vetustior aut purior sit, sed quòd in ecclesiasticis officiis quibus aptata fuit, id genus minutiæ omitti soleant.*

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

PRÆFATIO AUCTORIS.

REVERENTISSIMO *atque sanctissimo Præsuli urbis Tarvennæ Abbatiique Cœnobii Fontinellæ* BAINO *ultimus servorum Christi* JONAS. Jubet apostolatûs vestri celsitudo, ut almi Patris WLFRAMNI Senonum Archiepiscopi meo studeam stilo condere Vitam. Qui tempore regiminis sancti ANSBERTI Abbatis Fontinellensis Cœnobii, [futuri [a]] Præsulis Rotomagensis Ecclesiæ, hoc adiens Cœnobium, abruptis sæculi laqueis militiam Christi perseveranti definitione suscepit, atque ad prædicandum Fresionum genti eatenus in ignorantiæ cæcitate sedenti evangelici ministerii opus adsumens animum convertit. Nam penes nos superstes manet venerabilis vitæ Presbyter OVO ex ipsa Fresionum natione oriundus, qui viva voce narrat, quanta per eumdem Pontificem sanctum in eadem gente Christus virtutum miracula operari sit dignatus. Ex quibus pauca pro captu ingenii & opportunitate audientium fideli sermone inseremus. Sed tam præclaro operi pauper succumbit ingenium, támque profundæ rei non sufficit sermo sterilis & ab omni scientiæ fecunditate jejunus. Quamlibet ergo invalidis humeris impositum onus obedientiæ amore suscipiam, dabit Dominus oratione beati Antistitis dicendi vires, qui divitias bonitatis suæ sine ullo defectu scit effundere, & nescit cùm effuderit vacuari.

INCIPIT VITA.

BEATUS igitur WLFRAMNUS Senonum Pontifex exordium nativitatis territorio Wastinensi [b] habuit, patrimonio nuncupante Mauriliaco. Fuit enim carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Genitor quoque ejus Wltbertus nomine, in aula Regis DAGOBERTI & filii ejus HLUDOVICI militari operi ævum impendit. Prædictus Dei famulus in puerili ætate constitutus, ab ipso magistris catholicis traditus est sacrarum litterarum studiis imbuendus: quæ per omne pueritiæ vel adolescentiæ tempus exercens, usque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non reflexit. Exin crescentibus meritis piæ intentionis, clericatûs habitum sumens, parentum hortatu ac suffragatûs adminiculo suffultus, curiæ delegatus divinis studebat attentissimè inservire edictis. terrena videlicet quæque transiliens atque ad cælestia semper amanda & quærenda pervolans.

CAPUT I. Vulframnus nobilis Vvastinensis,

II. Senonicus fit Episcopus.

Sub horum tempore Regum, electione populi Senonicæ urbis consensûque ac favore omnium Pontifex eligitur ac benedicitur. Successit ergo in ordine Episcopatus venerabili LANTBERTO [c] Pontifici. Qui susceptum Episcopatûs gradum ad imitationem priorum Sanctorum virtutum ornabat operibus. Commissam namque sibi à Domino plebem & orationibus protegebat assiduis, & admonitione pia ad cælestia anhelanda provocabat. Et quod maximè Doctores juvare solet, ea quæ agenda docebat, ipse priùs agendo præmonstrabat. Erat enim divinæ dilectionis igne succensus, patientiæ virtute modestus, orationum devotioni sollertissimè intentus, affabilis omnibus.

a Hæc vox *futuri* rescindenda videtur: siquidem Vulframnus infrà cap. 3 Fontanellam tum accessisse dicitur, cùm Ansbertus Rotomagensem Ecclesiam regebat. Et quidem fortè tota hæc clausula de S. Ansberto ab Interpolatore addita est, uti & alia cap. 3. cujus loco reponi posset, *qui tempore regiminis Hildeberti Abbatis Fontinellensis Cœnobii hoc adiens Cœnobium*, &c.

b Senonensi agro adjacet ad occidentalem plagam Vvastinensis pagus, vulgò *le Gastinois*, in quo Mauriliacum, *Milly*, ad Scholam amnem.

c Et tamen Hugo Monachus Autisiodorensis Landeberto subjicit Emmonem, Emmoni Vulframnum.

CIRCA AN. DCC XX. MART. XX. III. Aliquot autem annis in præsulatu administratis, superno oraculo in visu admonitus, ut genti Fresionum verbum Domini sibi antea inauditum evangelizaret, inito opere apostolico proposuit ilico animo pluribus prodesse. Erat autem eo tempore in urbe Rotomagensi, quæ & ipsa mater est civitatum, Præsul sanctissimæ religionis & Abbas præfati Monasterii Fontinellæ famulus Domini ANSBERTUS, & ipse scientiâ Scripturarum imbutus, sed & ecclesiasticis ac monasticis disciplinis summè instructus, monachicum & nomen servans & habitum, in prædicto Monasterio multorum exstans Pater Monachorum. Hunc Pontificem adiens beatus Wlframnus, hanc sibi inesse patefecit voluntatem, ut prædicto populo in tenebris ignorantiæ sedenti verbum vitæ immortalis adnuntiaret. Nam & antea possessionem suam quæ vocatur Mauriliacus, quæ sita est in territorio Wastinensi, per testamenti seriem prædicto sacro loco & ipsi sancto Patri contradiderat. Quod factum est anno XII * Regis THEODERICI: necdum enim isdem vir Dei Pontificatûs conscenderat gradum. Intererat in hoc conventu, & confirmaverat cum aliis illustribus viris hoc scriptum S. HEREMBERTUS * Episcopus urbis Tolosæ & Monachus ejusdem Cœnobii Fontinellensis, cujus nunc ossa sacra in eodem Monasterio virtutum gloriâ pollent. Nepos quoque prædicti sancti Pontificis Wlframni, nomine MOTGISLUS, aliam largitionem edidit de patrimonio Maniaco sive Villare, quod est situm in pago Milidunensi *. Qui in prædicto Monasterio Monachus effectus, & regularibus subditus disciplinis, spretis terrenis, cælestia sperare didicit.

* al. XV.

* de eo ad ann. 671.

* de Melun.

IV. *sociis è Fontinella acceptis,* Sed his omissis, nunc intimandum est, qualiter præfatus sanctus Præsul ex præfata Fresionum gente plurimam convertendo converterit partem ad Christum. Siquidem ad præfatum Fontinellæ Monasterium perveniens, de eodem loco cooperatores verbi strenuos & ad prædicandum idoneos, utpote actione simul & eruditione præclaros adsumens, præparatis omnibus quæ navigantibus esse videbantur necessaria, in portu ejusdem Monasterii navim adscendit, & per fluvium magnum Sequanæ mare introiens Gallicum navigavit Fresiam, & genti illius ac Duci ejus RATHBODO verbum Dei adnuntiabat, dicens deos non esse qui hominum manibus facti essent: Dei creantis materiem lignum vel lapidem esse non posse, quorum recisuræ vel igni absumerentur, vel in vasa quælibet humani usûs formarentur, vel certè despectui foras projicerentur, & pedibus conculcata in terram verterentur. Deum potiùs intelligendum majestate incomprehensibilem, humanis oculis invisibilem, omnipotentem, æternum, qui cælum & terram, maria & humanum genus creasset & regeret, & judicaturus esset orbem in æquitate. Cujus sedes æterna non vili & caduco metallo in cælis esset credenda. Hæc & hujuscemodi prosequente inclyto Christi Sacerdote unà cum comitibus libenter audiebatur: multique cotidie nobilium & infirmorum abrenuntiata sorde idololatriæ fidei fonte abluebantur. Nec prohibuit prædictus Dux, verbum ut si qui vellent audire prædicaretur: inter quos & filius ejusdem Rathbodi Ducis credens baptizatus est, imposito sibi nomine sui genitoris à præfato sancto Pontifice, & ab eo à sacro fonte susceptus: adhùcque in albis positus à carne solutus, mundus, ut creditur, transivit à mundo.

Frisiis Deũ prædicat.

Multos baptizat.

V. *Missam in navi celebrans, patenã è mari precibus recuperat.* Nec silentio est prætereundum, quid divina pietas per eumdem sanctum Pontificem operari dignata est. Plura enim virtutum miracula & in itinere dum ad eam iret, & in eadem gente per eum fiebant. Ex quibus unum memoriæ tradere & posteris intimare commodum duximus. Denique Fratres qui eum familiariter noverunt, & coram quibus patratum est, dicere

ANN. CHR. DCCXX. MART. XX.

solent, maximè vir reverentissimus WANDO [a], tunc temporis Diaconus & cooperator ejusdem Præsulis in verbo Dei, postea autem Presbyter & succedenti tempore Abbas ejusdem Monasterii Fontinellensis in quo educatus erat. Dum navigaremus, inquit, Fresiam, positis nobis in medio maris, quod adjacens est regioni Morinorum, adfuit hora in qua sacrificium Deo victimæ salutaris immolandum erat. Tunc positis anchoris, navis immobilis manebat: celebrantíque eodem sancto Pontifici Missarum sollemnia, ventum est ad eum locum, ubi minister patenam Præsuli porrigere debuit, extensáque manu exspectabat horam qua susciperet eam. Sed dum minister eam abluere vellet, in mare ceciderat, prostratúsque pedibus sancti Pontificis humiliter veniam precabatur dicens, quòd dum eam abluere voluisset, suis manibus vi maris elapsam profunda petiisset. Móxque isdem vir Dei flectens genua sua ad Patrem Domini nostri JESU-CHRISTI, precabatur ejus clementiam, ut qui quondam coram Patribus fecerat in mari rubro mirabilia, propitius suis adesset precibus. Finita verò oratione imperat Diacono, ut in eum in quem patena ceciderat locum mitteret manum. Quo facto mox ab imo maris eadem patena divinitus revecta ejusdem ministri manui inhæsit. Quod videntes nautæ ceteríque comites navis, Dominum cunctipotentem totis viscerum præcordiis collaudaverunt, qui per servum suum tale dignatus est operari miraculum. Sícque commixtionem corporis & sanguinis Domini isdem Pontifex sanctus faciens, noménque Salvatoris glorificans, sacrosancta Missarum complevit sollemnia. Nec impar hic beatus Pontifex hoc in facto sancto Elisæo Prophetæ & beato Patri BENEDICTO, per quos similia Christus fecit miracula. Ad eorum enim preces de profundis aquarum ferrea remearunt instrumenta; & isto præclaro Præsule orante lanx aurea divinitus extemplo rediit ad supera. Divulgatúmque est hoc miraculum & celebre factum apud incolas Galliarum & Germanorum, ad quos hoc factum pervenire potuit usque in præsentem diem. Nam & ipsa patena in eodem Cœnobio Fontinellensi pro munere sacro servata tenetur, quam isdem venerandus Præsul unà cum suo calice ibidem largitus est, dum monachicum sponderet votum. Altare quoque consecratum in quatuor angulorum locis & in medio Reliquias continens Sanctorum in modum clypei, quod secum dum iter ageret vehere solitus erat; vascula quoque & instrumenta & tabernacula ecclesiastici ministerii plurima.

VI. Ovonem patibulo liberat.

Aliud quoque ejusdem Patris memorabile miraculum, sicut ab eis didicimus coram quibus factum est, ob ædificationem posterorum narrare cur pigeat? Prædicante enim illo & docente prædictum populum Fresionum, contigit quadam die puerum quemdam ex ipsa Fresionum natione ortum, diis immolandum duci ad laqueum. Orabat autem Pontifex sanctus incredulum Ducem, ut hujus pueri vitam sibi donaret, nec hominem ad imaginem Dei factum sacrificium exsecrabile dæmonibus immolaret. Vocabatur autem idem puer OVO. Respondebat autem Dux patrio sermone, decretum esse lege perenni olim à prædecessoribus suis omníque Fresionum gente, ut quemcumque sors elegisset, in eorum sollemniis diis offerendum sine mora. At verò sanctus Præsul dum persisteret in precibus, & præfatus populi Princeps ejus dignæ petitioni satisfacere vellet, animosi gentiles zelo vani erroris devincti, (sicut scriptum est, zelus apprehendit populum ineruditum) unanimes frustrabant ejus precem dicentes: Si tuus, inquit, Christus de tormento mortis eripuerit, sit ejus tuúsque ævo perenni servus. Ad hæc sanctus Pontifex: Non hominum in hoc facto, sed Domini Christi fiat voluntas. Appendi-

[a] Vvando vir sanctus post Ragenfridum regimen adsumsit Cœnobii ab anno dominicæ Inc. DCCXLII de quo ad ann. 756.

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

tur deinde puer in patibulum, adspicientibus Christianorum simúlque gentilium turmis per duarum fere spatium horarum: extemplóque Sacerdos Domini pro salute & vita non solùm illius qui in tormento erat mortis constitutus, verùm pro obcæcatione populi qui satanæ vinculis erat irretitus, flectens genua hanc ad Dominum fudit orationem: Deus invisibilis, immortalis & æterne, exorabilis tuis esto supplicibus: & sicut quondam Danielem liberasti de lacu leonum, ita hunc puerum de faucibus eripe illius sævi leonis, qui circuïens quem devoret quærit, ut de illius duplici salvatione populus hic incredulus deposita sorde idololatriæ ad veritatis convertatur agnitionem, & per cunctas generationes tuum benedicatur nomen in sæcula. Hac completa oratione ilico disrupta sunt vincula, quibus pueri semivivi guttur illigatum erat: sícque illæsus ad terram ruit. Videbatur autem illi, ut pòst ipse narrabat, quasi sopore gravi teneretur oppressus, sanctíque Pontificis zona à pectore circumligatus sublevaretur omnis ejus corporis status. Apprehensáque ejus manu Pontifex sanctus dixit: In nomine JESU-CHRISTI Domini exsurge concitè sanus. Quo dicto ilico incolumis surrexit, nullum illatæ sibi pœnæ sentiens dolorem. Atque ex hoc facto plurima Fresionum multitudo conversa est ad Dominum: credebántque & baptizabantur quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Prædictus autem Ovo lavacri salutaris undâ perfusus atque à præfato sancto Pontifice Fontinellam perductus, litterísque sacris eruditus, postea Diaconus consecratus, deinde sequenti tempore à venerando Pontifice RAGINLANDO [a] urbis Rotomagensis Presbyter consecratur. [Et quia erat in arte scriptoria eruditus, plurimos codices in prædicto transscripsit Monasterio, sed & testamenta ac largitiones Fidelium plurimas, quas ipsi loco felici munere conferebant: ibíque magno confectus senio sub OSTRULFI [b] Abbatis tempore vitam in Deo dignâ terminavit [c] conversatione, magistri & domini sui Wlframni Sacerdotis eximii imitando ac sequendo vestigia.]

postea Monachum factum.

VII. Alios itidem eripit & Monachos facit.

Alios quoque adolescentes ex ipsa Fresionum natione, qui similiter ritu profano dæmonibus fuerant immolandi, quorum unus vocabatur EURINUS, altérque INGOMARUS, deprecante claro Pontifice Wlframno præfatus Dux vitæ donavit, & eidem gratuito munere contradidit. Qui divinis mysteriis imbuti, atque in fide confirmati, in sanctæque Trinitatis nomine baptizati, & à dæmonicæ servitutis jugo erepti, libertate perenni donati sunt. Sícque à præfato Pontifice Fontinellam perducti, & HILTBERTO [d] Abbati educandi traditi sunt. [Qui sacris litteris & cælesti disciplina eruditi, sub regimine & dominio ipsius Patris & successorum ejus per plurima strenuè militarunt tempora: ibíque in ditione ejusdem Cœnobii usque ad vitæ suæ metas permanserunt.]

VIII. Item alios.

Illud quoque stupendum & antea inauditum, & nisi Apostolo Petro rarissimè alicui Sanctorum concessum miraculum, verax stilus pandat auribus Fidelium. Mos pessimus diabolica fraude inventus prædicto incredulorum Duci inerat, ut corpora hominum damnatorum in suorum sollemniis deorum, & non deorum, sed dæmoniorum exsecrabilium, sæpissimè diversis litaret modis; quosdam videlicet gladiatorum animadversionibus interimens, alios patibulis appendens, aliis laqueis acerbissimè vitam extorquens; præterea & alios marinorum sive aquarum fluctibus instinctu diabolico submergebat. Erat in præ-

a Is est Ragenfredus qui primus nominatur in epistola Zachariæ Papæ ad quosdam Episcopos Galliæ.

b Austrulfus vocatur in Chron. Fontanell. cap. 13 in editis, successor S. Vvandonis anno DCC XLVII, mortuus post annos sex.

c In ms. Chronico breviori ejusdem Monasterii hæc leguntur: *Anno DCC XLIX obiit Venerabilis OVO Presbyter Monachus Fontanellensis. Iste est quem B. Vulframnus de patibulo eripuit mortuum, dum in Frisia prædicaret: qui etiam plurimos codices*, &c. ut hic.

d Hiltbertus S. Ansberto in sedem Rotomagensem provecto successit Abbas, ut dictum est Sæculo 2 ad ann. 697.

dicta

dicta gente mulier quædam vidua, duos cariſſimos habens natos, qui ex ſorte missa dæmonibus fuerant immolandi, & gurgite maris enecandi. Ducti namque ſunt ad quemdam locum bitalaſſi more aquâ incluſum, ut dum rheuma maris eumdem cooperiret locum, miſerabiliter fluctibus abſorberentur. Erat verò, ut fertur, unus ætate ſeptennis, altérque quinquennis. Cúmque rheuma maris tempore marinæ prædictum impleret locum, is qui major natu erat puerulus juniorem fratrem ulnis nitebatur ſublevare, dum jam ingurgitarentur. Aderat namque ad ſpectaculum infandum antefatus Dux incredulus cum plebe innumera gentilium: ſed nulla compaſſionis pietas vel miſerantis affectus ſaxeum ejus cor emollire quivit. Sacer verò Pontifex Wlframnus eos ſibi vitæque perdonari rogabat, dicens non eſſe juſtum de hominibus ad imaginem Dei factis ludum exhibere dæmonibus. Tunc Dux incredulus: Si Deus, inquit, tuus Chriſtus à præſenti periculo eos liberarit, ejus dominio eos perpetim concedo, ſitque eorum Deus, & ipſi ejus perenniter ſervi. Tunc ſanctus Pontifex Wlframnus: Secundùm tuum, inquit, fiat promiſſum. Orante autem eo Dominum, concitè rheuma maris in altum ſe ſubrigens cumulum, Domino jubente, prædictum ſubitò reddidit locum aridum, in quo ſtabant innocentes jam proximè morituri. Sicque Antiſtes de Domini pietate fiſus, more Apoſtoli Petri ſuper aquas ad Dominum venientis ſuper undas maris ambulabat, adſpicientibus gentilium turbis, donec ad prædictos puerulos pervenit, unúmque manu dextera, alterúmque læva apprehendens, plantis tantummodo aquâ tinctis quaſi ſuper humum gradiens ſiccam, ſic aquas maris calcans, præfatos puerulos Deo donante de periculo eripuit mortis, & flenti matri reddidit incolumes, ac fonte Baptiſmatis eos abluens, uni nomen ſuum impoſuit, à quo apud incolas Freſionum hoc nomen enituit. Quo viſo ſuprà memorato miraculo plurima multitudo gentilium converſa eſt ad Dominum: credebántque & baptizabantur quotquot prædeſtinati erant ad vitam æternam.

Ann. Chr. DCC XX. Mart. XX.

Multos baptizat.

IX. *Cur non Rathbodum.*

Præfatus autem Princeps Rathbodus cùm ad percipiendum Baptiſma imbueretur, percunctabatur à ſancto Epiſcopo Wlframno juramentis eum per nomen Domini adſtringens, ubi major eſſet numerus Regum & Principum ſeu nobilium gentis Freſionum, in illa videlicet cæleſti regione, quam ſi crederet & baptizaretur, percepturum ſe promittebat; an in ea quam dicebat tartaream damnationem. Cui B. Wlframnus: Noli errare, inclyte Princeps, apud Deum certus eſt ſuorum numerus Electorum. Nam prædeceſſores tui Principes gentis Freſionum, qui ſine Baptiſmi ſacramento receſſerunt, certum eſt damnationis ſuſcepiſſe ſententiam: qui verò abhinc crediderit & baptizatus fuerit, cum Chriſto gaudebit in æternum. Hæc audiens Dux incredulus, nam ad fontem proceſſerat, infelix pedem à fonte retraxit, dicens non ſe carere poſſe conſortio prædeceſſorum ſuorum Principum Freſionum, & cum parvo numero pauperum reſidere in illo cæleſti regno. quin potiùs non facilè poſſe novis dictis adſenſum præbere, ſed potiùs permanſurum ſe in his quæ multo tempore cum omni Freſionum gente ſervaverat. At beatus Chriſti Pontifex: Heu prô dolor, inquit, deceptum te video à ſeductore, qui humanum decepit genus. ſed niſi pænitentiam egeris, & credideris, & in nomine ſanctæ Trinitatis baptizatus fueris, januam regni perennis non intrabis, ſed æternæ damnationis pœnâ plecteris. Hæc dicente & docente ſancto Pontifice multi Freſionum credebant & baptizabantur, prædicto Rege in paganiſmo perſeverante. Nam à ſacro fonte infeliciter receſſit, etiam & ſanctum Epiſcopum WILLIBRORDUM cognomento Clementem & Doctorem præfatæ gentis accerſiri juſſit, ut ad ejus conſultum ſimul cum B. Wlframno in doctrina ſuæ religionis concordante efficeretur Chriſtianus. Sed quoniam, ut ſcriptum eſt, *in malivolam animam non introibit ſapientia*, & quia dubitando per

Sap. 1.

ANN. CHR. DCCXX. MART. XX. omnia in Fide catholica, & tentando sanctos Antistites loquebatur, ideo obtinere non meruit quod fictè quærebat. Cùm verò ejus legatum super hoc facto beatus suscepisset Willibrordus, respondisse dicitur: Quia prædicationem sancti Fratris nostri Wlframni Pontificis Dux vester audire contemsit, meis quoque qualiter obsecundabit edictis? Nam hac nocte vidi illum in visu catenâ religatum igneâ. Unde certum fore constat, damnationem jam illum subiisse æternam. Cúmque iter carperet quod ad domum ejusdem damnati Ducis ducebatur, nuntiatur & ipsum sine Baptismi sacramento esse jam mortuum: sicque cœptum deserens iter, ad propria repedavit habitacula.

X. Nec prætereunda ratio est, quam de præfato Duce Rathbodo prædicto venerabili Presbytero Ovo narrante didicimus, cur in Christum credere ac fonte regenerationis noluerit mergi. Nam in ægritudine positus, de qua & vitæ præsentis lucem clausit, perpetuásque averni descendit ad umbras, dum sopore deditus foret, deceptor hominum diabolus, qui etiam Dei omnipotentis permissu in Angelum se transfigurat lucis, ei apparuit diademate aureo cum fulgentibus gemmis capite opertus, vestéque auro textili toto amictus corpore: diúque attonitus præfatus Princeps diligenter in eum intendebat stupens ac tremebundus, admirans cujus speciei ac virtutis esset qui sibi apparebat nuntius. Isque multimodæ artis nocendi sævissimus draco inquit ad eum: *Dic*, quæso, virorum fortissime, quis te ita seduxit, ut à cultura deorum & religione prædecessorum tuorum velis recedere? noli ita, obsecro, agere, sed in his quæ hactenus tenuisti culturis deorum permane, ibíque ad domos aureas æternaliter mansuras, quas tibi in proximo sum daturus, ut meorum verborum dictis adstruam fidem. Quapropter cras accersiens Wlframnum doctorem Christianorum, inquire ab eo ubinam sit illa mansio æternæ claritatis quam te pollicetur, si Christianum susceperis dogma, in cælestibus habiturum. Quam cùm demonstrare nequiverit, utriusque partis mittantur legati, eróque dux itineris & demonstrabo illis mansionem eximiæ pulcritudinis ac fulgoris immensi, quam tibi post modicum sum daturus. Qui evigilans sancto Pontifici Wlframno cuncta per ordinem pandit. At ille congemiscens ejus damnationi, ait: Hæc illusio diaboli est, qui omnes vult perire, & neminem salvari. quapropter salva temetipsum, vir nobilis, credendo in Christum, & festina ad fontem Baptismi in quo est remissio omnium peccatorum, & nullo modo fidem accommodes verbis diaboli mendacibus. Ipse est enim seductor qui universum seducit orbem, qui propter suam superbiam de alto cæli culmine prostratus ruit in terram, & ex Angelo benigno dæmon teterrimus effectus est. Cujus invidiâ mors introivit in orbem terrarum, dum primo homini concupiscentiam docuit, atque ad inobedientiæ culpam traxit. Nam qui promittit aureas mansiones largiri sibi credentibus, tartareas potiùs inferi deducit ad sedes, fœtidúmque lacum Cocyti. unde ut ab his pœnis eripi valeas, & bonis frui æternalibus, festina in Christo baptizari, in quo est remissio omnium peccatorum, & per quem vitæ cælestis tribuitur ingressus. Hæc & hujusmodi plura prosequente sancto Pontifice, respondit prædictus incredulus Princeps omnia se facturum quæ jubebat, si illa demonstraretur à suo Deo mansio, quam sibi largiturum spoponderat. Cúmque insuperabilem in cunctis Sacerdos Christi animum illius cerneret, ne à gentilibus alia fingerentur pro aliis, misit continuò cum quodam Fresione suum Diaconum. Qui cùm paullulum ab opido processissent, obvium sibi reperiunt in humana effigie quemdam itineris comitem. qui dixit eis: Properamini citò. nam ostensurus sum vobis mansionem eximiæ pulcritudinis, quæ præparata est à Deo suo Rathbodo Principi. Qui ducem ac comitem itineris prosequentes, loca diu peragrant incognita, donec viam ingredientes latissimam, diversorum generibus marmorum eam cernunt polito opere decoratam:

vidéntque à longè domum auream, ac perveniunt usque ad plateam quæ ante præfatam domum sita erat, & ipsa auro gemmísque strata. Intrantes quoque in domum aurei splendoris & incredibilis pulcritudinis, adspiciunt thronum miræ magnitudinis. Tum ductor itineris: Hæc est, inquit, domus, & ista est pulcherrima sedes, quam post ejus mortem Principi Rathbodo Deus suus largiturum se spopondit. Et Diaconus obstupefactus in his quæ viderat, dixit: Si à Deo cunctipotente facta sunt ista, perpetuò maneant: si autem à diabolo, citò dispereant. Et vallans se continuò sanctæ Crucis munimine, dux itineris qui videbatur homo, evanescendo transiit in diabolum, & domus aurea versa est in lutum: remansérúntque hi duo simul, Fresio videlicet & Diaconus in medio locorum palustrium, quæ plena erant longissimis rhamneis virgultis: triduóque immensi laboris iter conficientes revertuntur ad opidum, invenientes præfatum Ducem Rathbodum sine Baptismatis sacramentis mortuum: narrántque beato Antistiti quantam à diabolo pertulissent illusionem. Fresio autem credidit in Christum & baptizatus est: vocabatur autem INGOMARUS sive Chuningus, qui & ipse ad Fontinellense Cœnobium B. Wlframnum secutus est: induciásque sibi renuntiandi quas putaverat adipisci prædictus Dux minimè valuit impetrare, quia non erat ex ovibus Christi, neque ad vitam præordinatus æternam. Percrebuítque hoc stupendum & antea inauditum miraculum apud incolas gentis Fresionum, atque ex hoc facto plurima ex eis multitudo conversa est ad Dominum. Mortuus est autem infeliciter præfatus Dux Rathbodus anno Domini Dei nostri JESU-CHRISTI, in quem ipse credere contemsit, DCC XIX [a], qui erat annus VI inclyti Principis Caroli. CIRCA AN. DCC XX. MART. XX.

XI. Venerabilis autem Præsul Wlframnus cùm tenuisset Pontificatum Senonicæ urbis annis ferme viginti & novem [b], cum licentia Regis HILDEBERTI & PIPPINI Principis ad prædicandum præfatæ Fresionum genti, sicut divinitus sibi fuerat revelatum, animum convertit, [qui erat annus dominicæ Incarnationis DCC, Pippini quoque Principis annus tertiusdecimus.] Quod opus per annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontinellam Monasterium sæpius revertens, ubi & monachicum adsumserat habitum. In eadem denique prædicatione verbi Dei occupatus, & in majori senectute jam positus, (nam & pedum dolore frequenter vexabatur) ordinato in Episcopatu Senonicæ urbis GERICO [c] venerando Pontifice, secessit ad præfatum Fontinellæ Monasterium, ibique regularibus subditus disciplinis coronam exspectabat æternam. Nam & in hoc Monasterio Basilicam in honore S. Stephani [d] primi Martyris ædificavit, juxta quam mansionem eidem præparaverant Fratres, ubi divino cultui deditus sollicitiùs operis Dei curam exhibebat: quæ distabat à Basilica S. Apostoli Pauli passibus fere triginta. Annis itaque plurimis expers erat lecti, cujus corpus sub monachili tunica cilicium tegebat. Nam & ægrotis medelam ita conferebat, ut quocumque quis languore detentus fuisset, si ab eo visitari, benedici ac contrectari meruisset, incolumitati mox pristinæ reddebatur. Reliquum vitæ degit Fontanellæ.

XII. Vir namque venerandus BERTHGAUDUS Monachus, patruus scilicet WANDONIS Abbatis, ex ea passione quæ Græco eloquio paralysis dicitur, ita Paralyticum oleo sancto sanat.

a Rectè, ut aliàs probabimus, mendosè in nonnullis anno DCXCV.

b In vetustiori codice Gemeticensi vacuum numeri spatium recentior manus supplevit. Certè mendosus est hic calculus, nisi annos viginti novem computes ab anno fere DCXC ad DCCXIX, quo post Frisiacam expeditionem Gerico dignitatem cesserit Vulframnus. Eam enim tenuit S. Amatus ad annum propè DCLXXV. quem inter & Vulframnum quinque Antistites Senonenses interponunt.

c Gericum sibi substitui curavit Vulframnus, antequam in Frisiam proficisceretur, ut patet ex Clario Monacho, & ratio ipsa suadet: prius verò factus Monachus fuerat.

d Nunc Oratorium ædis Abbatialis (si non fallor) eodem in loco cernitur.

CIRCA AN. DCC XX. MART. XX. subitò membrorum dissolutione percussus fuerat, ut & loquelam pariter & omne officium amitteret corporis. Ad quem cùm beatus Christi Pontifex Wlframnus visendum venisset, & eum oleo pontificali benedictione consecrato tetigisset, fugata est ilico omnis molestia morbi, & pristinæ sanitati redditus est. His & hujusmodi miraculorum signis qualis fuerit ejus vita, internus arbiter edocuit. Cujus etiam doctrina id maximè commendabat omnibus, quia non aliter vivebat quàm docebat. Nihil enim hujus mundi quærere, nihil amare curabat. Cuncta quæ sibi à Regibus vel divitibus sæculi donabantur, mox pauperibus hilariter erogabat. Numquam divitibus, honoris sive timoris gratiâ, si qua deliquissent reticebat, sed aspera illos invectione corrigebat, atque ad eleemosynas operúmque bonorum exsecutionem & verbis excitabat & actibus. Denique cùm sacrificium Deo victimæ salutaris offerret, non elata in altum voce, sed profusis ex imo pectore lacrymis Domino vota sua commendabat.

XIII. Mortis præscius, Cúmque in docendo verbum Dei in præfata provincia degeret occupatus, divino admonitus oraculo rediit ad venerabile Cœnobium Fontinellæ, quia diem suæ resolutionis jam proximè instare cognoverat, sicut ipse quoque tempore eodem nonnullis, sed verbis obscurioribus quæ postea manifestè intelligerent, solita sibi benignissima dilectione pandebat, quibusdam hoc idem etiam manifestè revelabat. Reverso autem eo ad Cœnobium Fontinellæ, acri cœpit ardore febrium fatigari, & per aliquod tempus eâdem corporis laborabat molestiâ. In quo toto ipso tempore & Conditori gratias agere, & Fratres publicè & privatim docere non prætermittebat. Admonebat namque eos, ut virtutem dilectionis & pacis ad invicem & ad omnes servarent. Instituta quoque disciplinæ regularis, quæ à sanctæ recordationis Patre Wandregisilo didicerant, vel in ipso vidissent, in Patrum præcedentium factis sive dictis invenissent, indefessâ instantiâ sequerentur. Deinde subjunxit diem sui obitûs jam proximè imminere. Cúmque hæc & hujusmodi plura sanctæ exhortationis verba inter sacra Missarum sollemnia eis loqueretur, atque percepta ejus benedictione de suo tam cito responso tristes flentésque exsisterent, rediit ad stratum quem juxta Ecclesiam S. Stephani Martyris in mansiuncula Fratres eidem præparaverant: ibíque languore corporis quem diu protraxerat per dies ingravescente, septimo ut sibi divinitus promissum fuerat die, postquam obitum suum dominici corporis & sanguinis perceptione munivit, soluta ab ergastulo carnis anima sancta, ducentibus Angelis æternæ felicitatis gaudia & consortia civium petiit supernorum.

Viatico munitus obit.

XIV. Obiit verò venerandus Pontifex XIII Kalendarum Aprilium die, anno dominicæ Incarnationis DCC XX [a]: sepultúsque est primò quidem in Ecclesia beati Pauli Apostoli juxta Sacerdotem Domini Wandregisilum in dextera parte, in quo loco jacuit per annos novem. Sanctus quoque Pater Wandregisilus requievit in eadem Basilica annis quadraginta [b]. Inclytus verò Præsul Ansbertus annis undecim. Translati quoque sunt inde in Ecclesiam beati Petri Apostoli à sancto Baino Episcopo urbis Tarvennæ & rectore Fontinellensis Cœnobii sub anno regiminis sui quinto, qui erat ab Incarnatione Domini DCC XXVIII. Qui ita integri ab omni corruptione cum vestimentis quibus induti fuerant reperti sunt, quasi eodem fuissent die sepulturæ traditi. Hæc ergo dies cunctorum votis præstolata advenerat. Sacerdotes, Monachi, Clericorúmque chori unà cum Fidelibus aderat plebibus. Tunc cum

a Ita codices mss. noster Germanensis & Gemeticensis: in quibusdam mendosè DC XCVI.

b Non ergo eodem anno facta est SS. Vvandregisili & Ansberti, atque Vvlframni translatio. Sed forsitan illorum quidem anno DCC IV, ut legitur in Chron. Fontanell cap. I. illius verò anno DCC XXVIII.

hymnorum laudibus tumuli aperiuntur, de quibus tantus ineffabilis fragrantiæ odor prodiit, ut mira dulcedine non solùm in Ecclesia circumstantem populum, verùm in atriis sitam repleret plebem. Illati sunt autem in Ecclesiam sancti Apostoli Petri, & positi in absida ejusdem in orientali parte, ubi signis & miraculis coruscant præsule Christo, cui est cum Deo Patre in unitate Spiritus-sancti omnis honor & gloria per cuncta sæcula sæculorum, Amen. ANN: CHR. DCC XX. MART. XX.

APPENDIX

De S. Wlframni Reliquiis & Miraculis.

DE S. *Vulframni Reliquiis non levis quondam fuit altercatio adversus nostros Fontanellenses. Id testatur Monachus anonymus in libello de Inventione corporis S. Vulframni, quam Fontanella suo tempore, hoc est anno fere* M XXVII, *accidisse describit. Nam relata ejusmodi inventione ista subdit:* Unde nimirum desipere, immo insanire credendi sunt, quicumque se S. Wlframni corpus contendunt habere vel alibi arbitrantur jacere: cùm nulla nixi auctoritate valeant quæ opinentur approbatum ire. *Quosnam hîc designet Auctor, satis innuit in consequentibus.* Jam verò quòd sublatis SS. Wandregisili atque Ansberti corporibus gentilium metu is relictus sit *Vulframnus*, liquidò constat, neque ulla valet ratione refelli. Nam & in illa historia antiquorum diligentiâ litteris procurata, in qua sanctorum nomina & miracula, scilicet Wandregisili & Ansberti continentur scripta, hujus Sancti nomen vel mentio nusquam reperitur vel semel inserta. Contentio de corpore S. Vulframni,

2. *His verbis notat Blandinienses Monachos, qui cùm ab anno* CM XLIV *SS. Vuandregisili & Ansberti corpora possiderent, etiam S. Vulframni Reliquias, id est corpus se habere gloriabantur. Nec solùm id apud vulgus, sed etiam apud primores increbuerat. Arnulfus Flandriæ Comes, qui Blandiniensibus fuerat auctor obtinendi hujuscemodi Reliquias, in charta quadam Blandiniensi Monasterio concessa sic præfatur.* Ego in Dei nomine Arnulfus Flandriæ Comes & Marchisus, non meis meritis, sed divina suffragante misericordia Monasterii Apostolorum Principis, quod vocatur Blandinius, à S. Amando in vico Gandavo constructum, & in honore SS. Apostol. Petri & Pauli consecratum, ubi modò requiescunt CORPORA SS. Confessorum Wandregisili Abbatis, Ansberti Archiepiscopi, WLFRAMNI Præsulis, & beatissimæ Amalbergæ Virginis, Princeps & Rector, *&c.* Datum VI Id. Julii, anno ab Incarn. Domini CM LIII. *Idem habet charta* Wicmanni Comitis, *data* anno CM LXII. *& alia duorum* Arnulforum anno CM LXXXI. *Cùm igitur intelligerent Fontanellenses, hunc rumorem spargi in vulgus; S. Vulframni corpore apud se (ut adserebant) invento, de eo cum Blandiniensibus expostulare cœperunt. Certè in libello qui SS. Vuandregisili & Ansberti varias delationes per seculum* IX, *variáque miracula continet, nulla fit mentio corporis S. Vulframni: cùm tamen ista relatio ab Auctore oculato descripta sit. Libellum edidimus Seculo 2 ad ann. 667, ubi S. Vuandregisili Acta dedimus. Et tamen in pervetusto Chronico de gestis Nortmannorum, quem è codice ms. Montis-Dei edidit Andreas Chesnius tomo 2 Hist. Franc. memoratur Vulframnus cum Vuandregisilo & Ansberto inter illos Sanctos, quorum corpora ob Nortmannorum incursiones in castrum S. Audomari delata sunt anno* DCCC XLVI. *In alio libello ms. quem composuit quidam Monachus Blandiniensis de adventu SS. Vuandregisili, Ansberti & Vulframni in montem Blandinium anno* CM XLIV, *satis ille declarat, S. Vulframni corpus istuc etiam fuisse delatum. Nam de Arnulfo Comite Translationis auctore agens,* Hic est, *inquit,* Arnulfus, qui beatissimum Sacerdotem Domini Wandregisilum & claros Archipræsules Ansbertum & Wlframnum hodierna attestante sollemnitate huc transtulit: *tametsi enumerando Reliquias tum Vuandregisili & Ansberti, cùm Vulframni, minutiores tantùm, vestimentorum scilicet exprimit, quòd antea transferendorum* corporum *meminisset. Huc verba transscribenda sunt.* De Reliquiis supradictorum sanctorum Wandregisili, Ansberti, atque Wlframni hæc nobiscum detulimus. De casubula S. Wandregisili *&c.* Hæc verò sunt quæ de S. Ansberti habemus Reliquiis: Tunicam ejus, *&c.* Ex S. Wlframni dalmatica pars est apud nos maxima & cultellus cum vagina. *Hæc pro causa Blandiniensium Monachorum, cui favere videtur Ordericus Vitalis in Hist. lib. 6.* Blandinienses inter, *apud Chesnium in Probat. Gand. & Guisn. pag. 43. ibid. pag. 45. 48.*

3. *Ex adverso opponebant Fontanellenses inventionem corporis S. Vulframni à se factam* Fontanellenses,

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

anno M XXVII. *cujus inventionis historiam latè describit Auctor anonymus tomo 3 Spicilegii Acheriani editus, ex quo potiora dumtaxat huc referemus. Varia dein leguntur corporis sancti Vulframni delationes. Una Rotomagum facta anno* M LIII, *infrà. alia anno* MCC XXXVIII. *Sic enim in brevi Chronico ms. Fontanellensi:* anno MCC XXXVIII corpus S. Wlframni translatum fuit, *id est sollemni pompa delatum*, in capsa argentea & deaurata. *Et anno* M CCCC LVII, pestilentia magna Calidobecci (*Caudebec opidi ad Sequanam prope Fontanellam*) mense Maio, & corpus S. Wlframni ibi delatum fuit per sex Religiosos indutos cappis cum gente ecclesiastica & populo 6 die Maii: & statim cessavit mortalitas meritis Sancti. *Tum* anno M CCCC LVIII, S. Wlframni corpus delatum fuit Rotomagum propter mortalitatem & epidimiam 12 Julii, & cessavit mortalitas meritis Sancti. *Postea* annis M CCCC LXIX. Calidobeccum; LXXI apud Harfleu & Monstiervillers; LXXIX Duroclarum; Aussy *anno sequenti, propter eamdem causam. Denique plurima miracula S. Vulframni meritis Fontanella facta referuntur in Martio Bollandiano, ex quibus pauca seligemus. Ne quis verò istius elevationis historiam elevare contendat, occurrit Ingulfus Auctor gravis, ex-Priore Fontanellensi Abbas Crulandensis in Anglia, qui eo tempore S. Vulframni corpus Fontanella exstitisse, & se ejus brachium Fontanellâ Crulandiam detulisse adfirmat circa finem historia sua.*

& Abbavillenses.

4. *Et tamen cives Abbatisvilla seu Abbavilla, urbis praclara ad Suminam Somenamve fluvium in Pontivo, S. Vulframni corpus honorant in insigni Ecclesia collegiata ante annos quingentos, istuc (ut aiunt) translatum ex Monasterio Fontanellensi: proferuntque diploma* Johannis Comitis Pontivi, *datum* anno MC XXI. (*forsan* LXI *aut* LXXI, *ut suspicantur socii Bollandiani*) *in hac verba:* Ego Johannes Comes Pontivi, notum facio quòd Ecclesiam S. Wlframni ad titulum Capellanorum antiquitus ædificatam & beneficio antecessorum nostrorum dotatam & fundatam in duodecim Capellanos; nos divina inspiratione commoti ob salutem animæ nostræ fecimus, instituimus, & Deo dicamus & B. Wlframno viginti Canonicatus & Præbendas, quas statuimus & ordinamus esse cum Capellaniis ejusdem ad honorem Dei & ampliationem divini cultûs in eadem Ecclesia S. Wlframni. *Dein* anno M DC LXII. die 21 Maii, *Ill. Franciscus Favre Ambianorum Episcopus reseratâ capsâ argenteâ invenit* duas schedulas ex pergameno, suo utramque munitam sigillo integro: *unam* Richardi Ambianensis *Episcopi, qua testabatur repositum à se corpus S. Vulframni in eadem capsa* anno MCC V. *alteram* Willelmi Pontivensis Comitis *idem attestantis. Invenit etiam* antiquum manuscriptum ex pergameno in quo descripta continentur Vita & miracula S. Wlframni auctore Jona Monacho Fontanellensi. *demum à se & circumstantibus* visa sunt omnia ossa corporis humani, eáque integra & solida. *In Cymmeriis his tenebris pedem figere prastat quàm temerè progredi aut otiosè fatigari. Ingelramnus Abbas Centulensis, quem* honori S. Wlframni cantus proprios aptavisse *diximus, id videtur prastitisse rogatu Abbavillensium, qui forsitan jam tum corpus S. Vulframni habere se putabant. Nunc lis de corpore S. Vulframni sopita est. siquidem Fontanellenses & Blandinienses iis quas habebant Reliquiis spoliati sunt à Calvinistis, nisi quòd Fontanellenses caput Sancti huic cladi (ut aiunt) ereptum etiam nunc ostendunt.*

HISTORIA INVENTIONIS, ET MIRACULORUM

PARS PRIMA,

Auctore Monacho Fontanellensi, qui rebus fere omnibus præsens interfuit.

Ex tomo 3 Spicilegii Acheriani & ms. cod. Fontanell.

Gerardus ex Monacho Latiniaci Abbas Crispeiensis,

I. ERAT tunc temporis florente Nortmannorum patria & multis affluente divitiis sub Marchione Richardo quidam Monachus de Cœnobio Latiniacensi, cui præerat vir industrius & in omni divina atque humana philosophia inter Francos nulli inferior, nomine HERBERTUS: cui prædi-

dictus Monachus nomine GIRARDUS in regulari se subdiderat disciplina devotus. Qui cùm processu temporis vitæ merito diatim succresceret, posteriora oblitus ad ea quæ antè sunt se ingenti desiderio extenderet, monasticæ vitæ tenorem neque ad dexteram, neque ad lævam declinando enixiùs sequens ceteris præstaret; in castro Crespeio sub Comite Walterio [a] Abbatis meruit ordinatione sublimari, primúsque eumdem locum fundavit, & regulari institutione excellenter excoluit. Hic itaque comperta tanti Principis bonitate, ad eumdem ut ceteri accedere curavit: qui eum satis honorificè suscepit, necessaria dapsiliter indulsit, ac post multa quæ enarrare perlongum est, superiùs memoratum Fontinellæ Cœnobium tandem ut dignaretur suscipere poposcit, in cujus reædificatione multa se largiturum repromisit. Quid multa? quia res à Deo præordinata erat, Gerardus Abbas petenti gratanter adsensit, & ad regendum sanctum illum locum suscipere tandem non distulit. Unde admodum gavisus Princeps inclytus, ilico virum strenuum ex officio cubiculariorum nomine Roscelinum destinavit, ut Fontinellæ Monasterium illius dederet potestati. Quo ita suscepto [b] Gerardus Abbas non multo pòst, eum quem priùs tenuerat locum quibusdam ex causis sibi displicentibus, sed magis ut pòst patuit, nutu & dispensatione Dei deseruit. Verumtamen ex Monachis & famulis quos educaverat, probiores quosque, quíque ultro sequuti sunt eum, secum adduxit, & in suscepto nuper loco constituit, &c.

Ann. Chr. DCCXX. Mart. XX.

dein Fontanellensis,

2. Cùm igitur idem Pater de elegantiori reparatione loci quem susceperat, cum Fratribus sæpe tractaret; placuit tandem, & res eis digna visa est, ut infra ambitum Templi S. Petri quod eatenus humile valde erat, statutis columnis fornicibúsque per eas orditis cryptæ deberent erigi. Sed cùm adhibitis operariis molirentur opus dispositum, & paullo altiùs, quia res ita poscebat, effoderent humum; tria sepulcra seriatim disposita ex optimo lapide patrata repererunt: quibus singillatim apertis, in duobus quidem quæ in medio ceterorum altrinsecùs positorum locata erant, & ex nominibus S. Wandregesili atque Ansberti videbantur titulata, nihil præter pauculas pulverum reliquias, in quibus resoluta sanctorum corporum caro defluxerat, invenerunt. Cùm verò tertium quod ad dexteram S. Wandregisili situm erat, & S. Wlframni esse tam positione ipsa quæ in gestis ejus describitur, quàm apertissima tituli designatione, luce clariùs constabat, admotis manibus resignarent, integerrimum sanctum corpus repererunt: ex cujus etiam sacerdotali veste cum qua (ut legitur) sepultus fuerat, auri sescunciam collegerunt, quod postmodum in opificio argenteæ tabulæ in usum sacri altaris paratæ, probatur expensum.

S. Vulframni corpus invenit.

3. Unde nimirum desipere, immo insanire credendi sunt, quicumque se sancti Wlframni corpus contendunt habere, vel alibi arbitrantur jacere, cùm nulla nixi auctoritate valeant quæ opinantur approbatum ire. Accedant ergo quicumque sunt illi, & inspiciant sepulcrum Sancti, audiántque scriptum quòd ad dexteram sancti Patris Wandregisili positum fuerit: mirentur quoque & dicant, cujusnam ossa alterius in eo inventa sint. Certè post delationem & fugam Sanctorum, si aliquis eum qui relictus erat quæsiturus latenter & cum diligenti cautela propter timorem paganorum qui cuncta latè tenebant, ad locum sepulturæ ejus accessit, & cum egesta humo & reserato busto subripuit; quisnam, quæso, alium in loco ejus depo-

Expostulatio Auctoris in Monachos Blandinienses.

[a] Hîc habes conditorem & primordia Monasterii Crispeïensis S. Arnulfo Martyri nuncupati, quæ ad initium sæculi XI revocanda sunt. In lib. I Mirac. S. Agili Abb. Resbacensis Sæculo 2 ad ann. 650, *Hugo Abbas Monasterii Crispiensis, Monachus autem Cœnobii Resbacensis*, Resbaci obiisse dicitur. Nunc Monasterium Crispeïense est Prioratus Ord. Cluniacensis.

[b] Nempe anno MXXVII. nam quadriennio pòst cæsus est anno MXXXI, infrà num. 4.

Ann. Chr. DCC. XX. Mart. XX.

fuit? vel ubi quem ibi positurus erat quæsivit? aut quare eo sublato, restituere alium tam sollicitè curavit? numquidnam verebatur, quod falsum est, si locus ille desertus erat, sepulcro vacuo reperto reus teneri? si verò inhabitatus, ut quid tantas quæ furibus contrariæ sunt, moras alium effodiendo, & ibidem reponendo innexuit? Sed indulgendum planè est talium devotioni, non tamen adquiescendum undecumque exorto errori: quia revera si non habent corporalem illius præsentiam, possunt tamen, si fides adsit, devota mereri intercessionum suffragia. Nos autem quibus à Deo indultus atque reservatus est talis tantúsque thesaurus, pervigiles excubias & competens dignæ servitutis obsequium dependamus, divinis eum laudibus & sincera cordium devotione prosequamur: quatinus de cujus præsentia non immeritò gratulamur, præsidium ejus opportuno tempore experiri mereamur. Mutemus mores, vitam corrigamus, sancti habitus reverentiam teneamus: sicque divinum altare congruis votorum donariis cumulemus, ut & ipsi sanctuarium Dei, ara, odoratumque sacrificium ipso Sancto opitulante & pro nobis orante mereamur inveniri. Jam verò quòd sublatis sanctorum Wandregisili atque Ansberti corporibus gentilium metu is relictus sit, liquidò constat, neque ulla valet ratione refelli. Nam & in illa historia antiquorum diligentiâ litteris procurata, in qua sanctorum nomina & miracula scilicet Wandregisili & Ansberti continentur scripta; hujus Sancti nomen vel mentio nusquam reperitur vel semel inserta: quod proculdubio nullatenus posset fieri, nisi sacratissima illius ossa translatores aliorum se ibidem meminissent reliquisse, gratiâ certæ rationis. Sed quia quorumdam temeritas eò vanitatis processit, ut libellum de translatione & miraculis Sanctorum infalsare præsumserint; non mirum verò tale quid hos perpetrasse, cùm divinæ auctoritatis libros corrupisse quosdam noverimus. Legant qui velint gloriosum illud miraculum, quod in libello de virtutibus sanctæ Bertæ * continetur, quomodo curatus sit quidam longo tempore mutus per merita sanctorum Wandregisili atque Ansberti, cùm apud Blanziacum, ubi eadem sancta Berta requiescit, exsularent eadem tempestate, imponentibus videlicet singulis, id est SS. Wandregisilo, Ansberto, & S. Berta manus singulas super singula infirmitatis illius loca. Ubi profectò de hoc sancto & glorioso Præsule Wlframno omnimodis reticetur, utpote qui in illa translatione paganorum metu perpetrata illic non interfuit. neque enim à loco suo quo sepultus fuerat, cum ceteris translatus erat alibi; sed, ut dictum est, & manifestis approbatur indiciis, Fontinellæ fovebat solum pretiosis cinerum suorum patrociniis.

* infrà ad ann. 725.

Sancti corpus in loculo ligneo impositum altari.

4. Inventum igitur, ut præmissum est, sancti Præsulis Wlframni pretiosum corpus, & in ligneo locello pro tempore aptato, (quia nimirum tanta erat adhuc loci pauperies, ut unde decentiùs fieri deberet pretiosi metalli species deesset) cum reverentia & honore reconditum, super sacrum altare repositum est, & deinceps digna veneratione celebratum: ubi usque hodie, si fides petentium exigit, maximâ pollet gloriâ virtutum, multáque præstat petentibus se beneficia sanitatum: ex quibus ea dumtaxat quæ nostris inspeximus oculis, hinc narrare aggrediemur, paucis tamen priùs explicitis, quæ series historiæ præterire nos dehortatur.

Campanile fulmine eversum instaurat Gerardus.

5. Non multo pòst namque orta die quadam repentina tempestate collectóque in nubibus aëre, subitus increpuit tonitrus, & inundantis pluviæ imber erupit vehementissimus, coruscationésque resplenduerunt crebris luminibus: & ecce fulmen per aëra devolutum cum fragore terribili impegit Fontanellensis Ecclesiæ in clangorium, cujus tantùm crucem violenter acsi gladio truncatam ad terram dejecit, turriculámque cui superimminebat, usque

usque in inferiorem arcum, acsi vetus indumentum scidit: quæ postmodum eo casu contrita ex ea parte cecidit. Quapropter Gerardus Abbas tres quæ restiterant partes everti fecit, & aliam ambitu latiori turrem cum suis absidis in crucis modum dextrâ lævâque fundari præcepit: in cujus ædificio quoad vixit, ingenti studio insudavit, & per viginti ferme annos tandem in vita sua ad effectum perduxit. ANN. CHR. DCCXX. MART. XX.

6. Interea erat quædam matrona nobilis, opibus magnis & divitiis pollens, nomine Herlevis, quæ difficultate partûs aliquando cœpit vehementer periclitari. Cúmque diebus octo eo dolore satageret, atque ita ut morti proxima videretur deperiret, nullóque remediorum genere neque votis ad multorum nomina Sanctorum promissis quidquam proficeret; tandem prosperiori usa consilio, sancto Patri Wlframno, de cujus meritis pleniùs edocta fuerat, decem libras denariorum deferri præcepit, & majora, si se de præsenti liberaret internorum tortura, munera repromisit. Nec mora eunte qui missus fuerat cum votis & munere, illa puellam enixa est, talique exemplo exemta periculo, mortis imminentis evasit discrimen. Unde actum est, ut ex illa die sanctum Wlframnum ut ereptorem suum nimio cordis affectu coleret, locum hunc quem antea vehementer aversabatur, in multis honoraret, & circumpositorum saltuum largiorem nobis nostrísque hominibus copiam tam in pascuis pecorum, quàm in ceteris lignorum usibus indulgeret. Nam & dormitorium ad æternam sui memoriam propriis expensis, quale nunc cernitur, ædificari fecit, ubi expleto vitæ præsentis cursu & sepulturam promeruit.

Mulier per S. Vulfram-num partûs periculo liberatur.

7. Eadem quoque tempestate, alia quædam illustris femina nomine IMMA, quæ mutato habitu ad hunc accesserat locum, & prædia sua, id est Cruciolam, & Tergis-villam, sed & Broilum ex integro contulerat, post alia innumera beneficia refectorium illi dormitorio à plaga orientali contiguum proprio sumtu construi fecit. Verùm enimverò prædicta matrona ut suum amorem quem erga sanctum habebat Wlframnum operibus approbaret, reconditorium illi argenteum, quod antea ligneum erat, componi jussit, in cujus opificio probati argenti medium talentum cum auri pondo expendit: factúmque est tale opus, quale nusquam eo tempore in tota Nortmannorum patria poterat reperiri. Sed cùm constituta dies quâ in illo debebat loculo reponi, advenisset, Abbas Gerardus corpus Sancti ad Ecclesiolam sanctæ Dei genitricis MARIÆ præcedentis vesperâ diei fecit deferri: mane verò facto adhibitis secum duobus Fratribus illuc perrexit, cum quibus sacratissima ossa ejus optimo vino lota primò in sindone nova, deinde pretiosissimo ex purpura involuta pallio, quod nobilissimus Rotomagensium Archiepiscopus Rotbertus ad hoc direxerat, honorificè contexit: sicque in præparato jamdudum scriniolo deposuit, quod accito aurifice diligenter claudi clavísque fortiter, ne deinceps aperiri posset, configi coram se fecit. Sanctorum nihilominus Confessorum HEREMBERTI Tolosani Pontificis, & Eremitæ CONDEDI corpora in uno pariter loculo, beatorum quoque Martyrum MAXIMI & VENERANDI decenter reposuit in alio. Interea Gradulfus tunc Decanus ceteríque Fratres eò evocati decentérque ornati, cum crucibus ac cereis unà processerunt, quos prædicta matrona cum plurima suorum cohorte ac populo ad hoc undique congregato subsecuta est. Cúmque illuc ventum esset, cum maxima omnium lætitia Sancti corpus in humeris levatum inde effertur, sicque psallendo usque ad Basilicam S. Wandregisili delatum super sacrum altare deponitur: & idcirco dies illa cum tripudio spiritualis gaudii & epularum apparatu largiori exacta, de cetero festiva per annos singulos ibidem recolitur.

Imma corpus Sancti thecæ argenteæ includit.

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX. anno 1027.

Facta est autem hæc translatio anno dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo septimo Kalendis Junii, HENRICO Rege Francorum regnum præter matris suæ voluntatem invasum tenente, principatum verò Nortmanniæ tertio RICHARDO legali modestia disponente.

Digressio de Ducibus Nortmannicis.

8. Nam is defuncto Patri Richardo secundo, de quo suprà meminimus, in regno successerat. Huic autem tres tantummodo fratres erant, WILLELMUS videlicet, qui postea Arcas castrum in pago *Tellau* [a] primus statuit, atque MALGERIUS qui postmodum in urbe Rotomagensi paucis annis Archiepiscopatum tenuit. Hos autem PAPIA matrimonio Richardi potita secundi edidit, cujus fratres ANSFREDUS, & OSBERNUS istic Monachum professi sunt. ROTBERTUS verò ex alia matre, scilicet JUDITA oriundus, qui ei, utpote major natu, in brevi defuncto successit: nam neque annum in principatu immatura præventus morte peregit. Hic autem Rotbertus acer animo, & prudens priores suos virtute quidem & potentiâ exæquavit: sed pravorum consultu, utpote in primævo juventutis flore constitutus, æquo ampliùs attendens, Regnum quod florens susceperat, in multis debilitavit. Verùm non multo pòst cælesti respectus gratiâ & bonâ quæ inerat illi naturâ, & consilio jutus resipuit, & eos quorum pravitate à recto deviaverat, à suo consilio atque familiaritate sequestravit, suæque jugo potentiæ versa vice fortiter oppressit, ac se in libertatem quæ se decebat vindicavit: atque ita propter præteritorum ignorantiam profectus Hierosolymam profundè pænituit. sed in redeundo malignorum perpessus insidias, qui ejus æquum (quod jam experti erant) verebantur imperium, veneficio (ut didicimus) apud urbem Nicæam occubuit [b], ibique intra sanctam civitatis illius Basilicam, (quod nulli alii mortalium concessum est) honorificâ donari sepulturâ promeruit. Verùm vir tantus non pravorum tantùm malignitate, quàm divino, ut credi fas est, judicio decessit, qui jam unus eorum effectus erat, quibus, ut Apostolus conqueritur, dignus non erat mundus. Idcirco enim nobis est ablatus, quia jam placens Deo pænitudine, factúsque dilectus virtutis amore, eo dignus noster non erat mundus, refertus dolo & iniquitate: sed ille mons Dei sanctus, in quo habitabit quisquis justitiam operatur. ac per hoc hinc raptus ubi jam refrigescente caritate abundat iniquitas, translatus est quò justitia suos mittit thesauros, ubi æterna est caritas. Sed de tanto Principe multa memoriæ digna poterant dici, quæ præterire necesse est gratiâ suscepti negotii.

Gerardus occiditur.

9. Sub hujus itaque tempore Gerardus Abbas ætate maturus, regularis Ordinis observantia præcipuus, anno videlicet ducaminis illius quarto, nocte subsequentis sabbati in suo lecto peremtus, martyrio (ut credimus) coronatus est, quia pro veritate occubuit. Nam quidam non Monachus, sed potiùs dæmoniacus, & antea in sæculo homicida cruentus, quiescentibus ceteris Fratribus atque gravi sopore sepultis, latenter surrexit, & prædictum Patrem post laborem diei quem in jejunio, & orationibus ex more suo expenderat, tandem quiescentem

a Nunc pagus ille vocatur *le Tallou*, in quo visitur opidum Arcæ, *Arques*, hîc memoratum, & Deppa aliud opidum famoso portu nobilitatum. Ordericus Vitalis in historia sua passim memorat *Talogium*, exempli gratiâ, *Arcas & Comitatum Talogii*, lib. 7. pag. 657 editionis Chesnianæ, & lib. 11 pag. 843; *Talou* lib. 12 pag. 844 & 853. Hinc corrigas ea quæ de pago *Tellau* conjectavi Sæculo 2 in Vita posteriori S. Vvandregisili ad annum 667, ubi *villa Vvitlaicus in pago Tellau super fluvium Eora sita* dicitur. Ordericus ipse in lib. 12 pag. 864, *novem fluvios* enumerat ab Juliobona seu Illebona opido in Caletis ad Aucum fluvium, qui Neustriam dirimit à tractu Vvimnacensi, *le païs de Vimeux*; nempe *Guiteflедam, & Talam qua Dum modò dicitur, Sedanam, & Belnaïum, atque Sedam, Guarenam, & Deppam & Earam,* forsitan *Eoram*, l'*Yers*.

b Ordericus Vitalis in Hist. lib. 3. Rotberti obitum consignat anno M XXXV, eique tribuit instaurationem Abbatiæ Cerasiacensis apud Bajocasses.

invadere præsumsit, atque securim quam perinde propterea involverat, in dextrum illius tempus toto annisu libravit: sicque celeriùs fugâ lapsus inter noctis tenebras & ingentis pluviæ undas, quæ solito densiores fluebant, delituit, spiritúmque malignum quem in hujusmodi scelere habuit suasorem, in fugiendo secutus est detestandi itineris ductorem. Revera enim qui in ipso mundi recentis exordio truculentum Caïn in necem justi fratris Abel armavit, Judæque perfido in fine sæculi traditionis audaciam adversus pium Magistrum inspiravit; ille idem procul dubio huic etiam misero paria nequitiæ arma ministravit, & exsecrandæ præsumtionis temeritatem suggessit, quatinus innocentem virum, caritate fratrem, magistrum officio, crudelis parricida & funestus patricida addiceret supplicio mortis. Facta sunt autem hæc anno Incarnationis dominicæ millesimo trigesimo primo, tertio Kalendas Decembris. Exstitit autem religiosus idem Pater origine carnis ingenuus ex pago Medantissæ, & patrimonio Jelia oriundus, cujus pater Fulbertus, mater verò Ailendis dicti sunt. Carnoti tempore FULBERTI Præsulis undecumque doctissimi litteras adolescens didicit: ubi HERBERTUS ex Judæis ortus, sed à puero Christianus, in omni litterarum peritia tunc temporis, & cantandi arte vocisque excellentiâ inter ceteros maximè florebat. Erat enim Regis Francorum ROTBERTI & prædicti Fulberti condiscipulus, auditor verò GIRBERTI philosophi, qui postmodum ex Monacho urbis Remensis tenuit Pontificatum: unde per invidiam quorumdam ejectus, ad apicem dignitatis apostolicæ, merito incomparabilis scientiæ demum in urbe Romulea est provectus. Hujus, ut præmissum est, Herbertus doctrinis liberaliter institutus, non multo pòst sancti Benedicti disciplinis in Monasterio Latiniacensi [a] se submisit regularibus: quem præfatus juvenis Gerardus ad bonum æmulatus, animo & corpore illuc pariter subsecutus, atque ad summum Religionis monasticæ cælesti præventus gratiâ tenorem pervenire promeruit: cui cælestis favor in ipso etiam vultu & habitu non deerat. Nam decoram illius faciem canities gratificabat honesta, staturâ procerus, ore suavis erat & facundus; nihil indecens in eo, vel incompositum deprehendebatur.

Ann. Chr. DCCXI. Mart. XX.

anno 1031.

Fulberti discipulus,

cum Herberto Latiniaci Monachus. [a]

10. Huic tam egregio Patri GRADULFUS ab eodem in disciplina regulari pridem educatus, sub ipso autem tunc Decanus, sed in monte sanctæ Trinitatis [b] ad ædificandum eum constitutus, exigentibus bonæ vitæ meritis quibus abundè pollebat, multísque bene innotuerat, regimine successit jussu Rotberti Principis, cujus suprà nos meminisse non excidit: atque per annos sedecim quibus supervixit, sagaciter susceptum officium & modestè disposuit, locúmque sibi commissum in omnibus augmentare curavit. Hic etiam anno suæ ordinationis secundo Ecclesiam principalem quam Pater Girardus ædificaverat, dedicari in magna gloria & honore ingenti fecit, in honore scilicet sancti Petri & omnium Apostolorum, sanctíque Wandregesili, & omnium Sanctorum, à magnifico viro secundi Richardi fratre ROTBERTO nomine, Rotomagensis videlicet urbis Pontifice, sed & HERBERTO Lisiacensis * civitatis

Gradulfus successor curat Ecclesiam dedicari. [b]

* *de Lisieux*

[a] De Monasterio Latiniacensi, vulgò *Lagny*, ad Matronam fluvium in pago Parisiaco, egimus Sæculo 2 in Actis S. Fursei & S. Æmiliani Abbatum.

[b] Monasterium montis S. Trinitatis prope Rotomagum, postea S. Catharinæ, ante annos LXX dirutum, recens Carthusiensibus cessit. Isti Cœnobio primus præfuit Isembertus, de quo infrà. Ordericus Vitalis in Hist. lib. 3 meminit istius Cœnobii his verbis; *Goscelinus de Archis extra muros Rotomagi in monte S. Trinitatis, Cœnobium quod vulgò S. Catharinæ dicitur, fundavit: cui venerandus Abbas* ISEMBERTUS *sapientiâ & religione pollens præfuit.* Lege Vitam S. Simeonis Reclusi Sæculo 6 Bened.

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX doctissimo Præsule, necnon & ROTBERTO nobilissimo Antistite Constantiæ * urbis. Interfuerunt quoque nobiles nonnulli sapientiáque pollentes Clerici, sed & Abbates vicinorum Cœnobiorum cum pluribus Monachis, populorum etiam multitudo innumerabilis. In ipsa autem die inter sacra Missarum sollemnia vir optimus & in omni liberalium disciplinarum experientiâ probatissimus ISEMBERTUS Abbatis est benedictionem consequutus: cujus postmodum urbs Rotomagensis scientiâ ac bonitate frui meruit, sed pauciori tempore quàm expedierat sibi. Porro ea dies in divinis laudibus reverenter expensa, annuo recursu facta est decetero celebris, & populo terræ pia devotione pridie Idus Septembris sollemnis.

* Coutance

Pratellensi Monasterio officinas & Abbatem providet.

11. Per idem fere tempus quidam vir quantùm ad sæculi gloriam genere spectabilis, opibus dives, & amplissimo pollens honore, HUMFREDUS nomine, Cœnobium in proprio fundo qui Pratelhis nuncupatur, ædificare disposuit, quem & antiquitatis [a] auctoritas & situs loci tali negotio opportunus commendabat. qui accersito Gradulfo Abbate, (nam ei valde familiaris erat) ejus consilio qualiter Monasterium ubi officinæ ædificarentur Monachorum præcepit metiri, & omnia, ut prædictus Pater dictaverat, ordiri fecit: atque in parvo tempore, utpote cui cuncta suppeditabant quæ hujusmodi operis flagitabat expensa, ad effectum perduxit; sicque demum eumdem locum ad regendum illi contradidit. ubi ille acceptâ potestate Monachos ex suis constituit, ac post multa quæ narrationis brevitas refugit, Abbatem ANSFREDUM nomine, secundùm sancti BENEDICTI Regulam sibi professum ordinari fecit: sub quo prædictus vir non multo pòst sanctæ Religionis habitum abruptis mundi impedimentis humiliter suscipiens, vitam honestam laudabili fine conclusit.

Coadjutor Rotomagensi Pontifici destinatus,

12. Sed cùm Fontinellæ locus diatim sub tanto rectore proficeret, atque illius fama bonitatis multis spectabilis foret, episcopalis autem honor sanctæ sedis Rotomagensis paullulum multis ex causis declinaret; visum est Pontifici Malgerio præfatæ Metropolis, quod & omni Clero plebíque non mediocriter placuit, ut eumdem Gradulfum Abbatem sibi substitueret, & Vicarium sub se benedictione insigniret episcopali, ut res quibus se minùs sufficere perpendebat, ille sua vice suppleret. Cùm autem dies desiderata instaret, ut super hoc negotio Principi suggestio fieri deberet; ipse ad Monasterium (nam Rotomagi erat) de hoc apud se deliberaturus reversus est: tertia verò die corporis subitò tactus infirmitate ad extrema pervenit; acceptáque corporis dominici & sanguinis communione decessit, Fratrésque quos suâ destituebat præsentiâ desiderabili, nimio confectos dolore reliquit. Obiit autem anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo septimo, pridie Nonas Martii.

morte prævenitur,

anno 1047.

Rotbertus succedit,

13. Huic successit frater illius pro carnis origine, nomine ROTBERTUS, anno ferme duodecimo principatûs WILLELMI Comitis, quem genuerat Rotbertus Comes inclytus, de quo superiùs satis pauca diximus. Hic autem à patre valde tener ac parvulus in regno relictus, multa incommoda & adversa pertulit: sed

[a] His verbis innuit Auctor eo in loco antiquitus exstitisse Monasterium. Certè Ansegisus Abbas Fontanellensis *solidos quindecim ad Pratellos* legasse dicitur in Chron. Fontanell. cap. ult. In isto Monasterio Pratellensi, vulgò *Preaux*, uno miliari à Ponte-Audomari opido, floruit initio sæculi XII Ricardus Abbas, in Scripturis sacris versatissimus; cujus commentarios in plerosque Scripturæ libros vidimus. Porro in ipso loco Pratellis Monasterio virorum propè adjacet Cœnobium Virginum Benedictinarum, ædificatum ab Hunfredo de Vetulis, Turoldi filio, apud Ordericum lib. 3.

juvante se gratia divina, cum ipsa pueritia omnia discrimina quibus opprimebatur exuit, suorúmque ultor acerrimus inimicorum, qui sibi fideliter obsecuti fuerant honoribus extulit, potentiâ sublimavit, finésque sui regni crebris munitionibus adversus finitimas gentes ne eatum paterent incursibus, vehementer firmatas cinxit: atque nuncusque sub cælestis Regis imperio Monarchiam regni pro arbitrio potenter disponit, cunctis per circuitum Regnis & nationibus, aut fœderatis sibi opportunus, aut infensis formidolosus. Sub hujus statim initio regni gravissima fames in universa terra facta est, qualem nemo mortalium se vidisse vel audisse meminit, quæ per septem annos continuos orbem oppressit, frequentes urbes & castra multa populorum constipatione pridem referta, sive villas & burgos ita depopulata est, ut ædificiis passim dirutis rarus incola inveniretur. Fuerunt etiam nonnulli quos victualium egestas ad vescendum humanas carnes (quod dictu quoque grave est) contra fas impulit, & homicidio miseram vitam crudeliter exigere instigavit. Præterea clades & pestilentiæ cælitus super mortalium genus tot talésque exstiterunt, quales nullus retro actorum temporum relator antehac exstitisse, litterarum indiculo dereliquit. Nam & ignis iræ cælestis ultor & humanorum vindex scelerum humana corpora ita depastus est, tótque erant greges ea peste pereuntes, ut terrori esset & maximo horrori, viæque & compita fœtore complerentur ingenti, & maximè cimeteria sacrorúmque locorum peribola, ad quæ miserorum turbæ causâ consequendæ medelæ per Sanctorum patrocinia instantissimè confluebant. Eo tempore periit cithara & lira, & omne genus musicorum interiit: sublatum est enim gaudium, vox lætitiæ nusquam audiebatur, nemo de ludis, & voluptatibus, de sæculorum successu nullus disputabat: ubique tristitia, dolor & metus malorum ingens erat, luctus & vastitas cuncta latè tenebat. Præterea discordia Principum inter se conflictantium, propter prædicti Principis pueritiam, Nortmannorum patriam vehementer atterebat, ferro, rapinis, & flammis urentibus cuncta longè latéque incursabat, & in ultimam vastitatem optima quæque & electa uberrimi & speciosi & quondam regni loca redigebat. At verò Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, ubi populum suum dignando ab alto respexit, & parumper respirare à tot tantísque indignationis suæ flagellis pia miseratione voluit, clementorum suorum temperiem serena dignatione, non nostri merito in melius ordinavit, influentes ampliùs quàm expediebat pluvias coërcuit, imminentes supernè pestes suspendit, benignitatem suam propitius indulsit, & terra nostra fructum suum solito uberiùs protulit. pacis aliquantulam requiem jam adulto Principe, séque sibi in libertatem vindicante miseratus concessit, seditiones, incendia & rapinas domesticas inhibuit. non tamen manum vindicem usquequaque sustinuit, sed reliquias scelerum populi sui clementiùs paterno flagello corrigere non destitit, procurato etiam cælesti remedio & in lucem conspicuæ cognitionis prolato dignanter medicare ea disposuit. Nam gloriosa sanctissimi Patris Wlframni merita tali dignatus est occasione mortalibus declarare, & ad patrocinium Fidelium cunctis revelare, quæ paucis eatenus ad notitiam noscuntur pervenisse: adeout crebra miracula quæ apud ejus sacratissima ossa fieri videbantur, ne illi quidem imputarentur.

Ann. Chr. DCC XX. Mart. XX.

Nota Auctoris ætatem.

Vuillelmo Duce fames septennis,

lues & seditiones.

14. Anno siquidem Incarnationis dominicæ millesimo quinquagesimo tertio, diuturna siccitate tellus exaruit, mortalitatis lues cis Sequanam graviter desæviens Caletensem * pagum occupavit, itaut viri & mulieres diversæ ætatis pariter occumberent, villæ sive domus totâ simul obeunte familiâ vacuæ remanerent. quo terrore universus populus ad implorandum

anno 1053. peste grassante,

* le pays de Caux.

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

pietatem divinam toto corde conversus, letanias & processiones cœpit frequenter agere, jejunia certis diebus observare, atque de vicinis locis & villis ad sacratiora quæque loca vel urbes ad impetrandum Sanctorum suffragia devotè convolare. Unde factum est, ut & ipsi nos idem agere statueremus, & ad urbem Rotomagensem cum pretiosis sanctorum Reliquiis populo undecumque ad hoc convocato unà pergere deliberaremus, non tamen ea qua alii necessitate. quippe cùm nullus apud nos, sive in toto circa nos miliario, Deo nos suorum meritis Sanctorum protegente, mortalitati succumberet; sed potiùs ut nostro plebs incitata exemplo promtiùs in cœpto supplicandi officio persisteret, & impendentem divinæ animadversionis gladium precibus avertere gestiret. Constitutâ die, videlicet octavo Kalendas Junii, undique coacto populo, pretiosum S. Wlframni corpus electi quindecim Fratres præcipiente Abbate suscipientes, dispositum iter tandem arripuimus, & mansionem in villa, quæ *Escetot* vocatur, in Ecclesia S. Petri nocte illa fecimus. Cúmque die sequenti imminente aurora inde processissemus, & silvam quæ interjacet, festinanter transissemus, támque pretiosum thesaurum comitante turba ingenti alacres gestaremus, præmissis legatis nos adventare civitatis Archidiacono sanctóque Clero innotescere curavimus. At illi comperto tali nuntio confestim se præparaverunt, plebémque fidelem noto signo ad occurrendum nobis excitare studuerunt: deinde sumto S. ROMANI Pontificis glorioso corpore, occurrentibúsque sibi undique civitatis Canonicis, cum suorum quoque Sanctorum corporibus & ecclesiastico apparatu obviàm nobis in multa gloria processerunt, atque in ipso suburbii introïtu cum ingenti nos lætitia & honore præcipuo exceperunt: sicque elatis in altum vocibus, divinásque laudes nobis atque illis alternatim concinentibus, cives qui convenerant Rotomagenses sancti Patris Wlframni loculum suis reverenter humeris susceperunt, & usque in sanctam Dei genitricis MARIÆ Ecclesiam nobis comitantibus ovanter detulerunt*. Sed cùm juxta S. Ermelandi Basilicam transituri veniremus, muliercula quædam toto debilis corpore officióque brachii dextri penitus amisso sessitabat, ceræque vendendæ, quod solummodo valebat, commercio intendebat: quæ dum sanctum Wlframnum præterire cerneret, statim prostrato corpore solo procubuit, cúmque suppliciter ut sibi dignaretur opitulari exoravit. Mox vena capitis rupta super auriculam dextram sanguinis rivulus decurrit, ac sic extentâ manu brachioque directo sanitati se redditam sensit. Nos autem nihil horum scientes præterivimus, stipatíque populorum catervis venimus quò tendebamus, Sanctíque corpus in præfata Ecclesia deposuimus. Cùm ergo densa plebis corona circumvallati post orationem resedissemus, HUGO vir eloquentissimus & in primis sanctæ dignitatis apice meritóque sapientiæ primus, Cleróque ac populo terræ acceptissimus, sermonem est pro officio suo exorsus: cui diutius de vita ac virtutibus Sancti coram plebis frequentia disputanti mulier illa se præsentavit, virtutémque in se factam teste populo qui eam noverat, manifestè declaravit. Ad cujus vocem idem Archidiaconus omnísque multitudo quæ aderat, in laude Dei ac Sancti ejus repentè attollitur, ac demum hymnus cælestis, id est *Te Deum laudamus* ab utroque Ordine modulatis decantatur vocibus. Interea ad clangorem signorum pro ejusmodi lætitia resonantium fama per totam urbem ilico insonuit, sicque excita plebs cetera quæ domi fortè restiterat, festina cucurrit, Ecclesiámque, ut fluvius ingens, subitò inaudivit. Videres itaque viros ac mulieres maximo tripudiantes gaudio cum lacrymis quas magnitudo fundebat lætitiæ, manus & oculos ad cælum suppliciter protendere, sicque ad terram deinceps

Rotomagū S. Vulframni corpus defertur.

* *Hucusque Spicilegium.*

Manca mulier sanatur.

Hugo Archid. sermonem habet ad populum.

ruere, tundere pectora, solum deosculari. At cùm inde procederemus, cives urbis nos à foris excipiunt, ac sanctum corpus factâ piè violentiâ rapiunt: sicque sibiipsis vim facientes atque in diversa trahentes, subvehere cum ingenti devotione cœperunt. Alii ergo deferre, alii deosculari, alii saltem contingere, vel sub eo certabant transire: erátque inter eos tam pia contentio Sancti loculum contingendi, quàm fidelis devotio per hoc illius gratiam promerendi. Hac itaque devotæ plebis constipatione comitati, per urbem incedebamus, nullámque ingentis pressuræ * injuriam sentiebamus, cùm ecce omnis Monachorum caterva S. Audoëni albis candidata & palliis amicta jam cum sancti corpore NICASII [a] processerat, quæ præeuntibus cereis ac crucibus, simúlque thuricremis odoribus nobis obviàm venit, ac sic cum honorificentia magna nos cantando deducere cœpit. Procedentibus autem nobis paullulum, agmen occurrit Sanctimonialium, dulci persultans modulamine vocum. Quid plura? Canonicis siquidem ac Monachis necnon innumerabili plebe circumfusi, ad S. Audoëni aulam deducimur, ac cum dissono campanarum clangore diversarúmque vocum jubilo personante inthronizamur. At ubi facta oratione Fratres in osculo pacis salutavimus, inde postmodum exeuntes cum multimoda cantuum suavitate ad usque S. Laurentii Ecclesiam, quæ nostræ erat ditionis, iterum nos unanimiter deduxerunt: illícque deposito Sancti corpore, ipsa die atque subsequenti quievimus.

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

* gallicè la presse

In Cœnobium S. Audoëni exceptum corpus,

& in Ecclesiâ S. Laurentii.

15. Interea paupercula quædam oculorum lumine undecim per annos privata advenit, atque coram altari prostrata orationem fecit, inde Sancti loculum amplexa diu supplicans stetit: ac sic expetito interveniente patrono, lumen quod amiserat eadem die recipere promeruit. Proinde laus divini carminis iteratur, lætitia in populo ingens exoritur, fama facti passim diffunditur, ac per hoc frequentior ad locum, ubi Sancti quiescebant Reliquiæ, fit concursus. Erat autem eadem muliercula de Sezanna * vico oriunda; quæ recuperandi gratiâ luminis multa Sanctorum limina lustrando, Rotomagensem usque ad urbem devenerat: ubi comperto sanctarum Reliquiarum celebri rumore populi adventu, eò, ut dictum est, festina cucurrit: sicque quod desiderabat adepta, demum sine ductore nobiscum usque ad hunc locum lætabunda accessit.

Cæca lumen recipit.

* Sezanne en Brie

16. Venit præterea alia mulier ex ipsa Rotomagensium civitate ad eamdem, ubi Sancti Reliquiæ erant repositæ, Basilicam, cujus brachium gravi contritum ruina, à sua virtute defecerat. Nam cùm rediret à sancto Dionysio, ad quem cum populo videndum devotè confluxerat, ex equo quo vectabatur decidit, brachiúmque dextrum ex illa die invalidum cum tota manu habuit, itaut nulli deinceps officio deservire valeret aut operi; quódque gravius erat, doloribus torquebatur continuis. Quamobrem auditâ virtutum famâ quæ factæ erant, cum fide & ipsa accessit, brachium debile nobis cernentibus retexit, ac per argenteum Sancti gestatorium circumducere & confricare devotè supplicans, Sanctúmque crebrò invocans cœpit. Nec mora sedato quo torquebatur dolore, integerrimam divinitus sanitatem recepit, gratias Deo ac Sancto ejus multimodas non ingrata rependit.

Manca sanatur.

17. Inter hæc quoque homuncio quidam, cujus gula & fauces ita intumuerant, ut in neutram partem caput inclinare valeret languidum assiduoque

Item gutturniosus.

[a] Et tamen S. Nicasii Rotomagensis Episcopi Reliquiæ tempore Nortmannorum in castrum Melentum translatæ dicuntur, ibidémque adservatæ in Ecclesia Prioratûs nostri S. Nicasio nuncupata. quamquam S. Audoënus in Ecclesia S. Petri, quæ ab ipsius tumulo & Reliquiis postea S. Audoëni dicta est, quasdam S. Nicasii Reliquias antea collocasse fertur.

Ann. Chr. DCC XX. Mart. XX.

dolore afflictum, ad Sancti præsentiam devotus convolavit, instanter oravit: sicque primitus tumor ille gutturis subsedit, capitis dolor recessit, atque ita ille sanitati restitutus pristinæ, Deum in Sancto suo devotè magnificavit.

Rotomagi alia miracula.

18. Cúmque dies illa in tali sancti patroni nostri Wlframni gloria & populi exsultatione transisset, innumera multitudo undique cum diversis luminaribus convenit, noctisque vigilias cum ingenti devotione exegit. Lucescente verò die sabbati, quoniam proficisci parabamus, clariores illius urbis cives accesserunt, & ut eâ adhuc die illic moraremur orantes vix obtinuerunt. unde populus vehementer gratulabatur, quia Sanctorum patrocinia sibi non defutura per hæc morarum spatia arbitrabatur; quos à Deo sibi destinatos suam ad salutem non irrationabiliter opinabatur. Et quoniam multi adventabant variis detenti doloribus, sive internorum torturâ viscerum, sive capitis, sive ceterorum adversâ valetudine membrorum, nonnulli etiam ardoribus fatigati febrium; allatâ aquâ Sanctorum Reliquias, necnon & repositorium pretiosi patroni nostri Wlframni lavare studuimus, quam omnibus ex fide petentibus, sive illic ad potandum, seu per domos suis ægrotis ad deferendum partiti sumus: ex cujus haustu quanti ab incommodo quo detinebantur convaluerint, solius Dei qui hæc operabatur scientia colligit.

19 Interea dum hæc agerentur, juvencula quædam ex præfata urbe bene nata, & honestè juxta natales suos nupta, sed præ dolore capitis aurium officio destituta, Sancti patrocinia fideliter expetiit, facta oblatione cum maxima devotione oravit: sicque influente cælitus virtute Sancti meritis obtenta, capitis dolor abscessit, protinúsque refusus utrique auri auditus rediit; mulier incolumis facta, Deum in Sancto suo glorificavit, votísque promissis tandem læta domum repetivit.

20. Alia itidem matrona valde locuples, sed sanitatis egens, ad præfatam Martyris Ecclesiam ubi sanctæ erant Reliquiæ constitutæ accessit, cujus brachium maximus cum tumore dolor vexabat, orationémque, Sancti solatium exposcens, cum multo devotionis affectu complevit, atque tacto Sancti loculo cùm ex aqua illa paullulum libasset, Deo opitulante integræ restituta est sanitati. & idcirco votis se obstrinxit atque in ancillam sancto se Wlframno, cujus beneficium senserat, in reliquum vitæ suæ tempus addixit.

21. Cùm autem decidente sole nox advenisset, populúsque fidelis undique cum luminaribus noctis dominicæ vigilias celebraturus concurrisset, ac totam Basilicam interiùs implesset, ut ingredi vel egredi aliquis vix posset, exteriúsque atrium longè latéque plebs cetera quæ templo recipi non poterat, sub divo occupasset, quorum alii sedebant, alii stabant, omnes verò sacræ noctis excubias tam devotione cordis, quàm diverso corporum gestu, atque officio celebrabant; mulier quædam ad gloriosa Sancti suffragia à suis est adducta, quæ funditus amisso sensu omnia insana loquebatur & faciebat: quam cùm interesse sacris vigiliis qui eam adduxerant coëgissent, populóque admixtam secus sacrum altare inania quæque loquentem stare compulissent, intervenientibus S. Wlframni meritis, recepta sensus integritate saluti pristinæ ita subitò est restituta, ut Deum Sanctúmque suum benediceret; ac demum quæ alieno venerat solatio, ad propria per se, absque ullo errore rediret.

Sancti corpus revehitur.

22. At verò cùm dominicus discusso noctis horrore dies illuxisset, receptis sanctis Reliquiis redeundi invitis civibus arripuimus iter. Cúmque multâ populorum catervâ constipati procederemus, nulláque in redeundo mora fieret, tandem illustrem Fontinellæ in vallem, fatigati quidem, sed nimio

læti

læti descendimus: ubi mulier quædam debilis cujusdam famuli nostri famula, nobis ut valuit occurrit. hæc autem biennio languerat, & contractis dolore renibus, totóque infirmata corpore ita defecerat, ut nusquam ire, nihil operis valeret exercere. manus denique ejus dextra, digitis in volam palmæ defixis contracta erat, & ad nullum feminei operis exercitium dirigi ullatenus valebat. Sed cùm agmen Monachorum cum officioso apparatu præterire, populíque lætantis turbam atque in occursum nobis festinantis subsequi conspiceret, (nam ad ostium domus quia stare non poterat, in limine procumbebat) cœpit mæsta super infortunio suo vehementer conqueri, fortiorique subinde desiderio accendi, obviàm Sancto cum plebe procedendi, spe proculdubio recuperandæ sanitatis: deinde adnisu quo valuit iter moliri, meliúsque mox posse quàm consueverat cœpit; ac sic licèt cum dolore gravi multóque labore, ad nos tamen usque pervenit. At ubi in præsentiam sancti Patris Wlframni accessit, primò quidem erecta in pedes suos constitit, demum verò sacro ejus loculo, ut petierat, ad deferendum suscepto, sensim dolor omnis solutus quievit. Quid multa? nobiscum usque ad Monasterium stupente populo processit, ubi tandem gloriosis pii Patroni meritis ex integro convaluit, ac cum sanitate, quam diu desideraverat, inde recessit. Quæ res nostra de præteritis miraculis gaudia, quæ ipsi inspexeramus, auctiùs cumulavit, & eorum fidem qui ea nobis dumtaxat referentibus audierant, ad credendum firmiùs informavit. Exinde populus fidelis sanctum Wlframnum devotè cœpit frequentare, atque gloriosa ejus merita latiùs prædicare, necnon in suis incommodis fideliter invocare, sempérque nocte dominica redeunte vigilias cum diversis luminaribus apud ejus sacratissima ossa studiosa devotione celebrare: in quibus beatissimus ac Patronus noster multa cœpit signorum mirabilia operari, & adventantes séque poscentes desideratis sanitatum relevare beneficiis, atque suarum lætificare virtutum insigniis. quæ quia cernentibus non minimam contulerunt jocunditatem, atque in futuro audituris maximam credimus præstitura utilitatis ædificationem, noluimus inerti silentio præterire, & acsi facta non fuerint oblivioni tradere: ne revera futuris judicaremur beneficiis indigni, dum scilicet de præteritis inveniremur ingrati. Et quia, sicut scriptum est, *Sacramentum Regis celare bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est:* novem quoque leprosi meritò displicuere Salvatori, quia decimo gratias sibi referente, collati sibi ingrati inventi sunt beneficii; ad omnipotentis Dei honorem, & gloriam qui in Sanctis suis gloriosus est vehementer, cœptæ prosequemur seriem narrationis. Ac primò illud omittendum non est, quòd mortalitas illa Deo jubente quievit, nec in civitate àd quam sanctum Patronum nostrum detuleramus, aliquis deinceps periit, nec in tota regione eadem clade, præter paucos admodum, intervenientibus sacris ejus meritis [a].

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

Mulier impotens vegetatur.

Tob. 12. 7.

Pestis sedatur.

23. Igitur mulier quædam Rotomagensis infantulum adhuc ad ubera pendentem alimento nutriebat sui lactis. Hunc adversa valetudo tetigit, ejúsque membra tenella intantum confecit, ut eum etiam quo solo sustentabatur, succum respueret lactis. Angebantur itaque viscera piæ matris, dolórque filii factus est languor afflictæ genitricis. Interea præsumtâ fiduciâ de meritis sancti Wlframni, præfata mulier ad hunc locum cum parvulo accessit, eúmque ut erat in cunis, coram sancto altari, super quod Sancti corpus jacebat, cum fide deposuit. oblatâ deinde candelâ aliquantisper oravit, ac non multo pòst parvulum extulit, retectam ori ejus mammillam admovit, quam ille tam liberè suscepit, acsi nihil pertulisset mali; quódque per octo dies non fecerat, ubera suxit materna. Itaque gavisa mater pro impetrata sanitate teneræ prolis, grates

Alia miracula postea facta.

[a] Istius delationis memoria quotannis recolebatur, infrà num. 29.

Ann. Chr. DCCXX. Mart. XX.

Deo devotas ac sancto ejus referens Wlframno, ad urbem posthæc remeavit.

24. Alia nihilominus mulier in suburbio præfatæ metropolis duos liberos jam puberes habuit, quorum alter gravissimam totius corporis infirmitatem incurrit, & luridâ cute totóque distentus ventre ita decubuit, ut somnum oculis & cibum vix perciperet officio oris. Super cujus dolore mater afflicta cùm jam pæne de illo desperaret, singulare sibi remedii genus visum est, si pro eo in nomine S. Wlframni de quo plura audierat, votum faceret. Unde præparatas in fila stupas retorquere festinatò studuit, illíque circa turgidum collum cum voto colligavit. quo facto adolescens ilico melius habuit, & post paullulum fugato totius corporis dolore, exclusóque subsidentis cutis tumore, totus Deo jubente convaluit. Deinde recognito suæ salutis auctore, ad Fontinellæ Monasterium comite fratre accessit, die videlicet quæ dicitur ad vincula S. Petri, pro eo quòd ipsa die Romam delatæ sunt catenæ ejusdem Apostoli per Quirinium Patricium sanctæ Balbinæ patrem, tempore Alexandri Papæ & Martyris. Cúmque ad sacrum adscendisset altare, votiva Sancto munuscula obtulit, ac sic post orationem gratiarúmque actionem Fratribus quæ sibi contigerant ex ordine retulit, demúmque Fiscannum in honore S. Wlframni inde oratum perrexit *.

* *Hic quædam omissa.*

Contractus puer convalescit.

25. Venit etiam mulier quædam de Nevivilla cum infantulo quem genuerat, quíque dextro crure ita contractus erat, ut flexo poplite & talo pæne natibus adhærente, nequiret illud extendere, ad B. Patris præsentiam Wlframni, vigiliisque sacræ sollemnitatis sancti atque gloriosi Patris nostri Wandregisili cum eo interfuit, preces pro illius salute devoto cordis affectu instanter fudit. Sed cùm ipsa die inacta redisset, puerúmque quem suis gestabat in ulnis ad terram deposuisset; confestim ille dissoluto genu ac directo crure, manibus atque pedibus, ut id ætatis mos est, per humum alacriter cœpit repere. Quocirca mater læta vehementer effecta pro recuperata filii modo inopinato salute, omnipotenti Deo exsultationis gratias retulit, atque S. Wlframnum quem tantæ virtutis auctorem non imprudenter recógnoscebat, cum multa cordis devotione & vocis præconio magnificavit, séque deinceps ad sollemnitatem ejus, quæ proximo ventura erat, pro testimonio virtutis cum munere votivo redituram repromisit.

Thetbaldus Canonicus lucidè videt.

26. Illud præterea nequeo præterire silentio, quòd THETBALDUS sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ Canonicus, Abbati ROTBERTO retulit de seipso. nam uterque Rotomagi erat. Et post multa vicissim colloquendo, devoluti sunt ad prædicti Patris virtutum signa, quæ in præmissa S. Wandregisili celebritate fuerant gesta. Cúmque Abbas Rotbertus ea quæ noverat recitaret miracula; Thetbaldus verò narrationi intenderet aure sollicita: Nondum, inquit, ad liquidum cognovistis omnia divinæ virtutis opera, quibus vestræ festivitatis gaudia sunt cælitus illustrata. Novi etenim non ignoti nominis Clericum, cui à præcedentibus annis rarus erat usus oculorum, ita ut retusa acie litteras quidem aliquantulum videret, sed nullatenus ad legendum discernere valeret. is cùm vestræ sollemnitati interfuisset, sanctíque Wlframni loculum confuso ut cetera obtutu cerneret pendere, diligentiámque artificis in illius opificio miraretur, litterarúmque apices in laminis argenteis pergrandes exaratos paullisper intueretur; cœpit ei cogitatus sui animi suggerere ut propiùs accederet, & elementa illa ut quod continebant sciret, legendo percurreret. Sed rursum: Quid, inquit, proderit accedere, cùm quæ scripta sunt nequaquam valeas legendo penetrare? Sic ergo curiositate cognoscendi scripturam illam suadente, sed debilitate conscia suæ impossibilitatis mutuò dehortante, cùm secum animus hac illácque distractus confligeret, tandem accessit, & debiles oculos ad

legendum toto nisu contulit. Confestim itaque nova lux oculis illius resplenduit; ita ut secum miraretur, & sic submurmuraret: Puto, inquiens, quòd sanctus Wlframnus subveniet mihi, & operabitur in me velut in ceteris. Legit ergo ille inopinatò litteras illas non ægrè, ut per plures antè annos consueverat, sed perspicua & irreverberata luminum acie, ut præoptabat: ac per hoc Sancti circa se benignitatem admodum mirabatur, indulto sibi præter spem beneficio quod rogare non præsumserat. sicque ex illo die libros quoscumque arripuerit legit, ut antequam prædictam oculorum incurreret debilitatem consuevit. Ad hæc Abbas Rotbertus: Quisnam ille est, ait? Et ille: Ego sum, inquit, & in me procul dubio sanctus Wlframnus, quæ vobis retuli, dignatus est ultroneus operari. Hæc autem ita facta & dicta idoneo revera teste constant. Hic quippe est ille Tetbaldus Vernonensis, qui multorum gesta Sanctorum, sed & sancti Wandregisili à sua latinitate transtulit, atque in communis linguæ usum satis facundè refudit, ac sic ad quamdam tinnuli rhythmi similitudinem, urbanas ex illis cantilenas edidit.

Ann. Chr. DCC. XX. Mart. XX.

Nota.

Puellæ loquela restituitur.

27. Nec solùm prædictus Pater apud nos in præsentia sui corporis virtutum gloriâ floret, séque præsentialiter poscentibus sanitatum beneficia præbet; sed & remotis & in longinquis regionibus positis se ex fide petentibus benignus adest, atque clementer exorata nec mora indulget. Quod quamvis ex multis experti simus, unum quod & ipse in pago qui Hulmus [a] vocatur, vidi, litteris placet inserere recitandum posteris. Cujusdam viri in regione illa nobilis filia pro ætate parvula cum pueris, ut ætatis illius mos est, in platea castelli quod *Asnebec* dicitur, simpliciter ludebat: sed repentè paralysi percussa, miro modo diriguit, ac sic demum amisso visu & loquela stupentibus qui aderant in terram corruit. quod cùm matri ilico nuntiatum esset, & illa gemebunda & dolens cucurrisset, miseram filiolam brachiis amplexa in munitionem, quâ commanebat, secum tulit, eíque loquebatur blandiens, & cibum offerens nullo modo attendenti. Unde gravi percussa mærore ad me Clericum suum direxit, quatinus siquid nossem remedii transmitterem, aut dictarem agendum ægrotanti. At ego primò Medicum me esse, sive medicinam nosse denegavi; sed unde peteret apertè monens perdocui, útque pro infirmo votum faceret, & candelam devotè promitteret suasi, in honore videlicet sancti Wlframni, cujus apud nos clara virtus & potens habebatur miraculorum insigniis. Quid plura? votum ut per internuntium edocta fuerat, confestim fecit, & retortâ stupâ unde candelam factura erat, puellam semivivam circumcinxit: quo facto, ægra paullisper oculos aperuit, adsistenti matri sibíque loquenti respondit, oblatum cibum liberè sumsit; mirantibus cunctis ilico surrexit, lusura cum pueris foras processit. mater voti sui memor candelam cum lætitia ingenti faciens, ad Ecclesiam S. Georgii quæ vicina erat, in nomine S. Wlframni, sicut didicerat, per suprà dictum direxit Clericum.

Parisiaci civis brachia solidantur.

28. Quidam etiam vir Parisius erat, cujus brachia repentinus dolor distorserat. Is cùm de virtutibus S. Wlframni comperisset, (jam enim prodigiorum ejus & mirabilium fama vulgata longè processerat) ad Cœnobium Fontinellense ubi sacratissimum illius corpus jacere didicerat, non sine fide accessit: & dominicæ noctis vigiliis quas consuetudo indixerat, orando devotissimè interfuit. Cùm autem jam noctis tenebris recedentibus aurora lucescere cœpisset, & ille somno gravatus sub Sancti loculo paullulum dormitaret, guttulas aquæ super debiles manus rorare sensit, quod & circumstantibus satis admirans retulit. nec mora ille convaluit, gratiásque agens incolumis in sua rediit.

[a] Hulmus Nortmanniæ pagus seu tractus, vulgò *le païs de Houlme*, porrigitur ab Orna fluvio ad provinciam Cenomannicam.

ANN. CHR. DCCXX. MART. XX

29. Jam quia multa diximus, & plura restant dicenda quæ seriatim referre onerosum ducimus, narrationi finem ponere paramus. Tot enim sunt, ut memoriæ cuncta non occurrant, & auditorum auribus molestiam si inserantur fortasse ingerere valeant. Nam sæpe quatuor, octo frequenter, nonnunquam duodecim, sedecim aliquando pariter à variis curatos incommodis vidimus: à multis & fidelibus personis miracula alibi, & per diversa loca in hominibus & in jumentis facta, in negotiis quoque & necessitatibus variis auxilia per Sancti hujus gloriosum nomen obtenta ad fidem comperimus. Quæ quia tanta sunt ut numerum excedant, & modum virium nostrarum superent, immoderati esse noluimus, & ex ingenti copia ne auditorum gratiâ careamus, duo adhuc tantùm narrationi cœptæ miracula, in die devectionis annuæ peracta addere proposuimus. Nam duo debiles ad sancti Patris nostri venerabilem præsentiam advenerunt, qui non nisi baculis sustentantibus stare, nusquam valerent incedere. Cùm igitur dies ille annuo recursu instaret, quo ad urbem Rotomagensem cum Sancti corpore perrexeramus, prædicti viri adfuere, & cœnantibus Fratribus sanitatem quam expetebant, Deo opitulante & expetito Patrono obtinente, adipisci meruêre. qui gratias devota mente rependerunt, Fratrum populíque concurrentis frequentiam in laudem Dei non mediocriter excitarunt.

Duo debiles vegetati.

30. Curialis quidam inter suos honorabilis, genere non infimus, nec rebus pauper, duos liberos habebat adolescentes: quorum junior febre correptus pessima, per duorum mensium curricula irremediabili languore contabuit; quo ita confectus est ut omnem horreret cibum, somnum oculis non caperet, cui erat proinde turpis color, & fæda macies. quem pater cùm ita deperire cerneret, hoc modo remedium procurare decrevit, ut invocato sancti Patris nomine, de quo plura audierat, votum faceret, & ad mensuram staturæ illius Sancto candelam promitteret. Quod cùm factum fuisset, repentè febrium ignis intepuit, frigus recessit, & pristinæ vigor sanitatis per singula adolescentis membra diffusus rediit. Quo ita per Sancti merita cum fide invocati curato, alterum qui major natu erat, pessima valetudo invasit, itaut toto corpore magno dolore contabesceret, caput ejus graviter intumesceret, & deteriùs quàm frater suus antea infirmatus deperiret. Quod pater intuens gravique dolore deficiens, ad notum remedium decrevit quod jam expertus erat redire, vota Sancto & promissa ut pridem fecerat iterare. Qui cùm nec sic proficeret, quod ad majorem Sancti gloriam factum liquidò patet, Fontinellam ociùs equitem misit, aquam Sancti loculi adtactu sanctificatam cum fide poposcit, & impetravit. quâ acceptâ cùm filium graviter decumbentem exinde potaret, & membra illius debilia capútque respergeret; nec mora dolor membrorum jacentis quievit, tumor capitis subsedit, juvenis patris fide per gloriosa expetiti Patroni merita sibi redditus plenè convaluit, parentes & familiam non mediocriter exhilaravit. Pater verò longissimam fieri candelam jussit, quam multis convolutam circulis, huc, ubi Sancti merita radiant virtutum gloriâ, transmisit.

31. Omnium autem horum mirabilium quæ dumtaxat ad nomen sancti Wlframni gesta retulimus, cooperatorem beatissimum Patrem Wandregisilum ceterósque Sanctos, quorum apud nos pretiosæ servantur Reliquiæ sive corpora, minimè negamus: nec dedignatur gloriosus Pater eos in miraculis habere consortes, quos in gratia habuit præcessores, atque in gloria se lætatur promeruisse regni cælestis coheredes. Licèt autem crebriora nunc fieri cernantur apud nos signorum prodigia, semper tamen sancta Fontinellensis Ecclesia virtutum gloriâ illustris fuit & luminosa. quas quia multæ sunt, & recentes sufficiunt, hîc seriatim describere vitandi fastidii gratiâ distulimus,

simúlque dicendi materiam aliis proinde reservare decrevimus, quâ & devotionis suæ studium valeant exercere, & meritum sibi pro comparata Fidelibus ædificatione, & gratiam apud Deum in futurum adquirere. Semper hic gloriosus ac ter quatérque beatus Pater Wlframnus à cunctis est verbo & scriptis pronuntiandus, modis omnibus honorandus, ad laudem & gloriam Dei & Domini nostri JESU-CHRISTI, à quo tantæ virtutis compos effici meruit: cui gloria, virtus & potestas cum æterno Patre in unitate consubstantialis & conregnantis Spiritûs in sæcula sæculorum. Amen. ANN. CHR. DCCXX. MART. XX.

Explicit liber de Inventione & parte 1 miraculorum sancti Vulframni.

MIRACULORUM PARS ALTERA

Ex Martio Bollandiano, pluribus omissis.

1. IN Oximensi [a] pago situm est castrum quod Falesia nuncupatur, in in quo erat homo quidam nomine Gislebertus. Huic erat filius ætate & corpore minusculus, qui Sabbato sancto imminentis Paschæ [b] in dolio in quo pater ejus laverat, incautè derelictus, cùm nemo adesset, in aqua submersus, sicque exstinctus est. ubi cùm diutiùs jacuisset, requisitus tandem à parentibus, mortuus repertus est. Vicini excitati undique coëunt, & alii cum gemitibus per compassionis humanitatem ingemunt, alii verò lugentes consolari atque dolorem mærentium lenire contendunt. Ecce autem quædam persona ex his quas illuc partim humanitas contraxerat, partim curiositas invitaverat circumstantes; Quid, inquit, agitis? quare S. Wlframnum non invocatis? numquid non audistis quantas virtutes & qualia miracula operatus sit? invocemus ergo eum magna voce ex toto corde. Ad hanc igitur vocem exhortantis plebs quæ circumstabat, concorditer animata inclamavit, & pro suo quisque sensu Deum sanctúmque ejus Wlframnum invocavit. Interea mortuus labia paullatim movere cœpit, & sub oculis omnium qui aderant mortuus vitam plenariè recepit. Hoc autem miraculum factum est anno Incarn. dominicæ MLVII, Indict. X, Sabbato sancto Paschæ, quod evenit III Kal. Aprilis. Puer in balneo suffocatus revivifcit.

2. Anno Inc. MLVI Babylonius Rex Hierosolymam misit, sanctúmque sepulcrum ut occluderetur præcepit, ac ne quisquam Christianorum in illud ulteriùs introiret prohibuit. Quo comperto Christiani qui ex omni terrarum orbe illuc confluxerant, tristati sunt: & quia devotionis suæ desiderium circa visitationem sanctorum locorum ex more non poterant explere, graviter ingemuerunt. Habito deinde cum Patriarcha qui sancto loco illi præerat consilio, de civitate ne caperentur maturiùs exierunt, cupientes antequam res innotesceret, urbes per quas redeundi transitus erat, ne impedirentur, excedere. Sed cùm hujusmodi præceptum jam longè latéque percrebuisse perpenderent, ac per hoc terrâ illâ se nullatenus absque discrimine exituros timerent; ad portum quem viciniùs adire potuerunt, gratiâ effugii quod in solo illis negabatur, velociùs diverterunt. Ubi ut desiderabant, reperto consilio navigii mare intraverunt, dato quod ab eis petebatur Anno 1056 sanctis locis occlusis, Christiani redeuntes,

[a] Oximum opidum, *Yesme*, pagus seu Comitatus in Neustria, diœcesi Sagiensi, sub quo Falesia, *Falaise*, opidum & Vicecomitatûs caput sub ditione Cadomensi.

[b] Sollemne erat olim Fidelibus, ut in celebrioribus pervigiliis balnea frequentarent, ut aliàs observatum.

ANN. CHR. DCC XX. MART. XX.

tempestate liberantur.

sine mora naulo: erant autem numero plus quàm trecenti. Euntibus autem illis cùm jam secundo successu ac prosperis ventis prolixiora pelagi spatia cucurrissent, immensa exoritur tempestas, quæ vehementer eos vexavit, atque diutiùs ne incœptum perficerent retentavit. At illi graviter angustiati ac ingenti pavore consternati; sicut ex diversis regionibus erant, ita nihilominus diversa Sanctorum nomina invocabant: non tamen aliquid proficiebant. Erat autem inter eos vir quidam non ignobilis Ansfridus nomine. Hic cum præfatis viris suprema in necessitate constitutus, S. Wlframnum fortiter invocare cœpit, & ceteros ut idem agerent, sollicitè admonuit. At illi quos extrema perurgebat angustia, & horrendæ mortis vicinitas exterrebat, una omnes voce inclamaverunt, Kyrie eleison, S. Wlframne, ora pro nobis. Kyrie eleison, S. Nicolae, ora pro nobis. Ad hanc vocem supplicationis expaverunt horribiles venti, ac tempestas illa gravis sedata est. Verùm enimverò præfatus Ansfridus cùm post multas prolixi itineris difficultates in patriam sanus remeasset, hæc ita circa se sociósque suos acta fideliter narravit.

Abbatissa Pratellensis convalescit.

3. Præterea non est omittendum, quòd Sanctimonialis quædam religiosa valde & prudens de semetipsa retulit, quæ in loco qui Pratellus [a] antiquitus vocatur, in Cœnobio Virginum gubernatrix constituta suscepit regiminis officium, & magnificè gessit. Nobis, inquit, S. Wlframnus bene compertus est, suámque in meo pectore memoriam æternaliter fixit. Contigit enim mihi infirmari, paullatímque crescente dolore vehementer prægravari. At ego omni humano præsidio destituta, ab omnibus jam desperata, reminiscens eorum quæ de virtutibus B. Wlframni didiceram, ingemui, & orationis verba ex intimo cordis affectu profudi. Ubi oravi, continuò divinam sensi virtutem atque invocati Patroni celerrimam opem.

Abbatissa alia equo gressum obtinet.

4. Præterea quædam Sanctimonialis, quæ in quodam Monasterio juxta urbem quæ *Lipois* [b] nominatur, constructo, quibusdam sacris præerat Virginibus, ADVENIA nomine vocabatur. Hæc exigente quadam necessitate aliquando in pagum Oximensem proficiscebatur: cujus equum repentè gravis morbus occupavit, itaut ultrà progredi nullatenus valeret. Tunc illa mærens equo descendit. Casu quidam Monachus HUBERTUS nomine, eodem pergens itinere, præfatæ Sanctimoniali se adjunxerat, & hæc quæ fiebant, compatiens illius dolori, & corde multa pertractans considerabat. Et quia stupa deerat unde faceret quod volebat, (nam procul à villa aberant,) cujusdam ex famulis illius ligamina de cruribus solvens, equo adsistit, pérque longum ejus à capite usque ad caudam metiens [c], spectantibus qui aderant, votum S. Wlframno fideliter fecit. Mira res! ilico equus ille semivivus recepta sanitate à solo surrexit, &c.

[a] De Pratellensi Monasterio duplici dictum suprà in parte I mirac. num. II.

[b] Ignota mihi urbs ista *Lipois*. Locus quidam est prope Meduntam opidum dictus *Limoy*.

[c] Nempe ut ejusdem mensuræ cereum Sancto offerret, quæ illorum temporum religio erat. Herricus Autissiodorensis Monachus simile factum recitat in lib. I de mirac. S. Germani cap. 43. Confer num. 27 & 30, suprà.

MONITUM.

Postquam superiora edita sunt, venit in manus meas Autissiodorensis Ecclesiæ Martyrologium, ante annos sexcentos exaratum: in quo ter fit mentio S. Vulframni, nempe XIII Kal. Aprilis, IX Kal. Maii Fontanellæ & Idib. Octob. *qua de re Lectorem monendum esse existimavi. Martyrologium istud typis parat Acherius noster.*



VITA S. HERMENLANDI ABBATIS ANTRENSIS PRIMI IN ARMORICA, Circa An. DCC XX. Mart. XXV.

Auctore gravi anonymo, fere æquali.

Ex mſ. cod. V. C. Antonii Herovallii, & Martio Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VITAM S. HERMENLANDI *Abbatis ab Surio interpolatam, ex mſ. cod. Herovallino & Martio Bollandiano hîc restitutam, litteris mandavit Auctor gravis & pene æqualis, qui ætatem suam indicat tum in Prologo, ubi res à Monachis Antrensibus visas se accepisse dicit, tum cap. 18, in quo agens de primaria Hermenlandi Translatione paullo post ejus mortem facta,* omnes *inquit,* qui illic tunc interfuerunt, qui luce adhuc utuntur data mortalibus, testantur. *tum denique cap. 28, ubi* recentiori tempore *Hermenlandum vixisse, ejúsque facta* in multorum adhuc retineri memoria *adfirmat. Auctor iste non videtur fuisse Monachus Antrensis, ex Prologo & cap. 27.* Vitæ Scriptor.

2. *Hermenlandi nomen variè pingunt. Aliis* Hermenlandus, Hermelandus, *aliis remota adspiratione* Ermenlandus, Ermelandúsve *scribitur, in cod. mſ. V. C. D. Antonii Vvionis Herovallii* Ærmenlandus; *nobis* Hermenlandus. *Ejus memoriam celebrant sincera Vsuardi & Adonis Martyrologia his omnino verbis:* VIII Kalend. April. in Antro insula S. Hermelandi Abbatis, cujus gloriosa conversatio miraculorum conlaudatur præconio. *Ejus tamen dies festus in Ecclesia Namnetensi colitur* VII *Kal. Decembr. qui dies Translationis esse videtur. Varias habet Ecclesias sui nominis in Britannia minori seu Armorica; unam parochialem Rotomagi, de qua in libro de miraculis S. Vulframni num. 14; aliam in vico Ernivalle ejusdem diœceseos: quibus in locis vernaculè appellatur* S. Herblon, Herblein, Herbaud & Herbland. Hermenlandi nomen & cultus.

3. *Antrense Monasterium, à S. Hermenlando constructum circiter annum* DCXCVI, *à Nortmannis dirutum, situm erat in insula fluvii Ligeris, altero miliari Gallico infra Namnetum* civitatem Britanniæ minoris: quæ insula* Antrum, *vulgò* Aindre *nuncupata, vicinam habet aliam insulam vocabulo* Antricinum, *vernaculè* Aindrette, *quò S. Hermenlandus tempore Quadragesimæ secedere solebat. Nunc prope insulam Antrum exstat vicus & Ecclesia parochialis S. Hermenlandi; in Antricino verò ædes nobilium, incolis* le Chasteau d'Aindrette. Antrense Monasterium. * Nantes

PROLOGUS AUCTORIS.

1. CUM sacrosancta mater Ecclesia eminentium Patrum, quos præveniente gratia divinæ largitatis dimicando cum angue palmam obtinuisse lætatur, cùm luce adhuc concessa uterentur mortalibus, & post agonis triumphalem exitum longè meliori, utpote incircumscriptæ divinitatis luce perenniter perfrui non ambigat: non fuco sæcularis facundiæ politis sermonibus, quibus non minimum adulationis adscribitur; quin potius simplici narrationis serie cunctis posteritatibus profuturas memorias dirigendas esse consultè instituit, quò licèt illos ævi felix nativitas cælo parturiendo à mortalium sequestravit obtutibus, crebra tamen lectionis recitatione, Fidelium repræsentarentur adspectibus: quatenus eorum fortia acta toto conamine imitari nitentes, virtutibus ditarentur, & ex his quæ imitari nequeunt, veriùs in humilitate solidarentur; omnibus sanum sapientibus liquet, omnes hac affectione ductos

Circa An. DCCXX. Mart. XXV.

studiosè Sanctorum gesta scribendo elaborantes, præmio; & negligentes è latere culpâ nequaque carere posse. Hac itaque diutina animatus meditatione, maximéque rogantibus Fratribus, cùm ex beati viri virtutibus HERMENLANDI Confessoris, qui Franciæ [a] veniens ab oris nostris in finibus virtutibus vernaris, novus (ut ita dixerim) BENEDICTUS effulsit; quædam quæ visu relationéque Fratrum didici, scriptum paginis tradenda decernerem, duarum è regione rerum præpediebar objectu: ne aut inerti stilo aliquid temeritatis adscriberetur, utpote qui nullius prærogativa scientiæ compos exsistens, tanti Patris acta plebeio sermone scripturus aggrederer; aut cùm per devia quæque ipse lubrico raptarer calle, sanctissimi viri à recto nusquam tramite dilapsam viam ipse imitari negligens aliis imitandam ostendere conarer. Sed volvente diutiùs impetu timoris gemini, ceu humo prostratus fessos hujus operis desperatione artus ignavi committens otio, tandem Fratrum instigatus rogatu, opus quod delitescendo fugere diu deliberavi, obtentu obeditionis omnium mearum virium destitutus juvamine, solius Altitonantis miseratione fidens, ab ipso donata donatus & ipse membranis inserenda suscepi. Quare solo poplitibus defixis deprecor omnes, qui humilitatis dignatione ad hoc legendum opusculum sacrum deflexerunt obtutum, ne dictatu incomto fortia præfati Patris facta minùs laudibus summis arbitrentur digna; sed hujus operis stolidi editoris meminisse dignentur, quatenus à pio Judice veniam delictorum consequi, coronámque mereatur obtinere perpetuam, ut & ipsi pro misericordiæ precibus sempiternâ ditari gloriâ Christo largiente mereantur.

[a] Auctor ab aliis accepta refert.

* *Hic interjicitur Index capitulorum in codice Herovallino, quæ iterum suis locis inseruntur in contextu. hoc posterius sufficere visum est.*

CAPUT I. *De nativitate, & militia regali, & de conversione, atque conversatione ejus.*

2. MULTORUM jam per orbem universum circumquaque Regum collis jugo Christianæ religionis submissis, cùm fides sanctæ Ecclesiæ errorum caligine depulsa luce evangelicæ veritatis corusca, in omni ditione CHLOTHARII [b] Regis Francorum tranquilla uteretur pace; venerabilis HERMENLANDUS genuinæ nativitatis potitus exordio, ex Noviomagensium incolarum nobilissimis parentibus perpetuâ fruiturus temporalem processit in lucem. Hic beatissimus procerum parentum opimis educatus dapibus, atque (ut adsolet) præclara soboles nobilis prosapiæ affectione vallatus, litterarum eruditoribus sui profectûs gratia imbuendus provisione tantæ generositatis traditus fuit. Quibus præ cunctis coævis sodalibus ad plenum eruditus, omnem puerilem petulantiam gravitate transscendens morum, nulli concupiscentiæ inlecebrosæ voluptatis adsensum præbuit. Carnis quoque lasciviam spiritûs ardore conterens, nobilitati carnis animi præferebat nobilitatem, itaut in ipsis scholis probitate animi sacratus præfulgens puer admirabilis omnibus haberetur.

[b] Hermenlãdus Noviomagensis,

[a] *Franciæ* loco Surius reposuit *Germaniæ*, suspicatus Auctorem Gallum non fuisse dictumm, *ex Franciæ oris venisse Hermenlandum*, si Francus fuisset Hermenlandus. Forsitan etiam *Noviomagi* nomine deceptus est Surius, cujus auctoritas alios etiam in errorem induxit. Verùm olim Francia seu Neustria distinguebatur contra Galliam & Armoricam, ex qua oriundus Auctor; & *Noviomagus* antiquis etiam dicitur civitas illa, quam recentiores Noviomum, vulgò *Noyon* appellant. tametsi aliæ sunt id nominis urbes in Gallia & Germania.

[b] Nimirum Chlotharii tertii, Chlodovei junioris filii, cujus Chlotharii principatu adolescens erat Hermenlandus, ut qui in domo regia pocillatorum Præfectus, matrimonio jam habilis erat. At mediæ ætatis Auctoribus (ut aliàs non semel observavimus) proclive est, Sanctorum ortum referre ad illius Regis principatum, quo quisque maximè floruit.

3. Paren-

3. Parentes autem ejus videntes eum litteratum doctrinis magna ex parte instructum regalibúsque militiis aptum, ab scholis eum recipientes, regiam introduxerunt in aulam, atque Regi Francorum eum magno cum honore militaturum commendaverunt, quatenus per tramitem hujus militiæ ad debitum progenitorum perveniret honorem. Sed vir Dei Hermenlandus omne hujus sæculi culmen omnémque gloriam Christi postponens amori, plus appetiit per labentis sæculi labores mansura gaudia justorum promereri, quàm per transitoriam mundi gloriam perpetua injustorum supplicia perpeti. Longè enim à parentum voluntate sanctum ejus dirimebatur desiderium. Nam quod illi ad dignitatis ejus gloriam agere conabantur, ipse ad suæ salutis dispendium fieri arbitrabatur, sententiam recolens Apostoli dicentis: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Et nisi ejusdem Apostoli sententiæ contradictor esse videretur qua dicit, *Filii, obedite parentibus*, nullatenus ei cælestia ambienti suadere poterant terrestrem suscipere militiam. Cavens autem ne in aliquo salutaribus contrarius esset monitis, consideránsque simul necdum se sui arbitrii facultatem consecutum esse; quem mente delitescendo fugere satagebat corpore, specie tenus coactè habitum militarem suscepit. Domino verò se protegente extimplo in aula commorans regia, ex tirunculo perfectus ita effectus est miles, ut cor Regis omniúmque optimatum gratia suæ venustatis in amorem sui converteret, intantum ut nimio eum Rex amplectens amore dispensatorem sui potûs principémque constitueret pincernarum.

Circa An. DCC XX. Mart. XXV.

in aula educatus,

2 Tim. 2.

Ephes. 6.

Pocillatorū præpositus,

4. Cùm autem per aliquod tempus omnibus placens prudenter commissum perageret ministerium, suadentibus parentibus atque amicis suis cujusdam optimatis nobilissimi quam nullatenus accipere volebat, desponsavit filiam, statuit etiam diem quo eam sibi matrimonio copularet. qui hoc toto mentis nisu satagebat, ut non solùm à vinculo conjugali, verùm ab omni sæculi actu collum suæ mentis, quod leni Christi jugo submittere desiderabat, excuteret. Non enim ut auditor obliviosus, Domini monita inaniter auribus hauserat cordis, quibus salubriter generi consulit humano dicens: *Qui non relinquit patrem & matrem, fratres & sorores, uxorem & filios, agros & omnia propter nomen meum, non est me dignus*. &, *Qui vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me*. Sed ut eximius operis exsecutor artiùs intimo ea retinens corde; quod aure corporis audivit, pro virium facultate opere implere curavit. Divino autem fretus spiramine, spretis cunctis sæculi oblectamentis sponsam relinquens, nuptias renuens, nudus terrenis actibus nudam crucem Christi contra spiritalia nequitiæ dimicaturus athleta Christi arripuit, rectóque tramite munitus evangelicis doctrinis, pedibus regiam viam sequendam suscepit.

Luc. 14.

nuptiis & sæculo nuntium remittit.

5. Timens autem ne ejus propositum sæcularium tumultus præpediret, si in turbis populorum diutiùs moraretur; præsentiam adiit Regis, humilique cum devotione petivit, ut ei regalis clementia licentiam daret, quatenus relictâ palatinâ militiâ, regulari se Cœnobio Christo militaturus traderet. Rex autem maxima eum dilectione complectens, non patiebatur eum à se sequestrari, atque ideo nimis ejus resistebat precibus, suadens ei ne ejus consortium in tam viridi floridáque desereret ætate. Cúmque talibus suasionibus diutiùs ejus vexaret mentem, sanctum tamen ejus propositum immutare nequivit. Beato igitur viro in precibus persistente, tandem timore Domini perfusa pii Principis clementia, licentiam quam ei diu negaverat benignè est largitus.

6. Ipse autem beatissimus Hermenlandus cum Regis optimatúmque benedictione palatio egressus, ad Fontanellæ [a] Monasterium, ubi venerandus Lantbertus regularis præerat Monachorum Pater, concito pervenit:

Fontanellæ novitius,

[a] De Fontanella Monasterio & Abbate Lantberto dictum in Actis SS. Vvandregisili, Ansberti & Condedi Sæculo 2. Benedictino.

CIRCA AN. DCC XX. MART. XXV. cursu. Conversionem namque in præfato expetiit Cœnobio, & ab ipso Abbate Fratribúsque omnibus effectum suarum obtinuit precum. Juxta morem autem monasticæ vitæ in cella Novitiorum [a] probatus, ita perfectus inventus est, ut probitate conversationis suæ non solùm neophytos, verùm etiam eos qui longævo senio sub perfectionis habitu theoricæ vitæ omnem sui corporis triverunt vigorem, non solùm consequi, quin etiam supergredi evidentissimis probaretur indiciis. Expleta verò probatione ejus regulari more in Novitiorum cella, perfectionis votum promissione confirmavit sacra, ac demum omnibus mundi spretis pompis ceterorum commilitonum vallatus præsidio, agonizeta virilis omnium virtutum consectans iter, nullis saltem vel ad modicum dæmonum suasionibus parens, sed in ipso exortu caput antiqui contrivit serpentis. Quot enim ei machinabatur tentamenta ingerere, tot tripudiando vir Domini de eo sumebat triumphos. Erat enim caritate præclarus, fide devotus, spe certus, patientiâ lenis, obedientiâ præcipuus, oratione assiduus, abstinentiâ discretus, vigiliis strenuus, atque omnibus ita ornatus virtutibus, ut inter ceteros commilitones ut Lucifer ceteris stellis clarior radio virtutum conspicuus refulgeret.

votis monasticis se adstringit.

Fit Sacerdos.

7. Quod sagaci venerabilis Abbas Lantbertus deprehendens intuitu, quem erudiendum discipulatûs susceperat gratiâ, veluti magistrum pro ejus virtutum venustate venerans amabat. Sacris quoque altaribus insuper dignum eum approbans, Sacerdotem sibi ordinari fecit ab Episcopo [b] ejusdem pagi, ratum arbitrans ut consecrationis sacratissimi corporis sanguinísque Christi tam præclarus támque sanctissimus vir fungeretur officio, qui ut pretiosissima à Domino de sterquilinio sæcularis habitûs margarita eruditus, inter sodales cælibes in Monasterio locatus, velut super candelabrum lucerna consecratione apostolicæ vitæ omnibus lucidiùs enitebat. Ordinatus verò tanta sacerdotalis officii perfectione vigebat, ut cùm devotus Deo oblationem studiosè quotidie offerret, maceratione sui corporis ipsa hostia viva fieret.

II. *De adventu ejus Namneticum.*

8. IGITUR eo tempore quo prædictus vir Domini Hermenlandus talibus in Cœnobio pollebat virtutibus, piæ recordationis PASQUARIUS [c] Episcopus Namnetensem pastorali devinctus cura regebat Ecclesiam. Quodam verò die dum sub bifario habitu ecclesiastici Ordinis, Clericorum scilicet atque laïcorum, summæ caritatis vinculo connexum dapibus vitæ cælestis juxta utriusque gradus convenientiam commissum reficeret gregem, & quid utrique congrueret ordini celebri dissereret facundia; tertii etiam gradus, videlicet Monachorum qui eatenus incolis occidui litoris Oceani pæne expers habebatur, mentionem faceret, perfectiorémque ceteris ex ipsius Veritatis voce ostenderet, dicentis: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni, sequere me;* divino statim omnes animati spiramine, devotis precibus suum exoraverunt Pontificem hujus ardore desiderii plus omnibus flagrantem, quatenus hujus Ordinis quaquaversum dignaretur viros perquirere, qui in eorum prædio, si congruus reperiretur locus, hujus perfectionis exercerent vitam. Fatebantur enim se de Domini pietate tantum confidere, quia si hujus vitæ viri inter eos commorarentur, esto ad imitandum paucis, ad intercedendum tamen omnibus indigenis illius terræ eos prodesse posse.

Pasquarius religiosam vitam populo commendat.

Matth. 19.

[a] Hæc omnino ad mentem & sententiam S. P. Benedicti in Regulæ cap. 58.

[b] Surius & quidam codd. mss. habent, *ab Audoëno*, qui S. Ansberto locum fecit anno DCLXXXIV.

[c] Pasquarius seu Pascharius in quibusdam Indicibus Episcoporum Namnetensium omissus, in codice Thuaneo ante annos quadringentos exarato statuitur inter Leobardum & Taurinum. at collocandus videtur Salapium inter & Agatheum, de quo infrà cap. 13.

CIRCA AN. DCC XX. MART. XXV.

Monachos petit ab Abbate Fontanellensi.

9. Considerans verò idem Antistes suum populísque cor adspirante Domino hujus rei voto unius voluntatis effectum, eos audire non distulit: quin potiùs eorum gratulabundè annuens precibus, maturiùs ad venerabilem LANTBERTUM Abbatem, qui tunc Fontanellæ Cœnobium sub sacro habitu vitæ monasticæ gubernabat, strenuos direxit nuntios, exorans per eos ejus sanctitatem, quatenus illius largitate suum populísque desiderium votorum obtineret effectum. Qui benedictione sui Pontificis muniti atque ab eo egressi, iter carpendo sacrum ad Fontanellæ Monasterium Domino duce agiliter pervenerunt. Cúmque à Fratribus benignè suscepti atque venerabili Lantberto fuissent exhibiti, ex præcepto sui Patris talibus eum allocuti sunt dictis: Vestræ sanctitatis nimiùm amator Pasquarius Pontifex devotione flagrans sacra, precibúsque universæ plebis sibi commissæ instigatus æstuanti desiderat voto, quatenus in ejus parochia Monachi se eis locum præparante vitam regularem exempli gratiâ ad profectum sanctæ Ecclesiæ perpetuámque laudem teneant Dei. Ediscens autem famâ vestræ sanctitatis longè latéque pervolante, vestram congregationem venustate hujus Religionis plus ceteris clarescere, precatur ut vestra ei sancta largitas religiosissimos mittat Monachos, qui hanc vitam optimè tenere aliísque tradere sciant, ut ea quæ desiderat per eos implere valeat.

10. Qui cùm tali devotione Sacerdotem Dei cum plebe sibi commissa fervere cognosceret, primùm omnipotentissimæ individuæque Trinitati summas retulit gratias; deinde vocato beato Hermenlando Monacho petitionem venerabilis Pasquarii iterum coram eo exponi jussit, ac demum responsum in hunc modum dedit: Vota quidem, Filii carissimi, Pasquarii Episcopi ejúsque sancti gregis constat sicuti divinitùs inspirata sanctissima redolere devotione. atque ideo ut particeps tanti voti esse merear, licèt magno destituar solatio, petitionem à nostra parvitate postulatam per carissimum mihi hunc Fratrem Hermenlandum aliis cum eo Fratribus missis perficere studerem, si certissimè nossem ab eo ita Cœnobium constitui, ut futuris temporibus Fratres in eo constituti, quantum ab eo vitari potest, nullius infestatione turbarentur. Vita siquidem nostri Ordinis summam expetit quietudinem, & nihilominus magnum patitur dispendium cùm intentè cælestia contemplatur, si querimoniis pravorum à supernorum avocetur inspectione. Si igitur in suæ Ecclesiæ prædio Cœnobium construxerit, in quo isti quos mittimus aliíque divinitus inspirati eorúmque provocati exemplo conversi è sæculo habitent; temporibus quidem ejus fortassis optata uti pace valebunt: post obitum verò ejus si ipsum Cœnobium sub dominio sui successoris reliquerit, magnis (sicuti in nonnullis Cœnobiis actum esse comperimus) cupiditatis instinctu pravorum turbabuntur inquietudinibus, itaut necessitas eos inde exire compellat, & errabundos circumquaque vagari cogat. Mihi verò si ita evenerit qui commissos illuc dirigo Monachos, multum incumbet periculi, illíque nihil augebitur mercedis. Si autem perpetuæ retributionis intuitu Monasterium ædificare desiderat, hortor ut regalibus eum manibus tuendum committat, & ut Regis clementia talem præceptionem facere dignetur, ut nulla alia potestas maligno instigata spiritu omni dominationis occasione sublata molestiam habitantibus in eo ingerere audeat: quatenus regali defensi præsidio, pro ejus totiúsque sui Regni perpetua pace liberè remota pravorum impulsione Christi interpellent clementiam. Noli, inquiunt, noli cunctari talibus suspicionibus, Pater. nam certissimè de bonitate Patris nostri Pasquarii confidere potes, quia juxta tui oris imperium omnem hujus operis causam Domino juvante perficiet.

Abbatis responsio.

11. Tunc nuntiorum sponsionibus firmatus dixit beato Hermenlando: Nimiùm tua, carissime Frater, fidens religione, quamvis tua corporali absentia maximum dispendium mihi evenire non ambigam, te ad venerabilem Pas-

Hermenlãdum mittit cũ sociis 12

Circa An. DCCXX. Mart. XXV. quarium cum duodecim Fratribus, quorum te in mea vicissitudine Patrem constituam, mittere volo, ut tuo dictante magisterio Monasterium, sicuti optat, construat. Nihil tamen ex hoc sine tua definitione agere tentabo, sed omnem hujus negotii causam tuo prudenti committo judicio. Ne, quæso, inquit, vir sanctus, mi Pater, digneris super hoc nostram elicere voluntatem, quam pro Christo tuo tradidi arbitrio, sed quocumque me miseris libentissimè, acsi divinitus mihi imperetur, ire conabor: tantùm Domini voluntas & tua fiat. Tunc isdem Pater gaudio repletus, ejus præclaræ congratulans obedientiæ dixit: Eia, Fili mi, arripe ut miles Christi prosperum iter, sume laudabile opus, per quod tu aliique multi ad regna ingredi cælorum mereamini. Qui cùm talibus illum aliósque quos cum eo mittebat, hortaretur eloquiis, maximéque ut REGULAM SANCTAM virili tenerent custodia, ruentes ipsi omnésque Fratres cum lacrymis in mutuos amplexus, osculum invicem sibi pacis dantes dimiserunt eos, imprecantes eis prospera cuncta fore dicentes: Comitetur vobiscum gratia summæ Trinitatis, & omnia opera vestrarum manuum prosperè dirigat, locúmque vestræ habitationi ad multarum salutem animarum perenni custodia tueri & conservare dignetur.

12. Qui benedictione postulata plenitérque accepta cum legatis jam dicti Episcopi iter carpentes, ejus faciei se præsentare festinabant, orantes ut Christus solatium sibi perficiendi tribueret injuncti operis, & sic ad urbem Namnetensem Domino duce pervenerunt. Tunc Basilicam[a] beatorum Apostolorum Petri & Pauli beatus Hermenlandus cum sociis orationis gratiâ ingressus est. Audiens verò venerandus Episcopus eos advenisse, ineffabili exsultans gaudio dixit: Recordatus est mei Dominus, ut votum desiderii mei implere dignetur. Atque in præfatæ Ecclesiæ foribus occurrens eis, dixit B. Hermenlando: Benedictus Dominus qui misit me ad introïtum tuum, qui quod bonum & jocundum esse per os beati David Prophetæ dixit, hodie est complere dignatus, faciens habitare fratres in unum. Cúmque ei suísque omnibus quos veluti Angelos suscipiebat, alacriter prandium exhibuisset, omnéque desiderium suum ejus exposuisset auribus; B. Hermenlandus ea quæ Pater ejus nuntiis ipsius opposuerat, eorúmque responsionem coram eo recitavit, ac demum subjunxit: Et nunc si consilio Patris tua sanctitas parere voluerit, prout Dominus exiguitati nostræ donaverit, quodcumque jusseris, perficere conabimur. Sin autem aliud Paternitati vestræ placet, inviolata caritate ad Patrem nostrum juxta ejus præceptum revertemur. Nullus me magis, dilectissime (inquit) Frater, hujus operis perfectionem perpetua constabilire desiderat firmitate, qui auctor fundatórque ejus videor esse & ideo secundùm tuam Patrísque tui suggestionem nostrorúmque nuntiorum sponsionem, non solùm te cum Cella quam ædificare disponimus, cúmque omnibus rebus quas ibi confirmavero ad subsidium Fratrum inibi commorantium secundùm auctoritatem canonicam, regiæ committam dominationi, ejúsque vobis habere perficiam præceptum: quin etiam quidquid commodum atque utile ad perpetuam quietem illius loci tecum pertractare potuero, libentissimè implere curabo. Tu verò ea quæ desidero quomodo rite perficiantur, prudenti perpende consilio. Beatus verò Hermenlandus cognoscens animum Pontificis avaritiæ æstu vacuum, humiliter eum alloquens dixit: Dominus qui inspirator hujus exstitit voti, tribuat eum perfici secundùm cor, consiliúmque tuum confirmet in bonum. Ego verò acceptâ vestræ benedictionis induciâ *, quidquid ex hoc Domini voluntate pertractare potuero, crastina die vestris sacratissimis auribus intimare aggrediar.

Namnetum ingressi ab Episcopo excipiuntur.

Episcopus eorum petita rata habet.

* Boll. fiduciâ

[a] Ea est Ecclesia principalis seu cathedralis, S. Petro sacra.

CIRCA AN. DCC XX. MART. XXV.

III. *De inventione insulæ Antrensis.*

13. CUMQUE die altera aurora novo perfunderet lumine terras, B. Hermenlandus expleto matutinæ laudis officio venit ad Pasquarium Episcopum, eique dixit: Jube nobis præparare naviculam, in qua cum sociis per alveum Ligeris remigantes, usque ad loca maritima omnia litora ejus pervidere possimus. Et si locus aptus repertus non fuerit ubi Cœnobium ædificetur, tunc ad dexteram lævámque in omni tua circuibimus dominatione, usquedum congruum reperiamus situm Monasterii constructionis. Non vobis, ut opinor; ait isdem Pontifex, usque ad maritima necesse erit fatigari loca: quia sunt nonnullæ insulæ, tribus ab hac urbe distantes millibus, hujus amnis vallatæ lymphis, quas etiam bis per revolutionem diei ac noctis unda marina undique ambiendo inviscere non negligit. quæ tanto sui vigoris impetu agitatur, ut ultra hanc urbem ad orientalem plagam septem millibus ictum retrorsum convertens Ligeris, vim inundationis suæ ubertim infundat. Cujus autem ipsæ insulæ fertilitatis interiùs, vel cujus magnitudinis sint, pastoralis curæ occupatio perscrutari me non permisit. Quas cùm diligentiùs tua sagax prudentia perviderit, qualiter se habeant mihi renuntiare nòn differat, si in aliqua earum congruus locus ad constructionem Monasterii reperiatur. Et hæc dicens, navem velociùs præparare jussit. Quam vir Domini Hermenlandus ingressus dixit: Omnium bonorum largitor, qui populo tuo viam in mari Rubro præparasti, per quam ad terram repromissionis venirent, da mihi, Domine, famulo tuo per rectam incedere viam, ut ad locum quem servis tuis præparare ad habitandum dignatus fueris, de quo non ad terrenam, sed ad cælestem promissionem æternæ felicitatis pervenire mereantur, recto perveniam itinere. Nautæ verò concitè navigantes pervenerunt ad unam insularum, quæ magnitudine sui ceteras circa se superat.

Hermenlandus locum Cœnobio concedendo quærit.

14. Tunc de navi egressus cœpit de spatio insulæ percontari, cujus in viginti quatuor stadiis longitudinem dimensam reperit. Quæ in medio aliarum sita, se undique à quatuor cæli plagis circumdantium alto sublimatur vertice, per mediam sui longitudinem montuosa, omnes inundationes Ligeris ab Oriente aliquoties ubertim effluentes & Oceani maris ab Occidente bis per singulos menses eructantes despicit malinas [a]. Quæ malinæ reliquas insulas in Oriente Occidentéque & Aquilone sitas aliquoties ad momentum operiunt, solam in Meridie ab hac sitam verentes insulam propter sublimitatem sui montis: & idcirco tuta in se loca exhibet habitationis, amplissimúmque vinearum, hortorum atque per gyrum pratorum præbet spatium. Non enim in ea aliquis mole corporeæ fragilitatis gravatus homo absque navali subvectione ingredi potest, sed neque in aliquam earum undique eam ambientium. Est enim opacitate densata silvarum, quam ideo & propter nonnulla abdita in ea loca vir Domini ANTRUM vocavit. Sed & meridianam, quæ spatio licèt sit minor, specie tamen in nullo ab hac discrepans, vocavit ANTRICINUM. Reperit enim in ea Oratorium, in parvissima Basilica, beatissimi Confessoris Martini. Sed & pastores armentorum erant in ipsa insula plurimi, ubertate ejus largissimæ pascuæ alentes pecora sua. Piscatoribus autem circa se tam plurimam copiam præbet piscium à Ligere & mari largiter ibi per disposita tempora

Antrum insulam perlustrat.

Insulæ descriptio.

[a] Beda in lib. 1 de natura rerum cap. 29, *omnes cursus maris in ledones & malinas, id est minores & majores æstus dividit.* item Simeon Dunelmensis alibi referendus.

Circa An. DCC XX. Mart. XXV. vicissim venientium, ut piscatoribus aliorum fluminum profunda rimantibus, nisi visu didicerint, incredibile auditu videatur. Non itaque vulgi in ea perstrepunt voces, sed solùm avium diversarum circa eam audiuntur melodiæ, inter quas citharœdi olores dulcia fundunt modulamina cantûs. Tantum namque quietis silentium in se retinet, ut omne desiderium eremi anachoreticam vitam desiderantibus penitus auferre videatur.

15. Cúmque hæc omnia vir Domini Hermenlandus partim visu, partímque vicinorum comperisset relatu, exsultans in Domino ait: Benedictum nomen tuum, sancta & gloriosa Trinitas, in sæcula, qui mihi famulo tuo pretiosiorem locum aptioremque omnibus Cœnobiis, in quibus meam fuisse parvitatem contigit, ostendere dignatus es. Et nunc, Domine, quæso ut esse digneris hujus loci constructionis ædificator & custos perpetuus in sæcula sæculorum. Tunc ad Antistitem Pasquarium ocius revertens dixit: Fateor in veritate, numquam me tam speciosum vidisse locum, támque monasticæ vitæ congruentem, sicuti hodie in duabus insulis quas perspexi, mihi contigit reperisse. Cumque ei cuncta quæ invenerat per ordinem retulisset, gaudens in Domino isdem Præsul ait: Benedictus tu Domino, & benedictus Dominus qui misit te, qui tibi propter magnam misericordiam suam dignum locum ostendit, in quo voti mei effectum inveniam ad perpetuam animarum salutem. Tota igitur die illa invicem conferentes, quo tenore dispositum perficerent opus, mutuísque spiritalibus se cohortantes eloquiis, post dulcia æternæ vitæ conloquia, fragilitati consulentes humanæ sumserunt cibum. Tunc demum post hymnorum laudes, cum benedictione Domini ad lectuli quietem secedentes, parum sopori indulgentes, reliquum noctis spatium insomne in Dei duxerunt laudibus.

IV. *De constructione Monasterii.*

16. Venientes igitur sequenti die simul, dixit B. Hermenlandus venerabili Pasquario Episcopo: Jam quia mihi Dominus locum pulcherrimum ostendere est dignatus, in quo ea quæ desideravimus perficiantur, nolo moras innectere, sed cum tua benedictione ocius illuc regredi volo: quatenus tuo aliorúmque munitus juvamine, fabricam Monasterii Christo favente ædificare incipiam. Et ille: Omnium Creator qui Salomoni prudens cor ad ædificandam dignam nomini suo domum largiri dignatus est, det tibi gratiam & benedictionem, & secundùm suam voluntatem omnia opera tua dirigere dignetur. Sumtus igitur prout necessitas poposcerit, quia in promtu sunt, ministrare non negligam, tecúmque operarii nostri ea quæ jusseris perficient. Mutuis demum amplexibus se constringentes, osculum sibi invicem dederunt pacis: & sic B. Hermenlandus ad dilectam reversus est insulam. Quam cùm ingressus fuisset, eligens locum in quo convenientiùs Monasterium construi deberet, cœpit fundamenta domorum ad necessariam sufficientiam Fratrum jacere, & duarum Ecclesiarum, quarum unam in honore S. Petri Apostoli, aliam verò in honore S. Pauli Apostoli cum omnibus claustris Monasterii Domino se protegente brevi explevit tempore.

17. Cúmque opus suum plurimorum illius terræ incolarum auctus juvamine velociùs consummasset; veniens illic idem Episcopus ad dedicationem cum suis Canonicis, per consensum omnium privilegium S. Hermenlando & Monachis suis ex eodem Monasterio fecit, sicut spoponderat. primùm, ut nullus de successoribus suis de ipso Monasterio vel rebus quas ipse vel alii divino amore compuncti ad luminaria subsidiáve Fratrum

ibidem tradiderant, aliquid sub dominationis occasione usurpare tentaret. & tunc demum ad aulam regiam secum B. Hermenlandum ducens, Regis CHILDEBERTI [a] eum cum Monasterio & Monachis ex eo tuendum tradidit manibus. Æternæ verò retributionis intuitu isdem Francorum Rex suum tunc Præceptum B. Hermenlando de eodem Monasterio & rebus ejus fecit, ut nulla dominatio alicujus potestatis Monachis in eo constitutis aliquam inquietudinem ingerere præsumeret; sed regali perpetua freti defensione, absque alicujus impedimento liberè pro eo totiúsque Regni ejus pace Christi deprecarentur clementiam. CIRCA AN. DCC XX. MART XXV. Regi Monasterium committitur.

18. Tunc vir Domini amicitiis Regis honoratus reversus est ad Monasterium. Cœperunt jam ex eo tempore multi è sæculo conversi in ejus se Cœnobio regularibus tradere disciplinis, aliique suas soboles ibidem Deo offerre festinabant. Quibus omnibus disciplinam cælestis vitæ laudabiliter B. Hermenlandus verbo actúque tradebat, usquedum magnus virtutibus atque numero grex ibi Christi auctus est. Qui ita perfectè sub tanto degebant Patre, ut fama sanctitatis eorum longè latéque pervolaret, & in eorum operibus omnes quicumque audirent, Patrem eorum magnificarent in cælis Deum. Flores ejus status.

V. *De visione animæ Mauruntii Abbatis.*

19. QUADAM nocte dum isdem beatissimus Hermenlandus in Oratorio solitò maneret insomnis, atque contemplationis cælestis gratiâ in Basilica B. Petri Apostoli pernoctando vigilaret; vidit animam venerabilis viri MAURONTII Abbatis ex Monasterio S. Florentii [b] quod vocatur Glonna, triginta à suo Cœnobio sequestrato passuum millibus, vinculo resolutam corporis ad æthereum deferri ab Angelis thronum. Quam cùm diutiùs fuisset intuitus, signum dedit [c], atque in unum Fratribus collectis cum summo caritatis affectu præcepit, ut illius exitum orando Domino commendarent. Ipsi verò jussa S. Patris alacri implentes obedientia, devotissimè pro anima prædicti Mauruntii ad Deum fuderunt preces. Cœperunt tamen omnes mirari, cùm tanta terrarum intercapedine Monasteria ab invicem diremta essent, quomodo vir Domini animam ejus corporis resolutam nexu videre potuisset. Sed ne quid dubietatis in eorum resideret mentibus, sequenti die perscrutatorem illuc dirigere disponebant, qui hujus rei causam diligentiùs perquireret. Fratres autem de prædicto Monasterio S. Florentii præveniendo eorum directionis abstulerunt laborem, qui orbitatem suam de Patris Mauruntii obitu nuntiaverunt. Fratres autem magna eis sicuti in mærore positis affectione animi compatientes, consolationis ferebant hortamina, ac denuo de hora exitûs sui Patris percontari cœperunt. Et eadem hora ipsóque momento eorum relatione didicerunt eum migrasse [d], quo beatus Hermenlandus ejus Fratribus indicaverat obitum. Mauruntii Abbatis animam in cælum ferri videt Sanctus.

a Childeberti tertii, qui Regno potitus est ab anno DC XCV ad DCC XI.

b Nunc Monasterium vetus S. Florentii dicitur; unitum Monasterio novo S. Florentii dicto ad Salmurum urbem: utrumque ad Ligerim, diœcesis Andecavensis, Congregationis S. Mauri.

c Simile omnino exemplum habes apud Bedam in Hist. lib. 4 cap. 23, ubi de S. Hildæ obitu agit.

d Nimirum v Idus Januarii, & quidem circiter annum DCC. Diem signant Kalendaria domestica his verbis: v. *Idus Ianu. in monte qui dicitur Glomna, depositio B. Mauruntii Abbatis & Conf.* Ita scriptum in tribus vetustis Martyrologiis, ex quibus Martyrologium Benedictinum aliáque corrigenda, quæ illum in VI Idus ejusdem mensis referunt. Certè festum S. Mauruntii sollemni ritu quotannis celebratur in suo Monasterio & toto territorio exemtionis ejus v Idus easdem; extra territorium verò XIV Kalend. Febr. propter octavas Epiphaniæ & alia festa occurrentia. Sepultus est S. Mauruntius in Ecclesia S. Salvatoris prope tumulum S. Florentii. Reliquiæ ejus inde postea elatæ & feretro inclusæ super altare, quotannis feriâ quartâ Rogationum deferuntur. Est Patronus minùs principalis Monasterii veteris S. Florentii. Hæc ex ms. historia à nostro Johanne *Huimes* scitè digesta de Monasterio novo.

CIRCA AN. DCC XX. MART. XXV.

VI. *De vino per ejus signaculum in vase aucto.*

20. QUODAM die dum vir sanctus per pagum Namneticum cum Fratribus aliquibus iter necessarium carpendo conficeret, contigit ARNALDUM, juxta dignitatem sæculi prædivitem, clientulorum stipatum cuneo ei devenisse obviàm. Vir quoque Domini diutiùs eum spiritalibus ex auctoritate divinarum Scripturarum instruens eloquiis, post verbi documentum dixit cuidam Fratri: Quia pro captu nostri intellectûs huic inlustri viro spiritalem ministravimus potum caritate suggerente, etiam corporalem nihilominus simul sumamus. Qui respondens ait: Non plus ibi vini adesse, nisi in parvissimo pendente ad sellam vasculo, quod parum plusquam heminam [a] caperet vini. Sed ipsum jussit afferri, confidens vir Domini plenus illius fide, qui inter quinque millia hominum panes quinque distribuens augmentavit. Nam potestate divina postquam omnes ubertim sunt refecti, plus reliquiarum multo superfuit, quàm integritatis ante distributionem Apostolorum fuisset in turbas. Impresso editóque signo crucis vir Domini prædicto Arnaldo cum omni comitatu suo jussit distribui. Qui cùm omnibus distribuisset, omnésque cum gratiarum actione ipso distribuente singulos calices bibissent plenos, vinum tamen tanti Sacerdotis merito dispertiendo crevit ex tam parvissimo vasculo. Ipsum quoque vasculum in testimonium hujus miraculi in ejus servatur Monasterio. Nullus, ut reor, Fidelis ambigit in hoc miraculo virtutem Heliæ eum imitatum fuisse: quia sicut ille invocato Majestatis nomine oleum, ita iste vinum crescere fecit in vase per virtutem crucis Christi.

VII. *De erucis ejus merito fugatis.*

21. SEDENS igitur aliquando B. Hermenlandus sub quadam arbore juxta Oratorium * B. Leodegarii Martyris in suo Cœnobio, legebat solito attentiùs. Erucæ verò quæ folia fructúmque ejusdem vastabant arboris, super librum in quo legebat frequenter decidebant, eíque lectionis ingerebant impedimentum: quod ipse ut erat mitissimus, patientissimè tolerabat. Cernens itaque hoc quidam Frater, cœpit eas pedibus conculcare. Sed ipse prohibebat eum dicens: Ne, quæso, Frater, quæ divino inferuntur judicio, auferre tenteris *. Virtus quoque divina ejus patientiam remunerari dignata est, auferens eas quæ diutina corruptione prædictam voraverant arborem nocte sequenti, ut nulla quidem ex eis superesset. Nam & in hoc virtuti Moysi conjunctus videtur: quia sicut per ejus preces sacrilegam Ægyptiorum gentem ab hujusce pestis vastatione Dominus eruit, sic per istius meritum prædicta liberata est arbor.

* V. cap. 15.

* tētaveris

VIII. *De pisciculo ex fundo Ligeris ejus virtute educto, de quo omnis ejus congregatio est refecta.*

Hermenlandi secessus tempore Quadragesimæ.

22. MORIS erat eidem Dei famulo Quadragesimali tempore, propter frequentiam plurimorum civium vitandam, qui ob ejus Fratrúmque visitationem undique ad ejus Monasterium cum oblationibus confluebant, Antricinum expetere, ibíque cum paucis Fratribus nimia contritione abstinentiæ corpus suum macerare, quatenus in Paschali sollemnitate hostia Deo gratissima exhiberi mereretur. Contigit autem quodam die, ut fessus

[a] De Hemina vini in Regula S. Benedicti Monachis concessa erit alibi dicendi locus.

vigi-

vigiliarum orationúmque instantiâ, cùm ad auram exhilarationis gratiâ deambularet, & super litus parumper resedisset, diceret quidam Namnetensem Episcopum habuisse quemdam piscem, qui vulgò Naupreda* dicitur. Cui Sacerdos Dei Hermenlandus dixit: Quid hoc ad rem pertinet, Frater? numquid invalida est Omnipotentis manus hujusce generis piscem nobis sicuti & illi cùm voluerit largiri? Necdum vir Domini hæc verba compleverat, & ecce divina virtute hujusmodi piscis ex fundo Ligeris eductus in medio fluvio se subrigens, atque super undas aquarum rapido cursu tranans, ante pedes sancti viri sicco jacuit in sabulo. Tunc munus divinitus sibi conlatum sciens, cum gratiarum actione jussit levari, dicens uni ex Fratribus: Tolle hoc, Fili, & in tres partes divide, quarum unam ad nostram retenta refectionem, reliquæ duæ ad Monasterium Fratribus mittantur. Quod cùm factum fuisset, res subsecuta est statim mirabilis. Nam tanti viri merito ita omnes Fratres tam qui cum eo aderant, quàm & illi qui in Monasterio remanserant, quorum non parvus erat numerus, ita fuerunt ex tam modico satiati pisce, acsi multitudo piscium eis fuisset distributa. Nempe patet cujus dilectionis plenus iste vir fuerit, illius nimirum qui de quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum in deserto pavit loco: cujus iste protectione vallatus, de parvulo pisce sanctam satiavit sui Monasterii congregationem.

CIRCA AN. DCC XX. MART. XXV.

* an lampreta?

IX. *De lampade ejus signaculo accensa.*

23. HIc quoque vir Domini summa discretione providus, sui sibíque commissorum curam æquo ita perpendebat libramine, ut nec pro custodia sui necessaria Fratrum funditus ministrare negligeret, nec rursus pro terrenis stipendiis quibus Fratres sustentabantur, sui custodiam circumspiciendo retentare negligeret. Nam diurnis horis necessaria Fratrum providè administrans, nocturnis iterum horis parumper indulgens somno, magis ex debito humanæ necessitatis quàm ex amore vel modicæ requiei, relictum noctis spatium in adquisitionem vertens contemplationis, toto mentis adnisu cælestia orando & psallendo speculabatur. Quadam nocte dum sollicitè orationis gratiâ Basilicas sui Cœnobii circuiret, in una earum exstinctum cuidam Fratri recuperare jussit lumen: quo secum deferente in manu Fratris flante procella venti lampas exstincta est. Cúmque isdem Frater ut eam iterum accenderet, festinatò ire cœpisset, vir Domini ut subsisteret innuit, & extenta manu signum edidit crucis, atque ex tenebrarum caligine amissum Christo juvante restauravit lumen. Nam postea atrociùs ingruente procella venti, lumen divinitus datum nullius defensionis munimine tectum, inexstinctum usque ad locum quo deferebatur solidúmque perlatum est.

X. *De candore semitæ per quam incedebat.*

24. VIR autem Domini continuis virtutum studiis ad altiora proficiens, quotidianis profectibus munditiam puritatis adquirere nitebatur. Cùm quadam nocte in Antricino, ubi rigore abstinentiæ Quadragesimali macerari solitus erat tempore, deambularet in Oratorio S. Anniani: semita per quam incedebat, reliquo pavimento candidior subitò effecta est, & locus in quo constanter orare consueverat, tali est respersus candore, ut nunc usque cunctis illuc introeuntibus liquidò appareat, quanta munditia orationis pectus sanctissimi Confessoris clarificatum sit.

XI. *De vino ubertim propinato ejus merito augmentato.*

25. IN partibus occiduis fama ejus sanctitatis longè latéque se dilatans excreverat, Aquilones etiam partes invisere non abnuit. Nam quodam die

ANN CHR. DCC XX. MART. XXV.

cùm in pago Constantino [a] res Monasterii obtentu necessitatis pervideret, quidam nobilis illius provinciæ vir LAUNUS nomine, virum Domini cum discipulis ad prandium vocavit. Ipse verò ut erat animo mitis, eloquio affabilis, vultu serenus, ejus petitionem non renuit; sed data benedictione domum illius ingressus est. In regione quippe eadem vinum minimè nascitur, & ideo prædictus vir Launus non plusquam in uno vasculo capiente, ut reor, metretas quaternas parumper habebat vini. Ipse verò gaudens quia Dei virum in domum suam suscipere meruit, convocatis amicorum turbis hilariter omnibus jussit cum pauperibus & peregrinis supervenientibus ex eodem vino abundanter distribui. Mira Omnipotentis dispensatione omnibus abunde potantibus vinum ita crevit in eodem vasculo, ut pro sui diminutione redundans eumdem * repleret jam pæne exhaustum vasculum. Sed hæc res ea die silentio contecta, crastinâ ita per omnem illam regionem divulgata est, ut omnes illuc commorantes cognoscerent, quia tantæ sanctitatis vir iste fuerit, ut si quis ei de facultatibus suis aliquid benedictionis gratiâ largiretur, nullius diminutionis damna incurreret, quin potius augmentationis lucra, salva æterna mercede, hìc etiam in præsenti adquireret. Vir itaque Domini post refectionem ad propriam domum, quæ est in villa quæ dicitur Oglanda, reversus est. Launus autem in crastinum uxorem requisivit, si saltem parum vini superesset, ex quo ad virum Dei pro benedictione aliquid mitti valeret. quæ cùm prædictum vas diligentiùs fuisset intuita, reperit nihil diminutionis, verùm augmentationis plenitudinem accessisse: quod & viro suo nuntiare studuit. Tunc prædictus Launus cum oblationibus ex eodem vino benedictionem sancto viro obtulit, & quantam ei Dominus per merita ipsius gratiam reddidisset, indicavit. Quo audito vir Domini silentio hoc abscondere adulationibus vacuis jussit, dicens: Noli, quæso, meis meritis hoc deputare miraculum, quod pro erogatione pauperum tuæ Dominus largitati conferre dignatus est. At contra Launus hoc pro solo ejus virtutis merito factum dicebat, séque in hac virtute minimè fuisse conscium fatebatur. Orta est inter eos namque mutuæ humilitatis amica contentio: sed omnibus Fidelibus liquidò patet, quia sancti Sacerdotis merito hoc gestum est miraculum, quia illi toto corde adhæserat, qui in Cana Galileæ aquam convertit in vinum.

* l. idem

XII. *De furto quod fure eo præsente celare nequivit, & de bubus ab alio fure præreptis.*

26. BONORUM omnium studiis fraudulentiâ doli infestus inimicus astutè obviare satagens, cùm virum Dei virtutibus pollere cerneret, mentémque ejus nullo tentationis instinctu saltim ad modicum in ullam valeret deceptionis foveam labefactare, cœpit per quos potuit qui nulla erant rationis auctoritate muniti, viro Dei inquietudinis suscitare molestiam: quatenus si non supra petram firmiter fundatam domum funditus valeret evertere, hoc solum sibi deputaret lucrum, si vel ad punctum potuisset perturbare. Nam quodam die instigatus facinore cupiditatis quidam rusticus labulum de sella viri Dei procidens abstulit, in sinúmque projecit. Divina statim ultio, quæ ideo præsentibus ulciscitur verberibus ut à futuris liberet, subsecuta est. qua coartatus doloribus isdem rusticus, cùm veluti ignibus cremaretur, ejulans vociferari cœpit, dicens: Subveni mihi S. Hermenlande, quia pro modico quod à te conatus sum furto auferre, inæstimabiles luo pœnas. Et hæc dicens latens furtum de sinu in medium projecit, quod in testimonium usque in præ-

a Constantinus pagus, *le Coutantin*, cujus caput seu urbs Episcopalis Constantia, *Coutance*, sub metropoli Rotomagensi, alia à Constantia Alamanniæ ad Rhenum.

sens perseverat pendens in Oratorio B. Petri Apostoli in Oglenda cella, ubi hoc gestum est. Vir verò Domini facinore vinctum oratione solvit, atque eum alimentorum satietate reficiens, & ut ne seductoris suasionibus ulteriùs adsensum præberet monens, liberum à se abire permisit. ANN. CHR. DCC XX. MART. XXV.

27. Alius rursum fur eodem avaritiæ corruptus spiritu, boves qui onusta lignis plaustra viri Dei usibus devehere soliti erant, furto præripiens abstulit. Vir autem Domini dolo inimici suorum animalium utilitatibus destitutum se intelligens, damnúmque patienter ferens, ad solita orationis cucurrit arma, & ut sibi prædicta redderentur animalia Dominum deprecatus est. Cujus vis orationis hoc apud Dominum obtinere potuit, ut per totam noctem isdem fur in longinquas eos regiones ducere nitens, fatigatus nimia mane lassitudine ante fores viri Dei eosdem quos auferre moliebatur restitueret boves. Vir verò Dei quæ malignus præripere aggressus est, Domino restituente ovans recepit, & furem blandè alloquens humanitatis ei gratiam pro furti reddidit reatu: præcipuè monens, ne subditus fraudulenti inimici suasionibus ulteriùs esset, ne & hîc judicia incurreret publica, & æternis cremaretur flammis. & sic eum commonens liberum permisit abscedere.

XIII. *De vino in manu Agathei signaculo ejus exuberante.*

28. TEMPORIBUS sancti viri erat quidam vir inclytus nomine AGATHEUS, duarum urbium Namneticæ scilicet & Redonicæ Comes, locúmque Episcopatûs in prædictis occupans [a] urbibus. Hic Antrensem insulam orationis gratiâ, & ut cum viro Dei loqueretur adiit: qui benignè ab eo susceptus est. Oratione verò expleta eum de suis actibus increpans, sanctísque instruens monitis, melioris vitæ tramitem eum arripere hortabatur. Post verba verò prædicationis humanitatis gratiam ei exhibens, in refectorium eum secum duxit, calicémque meri ei dari jussit. Qui cùm mediam ejus partem bibisset, calicémque Fratri deferenti reddere voluisset, Sacerdos Dei ut adhuc biberet hortatus est, elevatáque rursum dexterâ secundò super prædictum calicem signum impressit crucis. Necdum manum retraxerat, & ecce subitò calix ita repletus est, ut ubertim exundans ex eo vinum super brachia prædicti viri effunderetur. Tunc jam dictus Agatheus indignum se concessione tanti existimans Sacerdotis, citissimè ad pedes ejus tremebundus cecidit, postulans eum pro suis intervenire erratibus. Sicque per exterius miraculum ejus de qua ante infidus dubitabat, cognoscere compulsus est animi sanctitatem. completáque est sententia Apostoli in eo dicentis: *Signa non fidelibus, sed infidelibus dantur.* Patet namque ideo providentiâ Dei id actum miraculum, ut bruta mens quæ prædicationis igne non calefiebat, vel percussa miraculo timoris anxietate compelleretur emendationi operam dare. Nam ex eo tempore minùs crudelis apparuit. 1. Cor. 14. 22.

XIV. *De anima cujusdam Fratris in Creon Cella ab eo per spiritum visa.*

29. DUM quodam tempore isdem Pater utilitatis gratiâ res Monasterii sui circuiret, ad Pauliacum devenit villam. Et cùm cuncta juxta modum utilitatis Monasterii sui dispošuisset, inclinato die ad vesperam exercitiis vigiliarum solito se committens, contemplationis ardore divina præmeditans insomnem ducebat noctem. Cúmque diutiùs in acie contemplationis consi-

[a] In mſ. cod. Thuaneo Agatheus dicitur *vocatus, sed non Episcopus.* quò spectare videtur Auctor iste hoc loco.

Circa An. DCC XX. Mart. XXV.

stens cordis oculos ad alta sustolleret, vidit in Aquitaniæ partibus in cella sua, quæ ei per chartarum largitatem tradita fuerat, quæ vocatur *Creon*, ab eo loco LXXX distante miliariis, cujusdam venerabilis Monachi animam, qui ejus fuerat eruditionibus instructus, atque ibi ab eo constitutus ut ipsam & aliam quæ vocatur *Colon*, prævideret cellam, à corpore migrantem, Angelorúmque præsidio subvectam cælestia penetrare. At ipse statim pulsato signo ejus obitum Fratribus secum habitis nuntiavit, & ut ejus exitum orando Domino commendarent, monuit. Fratres igitur ejus dictis creduli jussa complentes, aliqui puerorum virum Domini longævo jam confectum senio insanire deludendo dicebant. Sed ipse adhærens Domino, eo spiritu quo potuit animam corporis nexibus resolutam longiùs videre, valuit etiam puerorum non solùm dicta, verùm cogitationes penetrans intueri. Nam eorum diffidentiæ obvians, certissimè adfirmabat, prædicti Fratris animam rebus humanis solutam in regno Christi sanctam adeptam esse requiem. Quod post nuntii prædicti Fratris obitum ex eadem cella nuntiantes verum esse adseveraverunt: & eadem hora eodémque temporis articulo eum obisse dixerunt, quo ejus exitum S. Hermenlandus Fratribus indicaverat.

XV. *De Cella in qua amore vitæ contemplativæ se reclausit, & de interitu* ADALFREDI *Abbatis.*

30. IGITUR B. Hermenlandus inter administrationes necessarias curæ commissorum sibi Fratrum, sua nihilominus studia quibus æterna adquirere mereretur præmia, augmentare quotidianis virtutum profectibus non desiit. Non ei libuit, ut est consuetudinis quibusdam veteranis, remissiùs imbecillitati senilis ætatis consulentibus vitam ducere: sed cum augmento temporum rigori suæ conversationis quidquid valuit virtutis studuit augere. Dispendium non parvum arbitrabatur, si non quotidie aliquid virtutis suis adjungeret exercitiis. Nam cùm ad senilem venisset ætatem, parvum Oratorium in honore S. Leodegarii Martyris juxta fores Monasterii ad Orientem vergentes construxit, in quo relicto pastoralis curæ regimine, quod non ambitionis fastu, sed necessitatis injunctæ olim obedientiæ diu tenuerat, dans Fratribus licentiam ut vicarium sibi Patrem ejus substituerent loco, ipse deinceps se retrusit, ut ab omni non solùm superfluæ, quin etiam justæ (quantum fragilitas sineret humanæ necessitatis) curæ inquietudine exutus, liberè in theoricis Domino soli vacaret studiis. Relictâ igitur per Regis licentiam Monasterii curâ sine voluntate Fratrum, qui de ejus privatione multo planxerunt tempore, cum quatuor Fratribus idem sitientibus votum in prædicta cella se reclaudens, cælestibus inserviebat contemplationibus. Fratres autem sibi Abbatem elegerunt nomine ADALFREDUM regali annuente præcepto, quorum electioni B. Hermenlandus divino cedens judicio interesse noluit. Prædictus igitur Adalfredus maligno spiritu deceptus, paternitatis jus in crudelitatis convertit tyrannidem. Cœpit namque sua Fratrúmque necessaria relinquens, superfluis occupari negotiis: & ab intimis justo Dei judicio repulsus, exteriora sola errabundus sectari. Cœpit igitur aulam sibi ædificare, necessariis non contentus domibus, sed proterviæ fastu tumens competentem transgredi conatus est mensuram. Quo agnito B. Hermenlandus cùm de suis plurimis eum corriperet

Adalfredi successoris corrupti mores.

» erratibus, inter cetera dixit: Quid est hoc, Frater, quòd neglectis animarum
» lucris Fratrúmque necessariis, supervacuis occuparis rebus? numquid tibi Fra-
» tribúsque domus ad habitandum sufficienter hîc ædificatæ non videntur? meis
» per omnia dictis intende: his contentus esto, quia alias in isto non ædificabis
» loco. Hoc autem vir Domini prophetico afflatus spiritu dicebat: sciens ultio-

nem divinam imminere, quæ ejus iniquitatibus eodem anno terminum imponeret. Sed prædictus Adalfredus mente cæcatus, verba viri Dei contemnendo, penuriâ alimentorum Fratres affligens, eis etiam qui cum sancto Hermenlando erant, constitutum subtrahi præcepit alimentum. CIRCA AN. DCC XX. MART. XXV.

31. Quodam etiam die cùm quemdam ex his quos B. Hermenlandus sub æquo disciplinæ moderamine Deo educaverat, sicuti ceteros solitus erat, dirissimis juberet percuti flagellis Fratrem, urgentibus doloribus is qui cædebatur B. Hermenlandum compellare compulsus est, dicens: Pater Hermenlande, ut quid nos dignatus es viventes relinquere? Infelix Adalfredus ampliùs eum torqueri jubens, dixit: Non tuus tibi opem defensionis quem invocas præbebit Hermenlandus. Et cùm tandem affectus plagis evasisset, agili cursu ante fores cellæ, ubi vir Domini contemplationi insistebat cælesti, perveniens, terræ cohærens solo & ejulans ait: Heu, mi domine Hermenlande, quid nostræ iniquitatis reperisti, ut nos sub tantæ crudelitatis deseres jugo? Utinam dira mors humanis nos subtraheret rebus, ne tanti tyranni afficeremur malis! Cœpêre etiam qui cum eo erant, viro Domini intimare, quantâ Fratres penuriâ famis afficeret. Tunc ingemiscens vir Domini ait: Silete, Fratres, silete, scitote tamen ejus citissimè accelerari interitum. nam ejus contumaci vitæ nec unius tribuetur mensis spatium. Quod prophetico dictum spiritu declaratur. Nam idem miser Adalfredus die tertio vidit per visionem baculo B. Hermenlandi se pro perversitate inobedientiæ suæ percuti, & evigilans cœpit veluti ignibus crematetur cruciari: & sic æterna damnatus morte, vitam judicio Dei cum regimine infelix repentè amisit. Fratres verò S. Hermenlandi monitu, qua erat indignus, ejus cadaver sepulturæ tradiderunt.

XVI. De DONATO *Abbate quem sibi in regimine successorem elegit.*

32. POST interitum Adalfredi Abbatis, conglobati simul Fratres B. Hermenlandum submissis precibus exoraverunt, dicentes: Precamur sanctitatem tuam, benignissime Pater, quia nos desolatos relinquere tuâ præsentiâ maluisti, ne nos sicuti olim in electione Abbatis aberrare permittas; sed dignum Deo elige nobis Patrem, qui juxta tuum exemplum viam Domini nos docere queat. Flexus itaque precibus eorum, jussit accersiri unum è Fratribus, quem ipse divinis disciplinis instruens enutrierat in bonis actibus, nomine DONATUM. Quem cùm voluntate omnium Abbatem ordinans Fratribúsque præponens edocuit, quemadmodum in spiritalibus temporalibúsque rebus ministrandis se sollicitum exhiberet ac promtum. At ipse magistri sequens monita, juvamine Christi fretus, magistrique intercessione fultus, plenus humilitatis caritatísque gratiâ, Monasterium cunctis diebus vitæ suæ laudabiliter rexit. Sed ejus hoc obtinuit merito, cujus prælatus est electione.

XVII. *De obitu suo Fratribus prædicto, & de dormitione ejus in Christo.*

33. HACTENUS de vita Justi, plurimis prætermissis, paucis commemoratis, virtutes quas per eum Dominus operari dignatus est, scribendo digessimus: nunc de ejus obitu quo regni cælestis aditum penetravit, scribere aggrediar. Igitur postquam plurimos à pravitatibus suis ad Fidem Christi converti fecit, postquam in cella multis diebus reclausus orationibus suis multis ægrotis ad ejus sanctitatis famam undique confluentibus pristinam reddidit sanitatem, cùm jam laudabilis ejus senectus tantâ eniteret virtutum

CIRCA AN. DCC XX. MART. XXV.

gratiâ, ut nihil ei perfectionis addi posse crederetur, prophetico spiritu quo multa futura prævidere solitus erat, suum etiam sacrum prænoscens obitum, nonnullis ante diebus Fratribus suis transmigrationis certum prædixit diem. Fratres enim de ejus prophetia frequentiùs experta servi Dei dictis certam adhibuerunt fidem. Eo die quo dissolutionem sui prædixerat corporis, in unum collecti ejus exoraverunt sanctitatem, ut sicuti in terris eorum fuerat magister justitiæ, ita in cælis dignaretur esse perpetuus intercessionis patronus. Qui cùm omnes viritim ut in sancto perseverarent proposito moneret, corporis semet dominici sanguinisque Sacramento muniens, longævitate senectutis defessus, membrorum compage protensa, spiritum Domino emittens commendavit: & sic discipulis flentibus, Angelis cum Virginum choris, in quorum collegio mente virgo & corpore permansit, decantantibus, lætus acsi sopore dormiens inter verba orationis beatissimus Christi Confessor, in medio Fratrum exanime corpus linquens, tam à dolore mortis inlæsus, quàm fuerat à contagio libidinis alienus, migravit [a] ad Christum, cum quo perpetuâ coronatus gloriâ exsultat in sæcula sæculorum, Amen.

XVIII. *De translatione ejus corporis, & de fragrantia odoris ex tumulo.*

34. COMPLETO itaque reverenter à Fratribus sancti viri funere, sancta ejus membra in Basilica S. Apostoli Pauli juxta Oratorium S. Wandregisili [b] in absida meridiana sepulturæ debito cum honore tradiderunt. Dominus namque ut ostenderet quanta suæ dilectionis in B. Hermenlando fuerit gratia, multarum ad sepulcrum ejus diversarúmque ægritudinum tabe laborantibus salutis medelam operari dignatus est. Postquam verò ibi per plurimos virtutum signis refulgeret annos, vox quædam nocte facta est ad venerabilem SADREVERTUM ejusdem Monasterii Monachum, dicens: Perge cùm surrexeris crastina die, & dic tuo Abbati, ut transferat corpus B. Hermenlandi Confessoris de Oratorio S. Wandregisili in Basilicam B. Petri Apostoli, summóque eum ibi secus altare cum honore recondat. Pater verò ejusdem Monasterii hujuscemodi nuntium à viro, quem pro sanctitatis merito nimio diligebat amore, audiens, nimio repletus gaudio cum hymnorum laudibus membra beatissimi Confessoris cum tumulo in quo jacebat elevans, cum Fratribus deferebat quò sibi fuerat imperatum.

35. Præcedentibus igitur cum thuribulis & lampadibus psallentium choris, gyrabat claustra Monasterii cum pretioso quem deferebat thesauro. Cúmque ante ostium pervenissent refectorii, ferculum acsi immensis oneraretur saxorum molibus, in quo corpus beatissimi Confessoris deferebatur, inter manus portitorum cœpit gravari, ut terratenus depressum non solùm ab illis, verùm neque ab omnibus qui circumquaque comitabantur posset levari. Tunc in admirationem stuporis omnes conversi, quid hoc facto beatus Confessor ostendere velit cœpêre conquirere, orantes Dominum ne diutiùs illius deferretur ad præparatum locum translatio. Oratione completa venerabilis DAVID Abba dixit: Quia jam Missarum est completum officium, arbitror beatissimum Patrem Hermenlandum solitæ pietatis prospectu nos in refectorium ingredi velle, quatenus pro labore suæ devectionis

[a] Nempe VIII Kalend. April. infrà num. 47. & quidem circiter annum DCC XX. Monasterium quippe suum condidit Childeberto Rege, id est post annum DC XCV, paullo prætergressus annos triginta ætatis. regimine sese abdicavit jam ad senectam vergens: nec minor sexagenario naturæ concessit, qui *longævitate senectutis defessus* obiisse dicitur.

[b] Vides S. Vvandregisilum pæne ab suo ipsius obitu Oratoriis suo nomini exstructis cultum fuisse.

venerationísque suæ sanctitatis singulos poculi bibamus calices. Quod cùm factum esset, manibúsque adtractare sarcophagum cœpissent; omni gravitudine deposita ponderis, tanta velocitate elevantes in Basilicam B. Apostoli deferunt Petri, ut numquam antea à paucis cum tam parvo portaretur labore.

Circa An. DCCXX. Mart. XXV.

36. Sed cùm omnium Monachorum devota fraternitas sollemni fide tradenda sepulturæ sancta deveherent membra, & amore gestandi omnes leve sentirent, ad locum destinatum perveniunt, ibíque juxta revelationem divinitus factam hymnorum cum laudibus sanctum condidêre corpus: cujus sollemne pignus Basilica insulæ Antrensis B. Apostoli Petri in honore sacrata amplecti promeruit. Res mira post depositionem sanctorum membrorum in urna artificum diligentiâ ad hoc ipsum præparata in die tertio ibidem claruit. Tantum namque omnium aromatum fragrantia miri odoris nectar exsuperans ex sepulcro ejusdem sancti emanavit Confessoris, ut tota eodem odore primùm respergeretur Basilica: ac demum omne Monasterium ita replevit, ut omnes illius incolæ loci ex eo referti, usque in diem octavum continuis perseverarent horis. Nam omnes qui illic tunc interfuerunt, qui luce adhuc utuntur data mortalibus, testantur nusquam tantæ dulcedinis ac suavitatis odorem olfactu capere potuisse suo.

Auctoris ætas.

XIX. *De officio pedum cujusdam debilis ad ejus sepulcrum recepto.*

37. SEPULTO igitur B. Hermenlandi corpore in Oratorio S. Apostoli Petri quod ipse construxerat, multis demum usque nunc, quoties fides exigit petentium, virtutum coruscat miraculis. De quibus aliqua sicuti relatione seniorum agnovi, mihi huic paginæ inserenda esse ratum videtur. Quidam puer claudus Somonus * nomine, cùm officio caruisset pedum, ita ut manibus, quia pedibus nequibat, reperet, sanctissimi Confessoris expetens tumulum, ut sui misereretur exoravit. Qui precibus multiplicibus fusa oratione solotenus inhærens pavimento, respectu divino per meritum sancti Confessoris incolumitatem pristini status recipere meruit. Et sic de recepta exsultans sospitate, videntibus cunctis sanus & incolumis ad propria remeavit.

* Bollando Demonus

XX. *De claudo ad ejus sepulcrum sanato.*

38. ALIUS quidam nihilominus claudus nomine Flodulfus, à beato Apostolo Petro per visum Romæ est admonitus, ut insulam Antrensem tribus à Namnetensi urbe distantem milibus perquireret, ubi corpus beati Confessoris Hermenlandi conditum erat: quatenus ad ejus sepulcrum sanitatem per ejus reciperet intercessionem. At ipse ad beatissimi Confessoris religiosorum transvectus præsidio, sicuti admonitus fuit, Memoriam veniens, pro restituendo corporis usu cœpit assidua frequentatione sanctis ejus se inferre liminibus. Non multo pòst beato intercedente Confessore ita sanatus est, ut nihil corporeæ sanitatis ei videretur deesse. Et sic propriis subitò gressibus exsiliens revertebatur à sancti Confessoris tumulo, qui sæpe illuc alienis fuerat manibus vectatus. Quem ideo illuc cum à beato Apostolo missum arbitramur, ut longè latéque claresceret, quantum pro merito sanctitatis intercessio sancti Confessoris apud Conditorem omnium debilium sanitates impetrando valeret.

CIRCA AN. DCC XX. MART. XXV.

XXI. *De curatione surdi & muti.*

39. FUIT etiam quidam surdus & mutùs nomine Domitianus, qui à nativitate funditùs caruerat linguæ auriúmque officio. Sed cùm alimoniam publica mendicitate qua sustentaretur, per diversa quæreret loca, contigit ut ad Monasterium sanctissimi Confessoris deveniret. Qui cùm more solito à quodam Monacho qui supervenientes suscipiebat peregrinos, ad Memoriam beati Confessoris fuisset deductus, cùm limina ejus fuisset ingressus, & orationem pro salvatione sua, quia lingua non poterat, solo quo sensu vigebat funderet corde, precibus beati Confessoris linguâ solutâ auribúsque apertis statim & loqui meruit & auditum recipere. Multum namque hujus viri meritum apud omnipotentem Dominum valere dubium non est, cujus precibus gestum constat, ut factura quæ ex duorum sensuum privatione imperfecta manserat, pietate Creatoris ad plenum usque formaretur statum.

XXII. *De quodam homine qui res Monasterii ejus injustè abstulerat.*

40. QUIDAM homo cupiditatis peste corruptus, nomine Eurefredus, ex rebus sancti Confessoris in pago Oximense villam quæ vocatur Cranna, abstrahere nisus est. sed mox à S. Albino Confessore in somnis correptus, hujusmodi excommunicationis ab eo accepit sententiam, ut nihil cibi potúsque perciperet, donec res quas B. Hermenlando auferre moliebatur, ad ejus sepulcrum veniens cum satisfactione redderet. At ille expergefactus sententiam suæ correptionis pavidè recolens, illucescente die equum adscendit; & sic cursim ad villam ejusdem Monasterii quæ *Cludien* * dicitur, usque pervenit. Reperto quoque ibi ipsius Monasterii Monacho nomine Odranno, causam ei suæ percussionis protinus indicans petiit, ut usque ad tumulum beati Confessoris eum comitari dignaretur. Qui cùm suis precibus ab eo promissionem exsecutionis accepisset, suasus is nihilominus ab ipso aliquid cibi potúsque sumere conatus est. Sed cùm panem in os mitteret, nullo quolibet glutire valuit modo: quin etiam cum sanguine quem temerare præsumserat, coram omnibus evomuit cibum. Tunc itinere cœpto agiliter ad Monasterium cum præfato venit Monachò, móxque sepulcrum B. Hermenlandi, ut remedium sibi impetraret, adiit. Qui cùm se ibi orationi dedisset, villam quam tulerat reddidit, & ut sanitatem recipere mereretur, de facultatibus prædiísque suis ejus dotavit Monasterium. Cúmque publicè satisfaciens facinus sui operis publicâsset, pænitudinem admissi gessit facinoris: & sic ibi potu cibóque refectus ad propriam est domum precibus beati Confessoris regressus incolumis.

* al. Cludion

XXIII. *De flagello in manu cujusdam adhærenti, & ad sepulcrum ejus soluto.*

41. QUIDAM rusticus Sicbaldus nomine, sanctæ Resurrectionis die dominica flagellum accipiens, in aream annonam trituraturus temere ingreditur: sed divina ultio dignam ejus præsumtioni reddidit pœnam. Nam statim flagellum ejus hæsit manui, & dissolutis artuum compaginibus caput ac brachia ceteráque membra atrociter agitabat. Nullo enim se conamine ab hac inquietudine continere poterat, sed sine respiramine horribiliter quatiebatur tremore membrorum. Qui cùm Turonis venisset, intercessione beati Martini flagellum ex ejus exsilivit manu, sed

sed trementia membra pristinam luebant agitationis pœnam. Nocte autem sequenti ibidem adhuc consistens in somnis admonitus à sancto Martino est, ut si à reatu pœnæ suæ absolvi optaret, Antrensem adiret insulam, quatinus beati Hermenlandi Confessoris precibus pristini status constantiam recipere mereretur. Credulus itaque sponsionibus beatissimi Martini Antrum festinè adiit, atque ad S. Hermenlandi tumulum prostratus, gratiâ recuperandæ salutis sanctum interpellabat Confessorem: qui mox ejus precibus annuere est dignatus. Nam Fratribus vespertinum decantantibus officium, apparuit eidem tremulo senex stolâ amictus candidâ, canitie venustus decora, eique annuit ut ad se veniret. At ille oculis erectis adspiciens advocantem se, velociùs ire voluit, sed mox inter choros cecidit psallentium, ibique orationi diutissime incubuit; & paullo pòst manum Fratribus tetendit, sicque à pavimento sanus erigitur. Redditur jam precibus beati Confessoris pristinæ sanitati, & nullum in eo pristinæ deformitatis remansit vestigium. Tunc omnia quæ ei acciderant, palam per ordinem omnibus enarrans dixit, & laudans Deum ad propria remeavit sanus.

Circa An. DCCXX. Mart XXV.

XXIV. *De curatione surdi & muti.*

42\. ADOLESCENS quidam nomine Clibaldus, mutus & surdus, ad beati Confessoris veniens tumulum, pro restituendo sibi linguæ & aurium officio ex intimo cordis affectu ejus poscebat auxilium. Qui cùm ad Memoriam ejus pavimento inhærens diutius funderet preces, & auditum meruit aurium & linguæ recipere officium. Et sic sancti Confessoris munitus precibus, sanus abscessit merita sancti Confessoris magnificans.

XXV. *Item de alio claudo.*

43\. BERTFREDUS fuit quidam puer à nativitate debilis, quem carnalis bajulans pater obtentu ejus salutis ad Monasterium S. Hermenlandi devexit. At ubi eum ante sepulcrum ejus posuit, gressum quem humana subtraxerat conditio, Confessoris opitulatio reddit: & sic gressus claudo restituitur, qui fuerat ab ipsis cunabulis pedum officio privatus; & qui alieno adjutorio evectus ad ejus sepulcrum fuerat, intercedente beato Confessore proprii gressûs virtute est reversus ad sua.

XXVI. *Item de Leuberto claudo.*

44\. ALIUS iterum claudus Leubertus nomine, ad sepulcrum beati viri veniens sanitatem suffragio postulabat, ibique prostratus tamdiu assiduus in oratione permansit, usquedum intercedente beato Confessore pristinam à Christo mereretur consequi sanitatem. Et sic sospitatis comitante affectu qui debilis venerat, incolumis ad sua rediit, de conlato sibi sanitatis beneficio gratias agens.

XXVII. *De Adalfredo à nativitate cæco, qui Romæ fuit admonitus ut ad sepulcrum B. Hermenlandi lumen reciperet.*

45\. MULTORUM ejusdem Monasterii Monachorum relatione didici, qui ipsum hominem & cùm sanaretur, in quo signum quod narro sanitatis gestum est, viderunt. Octoginta annorum jam erat quidam homo nomine Adalfredus, ab egressu materni uteri cæcus & claudus, qui pro adquirenda salute sui corporis, Principis Apostoli beatissimi Petri Romæ

Circa An. DCC XX. Mart. XXV. adiit gloriosum sepulcrum. Cúmque ibi certus B. Apostoli clementiâ, gratiâ adquirendæ salutis diutius moraretur, beatus Apostolus per semetipsum apparere dignatus est, dicens: Vade Turonum, ibique precibus sancti Martini pedum ac manuum accipies sanitatem. indéque Antrensem ingredere insulam, & ad sepulcrum S. Hermenlandi nihilominus Confessoris lumen mereberis oculorum recipere. Qui bonorum devectus hominum juvamine, in Ecclesiam beati Martini pervenit: & mox gratiâ orationis in terram procidens, pollices qui ejus pectori, & pedes qui natibus à nativitate adhæserant, intercedente beato Martino omnem incolumitatem recipientes soluti sunt: & tunc demum ad Monasterium sancti Hermenlandi agili pervenit cursu. Qui cùm in eodem Monasterio orationi diutiùs incumberet, apparuit ei beatus Confessor Dei Hermenlandus, mentum ejus tenens manu, sacrósque pollices super oculos ejus posuit, dicens: In nomine & unicæ individuæque Trinitatis aperiantur oculi tui, & inexpertum hactenus accipe lumen. Et statim evigilans aperti sunt oculi ejus, & posteriora sanantis se, ut ipse fatebatur, more fulgoris micantia adspexit. Qui crastinâ loto cruore qui ex palpebrarum effluxit disruptione, sanis oculis cum magno stupore coram omnibus omnipotentis opificis quas ante non viderat, mirabatur creaturas. Constat igitur beatum Apostolum ideo eum sanandum ad sanctos Confessores misisse, quem citissimè per se curare potuit, utpote cujus olim umbra omnes quos tangebat legitur ægrotos sanâsse, ut cunctis patesceret Fidelibus, quantum eorum intercessio apud omnium Creatorem ad impetrandum infirmorum salutem cum fide valeret poscentium. Is autem qui sanatus fuerat, integritate custodita virginitatis, in eodem beati Hermenlandi Monasterio magnis orationum vigiliarúmque studiis exercitatus, usque ad diem obitûs sui quo debitum universæ carnis exsolvit, laudabiliter degens permansit.

XXVIII. *De paralytico ad ejus tumulum sanato.*

46. Paralyticus quidam nomine Arnaldus, per septem annorum volumina gravi laborabat ægritudine, ita ut in grabato carens omnium officio membrorum, ac veluti exstinctum cadaver, solo vigente capite manibus portaretur aliorum. Qui cùm ad Monasterium beati Hermenlandi à deferentibus perlatus est, atque ad pedes ejus juxta sepulcrum in quo sancta erant condita membra, est locatus. Incipientibus autem Fratribus vespertino officio congruentem Antiphonam in die Translationis ejusdem Confessoris, qui evenit infra festa paschalia, *Alleluia, Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus;* vidit beatum Hermenlandum per fenestram ingredi. qui baculo quem manu gestabat, caput ejus renésque percutiens, dixit: In nomine Jesu-Christi omnipotentis filii, sanare, & surge valens. Tunc primùm in longum debilia extendens membra, ejulánsque magnis vocibus surrexit, & accipiens duos in manibus cereos per medios psallentium choros exsiliens pertransivit. Nam omnibus diebus vitæ suæ percepta usus est incolumitate, & proprii vigore corporis semetipsum vegetans quò voluit perrexit, qui illò aliorum fuerat juvamine adlatus.


47. Hæc & alia multa quæ huic operi inserenda satis profutura ad ædificationem Fidelium forent, multorum ejusdem Monasterii Monachorum qui nunc usque supersunt, narratione cognovi: sed paucis exaratis, compendii gratiâ multa prætermisi. Sed quia vita virtutum

miraculorum præcedit signa, quoniam illa virtutem non ostentat, sed operatur; hæc autem ostentant, non autem faciunt; magis de sancti Patris morum virtutibus scribenda ad imitationem plurimorum esse viderentur, nisi quòd recentiori tempore ejus sancta emicans conversatio, in multorum adhuc retinetur mentium memoria. Quid enim de virtute ejus castitatis dicere valeo, qui à nativitate impollutus à contagio libidinis permanens, virginitatis promeruit accipere coronam? quid de ejus dignè fide enarrare possum, qui omnes quoscumque potuit, à variis erroribus eruens ad catholicam perduxit Fidem? quid de ejus spe intimare queo, qui amore æternorum omnia temporalia exuberantia contemsit prospera? quid de ejus plenissima caritate significem, cujus studium semper fuit, non sua, sed aliorum quærens, ut plurissimi vita per ejus exercitium potirentur æterna? quid de ejus edisseram abstinentia, qui ut eam toto exerceret rigore, relictis in Monasterio Fratribus Antriginum adiens, jejuniorum permaximè ibi morabatur tempore? quid de munditia orationis ejus exponam, qui propriis vestigiis viam per quam ad orationem incedebat, stationémque in qua orationi incumbere erat solitus, in more nivis candidam reddidit? quid de vigiliarum ejus laude referam, quibus insistens continuè animas à corpore migrantes longiusculè sancto illustratus Spiritu videre meruit? quid de humilitate ejus & contemplatione referam, qui ut illam perfectiùs adquirere posset, prælationis suæ reliquit honorem; & ut isti perfectiùs inhæreret in parvissima se retrudens cellula, usque ad diem vocationis suæ ad cælestem gloriam permansit reclausus? quid de præcipua ejus obedientia fari possum, qui obediendo Abbati suo proprium linquens solum, in longinqua cunctis diebus vitæ suæ moratus est regione? quid de ejus patientia innotescam, qui amplitudine fretus caritatis non solùm malum pro malo non reddidit, verùm omnibus persecutoribus suis quæ valuit bona impendit? His virtutum floribus comtus beatissimus Confessor Christi Hermenlandus, contemtus sibi vixit in sæculo ad præmium, discipulis ad exemplum: pro quibus octavo Kalendarum Aprilium ad Christum migrans, æternæ gloriæ meruit accipere coronam.

Circa An. DCC XX. Mart. XXV. — *Auctoris ætas.* — *Hermenlandi virtutes.* — *Obitus dies.*

48. Humili omnes sancti viri vitam legentes prece deposco, ut inertissimi Scriptoris æternæ mercedis prospectu in orationibus sive intercessionibus meminisse dignentur: quatenus B. Hermenlando Confessore intercedente, cum ipso mereamur æterna perfrui vita, præstante Domino nostro JESU-CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen [a].

[a] Posthæc in Martio Bollandiano recitatur miraculum v. Kalend. Julii, anno M C XVII patratum Rotomagi in Ecclesia S. Hermenlandi, in qua *vir quidam nomine* HERBERTUS, *Fiscamni opido* oriundus, ex diutina ægritudine, sinistra corporis sui parte fere paralyticus, apparente sibi S. Hermenlando, cujus aliquot Reliquiæ ibidem in feretro servabantur, sospitatem recepit. Reliquiæ istæ à Calvinistis anno Domini M D LXII combustæ; aliæ istuc allatæ ex Ecclesia S. Magnobodi in urbe Andecavorum, in qua habentur aliquot Reliquiæ S. Hermenlandi. majorem partem possident Canonici Ecclesiæ collegiatæ apud Lochias Turonum opidum, ex Belli-loco Monasterio (ut tradunt) eò securitatis causâ delatam. In Chronico Andecavensi edito in tomo 1 Bibliothecæ Labbeanæ pag. 285, & in aliis mss. refertur *anno* DCCC LXIX *Translatio S. Ermenlandi Abbatis ex insula Antro.*



Circa An. DCCXX. Jul. XXII.


VITA S. MENELEI ABBATIS
MENATENSIS IN ARVERNIS,

Duobus libris descripta ab Auctore anonymo incertæ ætatis.

Ex mʃ. cod. Cœnobii Menatenʃis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ hujus qualitas. *S. Menelée

I. Ametsi *hæc Vita nonnullis mendis resperʃa eʃt, quo in numero ʃunt ea quæ de S.* Menelei* *origine & de Brunechilde Regina referuntur; haud tamen penitus rejicienda videtur, maximè cùm in pleriʃque conʃentiat cum* Vita S. Vincentiani Confeſſoris, *ab* Herimberto *Diacono ejus præceptore ʃcripta: cujus exemplum mihi communicavit R. P. Carolus Cointius. Poʃt S. Menelei Vitam duobus libris ʃcriptam ʃequitur in mʃ. cod. Menatenʃi liber de Miraculis ejuʃdem Sancti malè digeʃtus, ex quo pauca dumtaxat ʃelegimus.*

S. Menelei memoria.

2. *S. Meneleus commendatur in genuino Vʃuardi Martyrologio his verbis:* XI Kalend. Aug. in pago Arvernenſi S. Menelei Abbatis. *quæ eadem verba leguntur in Martyrologio Biturici Parthenonis S. Laurentii, edito per Philippum Labbeum in tomo 2 Bibliothecæ novæ. Laudatur item S. Meneleus tum in prædicta S. Vincentiani Vita, tum in Actis S. Benedicti Anianæ Abbatis, ut poʃtea videbimus.*

Monaſterium.

3. *Monaʃterium à S. Meneleo conditum & excultum dicitur* Menatum *lib. 2 cap. 10, cujus Monaʃterii inʃtaurator potiùs quàm auctor dicendus videtur Meneleus. ʃiquidem jam ʃæculo* VI Menate *Monaʃterium S. Carileʃus, poʃt Abbas Aniʃolenʃis, inhabitaʃʃe fertur. Perʃtat etiam nunc iʃtud Monaʃterium,* Menat *vulgò appellatum, in diœceʃi Arvernenʃi ʃeu Claromontenʃi, ad Siolam fluvium, vernaculè la* Sioule, *Ordini S. P. Benedicti hactenus addictum.*

GENEALOGIA SANCTI PRÆMITTITUR.

Rigo beati Menelei claro de fonte [a] manavit, ex magni ſcilicet Imperatoris Heraclii proſapia. Nam Heraclius Imperator genuit Chobar & Modestum Jeroſolymorum Epiſcopum. Chobar autem Agor. Agor genuit Amanulfum. Amanulfus genuit Meneleum. Quodam itaque tempore exiit vir religioſus Modestus Pontifex ab urbe Jeroſolyma, habens comitantes Chobar & Agor ſecum, Romámque progreſſi cauſâ orationis, ac ad beati Petri Baſilicam expedierunt occurſum. Eadem nocte moleſtiâ corporis gravatus Modeſtus Epiſcopus vitam finivit. Tunc Chobar & Agor perrexerunt cum magno comitatu uſque ad urbem Turonenſem: quò cùm deveniſſent in Eccleſiam B. Martini, ſpiritalia petierunt fomenta. Poſt ſpatium verò temporis in eundo latrunculi irruentes, mente nefanda injecerunt in eos manus, & gladio exſtinxerunt, tantúmque Agor à conſortio patris & fratrum orbatus ſolus remanſit. Qui proſtratus mente cœpit amariſſimè flere: tamen ſuffultus præſidio divino, robore accepto fortis

[a] Regio genere ortus dicitur Meneleus in Vita S. Benedicti Anianæ Abbatis. Ita enim Smaragdus: *Dedit illi* Benedicto Ludovicus Auguſtus *Monaʃterium quod eʃt in Arvernis territorio ʃitum, quod S. Meneleus regio de ʃemine ortus fundavit, in quo & jacet in corpore.* At verò *atavum* habere non potuit Heraclium Imperatorem, qui neque Chobar, neque Modeſtum filios habuit. An autem Heraclius Dux, Heraclii Auguſti Pater? viderint alii.

fuit in bello. Tunc consolator supernus nolens famulum suum nimio cruciari mærore, misit ei virum ARIMUNDUM nomine, qui eum cœpit blandis sermonibus consolari, dixitque ei: Noli contristari nec mæstus esse, sed mecum perge in partes Andegavi urbis illustris, daboque filiam meam uxorem nomine RAGANILDEM; ac ditabo divitiis magnis, ut simul fruamini bonis. Itaque Agor in conjugio ducta uxore Raganilde, genuit ex ea filium nomine AMANULFUM, qui accepta DOCULA nomine genuit MENELEUM, in quarta feria in primo, in anno autem secundo [a] sub Regina Brunichilde. CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXII.

INCIPIT VITÆ LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *Meleneus nobilis, Deo septennis servire cogitat.*

CLARIS ortus natalibus B. MENELEUS antiquam nobilitatis lineam reddidit fulgore meritorum splendidam. Hic ex illius HERACLII Imperatoris genealogia descendens, patrem habuit nomine AMANULFUM, qui & atavum habuit ipsum Heraclium Imperatorem. Hujus itaque B. Menelei prædictus pater Amanulfus genitorem habuit nomine Agor. Is ab Jerosolymis ob amorem Dei, B. Martini Turonis expetens suffragia, post aliquantos dies Andegavis pagi propinquos pervenit ad terrarum fines: ubi sicut vir nobilis nobiliter deducens vitam, & nobilem copulans sibi RAGANILDEM in conjugio conjugem, ex ea genuit jam dictum Amanulfum B. Menelei patrem inclytum. Præfatus autem Amanulfus non degenerans ab inclyta parentum serie, sub temporibus Brunechildis Reginæ totius suæ parentelæ honestavit numerum, dum per misericordiam Dei procreavit verum amicum JESU-CHRISTI Meneleum. qui relinquens patrem & matrem, vovit se Domino serviturum semper.

Is igitur B. Meneleus in utero matris suæ spiritu Dei præventus & septemplici meritorum dono adhuc septenni numero annorum munitus, sub disciplina illa se totum constrinxit, de qua dicitur: *Beatus vir qui portaverit jugum à juventute sua.* Thren. 3. 27. Hoc cælesti magisterio edoctus, infantiæ suæ vias magistravit sibimet institutis senilibus, & ut bona terra centuplicatum fructum reddidit, dum evangelici sermonis auditor & factor promtus exstitit. Nam relinquens patrem & matrem adhuc septennis temporaneus, pius infans pio studio Ecclesiarum vicinis adhærebat januis. Uno autem dierum pater ejus Amanulfus audiens quòd in tali se studio exerceret attentiùs, & quòd quasi quidam sapiens architectus devovisset velle se servitutum Domino, retrahi eum à tali opere præcepit, virgis quoque vapulari sapientem divinum inscius secretorum divinorum mandavit, indixitque ei ut ad domum propriam rediens carnalem matrem non relinqueret, donec ipsa ultimum diem communi omnium viventium morte susciperet. Post perpessos itaque virgarum ictus, post paternæ comminationis auditos minatus B. Meneleus ad matrem rediit, qui in omnibus secundùm Deum parentibus & extraneis obediens fuit. Dum autem hoc tale negotium audivit mater non solùm ab ipso pio infante Meneleo, sed etiam ab ipso patre Amanulfo, præfuturos sanctitatis gradus filium divinitus intellexit inquirere, & ad hos consequendos præcordiali filium firmavit benedictione. Multiplicabantur ei laudabiles animi qualitates secundùm multiplicatas dierum volu-

[a] Quî potuit Meneleus nasci anno secundo regni Brunechildis, Sigiberti Regis conjugis, cùm necdum fere natus esset Heraclius Imperator ab anno DC X ad DC XL.

CIRCA AN. DCCXX. JUL. XXII.

bilitates, & quorumdam antiquorum adhuc puerulus transſcendebat ſenium quadam magiſtrali gravitate morum.

II. *Qualiter Barontus ei filiam ſuam copulare voluerit.*

CUM autem B. Meneleus ad illum perveniſſet ætatis terminum, quo tranſitorio modo conjugii deberet accipere onus laborioſum, plurimi quique nobilium eum expetebant, & ut eis generis pactum conſervaret accepta uxore attendebant. Sed illud puritatis, caſtitatis, & innocentiæ animal cordis ſui divino ſponſalitio conſecratum penetrale pati non potuit, ut morbidi conjugii offuſcari in tenebris velit. Inter alios autem quidam aderat nobilitatis magnæ & ſpatioſæ poteſtatis, nomine BARONTUS [a], qui pro tali negotio perficiendo ad beati viri patrem Amanulfum Priſciniaca [b] villa venit quantocius. Non ſperans etenim erat, ut filiæ ſuæ deſpiceretur uxorius amplexus, quam nobilitabat & parentum clara ſpecioſitas, & ampla divitiarum numeroſitas. Beati itaque Menelei pater Amanulfus filio ſuo ſuadet, ut ſuper filiæ Baronti conjugium inclinet voluntarium animum, & præparatum honorem ne differat, quem ſic inſperatum arridens fortuna præparat. Super hoc etiam tale negotium voluntas matris inquiritur. At illa quæ ſatis bene manebat conſcia boni ſecreti nati, reſpondit non ſe ſperare, ut umquam eſſet voluntas Menelei filii ſe oblectamento carnalis conjugii velle irretiri: quia adhuc dum eſſet ſeptennis annorum, ſic voluntarius invigilabat ad januas ſanctæ orationis. Hujus denique ſapiens conſilium valde reddidit animum Amanulfi turbidum, vel quia ad præoptatam talis conjugii copulam non ſe poſſe inclinare filium diffidebat, vel quia hoc prædivinare matrem eam pro certo audiebat. Inflammatus itaque pro reſponſione matris, eamdem perculit pugno in maxillis, non ad ipſam pertinere ſuſurrans tale negotium, ad quod penſabat poſſe præparare in proximo tempore filium. A voluntate deinde patris B. Menelei Barontus ille, cujus filia reſpuebatur, non diſcordans, & anulum quo filia ipſius deſponſari eligebatur pio Meneleo remonſtrans, infinitis bonorum opibus ditari eum repromittit, & omnium ſuarum rerum poſt ſe primatum poſſe tenere prædixit. Sed ille quem zelus ſtabilitæ perfectionis obdurabat, nec promiſſionibus, nec perſuaſionibus aurem perficiendi conjugii accommodare poterat. Unde exaſperati cordis valde amaricatus B. Menelei pater Amanulfus, pium Meneleum baculo percutit; & ſuperbiens & vana ſequens, humilem & ſtabilita dona tenentem, ne frivola ſequatur, comminatur ignaviter. Tandem autem ad ſatisfaciendum & ad perficiendam voluntatem patris B. Meneleus anulum ſuſcepit de manu Baronti, quaſi videretur carnalis maritus fieri velle. ſic igitur ad ultimum ſubarat S. Meneleus filiam [c] Baronti caſtus ſponſalitio Chriſti, & caſtus remanet, & oblativum virginitatis donum firmiter ſponſæ retinet.

[a] In Vita S. Vincentiani Barontus dicitur *filius Beraldi Ducis Aquitaniæ.* an Barontus Dux qui laudatur à Fredegario in Chron. capp. 67 & 78, & in lib. de geſtis Dagoberti capp. 25 & 36.

[b] Fortean *Preſſigne*, is vicus Andecavorum ad Infernum amnem, qui Sartæ fluvio immiſcetur.

[c] SENSAM nomine, infrà cap. 8. de qua ſic Herimbertus Diaconus in Vita S. Vincentiani: *Barontus filiam ſuam, Senſam nomine, Meneleo filio Amanulfi deſponſavit. Cúmque dies nuptiarum advenisset, Meneleus pro Deo conjugium reſpuens, partibus Arvernicis cum duobus domeſticis pergens, in Vaveris ſilva ſuper fluvium Siulo eremum contupivit.*

III. *Qualiter ab Andegavensi patria aufugerit.*

SEPTIMO jam denique die postquam B. Meneleus tali modo est laudabilis effectus sponsus, pater desponsatæ Barontus initiat nuptiarum diversos sumtus apparare: ad quos dispiciendos invitatur quamplurimus nobilium conventus, & hunc comitatur utriusque sexus copiosus numerus. Audiens autem vir B. Meneleus ad tale conventionis opus & præparari copiosam rerum affluentiam, & convenire multorum populorum præsentiam; nec emolliebatur Christi miles emeritus affluentiâ copiosæ delectationis, nec frangebatur ab inchoato desiderio supernæ perfectionis. Unde secretos cordis sui thesauros cuidam contubernali nomine SAVINIANO reddit manifestos, cui & prædixit velle se respuere terrenos nuptiarum apparatus, quoniam quidem jam se devoverat Domino servitururm cælibem: & si ibi remaneret, metuebat ne paternæ voluntati amicorúmque petitioni non obediens culpam incurreret. magis verò se velle eligere indicat, ut inter montuosos & declivos petrarum scopulos comestum corpus bestiis & avibus tradat, antequam castitatis votum JESU-CHRISTO Domino promissum carnalis conjugii morbido tactu faciat irritum. Super his talibus rebus æstuanti præcordiali Meneleo adfuit ille auctor totius consolationis in proximo, qui illud antiqui Abrahæ obeditionis dignum memoriale debere sequi famulo suggerit, ut de terra & de cognatione sua exire velit. Illius itaque dominici mandati exsecutrix effecta pia deliberatio piissimi Menelei, ab Andegavensi patria primo dierum summo diluculo cum SAVINIANO & CONSTANTIO comitibus suis exiens aufugit. post longos & asperos viarum amfractus in Arvernensi patria, in pago Viciacensi inter fluvium Sivolis & Bulbula statuit finem imponere.

IV. *Quomodo eos beatus vir Theofredus susceperit.*

SED omnipotentis Dei larga miseratio peregrinationem famuli intuitu respexit propitio. Denique dum in eadem patria oberraret B. Meneleus cum prædictis sociis, & necdum firmum statuisset locum habitationis, invenit in loco qui vocatur Vallis Vaveris quemdam magnæ religionis virum THEOFREDUM [a] nomine, qui jugum Domini ferens sub EODONE religioso Abbate, non in vanum nec in vacuum studebat laborare. Is Calmidiense Monasterium regebat, & inibi proficuos religionis fructus quotidie seminabat. Prædictus denique vir Domini Theofredus in prædicta valle sub densa quercu fugabat nimios ardoris æstus, jocundúmque refectionis convivium sumebat cum suis secundùm tempus opportunum. Initóque B. Meneleus cum Saviniano consilio ad eum properabat venire cum beneplacito animo, perquirere volens ab eo salubre consilium, ei ita futurum tam animæ quàm corporis emolumentum. In secretiori autem prædictæ convallis loco positus, vel propter fugiendos pertranseuntes concursus, vel propter effugiendos incendentis solis rimatus; dum insperatò beatum virum Meneleum cum suis ad se venire promtissimos videt, aliquid adversitatis per eos sibimet accidere timet. Sed illum beatissimum Meneleum cujus mentem, sicut Scriptura dicit, indicabat vultus, inter utrosque socios & pulcritudinis formositate, & moderationis gravitate magisterium tenere videns, aliquid perfectæ rationis exspectare viros

a S. Theofredi Acta dabimus infrà, ubi de S. Eodone seu Eudone agemus.

CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXII.

non dubitavit. Unde propius adstantes dulci affamine dulcis alloquitur sanctus Theofredus nomine: Unde, inquit, adventum vestri habemus? cujus negotii causâ per hæc remotioris loci abdita requiritis? an stationes locorum investigatis, an incerti per has solitudinis vias oberratis? Post hos Christianæ collocutionis interrogatus, beatus vir Meneleus præsentes veridicos & necessarios itineris sui reddidit conventus, atque omnia necessaria sancto aperuit Theofredo. Indicat itaque quòd patria Andegavensi & villa sit natus Priscinia, sed & nomen patris Amanulfi, & nomen matris Doculæ non reticet, séque Meneleum vocari non piget. Tantarum igitur personarum filium cum tanta humilitatis paupertate videns ambulare beatus vir Theofredus, & parentum insinuatam nobilem generositatem multo appretiavit, & insinuatas rationis illius causas credere non dubitavit. Nam post insinuatum nomen patriæ & parentum, illud deliberationis suæ B. Meneleus indicit votum, quo se Domino devoverat servitutum cælibem, cùm adhuc esset annorum septem. Ad illud autem ætatis perveniens confinium, quo se posset cohortari ad uxoris deducendum connubium, surrexisse quemdam Barontum nomine, lacrymans replicat, qui ei consentiente patre Amanulfo filiam suam temporaneo conjugio donare deliberat: sed promissionis suæ nolens esse ad Deum immemor, spretam carnalis conjugii copulam & oblitus patriæ & parentum vadit quærere, ubi omnipotenti Deo liberè possit servire. Hujus itaque beati viri Menelei laudabile audiens desiderium amator Dei Theofredus & prudentis viri auditor, laudat affectus, & pervenire in proximo sibi adnuntiat consecutos effectus. Perge, inquiens, nobiscum, sociorúmque tuorum non remaneat solatium; hanc talem tui cordis deliberationem domni Abbatis Eodonis caritativa manus adducet ad perfectionem. Sic pariter pergens ad prædicti Abbatis Monasterium in honore Dei sanctique Petri consecratum, felicis peregrini eidem Patri insinuat necessaria, & quòd ejus expetat consilium manifestum cum voluntate bona. Audito autem bonæ voluntatis illius desiderio, magno vir Dei repletus est gaudio, eúmque ante præsentiam sui venire commendat, ut per eum nuntiata an vera sint audiat.

V. *Qualiter ab Abbate sit susceptus Eodone.*

CUMQUE ante beati viri Eodonis præsentiam & antedictæ rationis replicâsset causas, & voluntatis & deliberationis suæ intimâsset curas; hoc propensis precibus replicabat, ut ipsum commendans Deo & spiritui ejus, sui Monasterii corpori adjungat. Hujus itaque precibus aurem accommodans Abbas Eodo, congregationi suæ ibi Deo servienti devotum Meneleum adsociat, & exemplar obedientiæ quod inibi viderit tenere commendat, terrenique victûs supplementum cum eis alacriter imperat sumere. Sed post redditas quidem suæ privatæ receptionis & suæ solius consolationis gratias, Fratrum se comitantium Saviniani & Constantii non est oblitus curas. Dum autem pro ipsis apud eumdem patrem Eodonem Abbatem caritativo affectu postulat mercedem, non frustratur precibus: quoniam & ipsi imperio prædicti Abbatis ceteris adjunguntur Fratribus. Susceptus autem tali modo B. Meneleus in congregatione Fratrum, cœpit exemplar bonorum omnium esse, & nondum recisa cæsarie capitis præmonstrabat rebus & operibus mortificationem carnis. In omnibus enim sibi injunctis causis sapiens opponebat studium obedientiæ, & ut de David dicitur, quia ubicumque mittebatur, se prudenter agebat; sic & hic B. Mene-

Meneleus cum astuta prudentia serpentis, & cum dulcedine columbineæ simplicitatis finiebat omne summum sui laboris; & ut apud Deum humiliatum cor reservabat, humilitatis corporis supplementum hominibus præmonstrabat. Nimio enim amoris vinculo quosque sibi devinciebat, cum quibus colloquium alicujus ratiocinationis resolvebat. Sic dilectus Dei & hominibus nimiis jejuniis corpus afficiens, animum pascens, dies destinabat operibus, noctes in orationibus transibat & in lectionibus. Circa An. DCCXX. Jul. XXIV.

VI. *De trina vocatione Angeli.*

IIs & innumerabilibus laudum fructibus septennio annorum numero satians beatum Meneleum omnipotens Deus, famam ipsius laudis extendit in multarum terrarum locis, & ne præclara secundum evangelicum dictum sub modio lateret candela, cum super fulgoris candelabrum posuit illa vera & ardens lucerna quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut qui eruditus erat amplâ scienciarum Dei viâ, erudiret inposterum populos salubri institutionis doctrina. Dato autem noctium conticinio dum isdem beatus vir Meneleus se dedisset sopori congruo, superni nuntii Angelus non dormienti neque dormitanti legatus ei adstitit, térque eum proprio nomine vocavit dicens, Menelee, Menelee, Menelee. Angelicæ autem visitationis triplicatione excitatus, inconsuetos miratus est sonitus, nec tamen perpensari potuit, ut ad tam humiliatæ personæ præsentiam mitteretur angelicus nuntius, qui solos perfectorum demandabat conventus. Sed insolita vocatione perterritus sanctus Meneleus respondit: Quis es qui me vocas? Angelus inquit ad eum: Ne timeas, sed dum illustris diei superveniet aurora, jussionis meæ festina perficere mandata. Tui verò laboris solatorem Savinianum ne dimittas, qui tecum inchoatæ bonitatis perfiniat vias. Propera autem ad eum denominati loci terminum vivaciter venire, ubi invenisti virum religionis Theofridum requiescere: ibíque vel quid triplicatæ vocationis meæ requirat arcanum, tibi demonstrabo; vel quid supernus Artifex pro te velit facere, insinuabo. Post hoc angelicæ admonitionis imperium, & postquam in Monasterio Calmidiacensi septem annorum revolvit numerum, repletus septiformi donativo ad antè dictam Vallem Vaveris dedit retrogradum cum gaudio: & inibi attendens per aliquod temporis spatium angelicæ præceptionis monitum, in sanctitate & justitia coram Deo omnibus manebat diebus, unde revisitari meruit iterum lætus. Quodam enim die fatigatos artus corporis dans quieti, congruè sub frondosæ quercûs foliis somno obdormivit amico lassati corporis, iterúmque amicum Meneleum Angelus visitat, & promissionis suæ causas inquiens insinuat: Menelee, in loco in quo dormis, tui laboris studio præpara domum orationis, ubi frequentata angelicæ visitationis sublimitas æternæ consolationis orantibus aperiat januas. Exspectatæ angelicæ promissionis auditas causas indicare studuit socio Saviniano oblitus spirarum moras. Hujus autem beati Menelei insinuatam visionem animo pertractans Savinianus, credere non dubitavit ad eum posse venire visitationis conventus, qui angelicam vitam in terra positus servans, semper manebat omnipotentem Deum orans. & dum duplicatos angelicæ visitationis adventus recordatur, quantocius ut acceleret facere jussa hortatur: quoniam quidem talis operis injunctio tali digniter conveniebat nuntio.

CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXII.

VII. *De insperato adventu feræ suis.*

SED antè equidem quàm cælestis jussionis inchoarent opus facere, & intra se de tali perficienda structura tractarent subtili mente, consolatos eos reddidit temporanei victûs supplemento ille qui non dat in æternum fluctuationem justo. Nam è vicina silva quædam fera sus profusi corporis, dilatatæ crassitudinis exiit, & quasi antiquæ recognitionis domesticum videret, ante beatum virum Meneleum pervenit: & feritatis deponens excussus, cœpit lingere ejusdem beati viri pedes blandis lineamentis linguæ. Hujus itaque feræ beluinos motus videns immutatos beatus Meneleus, perpensabat quòd adveniret sibi pro tali signo aliquid profectus: sicque comitem Savinianum submonuit, ut ex annona elaborata proprio labore aliquid apportare velit, unde vicinam suem pascere possit. Pasta autem sus hoc tali edulio, à Meneleo caritativæ jucunditatis amico imperatam obedientiam ad perfectionem inducit congruam. Nam huic Sanctus commendat jocundo imperio, ut subsequenti nocte ad eum revertatur cum alicujus obedientiæ donativo. Nec terminum autem commendatæ noctis transgrediens, nec vacua ad virum Dei veniens, non extranea apportat dona, sed quæ ea enutrierat, vexerat. Septem namque porcellos secum adducit, quorum multiplicatio per longum non diminorata est annorum spatium; sed dedit adjutorium in diversis rerum sumtibus vel necessitatibus, quas proprias patienter semper sufferens, misericorditer autem aliorum consolabatur sanctus vir Meneleus.

VIII. *De adventu matris, sororis & conjugis suæ.*

IN eodem interim vallis Vaveris commorantes secretiori loco, & necdum præparatos habentes sumtus aptos operi commendato, uno dierum ab occidentalis regionis parte beatus Savinianus matrem Sancti DOCULAM, sororem BOCULAM, & sponsam nomine SENSAM[a], quam adhuc puer Meneleus casto sponsalitio Christi desponderat, vidit venire. Dulcedo etenim matris, amabilitas sororis, & caritas conjugis ad eum perquirendum illas submoverat, & ipsis pro zelo invicti amoris licuit illud evangelicum comprobare veridicum esse quo dicitur: *Omnis enim qui petit accipiet, & qui quærit inveniet, & pulsanti aperietur.* (Luc. 11. 10.) Mater igitur filium, soror fratrem, solo nomine conjux requirens maritum, post aliquanta dierum curricula in Arvernensi patria invenerunt petitum, quæsitum, pulsatum, verum amicum Dei Meneleum. Has insperatò videns venire cum eodem Saviniano beatus Meneleus, substitit timore obstupefactus, vel quia decrepitæ ætatis matrem oblatam esse; vel quia nobilem conjugem solo amore Christi cognitam, speciosam parentum progeniem sui causâ videbat postposuisse; vel quia pro ejus amore, tanti laboris & tanti itineris deliberassent vias accipere. Tandem animi devictus dulcedine, matrem alloquitur filius dulci affabilitate. Cur, inquiens, mater oblita canos nivei capitis, oblita antiquos dies tuæ defractæ senectutis, peregrinaris in ignota patria, solatiata sororis & conjugis præsentia? Post maternæ dulcedinis extersas lacrymas, audit à matre beatus vir Meneleus causas peracti itineris. Replicat autem mater inter alia paternos Amanulfi super accipiendam filiam Baronti in conjugio restrictus, &

[a] Herimbertus Diaconus: *Postea*, inquit, *Sensa amore spirituali succensa, ipsum est subsecuta.*

replicat super illud negotium suæ maternæ æstimationis conventus. Hoc tamen numquam se potuisse perpensare indicat, ut timore conjugis invitè desponsatæ filius patrem & matrem, fratrem, sororem, ejus affines homo patriam suam relinquere debeat. Sed divini amoris igne succensus beatus vir Meneleus nec matris emolliebatur ploratibus, nec anteriores se pænitebat fecisse conventus. CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXII.

IX. *Quid ex matre, sorore & conjuge fecerit.*

VIRILE denique robur à visu conservans sanctus vir Meneleus, ab amico socio Saviniano prudenter investigat, quid super eas quæ cum secutæ fuerant facere debeat, non obliviscens illud scriptum inter plenum sapere, quòd salus sit ubi multa contigerit consilia regnare. Is autem Savinianus melioris consilii partem elegit, & ut eis ædificetur cellula, ubi æterno sponso possint servire, aperit. Hoc autem tale consilium qualiter placuerit, non latuit Savinianum in tempore longo: sed subsequenti nocte dati consilii, apparuit eidem Saviniano Angelus Domini, qui demonstravit locum vastæ solitudinis cohærentem fluvio Sivolis, ubi deberet perficere amore matris, sororis & castæ conjugis casti Menelei, sicut consilium dederat, domum orationis. Demonstravit quoque quòd eas ad speciale opus suæ virtutis Altissimus expeteret, dum abjecta veteris hominis veste eas vellet hominem qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate, vestire. Angelicæ jussionis visionem beato Meneleo Savinianus vivaciter indicat, & super earum stabilimentum nulla dubietas ampliùs subintrat. Tunc pariter veri Dei cultores animis lætis insinuati loci vadunt videre situs habiles: sicque demum præparatis sumtuum copiis, perquisitis artificibus inchoant fervidi præoptatum opus angelicæ demonstrationis. Quod ad perfectionem talem adduxit omnipotens Deus in numero quadraginta dierum, comprobans beati Menelei gratiam & meritum, comprobans vota peregrinantium mulierum, domúmque illam in honore Dei & in memoria beatæ semper Virginis MARIÆ [a] dedicari faciunt, ubi & ipsæ sanctitatis fide & opere collocant fundamentum stabilitum & firmatum in cælis in perpetuum.

X. *Quòd ad vallem Vaveris repatriaverit.*

IS igitur matre, sorore & solo nomine conjuge in apto stationis loco collocatis secundùm Dei velle, solita admonitione angelicæ familiaritatis veri Dei amatores Meneleus & Savinianus discunt, ut ad prædictam vallem Vaveris repatriarent, & ibi profuturos in longum posteris labores apponerent. quod fervido suscipientes animo, fervidi ipsi exsistunt in labore cælitus commendato. Nam discussa tepiditate animi & oblita quiete corporis proprii, grandes succidunt silvas; & nunc ferramento, nunc igne supposito hirsuta & aspera convallis Vaveris loca reddunt in proximo planæ perambulationi apta.

a Haud longè à Menato & Sivola fluvio exstat vicus vocabulo *Nostre Dame de Lisseule*, quo in loco forsitan istud Cœnobium quondam situm fuerit.

CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXII.

XI. *Qualiter B. Meneleus Baronto nuntiatus fuerit.*

CUMQUE multiplicatus inchoati operis fructus non solùm Deo placeret, sed etiam hominibus, id ipsum ille mali artifex callidus depravator recti operis disturbare tali modo voluit; sed æternus consolator subdolos illius conatus irritos, vanos & conquassatos reddidit. Namque unus ex servis illius Baronti superiùs nominati ad eumdem dominum suum veniens, diversa beati Menelei opera aperuit ei inquiens: Ille tuus quondam notus desponsator filiæ tuæ Sensæ, Meneleus nomine, matrem & sororem præcantans propriam, ab Andegavensi patria aufugit cum filia tua, & latitat modò in partibus Arvernicæ regionis & in eremi Viciacensis superioribus locis, ibíque quodam obtentu præcantationis demulcens plurimos, miraculorum se prædicat facere potentatus altissimos. Auditas & permixtas veritati conjecturas Barontus credens, præsentiæ subtractæ filiæ condoluit gemens, vel quia eam maritali modo sicut desponsaverat puer Meneleus non tenuerit, vel quia insperatò utrosque perdiderit. Hoc variabili concitatus modo, vestimenta quæ indutus erat disrumpit tali audito nuntio, & inter singultuum refractus replicat dolores pro perdita præsentia filiæ, & replicat derisus pro desponsatione ipsius sublatæ filiæ. Tantis denique videns prædictus servus affici dominum suum Barontum tristitiis, repromittit illi quia si sequeretur eum, illius Menelei præsentiam & locum demonstraret ipsius stationis. Malus malo credens, & ut vulgò dicitur, unumquodque animal simile sui diligens, delatorem suum promissionibus multis Barontus dominus obfirmat, & promittit, quòd ab eo etiam obnoxiæ servitutis nodum disrumpat, si dictis suæ promissionis facta discordare non faciat.

XII. *Quòd ad virum Dei perquirendum Barontus venerit.*

PRÆPARATIS deinceps ad denominatum iter sumtibus, [a] & coadunatis ducentis quadraginta tribus militibus, aggreditur Barontus amaricatus cordis felle S. Meneleum perquirere. Jamque Exandonensis * pagi fines intraverat, & ex quodam Monasterio vocabulo Tresfagio [b] se abstrahere posse necessaria sumtuum confidebat, anhelans cum satellitibus suis Andegavensibus sanctum virum exstinguere, qui secundùm Deum vivens nec dolum fecit, nec unquam facientibus consentire voluit. Huic autem beato Meneleo laboranti in prædicta valle Vaveris jussu angelico manifestatum est plurimorum relatu, adesse inimici sui Baronti præsentiam in proximo loco: hócque beatum virum non latuit quòd illum expetere ad mortem quærat, quia pensabat quòd filiæ ejus præsentiam quam sibi desponsaverat, à paternis oculis subducere fecisset. Sed nec terroribus nec minis Christi athleta Meneleus frangi potuit, sed indutus loricâ justitiæ, & protectus galeâ salutis æternæ, & adsumens scutum fidei & gladium salutis quod est verbum Dei, simul cum Saviniano partici-

* *Issandenois.*

a Apud Hermenfridum: *Hac autem Barontus audiens contristatus est valde, & precepit omnem familiam suam & equos simul in Exandonense territorium egredi. Ipse verò cum Vincentiano nobiliores domesticos adsumens, itinere arrepto ad ipsum pervenit locum, in quo vir Dei Meneleus in sua morabatur simplicitate.*

b De Monasterio Tresfagio seu Trisfagio plura infrà, maximè cap. 20, ubi in honorem S. Saturnini dedicatum fuisse legitur. Locus mihi ignotus, nisi quòd continebatur in pago Exandonensi, cujus caput Exandonum, *Issandon*, modò opidulum haud procul à Visera fluvio, paullo supra Vsercum opidum. Inde non longè distat vicus in quo sepultus S. Vincentianus, *S. Viance* ab ipso appellatus.

pe sui laboris festinat occurrere, ubi audivit esse Barontum cum militum turmis. Denique dum jam ad Bulbulæ fluenta propinquassent, & armatum Barontum armis bellicis vidissent, medias catervas Christi armatus præsidio fortis Meneleus irrupit, & inter inimicas hostium catervas invincibilis stetit. eúmque tunc non solùm nomine, sed etiam digito indice quidam explorator domino suo Baronto demonstrat, & Savinianum cum eo adesse insinuat, qui beati Menelei in omnibus favens præcepto, cum ipso peregrinationem subiit animo intrepido. CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXII.

XIII. *Allocutio Baronti ad virum Dei Meneleum.*

PRO anterioris igitur conventionis pacto & pro præsenti demonstratoris servi signo beatum virum Meneleum recognoscens Barontus, & quodam ipse potentatûs vento inflatus, eum ad se venire commendat, & firmæ stabilitatis columnam arundineæ nobilitatis expavescere sibilo cogitat. Si, inquit, Menelee perverse, parentum consanguinitas, si vicinorum familiaritas, si patriæ tibi displicuit vicinitas, paternas & maternas non dimitteres videre januas? an verebaris exprobrari pro tali ejus conjugio, quæ firmabatur & parentum insigni gloria, & pulcritudinis specie decora? His interrogationibus sale sapientiæ nimiùm jejunis beatus Meneleus, cui vivere Christus fuit & mori lucrum, respondit hilaris: Transitorios paternæ & maternæ dulcedinis affectus, & vicinorum amicabiles concursus, & patrios lares pagi Andegavensis relinquere me fecit amor illius Patris, qui promisit Fidelibus suis dicens: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror & mater est.* Matth. 12. 50. Præsentiam filiæ tuæ in Christo conjugis meæ subtractam paternis & maternis oculis cur conquereris, quæ relinquens hujus mundi postes, adquisivit cælestes sedes & angelicos cives? terrenam ejus gloriam & ejus pulcritudinem carneam specificat ille, qui clarior sole & sublimior Angelis in sua residet sede. Tenuis autem itineris labor nec ullum sapere habuit in initio, nec finem habebit secundùm voluntatem tuam, sicut attendisti * in proximo. *f. attendes

XIV. *Quòd S. Meneleum voluit occidere Barontus.*

TALIBUS responsionibus beati viri Menelei exasperatus animus Baronti, gladium quo accinctus erat manu discutiens, frivolas & inanes minitationes evomuit inquiens: Quis est qui te eripere posset de manibus meis? Sed beatus vir Meneleus nec varias gladii districtiones, nec ventosas minarum apparentium timens verbositates, liberatoris sui adesse præsentiam dicit, qui in sui liberatione nihil laborabit. Ad singulas itaque sapientis Menelei responsiones acuens Barontus ille amaricati cordis & denudatæ buccæ dentes, evaginat gladium, sanctíque Menelei vult amputare [a] caput angelicum. Sed ante promissi liberatoris præsentia denudatum gladium excussit de Baronti illius dextera, & pro superbia inflati cordis obtexit oculos ipsius nube cæcitatis, & flexibiles digiti manuum senserunt plorabilem incurvatæ contractionis nodum. Talem corporalem afflictionem se suscepisse Barontus indoluit, quia in interfectionem sancti viri Menelei exarsit.

[a] Rem aliter narrat Herimbertus. *Cùm ad Meneleum venisset Barontus, cupiebat eum revocare, & dicebat: Menelee, accipe filiam meam uxorem. Et ille noluit. Hæc autem Barontus audiens, nimiùm efficitur tristis. Manu enim extensa voluit illum apprehendere & secum deducere: nutu autem Dei actum est, ut manus cum brachio rigesceret, cum qua eum tenere volebat .. Menelei oratione completa Barontus efficitur sanus.*

Circa An. DCC XX. Jul. XXII.

XV. *Quod consilium ei Vincentianus dederit.*

SED miseratoris & misericordis Domini longanimitas quæ non in perpetuum reservat iras, nec vindicat bis in idipsum, præparat eidem Baronto salubre consilium. Perterritis itaque ejus cæcati & contracti viri militibus, unusquisque idipsum laboris & doloris ad se timebat venire, quia sequentes senioris voluntatem, statuerant cum eo persequi Menelei deificam simplicitatem. Inter eos autem quidam VINCENTIANUS nomine adfuit, qui sciens verum esse quòd durum sit contra stimulum calcitrare, omnia vincentis humilitatis arma domino suo Baronto suadet, & insinuat ut anterioris veneni tumorem & superbiam evomat. Hoc autem eidem specialiter suggerit, ut corporalis afflictionis acerbitas oblivisci ei non faciat salubres animæ vias; sed ad virum Dei Meneleum transmittat, cui super ipsius salutis negotium invigilare placeat. Vincentiani non displicuit Baronto auditum consilium, ipsúmque Vincentianum isdem vir cæcatus & contractus submonet quantociùs pro tali mercato ire ad virum Dei Meneleum: cui mandat quòd eum honorare multis bonis velit, si in anteriori sanitate quam perdiderat eum remittere possit. Jussionis illius verba Vincentianus tanto libentiùs peragere festinat, quantum id expetere vel esse necesse domino suo Baronto considerat. Bene autem habens sancti viri Menelei familiaritatem cognitam, ad tale consequendum negotium Saviniani perquirit consilium. Is autem erat familiarissimus beati viri Menelei in omnibus. cui aperiens domini sui acres dolorum aculeos, quos pro cæcitate oculorum, & pro nodosa chiragra manuum deplorabat quotidianos, illud supplex exposcit, ut secum ad medicum salutis Meneleum venire velit, cui summam Baronti aperiat necessitatem, & apud eum possit deplorare ipsius culpam grandem.

XVI. *Legatio Saviniani ad virum Dei.*

PRECES itaque Vincentiani vir Dei Savinianus suscipiens, damnati corporis Baronti cæcitatem & contractionem supplex aperuit. Qualiter autem eidem Baronto displiceret præjecta beato viro tortitudo non reticet, insinuátque ejusdem vasalli recognitionem, & super præsumtæ præsumtionis casum quam facere vellet & posset emendationem. Interim tamen misereatur super illius Baronti corporis damnationem, & pro eo velit aures Domini amicas sibi interpellare, ut ad anterioris sanitatis redire posset valetudinem, & ut recuperata sanitate corporis posset pænitere neglectum inimicæ vanitatis. Supplicem Vincentiani viri Dei Saviniani legationem beatus Meneleus suscipiens, ad singulas eorum preces caritatis & compassionis coaptavit responsiones, inquiens: Corporalis cæcitas & temporalis membrorum contractio Baronti si displicet ad præsens, nimiùm mihi valde tamen complacet recognitio ipsius vanitatis & deliberatio ipsius emendationis. Restauratio autem sanitatis ejus in illo solo permanet, qui humiliator inflatæ superbiæ & exaltator regnat humilitatis non fictæ. Deprecationis vestræ obaudiens monitum, fratris Baronti paratus sum visitare doloris & infirmitatis lectum: & si eum adjuvare poterit nostri medicaminis manus, ad hoc me præparatum in omnibus videbit oculus. deinde pro eodem fundemus ad Deum preces, ut diminorentur ipsius Baronti criminum pestes, & ut pristinæ sanitati restituatur, & ut tam pro animæ quàm corporis alacritate lætetur.

XVII. *Quòd Barontus visum receperit.*

POST adnunciatas itaque Baronti necessitates, quantocius ad eum vir Dei Meneleus venit, per eum rescire volens, qualiter ipse Vincentiani & Saviniani attendere vellet legationem. Audiens autem prædictus Barontus propius se adstare beatum virum Meneleum, corruit in faciem suam & ingemuit dicens: Peccavi coram Domino & coram te, serve Christi, peto ut indulgeas facinoribus meis propriis, & dissolvas crimina mei reatûs orationibus tuis. Hujus namque recognitionem videns & audiens beatus Meneleus, & ferinos prioris vitæ animos recognoscens, in melioris deliberationis magistratus immutatos proclamavit lætus & alacer inquiens: Hæc mutatio dexteræ Excelsi. & tanto voluntarius pro eo reddidit orationem Domino JESU-CHRISTO, quanto id expedire ei videbat deploranti cæcitatis & contradictionis damnaticia membra. Ad perquirendam autem sanitatem non nocuit anterioris conventionis pactum quod uterque recognoscebat, dum isdem Barontus filiam suam Sensam nomine eidem puerulo Meneleo terreno conjugio copulare voluerat, cámque isdem casto sponsalitio Christi desponsaverat. Post hanc autem orationem quam spiritu Dei dixit: Dominus Deus aperiat oculos tuos ad cognoscendam viam veritatis; & postquam eum secundò adfirmavit adfirmatione verbi evangelici, *Amen Amen*, Savinianus ille testis fidelis; statim aperti sunt oculi Baronti, & clarè inchoat videre vultum angelicum Menelei. Pro reddendis autem gratiarum actionibus isdem Barontus ad terram corruit, & cum lacrymis dixit: Gratias tibi, Deus, qui facis voluntatem timentium te, & superbis resistis, qui autem te humili diligunt corde exaltas.

XVIII. *De sanitate manuum Baronti.*

RECUPERATO itaque oculorum visu tanto instantiùs in recuperatione sanitatis manuum persistebat Barontus, quanto id necessarium sibi esse videbat, & quantum id apud Deum posse impetrare beatum Meneleum confidebat. Videns autem sanctus Dei Meneleus Barontum emendatioris vitæ vias velle tenere, tale eidem viro dedit responsum: Ego oro pro peccatoribus & persequentibus & calumniantibus nos: ideóque fiat tibi secundùm cor tuum in bonum. Post finem autem orationis quam Domino JESU-CHISTO fuderat Meneleus filius veræ caritatis, initiant manus Baronti naturam motionis sentire, & dolor cœpit paullatim minui, & venarum nervi solidiùs firmari.

XIX. *Quòd Leopasium ad se facit venire.*

RESTAURATUM itaque Barontum in perfecta corporis sanitate videns beatus vir Meneleus, ut in profutura animæ sanitate invigilaret submonebat instantiùs. Gratiâ verò Dei continuus labor seminatoris Menelei non secus viam, nec super obturatam petram, nec inter spinas seminans divinum semen, ad multiplicati incrementi fructum adduxit suum laborem. Nam ut bona terra tempus serotinum, sic Barontus suscipiens viri Dei Menelei verbum, quemdam bonæ religionis sacerdotem nomine LEOPASIUM ad se venire commendat, cui negligentiarum suarum committit eradicationem, ut abundantem in corde suo possit habere admonitio Patris sui Menelei fructificationem. Is etenim Leopasius vir magnæ compassionis

CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXII.

collaudans humiliatum animum Baronti pænitentis, antiquarum ejus negligentiarum caritativa manu disrupit nodum; & lætus ad sua Sacerdos loca rediit, & lætiorem Barontum tam pro sanitate sui corporis, quàm pro salute suæ animæ dimisit.

XX. *Quibus rebus honoravit S. Meneleum Barontus.*

GRATIA mortificatoris mortis & vivificatoris vitæ in sanitate perfecta corporis Barontus permanens, meliora emendatioris vitæ multiplicat opera; & quantum cælestis honoris desideret bonum, demonstrat dispertiendo suum terrenum. Nam eidem beato viro Meneleo multis precibus suasit, ut quædam munera [a] suæ potestatis susciperet, eáque in suo jure & dominatione retineret. Monasterium namque nomine TRISFAGIUM in honore Dei & in memoria sancti Martyris Saturnini Tolosensis Pontificis consecratum cum terris, silvis, pratis, servis & ancillis & commansisvestitis quadraginta sex eidem beato viro contulit.

XXI. *De bono consilio Heliæ militis.*

POST autem aliquod spatium temporis ad meliora succensus animus Baronti, secum revolvere cœpit, qualiter priùs datum debuisset crescere. Illam autem voluntatem quibusdam primoribus suis aperiens, taliter cum eis sermocinationis habuit initum inquiens: Terrenæ potestatis honoratus numerositate & spatiosa divitiarum ditatus amplitudine, filiorum progenie video me carere divina prædestinatione, qui terrena patris possint recipere bona, eáque tenere per quædam annorum tempora. Inter primores autem consiliarios Baronti quidam adfuit HELIAS nomine, qui super brachia suæ deliberationis sapienter accepit quid conveniebat consilium facere salutis. Vides, inquit, quantum iste homo beatus Meneleus dilectus sit Deo & hominibus, &c. Unde salubre & salutare mihi videtur, ut ipsi plurimorum bonorum tuorum hereditas donari debeat, per quem recognovisti tortitudinis tuæ casum, & per quem redisti ad sanitatis modum, &c. Donat itaque per consilium Heliæ eidem beato Meneleo has villas, Avolcam & Varicium in Exandonensi pago, cum præfato Monasterio nomine Trisfagio, sub testamento legum & sub testamento chartarum, manúque propria subterfirmavit, idémque cessionis scriptum ipsi beato viro tradidit. Præcavens autem isdem beatus vir Meneleus in posterum subdolorum hominum fraudes, & ut sapiens quia longè bene videt, confirmare volens Baronti donationes, ad eumdem virum transmittit quemdam suorum nomine CONSTANTIUM, cui mandat hortatúrque, ut post cessionis chartulam, transmitteretur ei quidam missaticus, qui eum revestiret de donatis rebus. Bonum denique illum consiliarium Heliam ad hoc opus perficiendum transmittit, qui prædictas res Constantio legato sancti viri Menelei tradidit, & illam donationem cum charta illarum villarum & illarum possessionum videre fecit.

[a] Herimbertus sic narrationem prosequitur: *Tunc autem Barontus obtulit ei munera... Ipse verò diluculo consurgens, Savinianum secum habens, itinere arrepto regressus Exandonense, in Avolca curte tunc super ripam Visera fluminis Ecclesiam ædificari jussit, misitque* GENESIUM *Sacerdotem ad Episcopum Lemovicensem* RUSTICUM *nomine, ut ex sua parte illum rogaret, ut Reliquias ex episcopali auctoritate dirigeret, qualiter locus supradictus vel ipsa Ecclesia in honore ipsarum Reliquiarum dedicanda foret. Barontus acceptis Reliquiis commendavit eas Vincentiano, præcepitque ei ut eas Saviniano Sacerdoti deferret, & in Templo quod tunc ædificabatur super ripam Visera in loco Avolca complantare faceret. Savinianus autem acceptis Reliquiis, sub cujus nomine essent nullatenus interrogavit.* Vincentianus in regressu, *ad Oratorium Sancti pervenit* BONITI, &c. Lege lib. 2 cap. 12.

XXII.

XXII. *De incensione hujus Monasterii.*

QUANTUM igitur omnipotens Deus beatum virum Meneleum in terris laudare faciebat pro suis virtutibus,* tantum isdem vir Dei in omni bonitate se exercebat, & in convenienti structura sui Monasterii sedulus invigilabat. Jam autem bene eam ad bene perfectum adduxerat. sed huic ille mali artifex diabolus invidere inchoat, suámque permittente Deo voluntatem ad horam adimplet: quoniam quidem una noctium omne beati viri ædificium arsum in favillis remanet. Sed vir Domini qui in adversitate mundani damni non diminorabat intentionem cælestis desiderii, ad præfatum Monasterium Trisfagium, & ad præfatas villas Constantium transmittit, eique commendat ut illarum potestatum homines ad reædificandum orsum Monasterium venirent. Ad hoc opus injunctum singuli quique bene voluntarii præparant animum, singulisque dividitur partitio operis, quam perficit unusquisque, ne tepidus blasphemetur in operatione sui laboris.

XXIII. *Quomodo sanctus vir Meneleus sit factus Clericus.*

IN constructione igitur sui Monasterii beatus Meneleus studium apponens laboris pii, non perdebat horarum suarum passus; quia eos adducebat ad multiplicationem bonorum omnipotens Deus. Illius autem Monasterii structuram & sapientis architecti ædificationem congruam plurimi quique veniunt videre, & ad id exemplum sua quæque ædificia possunt meliorare. Unde ad eumdem virum venit Abbas vallis Vaveris uno dierum beatus ille THEOFREDUS, in cælis semper glorificandus, & in terris venerandus, & qui eumdem sanctum Dei Meneleum ad magnæ religionis EODONEM Abbatem adduxit, sicut in superioribus noster villalinus * calamus descripsit: multoque gaudio gavisus est tam super beati viri cognitam bonitatem, quàm super ejusdem Monasterii structuram habilem. Subsequenti deinde die illustris atque magnificus EUSEBIUS [a] Arvernensis Episcopus advenit, & hi tres sanctæ Trinitatis veri amatores, post salutationis gaudium, post pii amoris osculum, se satiant divinorum eloquiorum dapibus, & permanere in omni bonitate se confirmant alterius manibus. Sic in amore Dei omnipotentis se alteruter confirmantes, ad id consolidandum tale inter se inierunt consilium, & virum Dei Israëlitam Meneleum ad Clericatûs elegerunt officium, & à capite ipsius recidentes capillos, eum enumerarunt inter Dei filios. Hoc tale inventum statuunt peragere, quod infinitum non solùm ipsis apportavit gaudere, & pagenses lætificavit alacritate multa, verùm innumerabiles externi benedixerunt Deum super audita talia facta.

* f. villanus, rusticus

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. *Dedicatio Ecclesiæ in honorem S. Martini.*

POSTQUAM igitur beatus Meneleus Clericatûs suscepit officium, in mortificatione sui corporis vivum Christi JESU se semper faciebat incensum. Quod qualiter cælesti placuerit divinitati, crebra miraculorum per eum

[a] Is alio nomine dicitur Bonitus, vir sanctus, cujus Acta dedimus ad ann. 709.

Circa An. DCC XX. Jul. XXII. patrata demonstrant opera, quæ laudabilia peregit adhuc in laïcali manens corpore, ſicut præcedens libellus ſimplici reſonat ſerie. Quantis autem laudabilioribus virtutum operibus eum honoraverit omnipotens Deus manentem in officio Clericatûs, in ſequenti libro deliberamus qualitercumque poſſumus ſcribere, ut memoriam ſcriptoris ſuæ vitæ dignetur iſdem beatus Meneleus conſcribere in ſui memoriale. Secundo itaque die poſt ſuſceptum Clericatûs officium, multis precibus admonuit beatus Meneleus domnum Eusebium Arvernenſium Pontificem, ut domum quam conſtruebat mi niſterio conſecrationis ſuæ domum Dei faceret. Cujus petitionem libenti ſuſcepit animo, eámque novellæ ædificationis domum in honore Dei & in memoriam S. Martini ſummi Pontificis conſecrat, ex cujus & ex incomparabilis pretii aliiſque Reliquiis locum conſecratum & benedictum honorificat. Sic eumdem diem inſimul læti duxerunt, & bene omnibus compoſitis rebus, ſinguli quique læti & alacres ad ſua loca repatriaverunt.

II. *Quòd multos ad Deum converterit.*

Dehinc cœpit vir Dei Meneleus in divinæ operationis ſtudium ſe exercere ſollicitiùs, & hinc habiles monaſticæ diſtrictioni conſtruere ſedes, hinc ædificare advenientium hoſpitum utiles diviſiones. Cúmque bonam ſuæ converſationis famam non ſolùm Arvernica patria, ſed etiam quamplurimi remotiores audirent; ad eum venire multi deliberant, & aliqui ſuperfluæ curioſitatis mundanas ſarcinas dimittere eligunt. Ad hoc itaque confirmandum ſicut ſapiens aperit vias: & pro bono ſuæ converſationis exemplo, & pro conditionis ſuæ magiſterio relinquentes plurimi ſæculum, ſuſceperunt vitâ & moribus monaſticum habitum, veræ ſalutis & veri honoris dignum amictum.

III. *Quòd apud Brunechildem Reginam ſit accuſatus.*

Sed incrementum conſtructi Monaſterii & augmentum boni gregis qui ſub uno caritatis & pacis vinculo ſe conſtrinxerant & regulari tramite proprios uſus rerum & voluntatum à ſe abdicaverant, jam incipit omnium perfectorum hoſtis diabolus invidere. Unde ſuper beati viri Menelei diſturbationem multam malorum ruminat machinationem; & ſuper hanc quemdam eligit principem, qui invidiæ zelo iráque tabeſcens, laudanda beati viri opera apud Brunechildem a Reginam blaſphemat, inquiens: Ignotæ parentelæ nec appretiatæ perſonæ quidam ab incertis partibus terrarum in Regno tuo ſubintroiit, qui dealbatæ ſanctitatis ſimulatione quoſdam vanæ rationis homines ſibi adſociavit, & deſpecta poteſtatis tuæ gloria, magnæ ſpatioſitatis amputare quoſdam amplitudinis ſaltus facit per meliores venationis tuæ ſilvas. Poſt dedecus itaque tantum magnum videbit ſibi tua honorificentia ſubintroire damnum, & ſi gravi interminationis damno non fuerit hæc repreſſa tortitudo, accreſcet in pretioſori tuarum rerum defenſione deſpectio frequentata & non perterrita ſine numeroſitate. Acutas accuſatoris ſuſcipiens Brunechildis accuſationes, quæ ſolita erat apponere iniquitatem ſuper iniquitates, ad ſanctum virum Meneleum ilico tranſmittit, & ſine perpenſata ratione eum ad ſe venire præcipit præſumtuoſè. Ad beatum virum itaque commendatus miſſaticus veniens, & iracundæ Reginæ venenatos animos celans, ex ipſius parte talia mandata adnuntiat inquiens: Magnificentia Brunechildis Reginæ præſentiam tuam non prolongato tempore ad ſe commendat venire. Adbreviatas ſubdoli

a Brunechildis ante annos fere centum jam tum è vivis abierat.

mandati vir Dei audiens causas, simplicis responsionis nuntio aperuit à se deliberatas vias. Vade, inquit, & quo velociùs potero Reginæ mandata perficiam bono animo. CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXII.

IV. *Qualiter sanctus vir ad Reginam venerit.*

REGINÆ etenim Brunechildis audito beatus Meneleus nuntio, Monasterii sui curam committit beato Saviniano, anterioris laboris participi familiarissimo; AUDOENUM autem socium sui itineris esse præcipit; ut videat ad cujus utilitatis finem præceptio Reginæ pertrahere velit. Ut autem amicabiliùs posset adstare Reginæ obtutui, pauper terrenarum rerum, dives cælestium, sanctus vir Meneleus præparabat quædam donaria, vini scilicet, piscium & mellis: & hæc secum apportat, ut meliorem locum receptioni inveniat. Consuetum autem suæ carricationis asellum sibi sterni commendat, ut insperati itineris cursum vivaciùs perficiat. & sic cœpto itinere pervenit ante præsentiam Brunechildis Reginæ, quæ tunc temporis in Vinciaca curte ventilabat honoris & potestatis suæ decus mortale. Deportatas igitur secum eulogias blandè volens offerre, iracundum nimiùm sensit animum Reginæ; & caritatis illius dona nihil perpendens, iracundæ interrogationis talia verba in eum evomuit, &c.

V. *Responsio sancti viri.*

IRACUNDIS itaque interrogationibus Reginæ vir Meneleus reddidit responsiones humilitatis magnæ. Nec præsumtionis, inquit, arbitrio, nec pro vanitatis vento in tuæ potestatis silvas, ô Regina, ædificavimus domos amplas, nec damni alicujus exinde tibi adveniet casus, si digneris audire nostri sermonis recursus. Oberrabam quondam per vastæ Vinciacensis silvæ lucos, & præ tædio lassati corporis incurri somnos amicos quietis: ibique angelicus nuntius imperat mihi, ut in loco quo dormiebam, ibi divinæ pietati domum orationum facerem, &c.

VI. *De Leopasio Presbytero.*

TUNC vir sanctus fidei constantiâ firmatus, à conspectu Reginæ egressus est dicens: Ego interfectionem tuam non timeo, & minas tuas pro nihilo duco. Sic ad proprii laboris ministerium redit, & socium sui itineris Audoënum ad quemdam honestatis & bonitatis Presbyterum nomine LEOPASIUM vivaciter transmisit: cui mandat ut ad Monasterium ejus veniat, eósque Deo & spiritui ejus offerendo sacras hostias commendare velit, ne aliquid disturbationis vel adversitatis eis evenire possit. Ad perficiendam igitur mandatæ caritatis obedientiam velociùs Sacerdos Dei Leopasius suam repræsentat præsentiam. Opus enim divinum peragit, & Fratres in omnipotentis Dei servitio ardentiores facit. Et dum eos Deo in præsenti lucrari desiderat, se lucratum spiritali benedictione amat. Nam eorumdem Fratrum ipse intuens fraternam dilectionem & unanimis conversionis amicabilitatem, pertractare postmodum intra se inchoavit, qualiter amore æterni Dei mundum dimittere possit, qualiter in ejusdem congregationis numero se adjungere possit. Ille autem qui voluntatem timentium se perficit, ad hoc sequendum Leopasio vias aperit. Isdem autem Presbyter Leopasius postmodum mundani laboris sarcinas & mordacis curiæ limas cambiare volens, cælestis delectationis abundantiâ monasticum habitum suscepit mente inte-

CIRCA AN. DCC XX. JUL. XXIII. gra, & sanctum Monasterium multâ honorificentiâ honorificat: itémque sui juris quamdam Ecclesiam donat in honore Dei & in memoria S. Gervasii[a] dedicatam.

VII. *Quòd beatus vir sit comprehensus & ligatus.*

IMPERIO interdum Brunechildis Reginæ eliguntur quidam ministeriales, qui præcaveant ne possit sanctus vir Meneleus in prædicto loco Vaveris laborare, & qui penitus opus adnullent, quod sic insperatò ad perfectum venire vident. Unde uno dierum eumdem beatum virum quidam nuntius Reginæ cum ceteris Fratribus in prædicto loco videns laborare, furibundo occursu eum assallit, & operatorem bonum disturbare voluit, & antedictæ Reginæ minas pro nihilo eum ducere accusavit, dum post interminationis ejus mandatum in illo loco permanens, mortem subire non timet insaniens.

VIII. *Quòd nutu Dei sit disligatus, & inimicus cæcatus & contractus.*
IX. *De quadam dæmoniaca sanata.*

VIR igitur Domini Meneleus divinæ misericordiæ in se videns factum opus, inchoatæ viæ cursus non dimittit, sed ad palatium quo residebat Brunechildis Regina, pervenit. Adventum itaque beati viri in curte quidam boni testimonii viri amabant, & perversitatis cultores invidebant. Omnipotens igitur Deus fidelis sui Menelei meritum & gratiam demonstrare volens, quamdam puellam dæmonico hoste depressam per ejus liberavit orationis precem continuam, &c.

X. *Quòd officium linguæ Brunechildis recipit.*

DUROS autem nodos cordis Reginæ volens soror ejus nomine DOTIVA emollescere, auditæ virtutis signum ei suadet credere non esse frivolum, nec tantum bonum potuisse facere adfirmat beatum, per aliquod diabolicæ incantationis derisum: sed beatum Meneleum amare ex vero corde illum omnipotentem Deum proclamat, qui sui virtute superbos conculcans, humiliatos exaltat. Venenatas itaque aurium arterias ad credendum nec per hoc præparat Brunechildis, quæ semper amabat discordias: sed maligna indignatione repleta occidere commendat S. Meneleum sine ulla ratione demandata. Unde adjudicatus morti non deservitæ S. Meneleus propheticæ interminationis non reticet asperos maledictus. Muta fiant, inquit, labia dolosa, &c.

XI. *Qualia dona S. Meneleo Brunechildis donat.*

DEDIT quoque eidem sancto viro villam nomine Sigolam cum appendiciis suis, & Ecclesiam inibi fundatam in honore Dei & in memoria S. Martini summi Pontificis consecratam: dedit etiam jure perpetuo licentiam ampliandi terminos sui Monasterii secundùm suum velle. Post confirmatum itaque donationis numerum indicat ei sancto viro Meneleo Regina Brunechildis, aggreditur viam ad Franciam tendentem, & beatus Meneleus lætus revertitur ad Monasterium suum, & lætantes gaudentésque facit Fratres propter adventum suum.

[a] Exstat etiamnunc vicus S. Gervasii altero miliari à Cœnobio Menatensi.

XII. *Quòd B. Savinianum in Exandonensi transmisit pago.*

VENERABILIS itaque vir Dei Meneleus ad Monasterium suum reversus, à Saviniano sui laboris participe requirit, qualiter sua congregatio bonæ conversationis stabilimentum hactenus tenuerit. Auditum autem bonum eorum exemplum collaudat, & inde omnipotentem Dominum Deum benedicere non tardat. Prosperos deinde sui laboris eventus eis indicat, atque qualiter benevolentia Brunechildis Reginæ Monasterium suum honoratum habeat. sic ferventiores in Christi JESU servitio Fratres facit, quia unusquisque eorum bonum non discognoscit. Venerabilem autem Savinianum ad Exandonensem transmisit pagum, eúmque Deo & spiritui ejus commendans, villas, & Monasterium [a] quod in eodem pago erat, illius ditioni committit. præcipit quoque ut fratrem Constantium velociùs sibi retransmittat.

XIII. *De insinuatis Reliquiis.*

IMPERIUM sancti Patris itaque Menelei suscipit Savinianus, & laboribus manuum suarum comparat cælestis abundantiæ fructus. Uno autem dierum illum notæ amicitiæ videt esse Barontum, superiori libello sæpius nominatum, qui ex villa Nantiniaca ad videndum confratrem Savinianum venerat, & amicabiles cum eo ratiocinationes revolvebat. Inter amicabiles autem confabulationis recursus petit Barontum beatus Savinianus, ut pretiosas aliquot Sanctorum Reliquias [b] eidem transmittat, quas poneret in Monasterio quod construebat. Justam justi petitionem Barontus recipit, & pretiosas sanctorum Reliquias eidem transmittit. Sed B. Menelei in diversis rerum occupationibus Savinianus intentus, portionem requirere neglexit quorum Sanctorum apportasset Reliquias. Reversus autem isdem portitor ad sua loca, brevi peracto tempore caruit corporis vitâ. unde majoris doloris cumulus accrevit. Beato attamen talis anxietatis mæror non displicebat domino, qui mirabiliùs certum reddidit Savinianum, ejus comprobans fidem & meritum. Nam vadens beatus Savinianus ubi erat sepultus qui reliquias apportaverat, multiplicum inibi orationum lacrymas dirivat: & dum super dubietatis suæ conqueritur casus, divina prædestinatione redditur certus. Audiente enim multitudine quæ inibi aderat, eas esse sanctæ Dei genitricis MARIÆ nuper qui fuerat mortuus proclamat. Tam admirabile igitur signum audiens beatus Meneleus, nuntium vivaciter ad beatum transmittit Savinianum; mandans ut ad se veniat, & super auditum signum virtutis ipsum certum faciat. Jussionem boni patris bonus filius obaudit Savinianus, & ad eum vivaciter repatriat, & veras rationes de manifestatis Reliquiis enarrat.

XIV. *De visione Angeli*

SUPER demonstratum itaque meritum fratris Saviniani beatus Meneleus multas gratias reddidit Deo omnipotenti, firmioris adjutorii ab eo attendens solatium, quo non remansit frustratus in fine dierum. Una

b Exstat Præpositura quædam prope Exandonum & vicum Avorcam Usercensi Abbatiæ subjecta: quæ an hoc loco designetur, non facilè dixerim. Forsitan ibi erat Tresfagium Monasterium, de quo suprà.

a De istis Reliquiis jam quædam ex Herimberto retulimus ad lib. 1 cap. 1, qui in reliqua narratione hic descripta consentit.

CIRCA AN. DCCXX. JUL. XXII.

igitur nocte beatum Meneleum Angelus Domini visitat, proprióque nomine eum tertiò appellat, & quantam apud omnipotentem Dominum gratiam & meritum habeat, insinuare ei non tardat. Vir, inquit, sanctus es, & Sanctorum meruisti consortia, unde cælestia promerebaris accipere regna. Subsequenti autem nocte Angelorum turmam ad te videbis venire, qui pro sanctitatis tuæ innocentia cum claritate & cum modulatione angelica benedictam corporis tui animam introducent in cælestem gloriam. Beatus igitur Meneleus angelicis congaudens adspectibus dixit: Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. O virum pacificum, cujus oculi in cælum, & manus semper respiciebant in bonum! verè beatus, qui tam creberrimè vultus Angelorum meruit prospicere, eorúmque frui alloquio, & diem mortis suæ prævidit, & si per ignem, sed ignem perennis gaudii credere potuit. Angelicum denique sermonem conventus qui in domo erant audiebant, sed superni decreti missaticum videre non poterant. Obitus verò sui beatus Meneleus non oblivifscens, salutarem custodiam cælesti nuntio requirit, quem super negotium illud Dominus Deus eligere velit. Super id studium dignus Savinianus insinuatur, qui vitâ & moribus comprobatur. Unde eumdem ad se vir Dei vocare præcipit, & insinuatæ obedientiæ curam aperit, quam susceptam dignè adornat, & multiplicis incrementi manipulos per dierum multiplicia curricula aggregat.

XV. *De obitu beati viri.*

TERMINUM itaque sui insinuati obitûs videns adesse vir Dei Meneleus, Fratres quos ipse Deo lucraverat, & quos in uno sacri ovilis gremio aggregaverat, adstare sibi præcipit, & appropinquatum vitæ suæ terminum eis prædicit. Pacis autem & caritatis eos militiam custodire admonet, ut præceptis Saviniani futuri Patris obediant suadet. Dum enim super filiorum profectum invigilat, ad eum GENESIUS [a] Comes Arvernensis religiosus ex villa Combronita appropinquat, qui beato viro inter alia donationis munera castrum Montem-Maurum inter fluvium Sivolis & Circiarum amnem donat voluntate bona. Advenit autem ex partibus Arvernis quidam ROMENDRICUS, qui pro quibusdam suæ possessionis terris accepto pretio eas transfudit in jure & dominatione Monasterii dilectoris Dei Menelei. Bene igitur compositis rebus omnibus, promissos Angelorum audit sanctus ille Meneleus concentus, qui familiarem amicum visitant, & bonæ actionis sua opera Deo repræsentant. Unde securus jam de percipiendæ mercedis denario, & aggravato infirmitatis stimulo, & post consummato perfectæ Christianitatis obsequio, caritativi amoris poculum delectabile demandat, & post se Fratribus offerre commendat. Postquam autem & pater filios, & filii patrem absolvunt, & benedictas Patris sui Menelei manus in manibus suis suscipiunt, munitus Salvatoris crucis vexillo, sarcinam carnis suæ reddidit sæculo, & animam felicem & beatam reportavit Domino, undecimo Augusti Kalendario [b].

a In Vita S. Præjecti Sæculo nostro 2 laudatur Genesius Comes Arvernensis, qui Felicis Episcopi successor designatus cùm adquiescere noluisset, S. Præjecto locum fecit; idem fortean *Genesius Sacerdos*, qui à Baronto ad Rusticum Lemovicensem Episcopum ad obtinendas Reliquias missus dicitur, supra ad cap. 20.

b Eodem die S. Menelei obitus signatur apud Usuardum, ut superiùs observavimus. Annus definiri facilè non potest. Meneleus supervixit S. Vincentiano, qui *anno* XV *Chlotharii Regis* decessisse fertur. quod stare non potest, tum quia *Oratorium S. Boniti*, qui nonnisi anno vigesimo post Clotharii tertii mortem Episcopus fuit, adiisse memoratur; tum quia ipse S. Bonitus Monasterium Menatense dedicavit, & Meneleum *Clericum*, id est Monachum fecit, antequam Vincentianus è vivis discederet. S. Menelei obitum, dum certiora argumenta nón suppetunt, statuimus anno DCCXX, ante annos octo, quàm S. Theofredus Abbas martyrio est affectus; Vincentiani verò, anno XV Childeberti Regis.

Circa An. DCC XX. Jul. XXII.

EX LIBRO MIRACULORUM S. MENELEI.

1. QUIDAM vir nomine Robertus, à partibus veniens Turonicis, quem binis pæne lustris contraxerat podagrica infirmitas gravis, veniens ad vicum cui antiquitas nomen indidit Menate; post nocturnalem synaxim salutem recuperare meruit. *Podager sanatur.*

2. Quædam femina lumine oculorum privata, ex vico Carcentonio nata erat, in quo sanctæ Dei Genitricis adoratur virtus beata. Excubans igitur hujus ad aulam diebus noctibúsque, cùm lumen quod quærebat ibi nequiret obtinere, pergit ad aliam Basilicam perpetuæ Virginis, nuncupatam ab omnibus Aurea-valle *. Deinde venit ad vicum Menate, ubi sanitatem diu optatam adepta est. *Cæca visum recipit.* *Orcival.*

3. Idem experta est Kerildis nomine quædam cæca, Parisius civitate nobilissima orta.

3. In quodam opido sito in Bituricensi territorio, quod Mons-lucio * communi vocabulo nuncupatur à tempore prisco, quædam habetur Basilica in B. Menelei honore ædificata, crebrísque miraculis ejusdem corusca seu meritis fulta. Referunt ipsius opidi incolæ, si quispiam hominum ibi præsumeret juramentum à quolibet vi accipere, egredi haud impune. Et quidem infra hujusce habitaculum Ecclesiæ miles quidam nomine Dagobertus temere est ingressus, tenens quemdam homunculum violenter captum. nam erat avidus deprædator rerum. Sícque accedens ante venerabilem S. Menelei aram, cœpit compellere prædictum captivum protervè jusjurandum facere sibi supra ejus altare Sancti. Tunc isdem captivus quamquam vinctus præstolans talis exactoris obsecundare præceptis, tetendit dexteram adversus prædictum altare; coactor verò Dagobertus officium omnino amisit linguæ, &c. *Mont-luçon.* *Juramenta extorta punita.*

Circa An. DCC XX. Oct. XI.

VITA S. PALDONIS ABBATIS MONASTERII S. VINCENTII AD VULTURNUM IN BENEVENTO, ET SUCCESSORUM EJUS TASONIS ET TATONIS,

Auctore S. AUTPERTO ibidem Abbate, subæquali.

Ex tomo 6 Italiæ sacræ Ferdinandi Ughelli.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *PAULUS Vvarnefridi, Diaconus & Monachus Casinensis, de his Actis eorúmque Auctore ita scribit in lib. 6 de gestis Langob. cap. 40.* Monasterium B. Vincentii Martyris quod juxta Vulturni fluminis fontem situm est, & nunc magna congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus, hoc est Tato, Taso & Paldo, jam tunc ædificatum, sicut viri eruditissimi AUTBERTI ejusdem Monasterii Abbatis in volumine quod de hac re composuit, scripta significant. *De S. Autberto seu Autperto plura ad annum 778, quo decessisse fertur.* *Vitæ scriptor Autpertus.*

ANN. CHR. DCCXX. OCT. XI.

2. *Carolus Magnus in diplomate suo* sanctos viros PALDONEM, TUTONEM, & TASONEM *appellat. Sic etiam* Tutonem *pingunt nonnulli, &* Baldonem *Auctor Vitæ S. Thomæ Abbatis Farfensis.*

Monasterii status.

3. *Celeberrimum quondam fuit S. Vincentii Monasterium, situm in provincia Samnio seu Benevento ad fontem Vulturni fluminis, duodecim fere millibus à Casino distans. In Monasterii Vincentiani Chronico, cujus fragmenta varia edidit Andreas Chesnius tomo 2 Hist. Franc. plura referuntur commendatione digna. Istic floruerunt post sanctos Monasterii conditores* AUTPERTUS & JOSUE, *Abbates sanctissimi, hic sæculo* IX. *quo etiam nongenti Monachi ejusdem Cœnobii à Saracenis martyrio sunt affecti. Floruit etiam sæculo* XI venerabilis Abbas HILARIUS, *qui miracula patrâsse mortuus dicitur. Idem Cœnobium rexit* NICOLAUS de Fractura *Decretorum Doctor, antè Monachus Casinensis, qui Regulam S. P. Benedicti commentariis illustravit anno* MCCXCVIII. *Istud Monasterium teste V. C. Angelo de Nuce Abbate Casinensi in Notis ad Chron. Casin. lib. 1 cap. 4.* nunc undique solitudinem spirat & horrorem, omni Monachorum cultu destitutum, Abbati tantùm Commendatario commissum.

Viri sancti.

Regula S. Benedicti istic servata.

4. *S. P. Benedicti Regulam Monasterio ab origine impositam fuisse constat. Nulla tum Monasteria condebantur, nisi ad hujus præscriptum. Autpertus infrà num. 18* Regulam S. Patris *laudat, & Carolus Magnus in diplomate in Vita S. Autperti relato, licentiam concedit Monachis Vincentianis* eligendi Abbatem secundùm Regulam S. Benedicti.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. HUMANI generis primus parens ad imaginem Dei factus, in paradiso voluptatis positus; ut vitæ præcepta servaret, ab ipsa vita quæ Deus est, fuit admonitus, & ne hanc pro minimo duceret, mortem est ei comminatus. Sed hæc ille contemnens sponte deseruit Creatorem, & secutus est peremtorem. Deus verò qui mentiri, ut est veritas, non novit, morti qua minatus eum addicit. dixerat enim illi atque ejus uxori: *In quacumque die comedetis de ligno scientiæ boni & mali, morte moriemini.* Quæ videlicet sententia non solùm corporis, sed & animæ mortem ostendit. Sed quia benignissimus Deus serpentis suasionibus miserabiliter vidit hominem deceptum, fragilioríſque esse materiæ figmentum, noluit hunc esse in æternum damnatum. Hinc enim actum est, ut unigenitus Dei filius carnem sumens moreretur pro nobis, ne mors animæ ultrà regnaret in nobis, ut quod in Adam perdideramus, in Christo reciperemus. Hinc enim scriptum est: *Cùm venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Sed quo caritatis ardore id fecerit pro nobis, nullus verbis explicat ex nobis. ait enim ipse Dei filius: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Hinc iterum Paulus dicit: *Qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.* De quo rursus ait: *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* In qua scilicet humanitatis forma conversatus inter homines per omnia ut homo, excepto peccato, iter eis ostendit, quo ad derelicta gaudia repedare possint. Si autem quod sit hoc iter inquirimus, Dominum in Evangelio dicentem attendamus. ait enim: *Ego sum via, & nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ecce audivimus iter per quod patriam repetamus, videamus nunc quibus modis ad ambulandum gressus dirigamus. *Qui* (inquit Johannes) *dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Libet autem intueri, quæ sint hæc Christi vestigia, qui gressus, quibus in carne ambulavit pro nobis. Ut cetera taceam, quæ evangelica plenitudine narrantur

Homo à diabolo seductus.

Gen. 2. 17.

Galat. 4. 4.

Iohan. 3. 16.

Philipp. 2. 6.

Iohan. 14. 6.

Per Christum reducitur ad Deum.

1. Ioh. 2. 6.

rantur de baptismo ad tentationem ac jejunium, de jejunio ad prædicationem, de prædicatione ad opprobria, de opprobriis ad flagella, de flagellis ad sputa, de sputis ad crucem, de cruce ad sepulturam pervenit. Ii etenim sunt gressus Dei in terra, de quibus Psalmista ait: *Visi sunt gressus tui, Deus, ingressus Dei mei Regis.* Hos imitandos esse denuntians Petrus ait Fidelibus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* His se passionibus sequi ipsa Via insinuat dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Et Paulus ait: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* JESU-CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ii gressus autem & angustam ingrediuntur viam, quæ ducit ad vitam. Ii ambulant super aspidem & basiliscum, & conculcant leonem & draconem. in his ambulaverunt Apostoli, hos Martyres & Confessores sunt subsecuti. Hos per gressus perfecti incesserunt Monachi, quibus specialiter à Domino dicitur: *Tollite jugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.*

ANN. CHR. DCC XX. OCT. XI.

Psal. 67. 25. *1. Pet. 2. 21.* *Luc. 9. 23.* *Galat. 6 14.* *Matth. 11. 29.*

2. Sed quia nos in illorum tempus devenimus, de quo Dominus in Evangelio ait discipulis suis, quia *abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum;* ac secundùm Apocalypsis sententiam, nequaquam ferventes, sed (quod gemendum est) tepidos adspicimus Monachos; ad incitandos animos eorum, tres nuper ad Christum conversos evangelica perfectione probatos auditorum animis ingerimus, PALDONEM scilicet, TASONEM, atque TATONEM, sanctorum Patrum sudoribus ac laboribus coæquandos: ut qui desidiosi ac languidi antiquos Patres nostros nos imitari non posse causamur, horum nuper conversorum vitam recolentes erubescamus. Hos ergo non temeritatis ausu impulsus, sed Abbatis mei monita sequutus, eáque modò stilo prosequor, de quibus adhuc testes exsistunt, qui se hæc ab his audisse confirmant.

Matth. 24. 12.

Auctoris ætas.

INCIPIT VITA.

3. TRES igitur ex nobili genere orti, jure consanguinitatis propinqui, PALDO, TASO & TATO, fuerunt viri Beneventani: ex quibus superior Paldo ex uno, Taso verò & Tato ex altero fratre sunt procreati. Ii evangelica voce excitati, divinóque amore inflammati, una eis sententia, unum consilium fuit, unúmque exstitit votum, patriæ solum, divitias, parentésque relinquere, & nudos nudum Christum sequi, nudos cum nudo adversario pugnare, Galliarúmque provinciam pro voto expetere: atque inibi corpore non mente ductos, diversa Monasteria inquirere, leníque jugo Christi colla mentis submittere. Hoc autem idcirco studiosè facere prævidebant, ut propter Christum ne uno qui superesse poterat adspectu visionis corporaliter fruerentur. Quid plura? ut animo & mente conceperant, iter præparant, nec moram faciunt, nec dilationem prætendunt. Sed carnalium parentum nexus pertimescentes, qui semper impedimentum fiunt ad Christum conversis, eorum oculos pia simulatione deludunt, ita tamen ut mendacii crimen nequaquam incurrant. Dicunt enim se Romam pergere velle, Apostolorum Principis Petri se suffragiis commendare, ejúsque desiderata limina osculari: quod & fecerunt. Sicuti autem nobiles decet, oneratis animalibus stipendiis, præparatis ad sedendum equis, famulorum fulti obsequiis, sibi solíque Deo quid agere vellent *, gressus ad ambulandum movent.

Paldo, Taso & Tato Beneventani, Galliam cogitant.

* *supple* conscii

ANN CHR. DCC XX. OCT. XI.

Stirps veneranda satis, nimiùm præcelsa parente,
Primus à principio luxit ut orbe dies.
Germine purpureo decus hoc tulit urbs Beneventus,
Jure salutiferos traxit ab urbe viros.
Scandere regna petunt sublimia corde sereno,
Dignè sacra ferunt signa pro lege Dei.
Terrea cuncta terunt, gazas ut stercora spernunt.
Laudes magnifico gaude referre Deo.
Cui salus & virtus,
Rex bonus invictus.

Romam adeunt pedites. a

4. At verò ubi proprios fines sunt egressi, Marsorúmque [a] provinciam ingressi, descenderunt equis, admonuerunt pueros, ut cum equis & his quæ allata fuerant ad propria remearent. Et hoc propterea, quoniam sibi tale votum exstitisse dicebant, ut ii tres tantùm suis pedibus Romam pergere deberent. Quibus flentibus ac lugentibus, jure potestatis imperant ut recedant. Illis autem abscedentibus, dum præfati famuli Christi scandunt iter, obviàm habent pauperes vilibus ac scissis indumentis adopertos. Jam ii paupertatis amore inflammati aiunt inter se: Ne sit in nobis quod mundus honoret, ne quod latro diripiat; his nos vestibus exuamus, pauperibus tribuamus, illorúmque nos vilissimis ac sordidis induamus. Hinc perpendant qui nomen Monachi prætendunt, quanti reatus criminis sit sub Christo paupere degentes, indumentis comtos & non moribus incedere. Ecce etenim ii, per quos hoc Monasterium initium sumsit, talibus induti amictis initium suæ conversionis dederunt.

Vestes suas dant pauperibus.

Mundus ad ima ruit, miseros ad tartara ducit.
Mutemus vestes, nostras, Deus, instrue mentes:
Ne sit quod fortis, fur, latro tollere possint.

Farfense Monasterium petunt. b

5. Et ut ad propositum revertar, cœpto itinere pergunt, ad Monasterium gloriosæ Dei genitricis MARIÆ quod est in Sabinis perveniunt, in quo vir vitæ venerabilis THOMAS [b] Pater præerat: de quo à pluribus audivi, quia olim in partibus Orientis constitutus, sicut ipse narravit, tamdiu ad Redemtoris sepulcrum orationi vacavit, quoadusque impetraret quod precibus postulabat. Denique, ut adserunt, nocte quadam precibus fatigato, soporéque depresso adstitit ei quidam gestans in manu miræ pulcritudinis panem, cui & dixit: Accipe hunc panem, & abscede. scito autem te minùs ex eodem numquam habiturum. Tantæ etenim deinceps, ut aiunt qui eum viderunt, compunctionis vir fuit, ut pæne de Deo sine lacrymis nil posset loqui. Is dum præfatos Dei famulos hospitio suscepisset, ut Monachorum ac bonorum moris est Christianorùm, cum Fratribus, ut ei solitum fuit, secundùm Domini præceptum eorum pedes abluere pergit. Ii autem qui advenerant, delicata ac candida membra vilibus ac sordidis vestimentis tegebant, elegantem ac compositum vultûs adspectum prætendebant. Quamobrem nec eorum secretum abscondi potuit oculis viri Dei.

6. Peracto itaque caritatis officio noctísque cursu transacto, cùm aurora daret initium diei, seorsim eos blanda loquutione inquisivit, qui essent, unde

a Provincia Latii juxta lacum Fucinum, dicta *Valeria*, in qua S. Æquitius Abbas floruit. Paulus Diaconus de gest. Langob. cap. 20. *Provincia Valeria, cui est Nursia adnexa, inter Umbriam & Campaniam, Picenúmque consistit, quæ ab Oriente Samnitum regionem attingit ... Marsorum quoque regionem ideo intra Valeriam provinciam æstimo computari, quia in catalogo provinciarum Italiæ minimè ab antiquis descripta est. Si quis autem hanc per se provinciam esse vera ratione comprobaverit, hujus rationabilis sententia modis omnibus erit retinenda.*

b De Thoma Farfensis Monasterii instauratore actum ad ann. 715, ubi hæc Sanctorum peregrinatio fusè describitur.

cur advenerint, ne fortè aliquod præjudicium sustinerent, ne peccati crimine peracto fugerent, promittens se eis in quo valeret adjutorium ministrare: tantùm ut profiterentur, cur eis ita placuerit tantam simulationem arripere. Ad hæc illi obstupefacti, videntes consilium suum seniori celari non posse; consilio accepto narrant cuncta per ordinem, qui fuerint, unde, cur advenerint, quæque gesserint, quorum filii, quibus nominibus vocarentur, qualitérve Romam pergere vellent, indéque Galliarum regiones expetere: multis eum adjurationibus constringentes, ne eorum proposito ipse fieret impedimento. Ad hæc ingemiscens venerabilis senex ait: Nequaquam, ô filii, in hoc tam laudabili proposito vos impedire cupio, sed magis adjuvare: nec vos interim relinquam. aliquantisper vobiscum pergam, itineris vestri usque ad Apostolorum limina me habebitis comitem. Propterea autem vir Deo plenus itineris illorum particeps fieri gestiebat, ut eos, sicuti & fecit, suis salutaribus consiliis ab illius itineris longitudine revocaret. Quod Dei providentia factum fuisse nullus ignorat, qui hoc Monasterium cernit.

Ann. Chr. DCCXI. Oct. XI.

Agnoscit eos Abbas,

Romam eos comitatur.

Hos specie, forma, cognoscit munere dogma,
Consilio refovet, levat obsequio Pater almus,
Ne paveant, faveant, facilis pateat labor altus.

7. Pergunt interea simul ut senis fuit voluntas, multísque lacrymis profusis devotionem suam Apostolorum commiserunt suffragiis. Oratione verò completa cœpit eos reverendæ memoriæ jam dictus Pater verbis suasoriis admonere, ut secum ad Monasterium reverterentur: & aliquamdiu apud eum remorati, propositum institutionis suæ videndo & operando addiscerent, & tum demum quò eos Dominus vellet vocare properarent. Et ut verbis illius utar: Audite, inquit, ô filii, consilium meum. ad Monasterium cui deservio, revertimini mecum, & propter ardorem vestri desiderii, quamquam extra usum Monasterii, intrinsecùs vos recipiam, ut simul cum Fratribus edatis, simul dormiatis, simul orationi vacetis, simúlque ad opus manuum exeatis: ut his exercitiis probati sciatis, quibus modis propositum Monachi adimplere valeatis. Hæc & his similia eo dicente præbuerunt adsensum, pariterque cum eo ad Monasterium sunt regressi, in quo paucis diebus remorati ad plenum instructi sunt.

In Monasterium suum eos reducit.

Te simul ecce petunt, Petri dum limina quærunt,
Roma beata nimis, fratresque, senéxque fidelis,
Quos trahit ipsa ferens fidei per litora navis.

8. Accidit autem, ut dum pater duorum fratrum, Tatonis scilicet atque Tasonis, cum ceteris parentibus huc illúcque eos quærerent, rapidissimo cursu Romam venirent. Quos dum studiosè quærerent, ac nequaquam inibi invenirent; audiunt à dicentibus Sabinis, eos esse in Monasterio gloriosæ Dei genitricis MARIÆ. Tunc illi majoris amoris stimulis agitati spatium itineris illius quasi transvolantes, ad prædictum Monasterium pervenerunt: à prædicto Monasterii Patre petierunt, ut adspectibus illorum præsentarentur. Venerabilis autem senex, ut erat suadibilis eloquio, admonuit ut exirent. Illis autem renitentibus compulit eos, ut sibi imperanti obedirent. Ut verò egressi sunt, parentésque eos viderunt, vehementer flere cœperunt, elevatáque voce ad eos dixerunt: Cur nos peccatores tamquam mortuos reliquistis? ut quid curam animarum nostrarum deseruistis? nullúsne vobis inest pietatis affectus, nulla consanguinitatis compassio? obsecramus, inquiunt, obsecramus, & per Deum conditorem cæli & terræ deprecamur, ne nos deseratis: quia ad Christum converti, & sæculum funditus relinquere sumus parati. Sin autem, contestamur cælum & ter-

Qui à parentibus quæsiti,

inviti eis se sistunt.

Ann. Chr. DCCXX. Oct. XI.

Revocantur à Galliæ itinere.

ram, sanguinem nostrum de manu vestra à Deo fore quærendum. Ad quorum verba lacrymásque atque singultus dum illi pietate nequaquam moverentur, séque ut Deo promiserant, Gallias petere dicerent; propterea ut apertè nunc cognoscimus, fertur senex ad eos voce dixisse: Confidite, inquit, filii, confidite, & de Dei misericordia præsumite: quia si modò meis monitis aurem obedientiæ accommodaveritis, multi per vestræ actionis exemplum cæleste ingredientur regnum. Audite, inquit, filii hominum, audite consilium patris vestri, & horum preces spernere nolite. ostendam vobis, si vultis, à Deo vobis locum præparatum. spero enim in Domino, quoniam illic adimplebit Deus desiderium vestrum, ibíque faciet Deo fructum acceptum. Indicium autem loci percipite, & ad eum quantocius properate.

Non Pater hos monitis, gemitu movêre parentes.
Sed patriam gentem contemnere rite fatentes,
Mollia spernentes, pro Christo dura ferentes.

Ad solitudinem prope Vulturnum invitati,

9. Est autem, dilectissimi, locus ad quem vos ire desidero in. Samnii partibus super ripam Vulturni fluminis, ubi initium sumit à mille fere passibus, in quo videlicet loco situm est Oratorium Martyris Christi Vincentii nomine dedicatum: ex utraque verò parte fluminis silva densissima, quæ habitationem tantùm præstat ferarum, latibuláque latronum. Omnipotens autem Dominus cui vos famulatum exhibere desideratis, & vos in eodem loco illæsos servabit, & cunctis iter agentibus à timore latronum pacatum atque securum constituet, necnon & cerasis, dumis, ac sentibus, lignis fructiferis abundare faciet. Ite, ait, filii, & in eodem loco sine metu cujuscumque permanete.

Hos Pater ire monet, loca monstrat pervia nullis,
Arboribus multis, quæ comant flumina pulcris,
Montibus; & ventis, nivibus sunt frigida mæstis.

istuc se recipiunt,

1. *Cor.* 10. 24.

nihil secum ferentes, *Matth* 6.31.

Ibid.

10. His igitur & hujuscemodi verbis à rigore obstinationis emolliti, tamquam Christum in seniore loquentem attendentes, Apostolíque dictum recordantes, *Nolite quærere quæ vestra sunt singuli, sed quæ alterius*; ab his quæ cœperant, revocant animos, atque ab eodem benedictione percepta iter arripiunt, & ad hunc quem incolimus perveniunt locum, nihil secum in alimoniis corporis præter viaticum in sportella ferentes, jam tunc non immemores illius præcepti dicentis: *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis*; &, nolite solliciti esse in crastinum. Sed ille qui propter miseriam inopum & gemitum pauperum ut pius pater exsurgit, qui talia agentibus repromittit dicens: *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*; hanc eorum fidem adspiciens, citò stipem largiendo adfuit.

Tres iter adsumunt, nihil huc nisi corpora ducunt.
Est regimen, victus, tegmen, miseratio, Christus.
Lex quoque sacra Dei, lux noctis sive diei.

à quodam ignoto necessaria accipiunt.

* *id est* portam

11. Nam cùm ad hunc in quo residemus, ut dictum est, perveniunt locum, quia cuncta quæ ad usus corporis sunt necessaria deerant, ad illum protinus mentem erexerunt, in quo & per quem omnia vivunt. Ingrediuntur denique Oratorium, peragunt in Dei laudibus officium, atque superveniente nocte quieti membra deponunt. Sed cur dico, quieti? cùm terratenus tantùm artus locantes, ad morem Patriarchæ Jacob lapides capitibus supposuerint. Dico tamen, quietem esse: in quo etsi caro tabescit, spiritus pinguescit. Et ecce facto parvo intervallo, venit ad eos quidam homo ignotus nocturno silentio, regiámque * Oratorii pulsans ait: Quisnam hoc in loco quiescit? Ad

vocem exsiliens tacitus venit ad eum venerabilis Taso. Cui ille: Audivi, inquit, à dicentibus, quoniam hîc peregrini adessent. & propterea à pastoribus meis veniens, detuli modium farinæ ac vini, si habes, ubi hoc quod attuli, recondas. Tunc ille quædam vascula reperiens, tamquam à Deo sibi oblata suscepit quæ offerebantur: quo abscedente nullus deinceps compertus fuit, quisnam ille fuisset, qui hoc munus gratanter obtulisset. His igitur indiciis claret, à quanta perfectione cœperunt ii, per quos hunc locum ad tantæ magnitudinis excellentiam perducere dignatus est omnipotens Deus. ANN. CHR. DCC XX. OCT. XI.

Angelus accessit, dixítque: Quis hîc requiescit?
Exsilit inde Taso tacito pede, pectore grato:
Munera cui præstans vinum, similam, redit extrà.

12. In hac denique Christi paupertate sollicitè persistentes, eorum vita quam Deus ad exemplum plurimorum ostendere disposuit, longè latéque personuit, atque lucerna super candelabrum posita diutius latere non potuit: & cùm multi eorum vitam imitari cupiunt, multitudo fraternitatis ad eos concurrere cœpit. Multos ad se alliciunt.

Longè per * centum sociis moderare talentum *f. ter
Famina sacra ferunt, palmam bellíque tulerunt:
Et capiunt multos valido de gurgite ductos.

13. Primus itaque præfuit sacro gregi PALDO Dei famulus, qui erat omnino mitissimus, quíque per omnia hoc in suis actibus ostendebat, quod suis subjectis voce prædicabat: ita amator Christi paupertatis, nec sicuti carnales, æstuans divitiis terrenis. Hic nempe fertur ad confirmandas animas Fratrum, ut in paupertate quam cœperant perdurarent, dixisse: Credite mihi, Fratres, quia Monachus ille, qui in hoc Monasterio persistens usque ad finem permanserit, anima ejus æterna supplicia nequaquam sustinebit, sed vitam æternam possidebit: & hoc sanctæ congregationis Monasterium usque ad finem sæculi ad servandas animas permanebit. Quod quidam ignorantes, qua intentione hæc prosecutus fuerit, falsa scipsos securitate decipiunt[a], quamvis malè viventes, & contra Regulam Patrum[b] facientes, hoc in Monasterio si permanserint, salvos esse in futurum posse: cùm constet omnibus, quia quicumque in perpetratione criminis hoc in loco permanserint, & ante extremi obitûs diem se minimè correxerint, ad vitam nequaquam posse transire. Dicendum autem illis est, nequaquam virum Dei contra divina eloquia sententiam protulisse; sed in illis hanc sententiam permanere dixisse, qui ipsorum sobriam & castam vitam ac laudabilem paupertatem vellent imitari. Paldo Abbas primus, Fratres ad paupertatē hortatur. NOTA. a b

Culmine præclaro renitens diademate sacro,
Primus præficitur PALDO reverendus, & Abbas
Innumeras animas Christo super æthera mandat.

14. Interea turba Fratrum succrescente, cœperunt contra votum habere, per quod possent eisdem quos regebant subvenire. Dúmque prædicti venerabilis Patris Thomæ immemores * dicti, multos per eos in hoc loco esse salvandos, amicam paupertatem sollicitè requirentes; abjicere conantur ea, quæ possidere videbantur. Sed resistente eis divino judicio turbâ Fratrum, studuerunt magis secundùm Apostolum non sua singuli, sed quæ alterius sunt quærere. & illud: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos* Sub eo viget amor paupertatis & caritatis. *f. memores 1.Cor.9.22.

a Multi venditant id genus privilegia, quibus corrigendis insignis hic locus. Lege Angelum de Nuce in cap. 17 Vitæ S. P. Benedicti.

b En Regula S. Benedicti dicitur *Regula Patrum*: quod etiam nomen ei tribuit Ordo Romanus, ubi de ordinatione Abbatis. Lege Præfationem huic tomo præfixam.

ANN. CHR. DCCXX. OCT. XI.

facerem. Multa siquidem tunc inter eos fuisse caritas, multa concordia unitatis, multa compassio fraternitatis refertur. Et quidem narrantur de eis quædam digna miraculis, sed nostrum ad hoc tantum fuit studium incitatum, ut quibus modis sæculum ac diabolum vicerint, apicibus prosequamur. Neque enim majus esse potest miraculum, quàm quòd tota mente mundum reliquerunt. Et quia multi videntur miraculorum esse participes, sed nullatenus nomina habent scripta in cælis; nequaquam hoc in tempore virtutes in Ecclesia, sed perfectam vitam requirimus. Unde Dominus discipulos de subjectione dæmonum gaudentes deterret dicens: *Nolite gaudere in hoc quia dæmonia vobis subjiciuntur*. In quo verò deberent lætari, subdendo manifestat dicens: *Gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis*. Magna siquidem virtus, magnúmque & admirabile exstitit signum, suæ conversationis exemplo tam innumeros de terris elevasse ad cælos, de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de exsilio reduxisse ad patriam. Et ut cœpta prosequar, sæpe dictus venerabilis Paldo, evangelicæ perfectionis vir per omnia consummatus, humanis rebus excedens præsentis vitæ finem fecit V Id. Octobr. Indict. III, anno Incarnationis dominicæ DCCXX, residente in Sede apostolica venerandæ memoriæ GREGORIO II. Hic susceperat sacri Cœnobii regimina ab Incarnatione Domini anno DCCVII, sub sancto Papa SISINNIO.

Auctor miracula omittit. — *Luc. 10. 10.* — *Paldo moritur.*

En, Paradise, tuos vernantes collige flores.
Denis septenis [a] annis moderatus habenis
Est Paldo felix, quando tua gaudia cepit.

15. Cui succedit in sancto regimine TASO, minor quidem annis, sed ardentior in sancto proposito omnibus illis. Quia verò nonnumquam is qui præest, si considerare negligat & contueri infirmorum imbecillitates, eósque non ut prævaluerint, sed ut rigor districtionis ejus dictaverit, voluerit artiùs adstringere, nequaquam eos quò cupit perducere valet, quia huic nimius zeli fervor potuit dominari: simile quiddam ei accidisse cognoscitur. nam cùm hunc arduo itinere incedentem nequaquam sequi valerent, penitus deserentes abjecerunt, fratrémque ejus majorem natu loco ejus constituerunt. Unde factum est, ut ab utrisque partibus ad Pontificem Romanum relatio mitteretur. Quod cùm GREGORIUS Papa secundus audisset, factum improbat, hos contra canones fecisse notat, manúsque suas in Christum Domini extendisse denuntiat. Quibus & pænitentiam indicens, hujus facti efficaciam ademit. quam scilicet indictam sibi pænitentiam vix cum magno difficultatis conamine, obsistente aëris ardore perficere valuerunt.

Taso suffectus, dein ob zelum abjectus, Gregorii P. jussu restituitur, indictâ rebellibus pænitentiâ,

Pòst sequitur socius retinens moderamina Taso [b],
Qui minor est annis, validus sapientiâ quamvis.
Hic alacer, fortis, fervens quoque robore cordis.

16. Sed ut ostenderet omnipotens Deus, quanti reatûs crimen admisissent ii, qui Pastorem à Deo sibi prælectum abjecissent; nequaquam hac pænitentiâ placatus, mox sine mora judicium exercuit ultionis. Nam ita cœperunt singuli humanis rebus decedere, ut duorum aut trium corporum fieret una memoria [c] receptaculum. Eáque hac grassata fuit sententia, quoadusque

qui à Deo morte puniuntur.

[a] Siquidem annis septemdecim Paldo rexit Monasterium, obiítque anno DCCXX; ab anno DCCIII regimen iniisse dicendus est. Quamquam hic locus rectè sic conciliari potest, ut si ab inchoato Monasterio calculum ducas, annum DCCIII; si à perfecto, annum DCCVII prælaturæ Paldonis initium definias.

[b] Et tamen index Abbatum ab Ughello editus Tatonem præfert Tasoni. Verùm Taso qui tertiò loco suprà nominatus est, fuit quidem natu minor, sed alterum in regimine antevertit.

[c] Id est unus tumulus. nam sæpe *Memoria* ad Sanctorum tumulum designandum usurpatur.

pæne nullus eorum in corpore remaneret, qui hujus nævi fuerant consilio maculati. Sed nec ipse diu moratus, eosdem est moriendo secutus. Idcirco autem hujus facti adversitatem huic operi adnectimus, ut à tali deinceps seditione & pastor & grex alieni exsistant. Quia etsi nequaquam eos per hoc, factum, utpote incipientes pænitere, damnandos adfirmare audemus, cùm scilicet Pastor zeli fervore, & grex pusillanimitate erraverit; tantùm incertum est, utrum eos hæc judicii sententia ad plenum hujus reatûs crimine mundaverit, an etiam Purgatorii [a] post mortem supplicio ignis fuerint absoluti. Obiit autem Taso prædictus Pater III Id. Januarias anno dominicæ Incarnationis septingentesimo vigesimo nono, Indictione undecima *.

ANN. CHR. DCC XX. OCT. XI.

[a] Taso decedit.

* *l.* duodecima

Fratri prælatus pœnam Taso fértque reatûs,
Annis post octo migrans, cui cesserat ordo:
Quem sequitur Fratrum numerus sub peste necatus.

17. Succedunt præterea post hujus discriminis luem, ut adsolet, læta quædam atque jucunda, cùm superstes Tato loco Paternitatis succedit. Hic denique virtutum omnium matre plenus exstitit caritate, in animabus colligendis studiosissimus, zelo Dei ferventissimus, pietate uberrimus, discretione cautissimus: quique veluti mater super filios, sic semper sollicitus fuit super subjectos, semetipsum in laboribus durissimè exercens, gregi ut pater parcens; inter mites mitior exsistens, inter elatos zelum districtionis exercens. Fertur etiam ex quo ad Monachi habitum venit, nequaquam balneis usum fuisse, numquam caput lavisse, numquam novaculam super caput aut barbam duxisse: &, quod his difficilius est, diebus opere manuum insudans, noctibus vigiliis perpetuis vacans; loricæ onus ad carnem gestans, quousque virtus corporis prævaleret, non deposuisse. Cùm verò defessis ac fatigatis jam membris hanc ferre non posset, circulum sibi ex eadem occultè fieri præcepit, quem & usque ad diem obitûs sui gestavit. Hunc adserunt lectisternia refugisse. Fertur & hebdomadam jejunio peregisse. His enim ac ceteris virtutibus repletus ad finem usque perdurans, consummatus obiit in pace III Idus Decembris, Ind. verò VI *, felici gaudio lætus, anno Incarn. dominicæ septingentesimo trigesimo nono [b].

Succedit Tato, vir eximiæ virtutis.

Ad superos migrat

* *l.* VII

Hic priùs abjectus, fit postea Pastor honestus
Undenis actis, postquam Taso præfuit, annis.
Ad finem durans explevit tempora longa,
Qui fuerat magnus studiis, opibus quoque largus.

18. Hæc de his dixisse sufficiant, quorum nos exempla ac facta præclara de sæculi turbine ad hanc quietem perduxerunt. Sed horum adspicientes fervorem, cogit nos gemitus aliquid dicere de nostræ conversationis tepore. & quamquam meipsum primò ferire loquendo pertimescam, tamen ea in quibus jaceo, & mihi similes jacere cognosco, enarrare vitia sublato pudore [c] non erubescam. Fortassis enim per hanc humilitatis confessionem & mihi à Deo venia dabitur, & illis salubris correctio ministrabitur. Sed unde exordiar? unde loquendo initium sumam? Omni enim ex parte sanctum à nobis propositum violatur, & pæne nihil nobis superest, nisi quòd sanctus

Temporis sui vitia luget Auctor.

a En locus manifestus de Purgatorio, de quo Gregorius Magnus lib. 4 Dial. cap. 39. & alii.

b Tatoni successit Ato, quem unà cum Optato Abbate Casinate Stephanus Papa II ad leniendum Aistulfum direxisse memoratur. Lege Anastasium Bibliothecarium.

c Pia sanè impudentia. Paullo enim minùs posteros interest majorum agnoscere vitia quàm virtutes: & criminum alienorum pudor, sequacibus cautio est & inchoata correctio. Eodem animo impulsus erat Chronographus Trudonianus, qui idcirco in historia Monasterii sui majorum virtutes expressit simul & vitia, ut *dum probitas seu improbitas singulorum legeretur, probi priorum exemplo accensi in melius & melius semper proficiant; improbi imaginata vitâ suâ confusi, à malis operibus suis saltem resipiscant.*


ANN. CHR. DCC XX. OCT. XI. Pater prædixit BENEDICTUS, per tonsuram & habitum nos Deo mentiri. Videmur pæne omnes ad superbiam promti, ad contentionem, ad scandalum, ad detractionem, ad mendacium, ad maledicendum, ad accusationis læsionem, ad contumaciam, ad iram, ad amaritudinem, & despectionem, ad susurrationem, ad murmurium, ad gulam, atque ad ornatum vestium sumus illecti: & ut breviter cuncta perstringamus, ea per quæ Sancti cælestia consecuti sunt regna, id est tribulationes, persecutiones, adversitates, angustias, passiones, contumelias, humilitatem, subjectionem, paupertatem odio habentes; quæ nostra sunt, non quæ alterius quærentes; falsos honores appetentes, ac per hoc invicem invidentes, invicem mordentes; quidquid ad præsens delectat, quidquid dulcedinis, tota mente requirimus, nescio per quod aliud iter, fallente nos visu interiore, à Sanctorum calle deviantes, ad vitam nos posse pervenire confidimus. Ait enim Dominus: *Arta & angusta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui intrant per eam.* Apostolus verò dixit: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Et iterum: *Si non compatimur, nec conregnabimus.* &, *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Eia, Monachi nostri, quid ad hæc dicturi sumus? aut (quod enim nefas est) Scripturam mendacem, aut nosmetipsos mendaces veraciter appellabimus. Sine via enim tendentibus labor est itineris, non profectus. Aut fortè decepti dicere poterimus (ut secundùm miseriam nostram loquar) Dominum dixisse: Beati qui induti sunt cappa, vel qui usque in horam nonam jejunant? nequaquam. dixit autem de his qui falsam religionem prætendunt: *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* De illis autem, qui beati futuri sunt, ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* &c. Intendamus qui hæc abhorremus, quibus modis in Scriptura detestantur ea quæ nunc sequi videmur. Scriptum namque est: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* &, *Qui detrahit fratri, eradicabitur.* &, *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* &, *Perdes eos qui loquuntur mendacium.* &, *Cecidit accusator fratrum nostrorum.* &, *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* &, *Væ qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt.* Tot enim mortibus digni sumus, quot his malis exemplis scandalizamus. Sed nos, ô dilectissimi Fratres, superiorum pauperum, quorum mentionem feci, exempla attendamus, ne in vacuum currere videamur. omni nisu, omni conamine, omni virtute desudemus, ut ab his quæ dixi præcipitiis educti, per iter Sanctorum incedere valeamus. Si enim unum in nobis bonum perfectè adesset, tot enumerata mala nequaquam inessent. Et quod est hoc bonum, nisi mandatum novum? *Mandatum novum*, inquit Dominus, *do vobis, ut diligatis invicem.* &, *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Qui enim diligit*, ait Apostolus, *legem implevit.* &, *Plenitudo legis est dilectio.* Ego autem dico, quia qui fratrem diligit, nequaquam detrahit, sed corrigit: qui verò detrahit, non diligit. qui autem non diligit, docente Johanne, manet in morte. Si, inquam, radix hujus dilectionis esset in nobis, omnia virtutum poma maturescerent: quia verò deest, in flore vanescunt.

S. Bened. Reg. cap. 1. — Matt. 7. 14. — Act. 14. 21. — Rom. 8. 17. — 2. Tim. 2. 12. — Ibid. 5. — Matth. 5. 3. — Iac. 4. 6. — Ibid. 11. — 1. Cor. 6. 10. — Psal. 5. 7. — Apoc. 12. 10. — Matth. 5. 22. — Ibid. 18. 6. — Iohan. 13. 34. — Rom. 13. 8. — Ibid. 10. — 1. Ioh. 3. 14.

NOTA. 19. Sed quia inducias ad corrigendum hujus temporis à pio Redemtore accepimus, agamus, ut in melius proficiamus. Non enim sufficit patrias, divitias, parentésque reliquisse, nisi nosmetipsos mortificemus. Diem ergo mortis quotidie attendamus, & in æternum non peccabimus. passiones Domini inspiciamus, & de præsentibus injuriis non dolebimus. sicque hujus exsilii iter pergamus, ut egredientes de corpore, Angelum lucis inveniamus, per quem defensi ab accusatore, illuc perveniamus, ubi Deum cuncti cum

Angelis

Angelis sine fine laudemus, ubi jam nullus erit metus mortis, nullus mæror, nullus dolor, nulla amaritudo, nulla tenebrarum caligo; sed dies æterna, dies beata: in qua qui inventi fuerint, luce solis non egebunt, qui ab ipso Agno illuminati, sicut sol, in regno Patris fulgebunt, ubi semper beati, semper gaudentes, semper lætantes, sempérque erunt cum Christo sine fine regnantes: ubi caritas in singulis regnabit, & Deus omnium in omnibus erit, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen. CIRCA AN. DCC XX. OCT. XI.



VITA S. JOHANNIS EPISCOPI EBORACENSIS IN ANGLIA,

ANN. CHR. DCCXXI. MAII VII.

Auctore (ut videtur) FOLCARDO Bertiniano Monacho.

Ex ms. Legenda Monasterii S. Gildasii de Nemore.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. JOHANNES, vir eximiarum virtutum, notissimum habet Prædicatorem BEDAM in gestis Anglorum, *inquit Vuillelmus Malmesburiensis in lib. 3 de Pontif. Eborac. De Johanne nostro pluribus locis agit Beda, præcipuè verò lib. 5 cap. 2 & sequentibus. Johannis item res gestas in unum collegit* FOLCARDUS, *non Archiepiscopus Cantuariensis, ut infrà in Appendice ad hanc Vitam legitur; sed Monachus Bertinianus, initio sæculi* XI *in Anglia degens: quod in observationibus ad Vitam S. Bertini superiùs adnotavimus. Johannes Pitseus auctor est, Folcardum librum de Vita S. Johannis unum, alterum de ejus miraculis scripsisse. Librum miraculorum reperire non licuit, librum de vita hunc ipsum esse, quem hîc ex ms. cod. Gildasiano edimus, veri simile est. De Johanne item egêre Vuillelmus Malmesburiensis Monachus loco citato, Thomas Stubbesius in lib. de Pontif. Eborac. Capgravius, Harpesfeldius & alii. Lege Vitam S. Vuilfridi suprà ad annum 709.* Vitæ Scriptores.

2. *Magna venerationi fuit apud priscos Britanniæ incolas S. Johannes. Athelstanus Rex, qui Beverlaci collegium instituit Canonicorum & reorum asylum*, adsumto S. Johannis vexillo Scotos debellasse *fertur, & in Scotia* villam *quamdam* S. Johannis *nomine appellari jussisse. Quinetiam petente Henrico V ejus memoriam ubique per Cantuariensem provinciam frequentari statuit Henricus Chichelius Archiepiscopus, uti in libro de Constitutionibus Angliæ legitur.* Sed nec modò minor est laudibus suis, *inquit Villelmus Malmesburiensis,* nec adhuc defunctus miraculis. Celeberrimum illud habetur, quòd habitatores *Beverley*, quo loci jacet, pro spectaculo soleant exhibere. Tauri ferocissimi, qui nodosissimis vinculis adstricti magno virorum fortium sudore adducuntur, statim ut cœmiterium ingressi fuerint, ita omni feritate sopita conquiescunt, ut oves simplicitate putes. *Præter natalem diem colitur etiam vir sanctus* VIII *Kalend. Novembris, quo Alfricus Eboracensis Pontifex ejus Reliquias scrinio pretioso inclusit anno* MXXXVII. Memoria.

3. *Johannes ante & post episcopatum Monachus vixit, Religiosam vestem induit in Cœnobio Streaneshalensi, teste Beda in lib. 4 cap. 23, ubi sub Hilda Abbatissa conventus erat duplex, virorum ac feminarum. Situm erat istud Monasterium in plaga septemtrionali Eboracensis agri ad Oceanum, prope urbem Dunesleiam, à Danis postea eversum; dein restitutum pro Monachis, ac Vuitebiense dictum: demúmque translatum in urbem Eboracum, indito nomine* B. MARIÆ. *Pulso Vuilfrido Eboracensi Antistite, creati sunt Episcopi duo, Bosa scilicet in Eboracensi, Eata in Hagustaldensi Ecclesia. Eatæ successit Johannes circiter annum* DCLXXXVIII, *& Bosa anno* DCCIV, *ac paullo pòst cessit Vuilfrido in sedem suam restituto: cui defuncto iterum successit anno* DCCIX *in annos octo. quibus expletis regimen abdicans, secessit in Beverlacense Monasterium ab se* Monastica professio.

ANN. CHR. DCC XXI. MAII VII.

conditum in pago Eboracensi ad Hullum fluvium: ibique post annos quatuor feliciter exspiravit. Monasterii locum Inderavvda, id est in silva Deirorum appellat Beda in lib. 5 cap. 2.

Discipuli. *4. Plures discipulos habuisse dicitur sanctus Antistes; in his venerabilem* BEDAM, BRITHUNUM *ac* WINEWALDUM *Abbates Cœnobii Beverlacensis, & SIGGAM Diaconum, viros sanctos. Bedam à Johanne ordinatum Diaconum ac Presbyterum fuisse constat ex ipsius epitome; discipulum fuisse non puto. De aliis infrà.*

Johannes Theodori discipulus, Episcopus,

1. BEATISSIMUS igitur JOHANNES Archiepiscopus, intra confinia Anglorum editus, cùm puerili adhuc pubesceret ævo, THEODORO Cantuariensi commissus est Archiepiscopo, quique illum omni probitatis more instruxit, atque sanctarum prudentiam Scripturarum docuit. Cúmque jam bene imbutus diversorum librorum esset litteris, defuncto venerabili viro EATA Episcopo, Hagustaldensis Ecclesiæ præsulatum suscepit: de quo plura virtutum miracula qui eum familiariter noverunt, dicere solent, & maximè vir reverendissimus BERCTHUNUS Diaconus quondam ejus, nunc autem Abbas Monasterii quod *Beverlic* dicitur.

muto reddit linguæ officium.

2. Quodam igitur tempore quadragesimali Episcopus supradictus magnam ad se congregare jussit pauperum turmam, quibus more solito largam tribueret eleemosynam. inter quos quidam pauperrimus est adductus, qui à sua nativitate erat mutus, atque horribili tinea [a] plenus, ut numquam pili, sed velut porcinæ setæ apparerent in cute sua. Hunc ergo adduci præcepit Episcopus, & ei in consceptis ejusdem mansionis parvum tugurium fieri, in quo manens quotidianam ab eo stipem acciperet. Cúmque una Quadragesimæ esset impleta septimana, sequente Dominica jussit ad se intrare pauperem. Ingresso itaque pauperi Episcopus linguam proferre ex ore, ac sibi ostendere jussit: & apprehendens eum de mento, signum sanctæ crucis linguæ ejus impressit, quam signatam revocare in os & in nomine Domini loqui illum præcepit. Mox ergo mutus verba inconsueta protulit, & tota die illa & nocte sequente, quantum vigilare potuit, loqui aliquid, & arcana cogitationis suæ ac voluntatis, quod numquam antea potuit, aliis ostendere non cessavit. Cujus sanitati congaudens Episcopus præcipit Medico, ut sanandæ scabiedini * capitis curam adhiberet. Fecit ut jusserat: & juvante benedictione ac precibus Antistitis, factus est juvenis limpidus vultu & loquelâ promtus, capillis pulcritudine crispis, qui antè fuerat deformis, pauper & mutus: domúmque rediit benedicens Dominum.

* al. scatr-dini

Eboracensis Archiepiscopus Sanctimonialem sanat.

3. Postquam igitur beatus WILFRIDUS Episcopus, qui longo tempore ab Episcopatu suo ejectus fuit, à Romano Concilio & à domino Papa epistolâ acceptâ in patriam revenit, & Episcopatum Hagustaldensis Ecclesiæ cum synodali Concilio recepit; sanctus Johannes in Eboracensi civitate Episcopatum accepit, & annis viginti tribus nobiliter rexit. Qui quodam tempore iter faciens ad quoddam pervenit Monasterium vulgari nomine Hunetadum vocatum, in quo Abbatissa morabatur HEREBURC [b] nomine cum Sanctimonialium congregatione. Hæc ergo Episcopo lacrymabiliter narravit quamdam Sanctimonialem ex suo grege magno vexari dolore, quoniam phlebotomata est in quartanæ lunæ [c] ætate: quam Episcopus lacrymis coactus Abbatissæ sanissimam sua fecit oratione.

a Gallicè *tigne.* Beda sic habet. *Sed & scabiem tantam & furfures habebat in capite, ut nihil umquam capillorum ei in superiore parte capitis nasci valeret. tantùm in circuitu horridi crines stare videbantur.*

b HEREBURGAM vocat Beda; additque eam Sanctimonialem *filiam* ejus *carnalem* fuisse, nomine COENBURGAM.

c Ait Beda dixisse Johannem, audisse se à Theodoro Archiepiscopo, *quia periculosa sit satis illius temporis*, nempe lunæ quartæ *phlebotomia*: *quando & lumen luna, & rheuma Oceani incremento est.*

4. Quodam etiam tempore venerandus Episcopus cujusdam militis [a] Ecclesiam dedicavit: cujus uxor tantæ ægritudinis dolore vexata fuit, ut nullo modo tribus mensibus à domo in qua jacebat portari valeret. Tunc Sacerdos ab Ecclesia priùs benedictam aquam illi transmisit: móxque ut gustavit, sana surrexit, & ad beatum Episcopum concito gradu venit; & quamdiu manducavit, tam ipsi quàm simul cum eo discumbentibus humiliter ministravit, & pro suæ sanitatis recuperatione Dominum benedixit. Alterius etiam militis hominem jam pæne moriturum idem Pontifex visitavit, sanissimúmque sua oratione reddidit.

Ann. Chr. DCC XXI. Maii VII.

a Alia edit miracula.

5. Non est, Fratres, silentio prætermittendum, quod idem sanctus vir dum quodam tempore in Eboracensi esset civitate, & in porticu sancti Michaëlis orationi vacaret devotè, Spiritus-sanctus in columbæ specie ante eum resedit super altare, radium solis vincens candore. Cúmque multi in Templo stantes mirarentur hanc lucem, unus Diaconus ad ostium cucurrit porticùs, & intrò vidit Episcopum stantem in oratione, & sancti Spiritus fulgore porticum intus inflammari velut igne; móxque facies ejus cremabatur Spiritus-sancti ardore, & cutis trahebatur in ruga maxillæ. Quod cùm sanctus Sacerdos per Spiritum-sanctum intelligeret, Diaconem ad se accersivit; & faciem ejus sua sancta manu palpans, pristinæ sanitati restituit, præcipiens ei ne hanc visionem patefaceret, quamdiu in hac vita viveret [b].

6. Quadam igitur die militibus sancti Præsulis equos suos veloci cursu probantibus, quidam Diaconus [c] Episcopo dilectus equum suum à cursu refrenare non valens * cecidit, & brachium pollicémque dextrum ita conquassavit, ut magis mortuus quàm vivus reputaretur. Quod pius Pater videns, nimio contristatus est dolore. totam noctem pervigilem duxit in oratione, & mane facto ipse infirmus surrexit sanus, & cum eo cœptum iter pergebat. Lætus quoque postea in loco qui Tinemuthum dicitur, Abbas effectus est dignissimus.

* *immo nolens.*

7. * Quodam etiam tempore dum sanctus vir *Beverlic* peteret, vas quoddam vino plenum de pariete ubi pendebat cecidit: sed vinum quod intus erat, per sancti Antistitis merita permansit illæsum, quique postea de illo vino sumsit potum.

* *desunt Bedæ quæ hic num. 7. & 8.*

8. Igitur dum quadam die ad Episcopum multa conveniret turba, ut sacri chrismatis unctionem acciperet; quemdam juvenem mortuum inter alios sacri chrismatis unctione lenivit, sicque de morte ad vitam reduxit. Similiter & dæmonem ab homine expulit, & multa alia signa per eum operatus est Dominus.

9. Vixit autem in Episcopatu triginta tribus annis [d] & octo mensibus & tredecim diebus: & postea cùm præ majori senectute minùs Episcopatui administrando sufficeret, ordinato in Episcopatum Eboracensis Ecclesiæ WILFRIDO Presbytero suo, ipse consilio sancti Brithuni Abbatis sui *Beverlic* petiit, ibíque diu in Dei servitute persistens, Nonas Maii feliciter vitam finivit, sepultúsque est in porticu [e] sancti Johannis Evangelistæ, ubi per

a Beda nomine Berthuni Abbatis loquens sic habet. *Villa erat Comitis cujusdam nomine* PUCH, *non longè à Monasterio nostro* Beverlaco, *id est duorum fere millium spatio separata*, &c. Alterum item hîc dictum militem, appellat *Comitem Addi*. de utroque infrà in Appendice.

b Istud miraculum à Beda omissum recitat Thomas Stubbesius, & Diaconum appellat SIGGAM, de quo hîc in Appendice.

c Nempe HEREBALDUS, *nunc in Monasterio quod est juxta ostium Tini fluminis, Abbatis jure præest*, inquit Beda lib. 5 cap. 6.

d Beda rotundo numero habet solùm annis *triginta tribus*, nec diem obitûs S. Johannis exprimit, sed *annum ab Incarnatione Domini* DCC XXI. Quatuor annis in Monasterio superfuisse dicitur infrà in Appendice. Secessit ergo anno DCC XVII.

e Beda habet, *in porticu S. Petri*. Folcardo consentit Appendix sequens.

ANN. CHR. DCCXXI. MAII VII. ejus merita cunctorum dolorum genera effugantur, ipso largiente qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

APPENDIX.

Ex libro incerti Auctoris de Vita S. Iohannis, tomo I Monastici Anglicani, ubi de Cœnobio Beverlacensi.

SANCTUS Johannes Archiepiscopus Eboraci natus, ut vulgò creditur in villa de *Harpham*.

Folcardus Cantuariensis scripsit Vitam D. Johannis Archiepiscopi Eboraci.

S. Johannes primus Doctor Theologiæ in Oxonia. BEDA discipulus D. Johannis.

S. Johannes fuit Eremita apud *Harneshalg* in monte Aquilæ super ripam Tinæ prope Hexam. Alfridus Rex fautor S. Johannis. S. Johannes frequentabat Oratorium S. Michaëlis prope Hexam.

Discipuli. HEREBALDUS discipulus S. Johannis comésque individuus.

BRITHUNUS postea Abbas Beverlaci, discipulus S. Johannis.

S. SIGGA Diaconus S. Johannis.

Conditio Monasterii. S. Johannes reperit in *Beverlac* Ecclesiam parochialem S. Johanni Evangelistæ sacram. Adquisitis hujus loci situ & dominio, prædictam Ecclesiam sanctam in Monasterium convertit, & Monachis adsignavit. Presbyterium, hoc est chorum Ecclesiæ, de novo ibi construxit, habente Priore Ecclesiæ S. Johannis locum in navi Ecclesiæ. Fabricavit ad australem prædictæ Ecclesiæ, Oratorium S. Martini, ubi postea Moniales collocavit. Adsociavit Monasteriis istis septem Presbyteros & totidem Clericos in navi Ecclesiæ S. Johannis.

PUCH Comes quidam habens manerium apud australem *Burton*, duobus passuum millibus à Beverlaco. YOLFRIDA filia Comitis Puch, Monialis facta apud *Beverlic*: cujus matrem liberaverat S. Johannes ab ægritudine. Puch dedit cum filia manerium de *Vualkingtone*. Yolfrida obiit III Idus Martii anno Domini DCCXLII, cujus ossa sepulta sunt Beverlaci.

ADDI Comes de boreali *Burton*, dedit borealem *Burton* cum ejusdem Ecclesiæ advocatione, Ecclesiæ de Beverlaco tempore S. Johannis Archiepiscôpi, &c.


S. Johannes relicto Episcopatu quatuor annos transegit in *Beverlac*.

Obiit BRITHUNUS primus Abbas Beverlacensis Idib. Maii, anno Domini DCCXXXIII, & sepultus juxta S. Johannem.

WINWALDUS Monachus, ejusdem loci Abbas secundus, obiit anno Domini DCCLI.

WLFETH tertius Abbas Beverlacensis obiit anno Domini DCCLXXIII. ceterorum Abbatum nomina ignota.

Anno CXLVI à depositione S. Johannis, destructum Monasterium Beverlaci à Danis cum libris & ornamentis omnibus. Monasterium *de Beverlac* mansit triennio desolatum; postea redierunt Presbyteri & Clerici ad *Beverlac*, & locum reparaverunt, &c.



TRANSLATIO RELIQUIARUM SANCTI AUGUSTINI EPISCOPI HIPPONENSIS

è Sardinia insula in Monasterium Ticinense, CÆLUM-AUREUM dictum.

ANN. CHRI. DCC XXII. FEB. XXVIII.

I. HAUD *alienum à proposito fuerit, in his Sanctorum domesticorum Actis locum dare etiam exterorum Translationibus in Monasteria nostra factis: utpote ex quarum descriptione non parum lucis accedat historiæ nostræ. Id tamen ita exsequemur, ut insigniores dumtaxat Translationes, maximè historicas referamus, aliarum commemoratione prætermissa, aut certè breviter (si quid fortè notatu dignum occurrerit) facienda.*

Petri Oldradi scriptio cur omissa.

2. *Prima id genus sit Translatio S. Augustini, clarissimi Ecclesiæ Doctoris, Hipponensis Episcopi, cujus Reliquias magna religione diu veneratus est Ordo noster, uti & mentem semper. Ejus rei historiam jussu Caroli Magni posteris mandavit* PETRUS OLDRADUS *Mediolanensis Episcopus, eámque Baronius edidit ad annum 725. Verùm quia historia illa non satis accurata est, eam recudere non visum est operæ pretium. Certè præter annorum mendas videtur non carere vitio inscriptio ipsa:* Domino Regum piissimo Carolo Magno, *&c. siquidem Carolus* Magni *cognomen nonnisi post obitum adeptus esse videtur. Proinde ex illa narratione pauca deflorasse sufficiat.*

Narrationis synopsis.

3. *Corpus S. Augustini, quod* in civitate Hipponensi, in Ecclesia S. Stephani sepultum fuerat anno CCCC XXX, deinde in Sardiniam translatum est à fidelibus & catholicis Episcopis, qui ob Christi Fidem ab iniquo Transamundo Rege unà cum Fulgentio Ruspensi Episcopo, cum innumerabilibus Christi Fidelibus in eamdem insulam relegati fuerant, quo tempore Wandali armis Africam vastabant. *Cum verò Sardiniam invasissent Saraceni sæculo* VIII, LIUTPRANDUS *Langobardorum Rex B. Augustini sepulcrum ab impiis violari graviter ferens*, PETRO Papiensi Episcopo *hortante legatos* cum magno pondere auri & argenti transmisit in Sardiniam, ut corpus tanti Sancti redimerent pretio, & transferrent quamprimùm in civitatem Papiensem. *Quod & factum est, sacrúmque corpus repositum* in Monasterio S. Petri, *quod ipse Rex* in suburbio Papiensi construxerat, cui etiam indiderat nomen Cælum-aureum. *Istius Translationis memoriam faciunt vetusta Martyrologia Usuardi, Adonis, HRabani & Notkeri ad diem* V *Kalend. Septemb. tametsi ea contigit prid. Kalend. Martii, sedente* in S. Petri sede bonæ memoriæ Gregorio ejus nominis secundo, *testante Petro Oldrado. Annum factæ Translationis* DCC XXV *signat Baronius. præfero cujusdam pervetusti Chronici auctoritatem, annum* DCC XXII *indicantis: cui sententiæ Carolus Sigonius accedit.*

Monasterii Cæli-aurei initia.

4. *Præcesserit an secuta sit Augustini Translationem conditio Monasterii Cæli-aurei, non omnino constat. Petrus Oldradus Translationem postponit, Paulus Uvarnefridi præponit. Is enim in lib. 6 de gestis Langob. cap. 48, ita scribit de ista Translatione.* Liudprandus audiens quòd Sarraceni depopulatâ Sardiniâ etiam loca illa, ubi ossa Augustini Episcopi propter vastationem barbarorum olim translata & honorificè fuerant condita, fædarent, misit eò, & dato magno pretio accepit & transtulit ea in urbem Ticinensem, ibique cum debito tanto Patri honore condidit. *Postea verò cap. 58 de Monasterio prædicto agit his verbis:* Hic gloriosissimus Rex multas in Christi honore per singula loca ubi degere solebat, Basilicas construxit. Hic Monasterium B. Petri quod foras muros Ticinensis civitatis situm est, & Cælum-aureum appellatur, instituit. *Quamquam id per quamdam recapitulationem, non habita ratione temporis, dicere videtur. nam eo loci enumerat Basilicas & loca sacra ab Liutprando instituta. Itaque probabilius est, priùs Ticinense illud Monasterium conditum ab Liutprando fuisse, quàm factam Translationem. Certè si Translatio præcessisset, Liutprandus Monasterium non B. Petro, sed S. Augustino, aut potiùs utrique nuncupaturus fuisse videtur. Et porro* S. Augustini *paullo pòst cognominatum est.*

ANN. CHR. DCC XXII. FEB. XXVIII.

Studia ibi instituta à Carolo Magno.

5. *Hujus rei testis est Monachus anonymus Sancti-Gallensis, in lib. 1 de gestis Caroli Magni cap. 1, ubi agens de duobus Scotis eruditis ex Hibernia in Galliam appulsis:* Unum eorum, *inquit*, nomine Clementem in Gallia residere præcepit; alterum verò in Italiam direxit, cui & Monasterium S. Augustini juxta Ticinensem urbem delegavit, ut qui illuc ad eum voluissent, ad discendum congregari potuissent. *Ex quibus patet, eo in loco studia litterarum à Carolo instituta fuisse. Inde prodiit* UBERTUS Sacchettus *in sedem Ticinensem, de quo sic Ferdinandus Ughellus in Italia sacra tomo 1.* Ubertus Sacchettus Abbas S. Petri in Cælo-aureo, Ordinis S. Benedicti, ad hanc sedem adlectus est anno M VIII, vixit usque ad M XXVI. *Zacharias Papa in eodem Cœnobio hospitatus est, dum Liutprandum pacis gratiâ Ticini convenit, ut Anastasius auctor est. Holstenius in collectione Romana refert Constitutionem* OTTONIS *tertii Imp. factam* anno tertio Gregorii Papæ V, *promulgatam in Synodo adversus* ARNULFUM *Mediolanensem Episcopum*, cui Papatus ablatus est in Basilica S. Petri quæ vocatur Cælum-aureum.

6. *Tandem verò ut nihil est in rebus humanis firmum & constans, Abbatia illa S. Augustini initio sæculi* XIII *cessit Regularibus Canonicis, quibus adjuncti Eremitæ Augustiniani anno* M CCC XXVII, *ut tradit Jordanus in lib. 2 de Vita Eremit. cap. 18.*



ANN. CHR. DCC XXIII. MARTII XIX.

VITA V. BENIGNI ABBATIS FONTANELLENSIS, PIETATE INSIGNIS,

ubi de MILONE & BAGGA Monachis piis.

Ex Chronici Fontanellensis cap. 3 & seqq.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Sancti Fontanellæ sæculo 8.

1. *X sanctis piisque viris Monasterii Fontanellensis, quos recensuimus in Observationibus præviis ad Vitam S. Wandregisili Sæculo 2, ad Sæculum tertium retulimus* WLFRAMNUM, BAINUM, HUGONEM, LANDONEM, RAVENGERIUM, HERMENLANDUM, BENIGNUM, WANDONEM, AUSTRULFUM, GENNARDUM, ERINHARIUM, MILONEM *&* BAGGAM. *SS. Vulframni & Hermenlandi Acta superiùs edidimus: de aliis agendum inferiùs, hîc verò de venerabili* BENIGNO *Abbate, déque* MILONE *&* BAGGA *Monachis, quorum gesta res ex Chronico Fontanellensi repetenda.*

Chronici Auctor.

2. *Istius Chronici Auctor, Monachus Fontanellensis, principatu Ludovici Pii scriptioni suæ dabat operam. Id patet tum ex gestis Abbatum, quæ desinunt in Ansegiso; tum ex variis Chronici locis, in quibus Auctor ætatem suam indicat. unum aut alterum proferre fuerit satis. In cap. 10 in editis, quod 11 esse debet, agens de Widone Abbate cæso anno* DCC XXXIX, Hæc, *inquit*, ex relatione cujusdam Patris, qui ipsum videre potuerat, didici. *& cap. 12, sive potiùs 13, ubi de Wandone Abbate qui* Cœnobii *regimen adsumsit anno* DCC XLII, sicut relatione cujusdam venerabilis senis didici, qui tunc temporis in hoc degebat Monasterio. *Denique ante direptionem Monasterii sui à Nortmannis factam vivebat Auctor ille, gravis quidem, nisi quòd subinde temporis annorúmque seriem interturbat. Ejus erratis etiam alia immiscuêre librarii. Exstat Chronicon istud tomo 3 Spicilegii, unà cum Appendice alterius Auctoris.*

Benigni memoria.

3. *Benignus Abbas nullo ecclesiastico ritu colitur in Cœnobio Fontanellensi, uti nec Milo & Bagga: tametsi Benigni (ut putant) Reliquiæ in theca lignea super altare majus repositæ adservantur. Neque verò ulla eorum mentio in Fastis Benedictinis Gallicanísve, seu in Breviario Fontanellensi edito jussu D. Claudii de Pictavia Abbatis sæculo proximè elapso. Et tamen in Martyrologio Lucensi recens edito adscripta reperitur* depositio S. Wlframni Episcopi, & Benigni Abbatis in Fontanella, *item in apographo Blumiano, ut observarunt socii Bollandiani: utrubique verò* Benigni *nudum nomen. Satius proinde visum est Benigno, Miloni & Baggæ dare nomen inter Pios quàm inter Sanctos: cùm aliàs ubique in Chronico absque nomine* Sancti *aut* Beati *exprimantur. Benignum hîc Venerabilem appellabo. nam etsi virum fuisse sanctum haud dubitem, religio tamen est eum aut quemvis alium hoc vocabulo censere absque idonea auctoritate.*

1. BENIGNUS Diaconus & Monachus, à patre nomine MAURINO editus, matreque INGA, ordinatione divina adsumit Cœnobii curam ab anno decimo-sexto HILDEBERTI Regis, qui erat annus tertius Johannis Papæ suprà jam taxati, dominicæ verò Incarnationis septingentesimus septimus [a], Indictione quinta. Tenuit hujus Monasterii curam pastoralem per quatuordecim curricula annorum. Anno autem ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI septingentesimo & decimo-sexto jussu Ragenfredi Majoris-domus, sive potiùs (quod verius est) tyranni, de regimine Monasterii projicitur, & WANDO Monachus filius BALDRICI ejus in loco subrogatur per annos tres. — ANN. CHR. DCCXXIII. MART. XIX.

2. Eodem denique anno venit RADBODUS dux Frisonum navali ordine usque Coloniam urbem: contra quem CAROLUS sagacissimus Exarchus bellum instauravit. Sequenti quoque anno, id est dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo-septimo, Indictione decima quarta, actum est bellum plusquam civile inter Carolum Exarchum & RAGENFRIDUM in Tartam in die dominico, in loco nuncupante Vinciaco, XII Kal. Aprilis, dies XV [b] ante sollemnitatem sancti Paschæ, qui erat primus annus Gregorii secundi Papæ, qui nonagesimus primus à B. Petro Apostolatum ejusdem tenuit urbis. Nam in præfato prœlio Wando cum Ragenfrido & Hilperico Rege interfuit. Benignus verò Diaconus partibus Caroli favebat. Cúmque post actam cædem Ragenfridus cum Hilperico fugam arripuisset, tandem post multiplicem fugæ lapsum ad Noviomum [c] hujus nostræ Ecclesiæ villam perveniens, Wandonis equum, quem ibi in pasto constitutum reperit, extemplo adsumsit, atque cursu rapido ad portum, qui vocatur Devenna, penetravit. Illic namque transmisso Sequana ad Andegavis urbem aufugit. insequebatur enim à Caroli satellitibus. Cùm verò comperisset Carolus à sibi dicentibus, quòd scilicet Raganfridus per equum Wandonis aufugisset, jussit eum ilico de Cœnobii hujus regimine projici, & in Trajecto castro exsilio trudi, quod antiquo gentium illarum vocabulo *Vviltaburg*, id est opidum Wiltorum vocabatur; nunc verò lingua Gallica Trajectum * nuncupatur. Benignus denique rursum regiminis hujus Cœnobii sortitur gradum per annos quatuor, id est usque ad annum Theodorici junioris Regis tertium, qui erat dominicæ Incarnationis septingentesimus vigesimus tertius. Hujus Benigni Abbatis propinquus S. GENNARDUS Vicedominus Ecclesiæ Rotomagensis, & Abbas Cœnobii Flaviacensis [d] exstitit: qui post recessum ipsius Gennardi, Flaviacensis Cœnobii factus est Rector. — * *Vtrech*

De MILONE *Reclauso.*

3. SUB hujus denique administratione quidam paterfamilias, nomine ROTHMUNDUS, ob gratiam vitæ contemplativæ mundani fugiens culmen honoris, ad conversionem venit cum filio suo nomine MILONE: ambóque comam capitis sibi deponentes, effecti sunt milites Christi. Sed — *ex cap.* 4.

a Immo DCCX, ex quo corrigenda Indictio, & loco Johannis Papæ reponendum nomen Constantini, cujus annus tertius coincidit cum Childeberti anno XVI. Mendum etiam infrà irrepsit in annos Gregorii, qui ab anno DCCXIV sedem iniit. Benignus proinde annos omnino quatuordecim Fontanellæ præfuit, computato etiam triennio, quo Trajecti exsulavit.

b Hinc corrigendi Annales Fuldenses, qui prœlium istud referunt ad Dominicam Palmarum. Certè eo anno Pascha incidebat pridie Nonas Apriles. Locus pugnæ in continuatione Chronici Fredegarii dicitur *Vindiciacum in pago Cameracensi.*

c Erat ergo hæc villa haud procul à Fontanella & Sequana. an Noviomus, *Noyon*, vicus ad Andelam amnem? non longè à ponte Arcuato, *Pont de l'Arche*, qui forsan hîc *portus Devenna*.

d De Cœnobio Flaviacensi seu S. Geremari dictum est in Actis ipsius S. Geremari Sæculo 2 ad ann. 656.

Ann. Chr. DCC XXIII. Mart. XIX. postea Milo licentiam expetiit à prædicto Patre Benigno, ut licitum sibi foret Anachoritarum more solitariam vitam ducere. deinde verò ad locum accedens, qui hodiéque Milonis crypta per metonymiam dicitur, in rupe altissima super ripam alvei Sequanæ, rupem eamdem excidens, mansiunculam sui voti condignam sibi constituit, quæ viginti homines fere capere videretur: ibique aëreas dæmonum turmas fortissimo Christi umbone repellens, infatigabilitérque agonizans, feliciter Domino militavit. Mater verò ejus nomine Wisla, Mater Logensis [a] Cœnobii in sancto proposito effecta, quæ præcipua fuerant in eodem Monasterio ornamenta ipsa tribuit, necnon & prædia plurima adquisivit. Præfatus verò Rothmundus, ac religiosus famulus Christi Milo, tempore conversionis suæ largiti sunt huic Cœnobio patrimonia duo, id est Offiniacas & Bettonis-curtem, sita in pago *Tellau*, anno videlicet tertio Dagoberti junioris Regis, qui erat Pippini senioris Ducis vigesimus sextus, Incarnationis autem Domini Salvatoris nostri Jesu-Christi septingentesimus tertius-decimus.

4. Erat autem præfatus miles Domini Milo Presbyteratûs ordine, quem bonis clarísque actibus adornabat, decoratus. Habebat namque sub rupe Ecclesiolam constructam, in qua hostiam victimæ salutaris Domino immolabat. Usquehodie verò cernuntur vestigia ejusdem ædificii, in quo Basilica illa constructa fuit. Monstrantur nuncusque arbusta in latere montis ejusdem rupis, ac vitiferæ arbores, quas ipse propria manu terræ inseruit, necnon & plantæ seu vites vineæ, quam ipse etiam plantavit, ac dum ibi philosopharetur excoluit. Secundùm dictum namque Psalmistæ, laboribus manuum suarum vivere satagebat, ut ei bene esset, ac finito mundi cursu videret bona in Hierusalem. Idcirco autem de eo ista tentavi memoriæ mandare, quoniam de eo multiplex opinio bonæ vitæ per plurimos ad me perlata est. Audivi nempe narrantem quemdam venerabilem senem, qui ab eo didicit qui ipsum Milonem multo tempore vidit, quòd fuisset staturâ procerus, vultúque angelicus, calvitiem habens capitis venerandam. In ipsa namque crypta bonis operibus insistens, ac retruso ordine vitam irreprehensibilem ducens; mentem ad cælestia desideria semper intendens, paupertie valde gaudens, ibidémque præsentis vitæ debitum complens, spiritum Deo reddidit felicitati perenni conjungendum. Cujus corpus in Ecclesia B. Apostoli Pauli advectum, sicque sepulturæ est traditum. Ferunt namque nonnulli, quòd ante portam Logensis Cœnobii se jussisset tumulari, atque ibidem humatus teneatur: sed ut ego à veracibus senioribus didici, commodius fore arbitror, ut ubi Monachus extitit, illic etiam sepultus teneatur. Credo tamen, quòd ubicumque ossa teneantur sepulta, anima fruatur gaudiis sempiternis. Hæc quidem veluti auditu didici, ac in scriniis privilegiorum nostri Cœnobii reperi, de Milone Reclauso seu Anachorita dicta sufficiant.

Auctoris ætas & fides.

De Bagga *Monacho & Presbytero.*

ex cap. 5.

5. Opportunum præterea videtur, ut hoc in loco quæ à pluribus venerabilibus viris de bonæ recordationis Bagga hujus Cœnobii Monacho ac Presbytero didici, quoniam sub hujus Patris regimine ad Dominum migravit, inserere non omittam. Hic etenim sanctæ conversationis vir ex Britannia Oceani insula Saxonico ex genere ortus, hoc advenit

[a] Istud Partheneium jamdudum eversum, situm erat ad Sequanam, uti observavimus ad Vitam S. Balthildis Sæculo 2 ad ann. 680.

Cœno-

Cœnobium, ad plurimum temporis regulari ordine vitam irreprehensibilem gessit. Ita namque in omnibus mandatis divinis se exercere satagit, ut cunctis Christi famulis hoc in Cœnobio consistentibus imitandus appareret. Hic itaque explicitis dierum suorum curriculis, quo jam in aula cælesti dignus reciperetur heres, parva correptus ægritudine decubuit; nec multò pòst corpore solutâ animâ, perenni particeps factus est felicitati. Contigerat denique, ut in ea hora, qua ipse Christi famulus rebus excessit humanis, prædictum egregium Patrem Benignum in Ecclesia minister reperit. Cúmque diutiùs in precibus persisteret, isdem minister propiùs accessit, extemplóque prædictus Pater indicare sibi aliquid velle persensit: surgénsque ab oratione sciscitatur quid quæreret. At ille: Frater, inquit, Bagga consortiis subtrahitur humanis. At venerabilis Pater longa ex imo pectoris trahens suspiria, talia infit: O signifer fortissime Christi militiæ Bagga, nunc mercedem laborum lætus accipis tuorum. deprecare ipsum benignum Dominum, ut unà tecum mereamur gaudere consortiis Justorum per ævum. Unde haud dubium est, eidem Patri divinitus, cùm in oratione consisteret, revelatum fuisse, ut & spiritum illius cælos penetrantem aliqua ex parte mereretur adspicere, qui ita auxilium ipsius flagitabat in prece. Denique more mortuorum compositus digno in loco sepulturæ mancipatus est. Magna enim copia in hujus Patris administratione nobilium virorum hoc in Cœnobio exstitit.

ANN. CHR. DCC XXIII. MART. XX.

De Arelauno silva.

6. HUIC Benigno Abbati largitus est DAGOBERTUS Rex junior quartam partem de Arlauno foreste, anno quinto regni sui, suggerente THEOBALDO [a] Majore domûs regiæ, per loca designata, id est per Quincionem montem, deinde per Petrosam vallem, & exinde per profundam vallem, necnon etiam per Mortuam-vaccam. Aliæ verò terminationis fines sunt, à termino Iccinse de valle Tabellis per illum locum qui vadit ad locum, qui nuncupatur Caput-caballinum, inde ad illam salsosam cisternam quæ dicitur Sarconos, indéque ad Tenebricam valliculam ad dexteram manum per verticem montis usque ad profundam vallem, quæ dicitur Mortua-vacca. deinde per Casalis usque ad fines Bovaricenses in dextera per summum illius pigatum exsartum usque ad fines Glaccolinses. Deinde per illum mansionilem qui vocatur Pomaritus infra ipsam forestem Arlaunum, & est per loca designata, hoc est de uno latere bracus, sive vallis quæ dicitur Dirginis, usque ad eum locum qui dicitur Petra-ficta, & ipsum mansionilem ad pratum faciendum. deinde ad Petram-fictam secus primam viam publicam quæ dicitur ad Vospontes, & ad bracum, quæ dicitur Bricilone. deinde etiam secus illum bracum qui dicitur ad Castellum-Luporum, qui est super illum bracum anteriorem Dirginis. Hæc quidem largitio licèt ab isto Rege sit firmior edita, ab antecessore tamen suo glorioso Rege Hildeberto maxima pars concessa jam fuerat decessori istius Benigni Abbatis almæ recordationis Baino Episcopo. Edita est autem hæc donatio sive confirmatio à præfato Rege Dagoberto anno Incarnationis dominicæ septingentesimo quinto-decimo, Indictione decima-tertia, quinto Iduum Juniarum, die dominica. Eodem anno ipse Dagobertus Rex mortuus est. quo tempore terra Hattuariorum [b] à

ex cap. 8.

[a] Is est Theudoaldus, qui Grimoaldi æquè Majoris domûs filius fuit. à Dagoberto è Neustria pulsus, Ragenfredo substituto anno DCC XV.

[b] Hattuarii seu Chattuarii populi, Saxonibus finitimi, trans Rhenum incolebant ad dexteram fluvii ripam.

ANN. CHR. DCCXXIII. MART. XX. Saxonibus depopulata est: sed ipsi non multò pòst dignas suæ perfidiæ pœnas à Francorum populis perpessi sunt, eorúmque terra usque Wiseram * fluvium incendiis, rapinis, interfectionibus attrita est.

* le Vveser

De muneribus ac rebus Benigni Abbatis.

ex cap. 7.

7. HIc dimisit in Ecclesia beati Petri calicem aureum, qui pensavit libras quinque, & patenam ejus pensantem libram unam. de rebus verò Cœnobii nil minuit, immo augmentare studuit. Denique ex propria hereditate contradidit huic Cœnobio Sennam & Maronis-cisternam, possessiones sitas in pago Caletinse *; similiter Bisagum, qui est in pago Rotomagensi; Sivagum etiam & Limitium, quæ sunt in pago Velocasino; Maris & Waldeberti-villare, patrimonia quæ sunt sita in pago Aurelianensi; Onadonem & Caraciagum, prædia posita in territorio Andegavo; Condatum etiam patrimonium, quod est in pago Oximo; Crisciacum, Salaciagum, Saviniacum, Captialonnum, & Magalonnum, quæ sunt in pago Santonico; Agannagum, Bonelum, Andiagum, Vodertam, Aguintum, Ambariago, Riveram, prædia quæ sunt sita in pago Engolismensi. Sunt possessiones viginti duæ, pagi septem. de quibus tertiam partem largitus est, id est de unaquaque. Edita est hæc largitio à prædicto Benigno quarto anno, regnante Hildeberto [a] Rege, die XIII Kalend. Februarii.

* de Caux

8. Hic Benignus Abbas evindicavit contra BERTHARIUM Comitem villam quæ vocatur Montecellus, quæ est sita in pago Oximensi, coram Carolo Majore domûs, mediante Advocato suo nomine Roberto: in quo Conventu interfuerunt hi Episcopi, EBBO [b], BALDOINUS, & MILO; seu alii illustres viri & Comites, TEUDERICUS, ROTGARIUS, ANGINULFUS, & HAREGARIUS. Celebrata est hæc evindicatio anno tertio, regnante Theodorico juniore Rege, XIV Kal. Augusti, Tulpiaco * castro.

* Zulch

9. Anno quinto regnante Dagoberto juniore Rege, quidam Presbyter, nomine Leutbertus, vir valde dives, contradidit eidem venerabili Patri prædium, quod vocatur Bodardi-villa, situm in pago *Vvimnau*, in quo ipse Leutbertus Ecclesias ædificavit, necnon & locella alia, id est Taunaco, Luneraco, Frolinas, seu Gressus, etiam & Duno, & Archarium villam in pago Velocassino. Unde statim privilegium confirmationis à prædicto Rege editum accipere curavit, quod adhuc in scriniis nostri Cœnobii reconditum retinetur.

10. Eodem anno quidam homines nominibus his, Gunthardus, Almedius, Aiga femina, largiti sunt possessiones has in pago Ebroïcino *, Agmaro, & Horma, & Maceriolas, & Spanga, & Haretone, cum omnibus adjacentiis suis, sitas super fluvium Ittonem *. Huic Benigno Abbati largitus est Benignus item Monachus senior, frater Gennardi, mansum in Magaciaco villa, quæ est in pago Velocassino, cum vineis & mancipiis, quem ei dederat Ragenfridus, Major domûs quondam. Item quidam homo nomine Gislehardus Montecellus villam cum adja-

* d'Evreux

* l'Itton

[a] Carolus Cointius ad ann. 715 putat hoc loco reponendum esse Dagoberti nomen, eo quòd Benignus Childeberti principatu Fontanellæ non præerat, sed Hildebertus Abbas. At retinendus mihi videtur Childebertus, quo regnante Benignus Monachum Fontanellæ professus est Hildeberto Abbate, básque donationes fecit, uti & Vvando cap. 12 in editis, quod 11 esse debet.

[b] Is est S. Ebbo Senonensis Archiepiscopus, Baldoinus incertæ, Milo usurpatæ Trevirensis Ecclesiæ Episcopi.

centiis suis Meriliaco, Nervimaco, Ciriliaco, sitam in pago Oximensi in centena [a] Noviacense, anno secundo Dagoberti Regis. ANN. CHR. DCC XXIII. MART. XX.

11. Anno decimo-sexto Hildeberti Regis quidam paterfamilias, Litor nomine, Primiaco decimo die Mensis Julii in pago Madriacense largitus est. Eodem anno Ermingus Clericus partem contulit de Brinniaco VIII Kal. Julii, in quo conventu interfuit vir Deo dilectus BAGGA Presbyter Saxonici generis.

12. Anno decimo-septimo ejusdem Regis Ebrinus partem de Gentiaco ac Fontanas contradidit. Nam & fratrem suum nomine Eodonem istinc Clericum habebat.

13. Anno primo Dagoberti juvenculi Regis Ermoaldus Summacianna, X Kal. Martii. anno secundo Erinnulfus Roccolinilutum, sive Berlinicurtem, & Mancicum. anno tertio Gaugia femina Saciacum sive Dignum super fluvio Audura *; item Landas. anno quarto partem de Tertiaco & Arbrandovillari Erinfridus. item Monticellus in centena Nantsanninse Erchemfridus anno quinto Aganulfus partem in Fransariis viciniis Gressus, & quidam Waddo in Colnicio. Decessit XIII Kalend. Aprilis [b].

* l'Evre

[a] Id est Centuria seu pago tractûve, qui centum vicis constabat. Lege Glossarium Spelmanni. *centena Nantsanninsis* infrà.

[b] Et quidem anno DCC XXIII, ex num. 2. Ejus Reliquiæ in capsa lignea Fontanellæ asservari dicuntur, ereptæ proinde furori Calvinistarum, qui duce Gabriele de Monte-gomerico sacras thecas spoliarunt, Reliquiis in ignem projectis.



DE S. MILBURGA VIRGINE

WENLOCHII IN ANGLIA:

Déque ERMENBURGA seu DOMNENA ejus matre, & sororibus MILDREDA & MILGIDRA.

CIRCA AN. DCC XXIV. JUNII XXV.

1. *VT Britannia insula diversis paruit Regibus, ita plurimos aluit liberos regiæ stirpis: è quorum numero non pauci, spretis sæculi deliciis, Christi jugo se subdiderunt. De Regibus qui ad castra nostra per istud tempus adjuncti sunt, agemus in Ceolfrido Rege. Puellarum regiarum, quibus idem animus fuit, numerus iniri vix potest. Plures nobis repræsentat liber de Vita S. Ethildritæ Sæculo 2 à nobis editus. hoc verò ac sequenti articulo exhibemus illustriores feminas, quæ Sæculo 3 æra Benedictinæ floruerunt. Exordium ducimus à S. MILBURGA, de cujus parentibus quædam præmittenda sunt.*

2. MILBURGA *patrem habuit* MEREWALDUM *Merciorum Regem, matrem* ERMENBURGAM *seu* Domnenam, *nam binominis erat; sorores* MILDREDAM *&* MILGIDRAM, *quibus unicus frater* MEREWINUS. Wlferus Pendæ filius, *defuncto Peada*, Merciorum Regnum capessit anno DC LVII, obiit *verò* anno DC LXXV, *uti legitur in Chronologia Saxonica. Is auctore Thoma Eliensi Monacho in libro de gestis S. Ethildritæ*, famosum illud Monasterium *Medehamstede*, nunc *Burch* vocatum, possessionibus & ornamentis multum ditavit per Sexulfum, qui primus Abbas & fundator loci ejusdem, ac postea Episcopus Merciorum sub eodem Rege exstitit. *Sic restituendus hic locus, nonnihil corruptus in editis Sæculo nostro 2.* Milburgæ parentes.

CIRCA AN. DCC XXIV. JUNII XXV.

Exſtat iſtius dotationis charta in tomo 1 Monaſtici Anglicani, ubi de Monaſterio Petroburgenſi, data anno Domini DCLXIV, Wlferi Regis ſeptimo, *in qua memorat* beatiſſimas ſorores ſuas Kineburgam & Kineſwidam, quarum, *inquit*, prior Regina mutavit imperium in Chriſti ancillatum, præſidens Monaſterio Kineburgenſi, quod ſuo nomine decoratur; altera illibata virginitate in divinum flagrat talamum. *Audiendus iterum Thomas Elienſis de Vulfero loquens in hæc verba:* Cujus Regina, *id eſt uxor* Ermenilda, Cantuariorum Regis Erconberti & Sexburgæ Reginæ filia, peperit ei magnarum virtutum virginem S. Werburgam, quæ patre defuncto ſæculo renuntiavit, & habitum ſanctæ converſationis ſuſceptura, genitricis ſuæ materteræ, beatæ videlicet Etheldredæ Monaſterium intravit, ubi Deo operante multa patravit miracula. Fuerunt autem germani Regis Wlferi, Etheldredus, qui poſt eum ſceptra Regni gubernavit. alius Peda qui auſtralium Anglorum Regnum tenuit, ſed ſuæ conjugis proditione in ipſo paſchalis feſti tempore peremtus eſt multùm nefariè. tertius Merewaldus qui in occidentali plaga Merciorum Regnum tenuit: cui Regina ſua S. Ermenburga, Regis Ermenredi filia, peperit tres filias, S. Milburgam, S. Milgidram, & S. Mildridam; unúmque filium Merewinum nomine, eximiæ ſanctitatis puerum. *Hæc Thomas in libelli jam citati cap. 17.*

Mater.

3. ERMENBURGAM, *quæ & nonnumquam* Erburga *per contractionem dicta, etiam* Domnenam *fuiſſe appellatam probant in primis Simeon Dunelmenſis Monachus in libro de geſtis Regum Anglorum, & Vuillelmus Thornus in Chronico. qui uterque Auctor commemorat, ut Egbertus Cantuariorum Rex, ob cæſos nepotes ſuos Ethelredum & Ethelbritum, Domnenæ fratres, tradiderit ipſi Domnenæ* locum in Thaneto, ubi poſſet Monaſterium ædificare pro fratrum ſuorum memoria, & Regis indulgentia impetranda. Mulier verò ſanctæ virtutis, *inquit Simeon*, virtutis amica ac Deo valde electa, in hac inſula Eccleſiam almæ Dei genitricis MARIÆ perpetuæ virginis, in memoria innocentum Chriſti Martyrum fratrum ſuorum conſtituit, filiámque ſuam bonæ indolis virginem Mildridam appellatam, eccleſiaſticis in tranſmarinis partibus diſciplinis eruditam, poſtmodum ibi conſtituit cum ſeptuaginta Sanctimonialibus à ſancto Archiepiſcopo Deuſdedit conſecratis, inibíque congregatis. *Thornus rectiùs habet, eas conſecratas fuiſſe à Theodoro, ſignátque* Kalam *Galliæ Monaſterium, in quo Mildreda monaſticis imbuta eſt diſciplinis.* quam illuc, *ait*, advenientem Abbatiſſa ejuſdem Monaſterii, cujus nomen WILCOMA, eam ſuſcepit cum honore. *Dein recitat factum ejuſdem Abbatiſſæ, quæ Mildredam* in ardentem clibanum *projici fecerit, quòd cuidam ejus propinquo nubere recuſaret. Hæc aliáque id nugarum genus refellere non vacat. Si tamen Vuilcoma umquam Kalæ Parthenoni præfuit, ea eſt addenda vulgatis indicibus Kalenſium Abbatiſſarum. Mildreda ſepulta eſt cum matre ſua Domnena, cujus felicem exitum prædicat Simeon. Edburga Thanetenſis Abbatiſſa, quæ Mildredæ ſucceſſiſſe dicitur apud Thornum, Eccleſiam condidit in honorem Petri & Pauli uno miliario à Monaſterio,* in quam poſt aliquot annos tranſtulit corpus B. Mildredæ, totum integrum & incorruptum, & illud ad partem aquilonalem in feretro collocavit. *Poſtmodum S. Mildredæ corpus Cantuariam in Eccleſiam S. Auguſtini tranſlatum eſt, uti legitur tum in Monaſtico Anglicano, ubi de Cœnobio Thanetenſi, tum in hiſtoria tranſlationis S. Auguſtini, referenda in Benedictino Sæculo 6.*

Soror Mildreda.

Milburgæ geſta & obitus.

4. *Milburga verò in Parthenone Vuenlochenſi ætatem exegit. Audiendus Vuillelmus Malmesburienſis Monachus in libro 4 de Pontificibus Anglorum, agens de Epiſcopis Herefordenſibus.* In ea diœceſi ſunt duo Cœnobia, apud

Schrobesberiam & Wenloch. Apud Wenloch fuit antiquissima Sanctimonialium habitatio, ibique beatissima Milburga soror S. Mildredæ, neptis Pendæ Regis Merciorum ex filio, transegit vitam & sita est. *Istic à quodam Proco quæsita ad matrimonium fertur apud Capgravium, at fugiendo, intumescente amne Corf, evasisse. Hæc anseres silvestres jussu ab agro suo abegisse, & filium viduæ exanimem suscitasse dicitur: ac demum* migrasse ad Christum VI Kal. Julii, *anno incerto.* CIRCA AN. DCCXXIV. JUN. XXV.

5. *Ejus corpus apud* Wenloch *requievit usque ad tempora Normannorum. Sed* post eorum adventum dum nescitur locus sepulcri, aliquamdiu oblivioni data est. Nuper verò adunato ibi conventu Monachorum Cluniacensium, dum inchoata novi templi machina quidam pavimentum concitaciùs cursitaret, effractâ mausolei foveâ, perpalam corpus virginis fecit. Tunc balsamici odoris aura per Ecclesiam spirante altiùs levatum tot miracula præbuit, ut catervatim eò populorum undæ confluerent. Vix patuli campi capiebant agmina viatorum, dum æquis umbonibus dives & mendicus se agerent, cunctos in commune præcipitante fide. Nec cassum eventum res habuit: adeo ut nullus inde nisi exstincta vel mitigata valetudine discederet, nonnullósque regius morbus, Medicis sanè incurabilis, per merita Virginis relinqueret. *Hæc Vuillelmus in lib. 2 de Regibus Angl. cap. 13. Lege Henschenium in Februario Bollandiano ad diem 23, quo in nonnullis Martyrologiis celebratur, tametsi natalis dies incidat in* VII Kal. Julii, *Translatio in* VII Kal. Junii anno Christi MCI. Translatio.



DE S. CUTHBURGA REGINA

CIRCA AN. DCC XXIV. AUG. XXXI.

ET ABBATISSA WINBURNENSI IN ANGLIA,

ubi de COENBURGA, EADBURGA, & TETTA Abbatissis.

1. CUM *exigui momenti sint ea quæ de S.* CUTHBURGA *refert Capgravius, juvat probatos consulere Auctores, si qua sanctæ Reginæ gesta apud eos reperire liceat. Et primò quidem agendum de* S. Cuthburga *& Parthenonis Vuinburnensis primordiis: tum de S.* COENBURGA *ipsius sorore; postea de SS.* EADBURGA *&* TETTA *Abbatissis ejusdem Cœnobii, ex quo S.* LIOBAM *Sanctimonialium Germanicarum antesignanam prodiisse videbimus.*

2. *Venerabilis Beda in historia gentis suæ intactam prætermisit S. Cuthburgam, de qua sic loquitur Vuillelmus Malmesburiensis Monachus lib. 1 de Regib. Angl. cap. 2.* Habuit sanè Ina, *Rex occidentalium Saxonum,* sorores CUTHBURGAM & QUENBURGAM. Cuthburga ALFRIDO Regi Northanimbrorum nuptui tradita; sed non post multum conjugio diducto, primùm apud Berkengum *in agro Londoniensi* sub Abbatissa HILDELIDA; mox ipsa magistra Regulæ, Winburnæ Domino placitam vitam transegit. *Quid causæ fuerit, ut Cuthburgam inviolatam dimiserit Aldfridus, non facilè adsequi possumus. Capgravius id tribuit orationi conjugis, quæ facilem mariti animum verbis suis impulerit ad mutuam continentiæ professionem. Sanè Aldfridus religiosus Princeps haud ab illis studiis alienus erat.* Virum in Scripturis doctissimum *appellat Beda lib. 4 cap. 26.* Is quia nothus erat, *inquit Vuillelmus libri citati cap. 3,* factione Optimatum, quamvis senior, Regno indignus æstimatus, in

Cuthburgæ genus & virginitas in matrimonio cum Aldfrido Rege,

Circa An. DCCXXIV. Aug. XXXI.

Hiberniam seu vi, seu indignatione secesserat. Ibi & ab odio germani tutus, & magno otio litteris imbutus, omni Philosophia composuerat animum. Quocirca post Egfridi fratris mortem Imperii habenis habiliorem æstimantes, qui quondam expulerant, ultro expetiverunt: necessitas medelam ad preces refudit. Nec eos ille spe sua frustratus est. nam per decem & novem annos summa cum pace & gaudio præfuit, nihil umquam præterquam in persecutione magni Wilfridi quod livor edax carpere posset admittens. *Cum Vvillelmo consentit Venerabilis Beda in exsilio Aldfridi apud Hiberniam, dum in libro de Vita S. Cuthberti cap. 24 tradit, Cuthbertum Egfridi Regis morte prænuntiata innuisse successorem Aldfridum*, qui ferebatur filius fuisse patris illius, Oswii scilicet patris Egfridi; & tunc in insulis Scottorum, *id est in Hibernia*, ob studium litterarum exsulabat. *Differt verò Beda à Vvillelmo, quòd Osvvio Northumbrorum Regi præter Egfridum duos adsignat filios fere cognomines, unum* ALCHFRIDUM *legitimum & qui cum patre regnaverit, in hist. lib. 3 capp. 23, 24, 25, & 28;* & Kineburgam filiam Pendan Regis Merciorum conjugem habuerit *lib. 4 cap. 26. alterum* ALDFRIDUM *putatitium filium, qui nonnisi post Egfridi fratris necem principatum adeptus est lib. 4. cap. 21, & Cuthburgam desponsatam habuit. Deinde Alchfrido Vvilfridum tribuit præceptorem Beda lib. 3 cap. 25; Aldfrido Scottos seu Hibernos præceptores, ex dictis. Ad hac Alchfridum Vvilfridi ordinationis Episcopalis auctorem, uti & sacerdotalis, lib. 3 capp. 25 & 28; Aldfridum expulsorem facit lib. 5 cap. 21. Denique Alchfridus, teste Beda in Vita S. Cutberti cap. 7, locum ædificando HRipensi Monasterio concessit Eatano, & Biscopo Romani itineris comes fuisse memoratur in Vita Biscopi lib. 1 num. 2. Aldfridus verò* terram trium familiarum Biscopo *largitus est, ibid. num. 9, nec umquam Romam accessisse fertur. Ex his omnibus duo conficimus. unum, Osvvio Northumbrorum Regi filios quatuor fuisse, nempe* ALCHFRIDUM *vivente patre Regem, eodémque (ut suspicari licet) superstite mortuum;* EGFRIDUM, *qui patri successit anno* DCLXX, *testante Beda lib. 4 cap. 5; &* ALDFRIDUM *nothum, qui Egfrido mortuo Regnum iniit anno* DCLXXXV. *lib. 4 cap. 26. quibus addendus* ELFWINUS anno regni Ecgfridi nono occisus, *lib. 4. cap. 21 Alterum, corrigendos esse Henricum Huntindoniensem lib. 4, & Iohannem Bromtonem in Chron. qui Cuthburgæ* Egfridum sponsum *pro* Aldfrido *supponunt. De S. Ina Rege Cuthburgæ fratre dicemus infrà ad ann. 730.*

(Margin: alio ab Alchfrido Rege.)

(Margin: Cuthburga Monacha Berkingensis,)

3. *His ita expositis, de monastico Cuthburgæ instituto agendum est. Cuthburga* non multo post conjugium, *ut superiùs vidimus*, primùm apud Berkingum sub Abbatissa Hildelida *Religiosam vivendi normam amplexa est. De Berkingensi Cœnobio dictum suprà in Elogio S. Hildelitæ ad ann. 717, ubi etiam nonnulla de S. Cuthburga notavimus: scilicet eam fuisse unam ex illis Sanctimonialibus Berkingensibus, quibus Aldhelmus librum de Virginibus nuncupavit.*

(Margin: Vvinburnēse Monasteriū cōstruit,)

4. *Post aliquot annos quàm in Berkingensi Parthenone piè vixerat Cuthburga, de condendo Vvinburnensi Monasterio cogitare cœpit, eandémque disciplinam quam in illo didicerat, in hoc etiam instituit. Vvinburnensis Cœnobii primordia Monasticum Anglicanum non bene revocat ad annum* DCCXV. *rectiùs ad annum* DCCV *retuleris. Siquidem Aldhelmus ipso anno factus Episcopus Schireburnensis, anno insequenti epistolam scripsit de libertate propriæ electionis, omnibus congregationibus in sua diœcesi constitutis concessâ, quam epistolam ex Registro Malmesburiensi vulgavit Alfordus in Annal. Angl. cum hac Aldhelmi subscriptione:* Huic debitæ Monachorum meorum maximè famulorum Dei petitioni libentissimè consensi: & in Monasterio quod juxta fluvium quod dicitur Wenburnia, cui venerandi Regis nostri germana CUTHBURG præsidet, cum optabili famosissimi Regis Inii consensu, & reverendissimi Fratris & Coepiscopi mei Danielis præsentatæ promissionis devoto nutu decentissimam vernarum Do-

mini postulationem sacræ crucis signaculo confirmavi. *In condendo isto Monasterio, præter Inam Regem, adjutricem Cuthburgæ fuisse sororem Coënburgam, ex Monastico Anglicano intelligitur.* Anno Domini DCCXVIII, S. Quinburga & S. Cuthburga Winburne construxerunt, *nempe in provincia Vvestsaxonum, hodierno Comitatu Dorcestriæ ad Stourum fluvium, Orientem versùs, haud longè à castro Badburiensi, quod Regum Vvestsaxonum sedes erat. Eo in loco testante Rudolfo Monacho Fuldensi, in Vita S. Liobæ ad ann. 772 referendâ,* duo Monasteria à Regibus gentis illius constructa sunt, unum scilicet Clericorum, *id est Monachorum*, & alterum feminarum. *Immo tria istic Monasteria in eamdem coaluisse familiam, conjicimus ex epistola Bonifacianis inserta ordine 52, cum hac inscriptione:* Fratribus in Christo carissimis Coëngislo & Ingeldo Abbatibus, & singulariter cognato nostro Wiethberto Presbytero, omnis congregatio trium Monasteriorum, id est Aldhuni Patris reverendissimi, & CNEUBURGÆ Christi famulæ, necnon & COENBURGÆ Abbatissarum, perennem atque insolubilem in Domino salutem. *Et in textu epistolæ:* Nomina quoque nostrarum defunctarum Sororum ego CNEUBURG memorialiter te habere, ô Wiethberte Presbyter fidelis, deprecor, & omnibus circumquaque amicis transmittere: quarum prima fuit Quoengyth soror mea germana, & Edlu quæ erat dum adhuc viveret mater Etan, Aldhuni quondam tui Abbatis propinqua: quarum utique ambarum fuit uno die depositio, id est Idibus Septembris. *Fortean* Coënburga Abbatissa *in titulo memorata fuerit soror S. Cuthburgæ itidem Abbatissæ, cui Cneuburga successerit. Quamquam eodem tempore occurrunt & aliæ Coenburgæ, nempe* Coenburga *Hereburgæ Abbatissæ* filia carnalis, *Monacha in Vetadunensi Monasterio apud Eboracenses, de qua Beda lib. 5 cap. 3.* Coënburga *seu* Quenburga *Milfrithi Reguli conjux, apud Vvillelmum Malmesb. lib. 4 de Episc. Herefordensib. & si quæ aliæ.*

Circa An. DCCXXIV. Aug. XXXI.

cum sorore Coënburga:

idque duplex.

5. *Regularem disciplinam à Cuthburga institutam describit Rudolfus jam laudatus his verbis:* Ab initio fundationis utrumque Monasterium ea lege disciplinæ ordinatum est, ut neutrum eorum dispar sexus ingrederetur. Numquam enim virorum congregationem femina, aut virginum contubernia quisquam virorum intrare permittebatur, exceptis solummodo Presbyteris, qui in Ecclesias earum ad agenda Missarum officia tantùm ingredi solebant, & consummata sollemniter oratione statim ad sua redire. Feminarum verò quæcumque sæculo renuntians earum collegio sociari voluerat, numquam exitura intrabat, nisi causa rationabilis vel magnæ cujuslibet utilitatis exsistens eam cum consilio emitteret. *Et infrà:* Huic post nonnullas Abbatissas & spirituales matres prælata est virgo religiosa nomine TETTA, *quæ* rigorem disciplinæ quâ locus ille præ ceteris semper viguit, tanta sollicitudine tenuit, ut numquam feminarum ad Clericos pateretur accessum: virginum verò cum quibus ipsa indesinenter manebat, adeo immunes voluit esse à virorum consortio, ut non tantùm laïcis aut Clericis, verùmetiam ipsis quoque Episcopis in congregationem earum negaret ingressum. *Sanctimoniales* fere quingentas *Rudolfus cap. 5 ait in illo Monasterio fuisse sub Tetta Abbatissa, quæ* utrumque Monasterium, *virorum scilicet ac Virginum*, rexisse *dicitur cap. 2, eum admodum quo S. Hilda in Streaneshalhensi Monasterio* subditorum suorum *curam gessisse fertur apud Bedam lib. 4 cap. 23. & cap. 24 adolescentem quemdam* in Monasterium cum omnibus suis Fratrum cohorti adsociasse, jussisseque illum sacræ historiæ seriem edoceri. *Benedictinam Regulam à Vvinburnensibus fuisse observatam, certum est tum ex communi tunc temporis popularium usu, tum ex Actis S. Liobæ suo loco adducendis: quod etiam fatetur Godefridus Henschenius in Commentario de S. Ina Rege ad diem 6 Febr. num. 43.*

Qualem disciplinam istic instituerit.

CIRCA AN. DCCXXIV. AUG. XXXI. 6. *Quo anno ad superos concesserit S. Cuthburga, incertum. Nos ipsius obitum anno circà* DCC XXIV *consignamus, prid. Kalend. Septemb. quo die in Missali & Breviario Sarisburiensis Ecclesiæ officium ejus præscribitur commune Virginibus non Martyribus, cum oratione propria hoc modo:* Deus qui eximiæ castitatis privilegio famulam tuam Cuthburgam multipliciter decorasti, *&c.*

Mors ejus & cultus.

Abbatissæ post eam. 7. *Cuthburgæ an superstes vixerit soror* COENBURGA, *definire non suppetit. Si epistola superiùs citata Coenburgam istam habeat auctorem, sorori superfuit. Exstant plures S. Bonifacii epistolæ ad* EADBURGAM Abbatissam, *fortè Cœnobii Vvinburnensis. Cujus rei argumento est, quòd* LEOBGYTHA *ejusdem loci Monacha* artem poëticam ab Eadburgæ magisterio se didicisse *scribit in Epist. 36. Hæc est Leobgytha seu Lioba, quam* TETTA *Vvinburnensis Abbatissa petente Bonifacio in Germaniam cum aliis misit, uti in ipsius Liobæ Vita ad ann. 772 videbimus. Verumtamen cùm eodem tempore* EADBURGA *Abbatissa Tanetensi Monasterio præfuerit, an ei prædicta sint tribuenda, inferiùs examinabimus.*

Vvinburnensis Cœnobii status. 8. *Vvinburnensis Monasterii statum exponit Vvillelmus Malmesb. Monachus lib. 1 de Regib. Angl. cap. 2.* Vicus est modò ignobilis, tunc temporis insignis, in quo frequens Virginum chorus terrenis desideriis castratis superos suspirabat amores. *Nunc locus* Winburnminster *ab incolis appellatur.*

Eadburgæ an plures. 9. *Admonemur ex superioribus disquirere hoc loco, pluresne fuerint* Eadburgæ *Abbatissæ. tum an* Bugga *seu* Egburga *Abbatissa S. Bonifacio Maguntino Antistiti familiarissima eadem sit cum Eadburga, cui plures epistolas inscribit. Quæ sanè quæstio nullatenus ab instituto nostro aliena est, cùm S. Eadburgam Abbatissam, immo duas fastis Benedictinis inserant Auctores nostri.*

Eadburga Abbatissa Tanetensis. 10. *Non adsentior Eduardo Maihevvio, dum in Martyrologio Anglo-Benedictino ad diem 13 Decembris distinguit* Eadburgas duas *Tanetensis Monasterii Abbatissas; unam Ethelberti Cantiorum Regis filiam sæculo* VII, *aliam Eadburgam regio itidem sanguine ortam sæculo* VIII. *Nulla siquidem Ethelberti Regis filia præfuit Tanetensi Monasterio, quod* DOMNENA *seu* Ermenburga, *ex Eormenredo Ethelberti Regis nepote progenita, circiter annum* DCLXXII *construxit, eique præposuit filiam* MILDREDAM, *cui Eadburga successit, anno* DCC LI *mortua, uti ex Chronico Vvillelmi Thorni discimus cap. 24, ubi* beata Erburt & Edburga *appellatur. Hæc eadem esse videtur Egburga seu* Heaburh, *alio nomine* Buggan *appellata, cui S. Bonifacius, ut ipsa vicissim Bonifacio, plures epistolas direxit. de qua hîc quædam duximus observanda.*

Bugga etiã dicta:

Eangyth filia, 11. *Bugga filia fuit* Eangythæ *Abbatissæ, ut constat ex epistola Bonifaciana 38, cujus hæc inscriptio:* Venerabili Wenfrido cognomento Bonifacio, EANGYTH indigna ancilla ancillarum Dei, & nomine Abbatissa sine merito functa; & unica filia ejus HEABURG cognomento BUGGE. *In ea epistola Eangyth exponit injurias, quas à* Rege, Regina, Episcopis & Præfectis *patiebatur cum tota familia: consulitque Bonifacium de Romana peregrinatione, quam ipsa cum consilio Vvalæ Abbatissæ meditabatur. Buggæ respondet Bonifacius epistolâ 20, eique Romanam profectionem permittit,* si propter sæculares in propria libertatem quietæ mentis habere non possit. *Id Bugga exsecuta est testante Ethelberto Rege epistolâ 40 ad Bonifacium.* Ante paucos annos, *inquit Ethelbertus,* venerabilis Abbatissa BUGGAN postquam Romanæ urbis loca sacratissima, orationis videlicet obtentu adierat, & exinde huc rursus remeando ad propriam pervenit patriam, & ad Monasterium Sanctimonialium feminarum quod antea sub jure ecclesiastico bene regebat, statim cùm venissem, *&c. Atqui Tanetus insula Cantio vicina erat, nec de alio fortè quàm de ipso Ethelberto conquerebatur Eangytha cum filia Bugga, de cujus genere ampliùs inquirendum.*

Romam profecta.

12. Ean-

12. *Eangyth in prӕcitata epistola de parentela sua sic loquitur :* Non habemus filium neque fratrem, patrem aut patruum, nisi tantùm unicam filiam (*Buggam*) penitus destitutam omnibus caris in hoc sæculo, præter unam tantùm sororem ejus, & matrem valde vetulam, & filium fratris earum, & illum valde infelicem propter nos absque ipsius meritis, & quia Rex noster ejus gentem multùm exosam habet. *Sororem Buggæ fuisse Vvalam Abbatissam, colligitur ex sequentibus verbis :* Et hujus meæ voluntatis atque propositi mihi conscia fuit WALE Abbatissa quondam mea & Mater spiritalis, & unica, *id est cara*, filia. CIRCA AN. DCCXXIV. AUG. XXXI. Parentela ejus.

13. *Quin etiam Buggam regio fuisse ortam sanguine, declarat Ethelbertus epist. 40.* Continuò intulit Bugga, quòd diligenter Paternitatem tuam similiter pro me supplex precibus obnixis compellare curaret, utpote consanguinitate propinquitatis nostræ admonita, *&c. Certè apud Vvillelmum Thornum dicitur* beata Edburga matertera S. Mildredæ, *quæ regium genus attinebat, ut superiùs vidimus. Exstat inter Alcvvini opera Poëma quoddam ordine tertium, in quo Bugge dicitur filia* Eutwini *occidentalium Saxonum Regis. en versus:* Regium genus.

Hoc Templum BUGGE pulcro molimine structum,
Nobilis EUTWINI erexit filia Regis,
Qui primus * Imperium Saxonum rite regebat, (* *l.* priùs)
Dona & præsentis contemnens culmina Regni,
Divitias mundi rerúmque reliquit habenas,
Plurima Basilicis impendens jura novellis,
Quam * nunc ruricolæ servant Monasteria * jura. (* *i.* quæ * *l.* Monastica)
Exin sacratam perrexit quærere vitam,
Dum proprium liquit Christi pro nomine Regnum.
Qui tamen antè tribus gessit certamina pugnis,
Et ternis pariter confecit bella triumphis.
Seu * rexit Regnum plures feliciter annos, (* *l.* Sic)
Donec conversus cellam migravit in almam.
Inde petit superas meritis splendentibus arces,
Angelicis turmis ad cæli culmina ductus,
Cælicolis junctus lætatur sorte superna.
Post hunc successit bello famosus & armis
Rex CEADWALLA potens, Regni possessor & heres.
Sed mox Imperium mundi sceptrúmque relinquens,
Turgida cum ratibus sulcabat cærula curvis,
Et maris æquoreos lustrabat remige campos.
Algida ventosis crepitabant æquora flabris,
Donec barca * rudi pulsabat litora rostro. (* Gallicè *barque*, cimba)
Exin nimbosas transscendit passibus Alpes,
Aggeribus niveis & montis vertice septas.
Cujus in adventu gaudet clementia Romæ,
Et simul Ecclesiæ lætatur Clerus in orbe,
Dum mergi meruit Baptismi gurgite felix.
Post albas igitur morbo correptus ægrescit,
Donec mortalis clausit spiracula vitæ,
Alta supernorum conquirens regna polorum,
Clarum stelligeri conscendens culmen olympi.
Sed his Principibus cælum penetrantibus altum,
Quorum descripsi jam bina vocabula dudum,
Tertius accepit sceptrum Regnator opimum,
Quem clamant ININ certo cognomine gentes,

Circa an. DCCXXIV. Aug. XXXI.

Qui nunc Imperium Saxonum jure gubernat,
Quo regnante novum præcelsa mole Sacellum
Bugge construxit supplex vernacula Christi,
Quo fulgent aræ bis seno nomine sacræ,
Insuper absidam consecrat Virginis ara.
Præsentem ergo diem cuncti celebremus ovantes, *&c.*

14. *Ex his versibus nonnulla eruuntur observatu digna: nempe, Alcuvinum non esse hujus carminis auctorem, multo minus Vualafridum. siquidem auctor regnante Ina scribebat. Deinde* EUTWINUM *Vuestsaxonum Regem, quem Vuillelmus Malmesburiensis* Escuinum *vocat lib. 1 de Regib. Angl. cap. 2, Ceaduvalæ fuisse præcessorem, eúmque post reportatas victorias tres, in Monasterium se recepisse. Denique Monasterium cui Bugga præfuit, B. Mariæ nuncupatum fuisse: quod Thanetensi convenit, tametsi in Chronico Vuillelmi Thorni Edburga Thanetensis Abbatissa* Ecclesiam in honorem Apostolorum Petri & Pauli *construxisse dicitur, aliam à principali quæ beatæ Virgini sacrata erat. Hinc dubitet quispiam, an Bugga & Edburga eadem sit: maximè cùm ex relatis versibus Bugga non in Cantia, sed in Vuestsaxonum Regno vixisse videatur. Istud eruditis expendendum relinquo.*

Obitus 27. Janu.

15. *Buggam Abbatissam obiisse* VI *Kalend. Ianuar. testatur Bregovvinus in Bonifaciana epistola 103 ad Lullum Magontiacensem Episcopum his verbis:* Diem depositionis religiosæ Christi famulæ BUGGAN celebramus, quæ fuit honorabilis Abbatissa: cujus etiam dies depositionis fuit VI Kalend. Janu. Rogavit me obnixè dum adviveret, ut hoc vestræ Beatitudini transmitterem. Et sicut speravit & credidit, ita facere curate, quoniam illius Pater atque patronus fuit in Christo Bonifacius Episcopus. *Hinc intelligitur, Buggæ obitum contigisse circiter tempus martyrii S. Bonifacii: quod satis accedit ad tempus mortis Edburgæ Thanetensis Abbatissæ, quæ anno* DCCLI *decessisse fertur. Lege Bonifacii epistolas 2, 20 & 35.*


Alia fuit Eadburga Abbatissa Vvinburnensis.

16. *Baronius ad annum 719 existimat, Egburgam seu Buggam haud aliam esse ab* Eadburga *Abbatissa, ad quam exstant Bonifacianæ litteræ 7, 13, 14, 21, & 28. Verùm Buggam & Eadburgam diversas fuisse, verisimile est: tum quia Bonifacius ad illam scribens, semper Buggam cognominat, hanc verò Eadburgam; tum quia hæc videtur fuisse* Eadburga, *à qua Leobgytham didicisse artem poëticam observavimus suprà num. 7. ut proinde Abbatissa fuerit Vvinburnensis Monasterii, in quo Leobgytha educata est.*

Utra Sancta.

Utra verò Sanctorum fastis, an alterutra inscribi debeat, diffinire nolim. Quamquam Buggæ dies depositionis à Bregovvino signatus favere videtur Egburgæ, quæ in Chronico Vuillelmi Thorni beata *dicitur.*

17. *Alias prætereo ejusdem fere nominis,* Herburgam *Abbatissam Vetadensis Cœnobii memoratam apud Bedam in hist. eccles. lib. 5 cap. 3, &* Eadburgam *Regis Merciorum filiam, Brichtrici Vuestsaxonum Regis pessimam conjugem, de qua Turgotus in lib. de gest. Regum Angl. ad ann. 802.*






DE SANCTA BERTA VIDUA ET ABBATISSA BLANGIACENSI* IN MORINIS PRIMA.

Circa An. DCCXXV. Julii II.

* de Blangy

I. NONYMUS *quidam* genealogiam, vitam, miracula, translationem sanctæ ac beatissimæ BERTÆ sanctarúmque filiarum ejus *scribere* aggressus *est initio sæculi X. Id patet tum ex ipsa translationis historia, tum ex libro miraculorum S. Vulframni, quo in libro Auctor, homo sæculi undecimi, S. Bertæ miraculum infrà cap. 2 descriptum citat. Quibus monumentis usus sit S. Bertæ Encomiastes, incertum. Ejus lucubrationem de vita ejusdem Sanctæ prætermittimus, eoquòd dubias res non paucas, ineptas quasdam, fabulosas nonnullas admiscet. Dubia sunt, quæ de S. Bertæ genere commemorat; inepta, quæ de hyssopo ad Ecclesiæ Blangiacensis dedicationem per miraculum quæsitâ refert; falsa, quæ de plerisque istius dedicationis auctoribus scribit.* Eligius *enim*, Amandus, Faro, Autbertus, Leodegarius *Episcopi;* Walaricus *&* Richarius *Abbates, quos huic celebritati interfuisse adserit, jamdudum antè è vivis abierant. Non desunt & alia menda, quorum consideratione adducimur, ut ne integram illam scriptionem hîc exhibeamus; sed tantùm ea quæ minùs à veri similitudine recedunt. Translationis historiam quominus integram demus, nihil vetat. Auctor enim quia res minùs ab ætate sua remotas narrat, magis ad veritatem accedit. Iam quosdam versus de vita S. Bertæ referamus.*

Vitæ Scriptor cur omissus.

2. Temporibus CHLODOVEI Regis Francorum fuit quidam vir illustris nomine RIGOBERTUS, palatinus Comes, cui præfatus Rex URSANAM Balthildis illustrissimæ Reginæ de ultramarinis partibus Anglisaxoniæ neptem *(ut aiunt)*. in matrimonium junxit. Nata est eis filia, cui nomen imposuerunt Bertam, quæ interpretatur fulgida seu splendida.

Berta nobilis,

3. Postquam Berta ad octavum-decimum pervenit annum, SIGIFRIDUS Regis Chlodovei *(ut dicitur)* consanguineus, Rigobertum Comitem adiit, obnixè flagitans, quatenus sibi non denegaret filiam suam Bertam legitimo jure desponsandam. Rigobertus adsensum præbuit. Erat Berta annorum viginti, quando in matrimonium juncta est. Defunctis utrisque parentibus Berta divisit proprietatem suam cum ANGLA sorore sua de alia matre progenita: quæ etiam maturis moribus valde devota exsistebat. *Hîc occurrit animo* ANGLA *illa*, cujusdam Theodardi uxor, *cui Remigius Pippini Regis germanus Besuense Monasterium tradidisse fertur in Chronico Besuensi tomo I Spicilegii pag. 503, 527.*

nubit Sigifrido.

4. Fuit autem Berta unà cum domino suo annis viginti. Natæ sunt ex ea filiæ quinque: prima GERTRUDIS, secunda DEOTILA, tertia EMMA, quarta GESA, quinta nuncupabatur GESTA.

Quinque filias parit.

5. Completo vitæ cursu Sigifridus obiit, sepultúsque est honorificè juxta Ecclesiam in villa sua Blanziaco. Tum verò Berta ad omnipotentis Dei servitium se contulit, ac sacro se sanctimonialis habitûs velamine velare non distulit. Tunc cœpit construere Ecclesiam in possessione sua, quæ ob aliquam sui ostentationem, antequam perficeretur, corruisse *dicitur, sicut & alia quam ædificaverat* in villa sua nomine Chirei, quæ triginta millibus à suo Monasterio distare videtur: *idque contigisse, dum Berta* ROTRUDEM

Marito mortuo, se résque suas Deo consecrat.

Circa An. DCCXXV. Julii IV.

amicam suam, Sigifridi conjugis sororem convenisset. Chirei *seu* Kiery *villa est Bellomontio Duaceno proxima, inquit Malbrancus lib. 4 de Morinis. cap. 18.*

Blangiaci Monasterium condit.

6. *Posthac mutato consilio*, Monasterium & Basilicam in modum crucis *construxit* in amœnissimo loco Blanziaci opidi secus fluvium Toëna nuncupatum. *quod opus* anno Theoderici Regis XII, *Christi proinde non* DCXXCII, *sed* DCXXCVI *inchoasse fertur. Dein Ecclesia dedicata est* in honore genitricis Dei MARIÆ V Idus Januarii. Post peractam verò dedicationem, rogavit Berta Episcopos tam sibi quàm filiabus suis dicare atque imponere velamina, ac divinis jugiter mancipare ministeriis. Velata est igitur piissima Berta glauco velamine unà cum duabus nobilissimis filiabus suis ac Deo devotis, GERTRUDE videlicet & DEOTILA. nam Gesta & Gesa in albis Domino animas reddiderunt: Emma autem in laïco habitu nutriebatur cum omni diligentia inter ceteras sorores suas.

Velatur cū duabus filiabus.

Gertrudem nuptum dare non vult.

7. Invidia verò diaboli illexit quemdam de primariis Regis nomine RUOTGARIUM, qui iter arripiens ad Blanziacum, Bertam intentè flagitabat, ut sibi Gertrudis ejus filia donaretur in conjugium. Berta respondisse fertur, nullo pacto fieri posse. Ille autem jurejurando adfirmavit, se de Cœnobio non exiturum, nisi Gertrudis adspectui illius præsentaretur. Berta verò duas filias statuit ad dextrum cornu altaris, & dixit: Ecce ancilla Dei à venerabilibus Episcopis velata. si ausum habes eam Domino auferre, aufer. Ruotgarius timore correptus, adscenso equo recessit: & Regem aggrediens accusavit Bertam, infidelitatem in Regem & Regnum illi adscribens. Rex nimium credulus præcepit famulam Dei sub omni festinatione ad palatium exhiberi. Berta cum magna honorificentia Regem adire cœpit: Ruotgarius eam de esseda ac tripode suo projecit, & super vilissimum equum sine aliquo stramento adscendere, sicque ad palatium tendere fecit. Accidit autem Rodulfum bonæ memoriæ virum eòdem obviare illis: qui ut conspexit venerabilem Bertam Abbatissam tam inhonestè pergentem, vehementer obstupuit, ac Ruotgarium, ut dignus erat, confutavit. *Tum* Dei famulam in proprium equum relevans, honorificè duxit ad palatium. Rex Theodericus erga famulam Dei mente mutatus, in veneratione *eam habuit*, præcepitque securam cum ipsius gratia redire.

Accusata ad Regem sistitur.

Reversa Monasteriū auget.

8. Beatissima verò Berta ad propria remeans loca, augebatur in operibus bonis. Nam cœpit ædificare claustra Monasterii decentissima, construxit unam extra portam Ecclesiam in honore S. Audomari Confessoris: ubi Sacerdotes vel Clerici ipsius Cœnobii divinum persolverent officium. aliam etiam ædificavit in honore S. Vedasti; tertiam verò in honore S. Martini Episcopi & Confessoris. Alias itidem septem ædificavit in prædiis suis, quas omnes dedicare petiit in honore S. Martini.

Deotilam Abbatissam instituit.

9. Berta *verò memor* injuriæ, quam illi Ruotgarius de Gertrude filia sua studuit inferre, Gertrudem quæ senior erat ætate Deotilâ, noluit fieri Abbatissam, ne hominibus multùm cognita ultrà videretur: sed Deotila Abbatissa constituta est ac consecrata, rexitque locum illum cum matre annis viginti & novem.

Recluditur.

10. *At* Berta cupiens soli Deo vacare, claustrum sibi in dextera parte Basilicæ præparari jussit, quo præparato iteratò convocavit Episcopos, qui in unum convenientes dedicaverunt ipsum claustrum, & honorificè introduxerunt eam. Claustrum verò habebat fenestram ad altare sanctæ crucis contiguam, ubi quotidie adventabat Deotila Abbatissa unà cum sorore sua Gertrude, seu etiam omni congregatione Sanctimo-


nialium numero sexaginta: acceptísque à beatissima Berta cibis spiritualibus abibant. CIRCA AN. DCC XXV. JULII IV.

11. *Multa dehinc congeruntur de* Waradino Angli-Saxonum (*si qua fides*) Rege; *qui à Theodorico Francorum Principe* Emmam Bertæ filiam *in uxorem petierit obtinuerítque: déque Emma ipsa à Vvaradino per Theidam pellicem quamdam seducto spreta: quæ postea per* Falardum & Gunduinum *Bertæ ministros revecta in patrium solum, antequam litus attingeret, ex febre defuncta est, ac Blanziaci sepulta. Quæ quidem neque adfirmare, neque elevare est animus. quamquam vereor, ne* Emma Francorum Regis filia, *Eadbaldo Ethelberti Cantiorum Regis filio nupta, testante Vvillelmo Malmesburiensi Monacho, cum Emma Bertæ filiâ confundatur: tametsi temporis ratio non sinit.* Emma an Vvaradino nupta.

12. *Denique* cùm esset Berta annorum sexaginta novem, sensit dissolutionem sui corporis imminere. Soluta est sanctissima ejus anima claustris corporis IV Nonas Julii, *circiter annum* DCC XXV, *si quidem anno* DC XXCVI *facta est Blangiacensis Ecclesiæ dedicatio, quum ipsa erat annorum quadraginta.* Berta obiit.

13. *Hæc sunt quæ de S. Berta veri magis similia sunt. Porro* in rebus tam antiquis, *ut Livii utar verbis*, si, quæ similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habeam, *aliísque habenda existimem. Reliquum est, ut antè quàm translationem & miracula S. Bertæ referamus, nonnulla de Blangiacensi Monasterio præmittamus.*

14. Blanziacum *seu* Blangiacum *locus est in Morinis ad Toënam*, aliis Tenam amnem, qui in Quantiam* influit. Hinc non longè distat Alciacum Monasterium in eadem amnis ripa situm, de quo in Vita S. Silvini Episcopi diximus suprà; utrumque Hesdino opido ad Quantiam posito vicinum. Blangiacense Partheneium à S. Berta institutum anno circà* DC XXCII, *ut vulgò creditur, aut* DC XXCVI, *ex prænotatis; paruit Sanctimonialibus usque ad tempestatem Nortmannorum: à quibus in favillas redactum Cœnobium, fugatæ Sanctimoniales, quæ cum Patronæ suæ Reliquiis aliísque sese in Germaniam receperunt, in Monasterium nuncupatum* Herasten *hospitio exceptæ ab Rotrude loci Abbatissa. Istud est* Herasten *seu* Erstein, *celebre Virginum Benedictinarum Cœnobium, ab Irmingarda Ludovici Augusti conjuge exstructum paullo supra Strateburgum civitatem, quam alii Argentoratum vocant. Inde Blangiacum S. Bertæ corpus revectum legitur in sequenti Translationis & Miraculorum historia, quam in partes quatuor distinguere juvat pro totidem (ut videtur) Auctoribus. Prima præcipuè continet Translationem factam* Herestén. *Secunda Monasterii Blangiacensis restitutionem per nobilem ac piam feminam Hersendem: cujus ope instauratum Cœnobium, Monachi Benedictini Balduino Barbato Flandrorum Comite introducti anno* M XXXII, *quibus restituta sunt prædia ab invasoribus, maxime à Comitibus Paulensibus, in quorum ditione consistunt,* HUGONE *scilicet anno* M C XXCVI, *item alio* HUGONE de Chastillon *anno* M CC XXXI, *demum à* GUIDONE de Chastillon *anno* M CCC VI. *Tertia pars continet Inventionem corporis S. Bertæ & miracula quædam sæculo* XI *patrata. Quarta complectitur alia sæculo* XIII *facta miracula. Horum omnium notitiam debemus Reverendissimo D. Iohanni Iosepho* de Calonne, *Abbati Blangiacensi, cujus beneficio ea è membranis Blangiacensibus accepimus.* Blangiaci Monasterii status. * le Ternois * la Canche



Circa An. DCCXXV. Julii IV.

LIBER DE MIRACULIS ET TRANSLATIONE ejuſdem.

Ex mſ. cod. Blangiacenſis Monaſterii.

PARS PRIMA.

Caput I. Fratricida ferro vinctus,

TEmporibus Caroli Imperatoris fratris Lotharii & Ludovici Regum, accidit ut quidam homo nobilis in Gallia, nomine Salomon, de villa nominata Duſgemella, diabolica inſtigante fraude cum ſuo proprio fratre ob ſuam rixaret hereditatem, illúmque gladio occideret. Quod ut ita peractum eſt, divinâ miſeratione corde compunctus, maximam, ut dignus erat, pænitentiam de perpetrata culpa agere cœpit: & veniens ad Epiſcopum in cujus erat diœceſi, veniam ab eo poſtulavit pro ſuo maximo ſcelere: ac multis profuſis lacrymis illius clementiam rogavit ſe eodem adſtringi ferro, quo germanum interfecit. Tunc Epiſcopus qui vocabatur Bonifacius, ejus adſenſum præbens voluntati, eodem ipſe ut petebat ferro illius brachia ventrémque [a] conſtrinxit, digníſque pænitentiæ laboribus impoſitis illum à ſe permiſit abire. Tunc præfatus Salomon acceptâ pænitentiâ multa loca Sanctorum pro ſui peccati abſolutione viſitans, novem vicibus limina S. Petri adiit. Cùm autem nona vice ibidem veniret, & jam Dominus voluiſſet illius repropitiari delictis, ante januam S. Petri in dominica die poſt Matutini laudem jacens, antequam clarè diluceſceret, ei S. Petrus in ſomnis apparuit, ita paratus quaſi ad Miſſam debuiſſet progredi; illíque pronuntians quòd Dominus ſuæ orationis & pænitentiæ ſuſcepiſſet lacrymas, ac ſua peccata illi eſſent dimiſſa: & eum feſtinanter ire juſſit in Galliam ad Monaſterium ſanctæ Bertæ piiſſimæ Abbatiſſæ ſitum in pago Tarwanorum, quod Blangiacum nuncupatur; & ibi eſſe à ſuis vinculis per merita ejus abſolvendum. Tunc ille expergefactus, certáque viſione indubius, Deo magnificas referens grates, ſtatim ferrum quo ſiniſtrum conſtringebatur brachium, in terram corruit. Ille autem Monaſterii jam dicti & beatæ Bertæ ignarus, ſibi nomen loci & nomen pagi ac piiſſimæ Abbatiſſæ deſcribere poſcit: magnáque agilitate ad eumdem tendere cœpit locum. Cúmque ad limina ejuſdem Monaſterii veniam petiturus deveniſſet, quidam venerabilis Epiſcopus, nomine Lantogisus, Miſſam ibidem in dominicæ diei feſtivitate celebrabat. Poſtquam autem Diaconus ſancti Evangelii initium incœpit, præfatus Salomon manum ad ſe ſignandum elevavit: ſtatímque ferrum quod in dextro erat brachio, celerrimo volatu quaſi ſagitta uſque ad ſanctæ Bertæ ſepulcrum proſilivit. Tunc omnes qui intra Eccleſiam ſtabant, de ſonitu ipſius ferri mirari cœperunt, quia idem vir cunctis incognitus ſtabat. Lecto autem Evangelio Epiſcopus ordinem ipſius miraculi ſollicitè inquiſivit. Peracto denique ſancto myſterio, ut erat paratus ad

Nota.

in Monaſterio S. Bertæ liberatur.

[a] De hoc pænitentiæ genere egimus in Præfatione ad Sæculum 2 num. 41, & in libro 1 de Mirac. S. Bertini cap. 2 ſuprà pag. 120. Et tamen Carolus Magnus in Capitulari condito anno XI regni ſui ſtatuit cap. 8, *ut homicidæ & ceteri rei qui legibus mori debent, ſi ad Eccleſiam confugerint, non excuſentur*. Et in Capitularis Aquiſgranenſis cap. 79 prohibet ejuſmodi *mangones & cotiones*, qui *nudi cum ferro* vagantur, dicentes id ſibi pænitentiæ impoſitum quamquam nec mos iſte his legibus ſublatus eſt ante ſæculum XII.

Missam Basilicâ progrediens, invenit hominem à cunctis ferri vinculis absolutum: causámque illius inquirens, manu ejus apprehensa in Ecclesiam introduxit, & ipsi omnes qui aderant Clerici & Sanctimoniales *Te Deum laudamus* canebant. CIRCA AN. DCCXXV. JULII IV.

II. Eodem quoque tempore Nortmannica gente Galliam vastante, multísque Sanctorum locis in desolationem cadentibus, contigit quosdam Monachos [a] propter eosdem paganos de suo fugere Monasterio, ac sanctum Ansbertum & sanctum Wandregisilum transportare. Venientes igitur ad Monasterium sanctæ Bertæ piissimæ Abbatissæ, ubi veneranda HERSENDIS præesse Abbatissa videbatur, cum omni caritatis humanitate ab ea suscepti sunt, ibique viginti annis hospitabantur. Interea in uno anno ad festivitatem beatissimæ Bertæ accidit multos ibidem infirmos, cæcos, debiles, claudos, dæmoniacos convenire, ibique salutis gratiam per merita beatæ Bertæ adipisci. Inter quos fuit quidam mutus, qui ideo mutus, quia suam matrem in una dominica nocte flagellavit: & tunc in eadem festivitate ante nocturnalem laudem cum aliis infirmis in Ecclesia ante sepulcrum beatæ Bertæ veniam petiturus & salutem pernoctavit. Vidit igitur repentè sanctum Wandregisilum & sanctum Ansbertum Archiepiscopum ad altare sanctæ Mariæ complexis inter se manibus progredientes, & pariter ante altare se incurvare, orationémque agere. Ab oratione autem se erigentes, viderunt beatissimam Bertam obviàm sibi venientem, & quasi de sepulcro exeuntem; ac se invicem salutantes, illius manibus apprehensis duxerunt eam ad dextrum cornu altaris, & pariter residentes quasi inter se sermocinari videbantur. Tunc idem mutus qui hæc viderat, ilico surrexit, ac suum os & pectus tundere cœpit. Tunc illi qui aderant, videntes quid ageret mutus, & nescientes quòd visionem vidisset, dicebant quòd insaniret; & fugere præ nimio pavore quidam attentabant. Tunc beatus Wandregisilus & sanctus Ansbertus cum piissima Berta gradum, ubi ipse mutus sedebat, obambulantes, beata Berta ut prior manum muto imponeret Wandregisilum, beatus verò Wandregisilus sanctum Ansbertum rogavit ut ipse primus hoc faceret, quia Archiepiscopus erat. Illi autem ambo ad sanctam Bertam dixerunt: Vestra est virtus, & iste locus & homo in vestra exsistens potestate, vestris meritis salutem adipisci gratuletur. Deinde beatus Wandregisilus manus super caput muti imposuit, sanctus verò Ansbertus brachium ejus tenuit dextrum; piissima autem Berta manu maxillam constringens, statim ipse mutus ad terram corruit; ac sanguis de illius ore ac naribus effluebat, sicque sanus factus est. Nec non se ad eumdem locum in proprium tradens servum, (nam antea ingenuus erat) per multos annos ibidem in famulatum perseveravit.

Muto linguæ usus restituitur.

De Translatione corporis sanctæ Bertæ Abbatissæ.

III. TUNC postea Nortmannis undique Galliam irruentibus, ac plurima destruentibus undique Monasteria, & cunctam regionem vastantibus; contigit ante sex annos quàm præfatum Monasterium beatissimæ Bertæ ad devastandum ipsi venirent, incendióque traderent, ut sæpius ipsa multis tam Clericis, quàm etiam Sanctimonialibus atque aliis religiosis laicis viris in somnis appareret, & eis aliquibus certis admonitionibus intimaret, quòd deinde debuisset ipsa transportari, & in possessionem venerandæ Deóque de-

S. Bertæ corpus in Germaniam delatum.

[a] Nempe Fontanellenses, cujus rei historiam habes in libro de Miraculis S. Wandregisili Sæculo 2 ad ann. 667.

ANN. CHR. DCC XXV. JUL. IV. votissimæ Abbatissæ ROTRUDIS [a] devenire. quod eventus rei postea ita fieri comprobavit. Tunc deinde prænotati pagani ad eumdem usque locum pervenientes, & cunctas Monasterii facultates diripientes, novissimè ipsum omne Monasterium, ut prænotavimus, igni combusserunt. At vix illæ Sanctimoniales cum Clericis & servitoribus qui ibidem remanserant, rapientes ipsam beatissimam Bertam duasque filias ejus, hoc est sanctam GERETRUDEM & DEOTILAM, magno labore evaserunt: quos labores & illa signa quæ tunc plurima fuerunt gesta, longum est per singula enumerare: sed aliqua, quæ in ipso itinere acta sunt, non silendum arbitramur.

IV. Cùm igitur illæ Sanctimoniales cum Clericis Sanctorum devectassent corpora, & juxta Rheni litus sursum iter agerent, pervenerunt usque ad sancti Januarii Monasterium, ubi una dæmoniaca per merita sanctæ Bertæ sana & salva facta est. Et inde ad Maguntiam venerunt civitatem, ubi paralyticus quidam omni motu pedum carens, meritis sanctæ Bertæ sanitatem recuperavit.

V. tempore Concilii Triburiensis, Contigit quoque eodem tempore, ut Rex Francorum nomine ARNULFUS in loco qui dicitur Triburis [b] suum celebraret Concilium, ad quod venit venerabilis Abbatissa Rotrudis nomine cum aliis Regni Principibus. Et dum Rex peregisset suum colloquium cum prædicta Abbatissa, & dum ad sua propria vellet remeare loca; venit quidam vir ignotus ei maxima gaudia denuntians, atque indicans quasdam Sanctimoniales cum aliis comitantibus Clericis ad Maguntiam de Gallia propter Nortmannorum devenire metum: ac secum sanctam Bertam duásque illius filias beatissimas Geretrudem & Deotilam devectare. Illa autem nescio quâ occupata ratione non satis intellexit, quòd ei vir ille indicavit. Ipsa autem peracto negotio requisivit, ubi esset homo qui illi tam bonum indicavit nuntium. Cunctis verò respondentibus se eumdem non agnoscere hominem, nec quò ille pergeret scire; prudentissima Rotrudis divinitus præmonita, tres ex suis principibus viros sagacissimos festinè misit Maguntiam civitatem adire, ut rei ignotæ investigarent veritatem. Postquam verò certissimè agnovit ita omnia vera, ut ei fuerat indicatum; jussit transportari Sanctarum supradictarum corpora cum Clericis & Sanctimonialibus in suum Monasterium, quod nuncupatur *Herasten*. quod voluntatem Domino adjuvante suam peractum est. Cùm igitur Sanctimoniales & Clerici sancta deportarent corpora de Maguntia ad Vormatiam in Monasterium sancti Cyriaci, ibi quidam hortulanus qui jam per triginta annos paralyticus fuerat, dum feretrum beatæ Bertæ elevarent ut suum iter peragerent, per merita ipsius sanitati pristinæ donatus est. Inde verò pervenerunt ad Spirensem civitatem, ubi duo dæmoniaci liberati sunt meritis sanctæ Bertæ. Et dum ad Stamburgensem venirent civitatem, multi infirmi, claudi & cæci, quos longum est per singula enumerare, meritis sanctæ Bertæ in ipso itinere à suis curati sunt infirmitatibus. Tunc verò usque ad optatum locum & ad suprascriptum Monasterium *Herasten* Domino ducente pervenientes, à devotissima Deóque dicata Rotrude Abbatissa cum magna veneratione maximáque lætitia suscepti sunt: ac statim in honorem sanctæ Bertæ Monasterium [c] construens & ibidem Dei famulatum componens, Sanctimoniales bene collocavit.

(in Cœnobio Herasten depositum,)

VI. ubi mira patrata. Miracula quoque ibi plurima patrantur meritis Sanctarum suprascripta-

[a] An eadem cum Ruadruda Abbatissa Parthenonis S. Stephani intra muros Argentoratenses, quam Lotharius Imperator *cognatam* suam appellat in diplomate quodam relato in historia Argentinensium Episc. per Guillimannum cap. 4 & 5. Id obstat, quòd Basilla loci Abbatissa nominatur anno XXII Ludovici Regis Lotharii ipsius fratris cap. 5, ut conjectura sit, jam tum è vivis abiisse Ruadrudam.

[b] Exstat Concilium anno DCCCXCV convocatum in villa regia Tribure paullo infra Maguntiam ad Rhenum, præsente Arnulfo Rege. quamquam ad annum DCCCXCVII id revocant Annales Fuldenses.

[c] Nempe in loco Alsiaco, unde postea revectum corpus Blangiacum, infrà parte 3.

rum,

rum, quorum aliqua scimus enumerare. Unus dæmoniacus ibi sanus factus est; qui ideo in dementiam incidit, quia sæpissime volebat deprædari sanctæ Bertæ possessiones. Alius autem ferro ligatus veniens ad limina ejusdem Basilicæ, à suis vinculis est absolutus. Tertius verò paralyticus fuit, qui uno pede ad limina sancti Petri urbis Romæ, altero ad Ecclesiam sanctæ Bertæ curatus est. Deinde verò plurimi paralytici & claudi ibi sanati sunt. Alia igitur multa signa & innumerabilia meritis sanctissimæ Bertæ filiarúmque ejus ibidem beneficia florent jugiter, præstante Domino nostro JESU-CHRISTO, qui cùm Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per infinita sæculorum sæcula, Amen. CIRCA AN. DCCXXV. JULII IV.

PARS SECUNDA.

I. TEMPORIBUS gloriosissimi Regis Francorum ROBERTI, Hugonis magni filii; ARNULFO Comite Tervanensis Comitatus monarchiam sub BALDUINO Marquiso regente, fuit quædam mulier in villa, quæ Blangiacus nuncupatur, cui ideo beatissima Berta in visu apparuit, quia suis sumtibus, ejusque dignis bonorum laboribus operum post Nortmannorum desolationem supradictus fuerat locus denuo constructus: & flagranti animo desiderabat omnia à se & ab aliis fidelibus Christicolis ibi pro æternæ vitæ concessa retributione, posteaquam fuerant ab invasoribus injustè arrepta, suprascripto reddi in loco. Vocavítque eam & dixit ei: HERSENDIS, audi. Quæ ex improviso stupefacta respondens ait: Quæ es tu, quæ mecum loqueris, domina? At illa dixit: Berta proprio vocor nomine. tibi siquidem imperare veni meis parere monitis, tuisque hoc augere meritis. ad cunctos sacri hujus loci universa possidentes prædia ut eas, atque eis veluti à me dicta intimare hæc studeas. Tuum ergo colloquium firma mea adsertione, dicens eis: Sciatis vos ipsos non hujus cosmi cum honore esse residuos, nec theoricalis amœnitate prosperitatis gaudere; nisi jam dicto omnia restitueritis loco, ad honorem beatissimæ Dei genitricis MARIÆ sanctæque Bertæ ejus famulæ. Abbati quoque illius Basilicæ non tardes enucleare, ut cellulam lectuli mei, in qua pluribus jacui annis, congrua devotione ac celeri restitutione restituat. Ipsa autem hanc recusans legationem, ait: O sanctissima domina, ne hominibus videar reproba, precor te, hoc non me ferre jubeas. Huic autem internæ mentis interiori, ac jugi recogitanti meditamine, atque intimo hæsitanti corde cunctis enucleare potenter possidentibus; iterum in visu beatissima colloquens Berta ait: Quare tam negligenter mea neglexisti monita? ne ergo tui corporis detrimentum tibimet inferatur, mea famina eos gradu concito edocere studeto. Ipsi quoque titubantis prælabentisque animæ in dubitamine perseveranti, ac ne ab incolis loci illius sive ab invasoribus rei præfatæ ista audientibus verbosa diceretur aut garrula, adhuc propensiùs reticenti; tertiò eam beata affata est Berta dicens: Postulavi, inquit, te omnimodis meis parere consiliis: sed quoniam omni cum negligentia mea omnia refutasti monita, mercedísque à fructu te funditus privare voluisti; tui corporis, ut prædixi, detrimentum tibimet recompensabitur ex causa meritorum. Quapropter prudens Dei famula dextram ejus manum accipiens dixit: Ideo enim ut ab inimico humani generis persuasore sanctæ crucis signaculo ista te manus muniat, protegat & defendat, à præsenti cruciamine servetur illæsa. Lævam verò accipiens manum, pollicémque cum aliis articulis ejus volæ applicans, dixit: Istius siquidem manus juvamine carebis, sicque convulsam tuleris; donec ego veniens eam erigam, ac pristinæ sanitati restituam. In Nativitatis verò sollemnitate beatissimæ Dei genitricis MARIÆ, senties tibi supernam Christi virtutem adesse, méque precante manus aridæ salutem recipere. Illucescente verò die noctis præteritæ jam dicta mulier manûs debilitate deprehensa, à lectulo S. Bertæ monitu Blangiacensi Ecclesiæ prædia restituuntur.

CIRCA AN. DCC XXV. JUL. IV.

surgens citò cucurrit ad Monasterium; ibíque prosternens se ante altare beatissimæ Dei genitricis MARIÆ sanctæque Bertæ Dei famulæ, fontem lacrymarum ubertim fundens, veniam pro sua negligentia postulabat. Cùm verò Abbas Monasterii & alii circumvenissent Clerici, illa erigens se ab oratione, eorúmque pedibus provoluta narravit illis omnia, ostendens simul cum verbis miracula, veluti fuerat jussa. Arnulfo quoque Comiti, aliísque illius Monasterii privilegia subripientibus hæc ab illo die minimè formidavit indicare. Hæc autem audiens nobilis Comes Arnulfus, dilectionémque Dei ac timorem mente revolvens; cum uxore sua & filiis locum adiens, visóque miraculo veniam ab omnipotente Deo petens, ejúsque Genitrici sanctissimæ, ac beatissimæ ejus famulæ Bertæ famulantibus partem beneficiorum in ipso maximam reddidit loco. Sollemnitate igitur Nativitatis beatissimæ Dei genitricis MARIÆ imminente, populorum undique secus magna ibi convenit caterva; ibíque honorabilis Clerus unanimiter in Dei persistebat laudibus. In ipsa quoque nocte cùm hæc agerentur, & matutinis laudibus omnis plebs adsisteret; ipsa promissa sibi ventura per beatissimæ Bertæ merita exspectans in medio residebat. Factum est autem cùm omnes perlegerentur lectiones, & omnis populus virorum ac mulierum ad futuri miraculi spectaculum circumstarent; appropinquante hora in qua omnis canentium chorus Deum laudare, Dominúmque confiteri deberet; rigescentibus nervis cum vehementi stridore, manus arida pristinæ sanitati restituta est. Videntes autem populi simul & Clerici virtutem Dei omnipotentis per beatissimæ ancillæ suæ merita ostensam; omnes una voce cum magna alacritate glorificaverunt Deum dicentes, *Te Deum laudamus*. Dignum namque erat, ut per cujus sancta monita suæ carnis mulier detrimenta sustinuerat; per ejus florentia merita remedium sibi repromissum habere gauderet, ipso donante, cui est regnum & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

PARS TERTIA.

De Inventione & Miraculis sanctæ Bertæ.

2. NOn debet silere humanæ lingua carnis, quæ Dominus ad laudem & gloriam sui nominis, suorúmque Sanctorum honorem dignatur sæpissime operari. Quapropter illo tribuente qui os mutorum aperit, & infantium linguas facit disertas; hoc nostro opusculo Ecclesiæ filiis enarrabimus quædam miracula, quæ meritis sanctæ Bertæ dignata est ostendere pietas divina.

3. Tempore igitur HENRICI Francorum Regis erat quidam locus qui Blangiacus vocabatur, qui in antiquis temporibus dives valde habebatur & nobilis: quò Dei famula Berta in Dei Genitricis honore Monasterium construxit, catervámque Sanctimonialium non modicam congregavit, Monasteriúmque magnis honoribus ditavit: ubi etiam postea ipsa Dei amica honorificè corpore humata quievit. Evoluto autem multo tempore, irruentibus intra Galliæ fines paganis, multi servorum Dei tollentes Sanctorum corpora, ad tuta confugiebant loca. Ipsi verò pagani quorumdam Sanctorum corpora in suis cremabant igne sepulcris, affligentes quos ibi reperiebant Fideles diris suppliciis. Tali ergo timore exterritæ Sanctimoniales feminæ Blangiaci Cœnobii, tulerunt sibi corpus sanctissimum Dei famulæ Bertæ cum optimis ornamentis. Fugientes verò transportaverunt illud ad locum qui Alsiacus dicitur, ibíque per plurimos jacuit annos. Multi autem infirmi à suis doloribus ibi ejus sanati sunt meritis. Ob id ergo Blangiacense Monasterium, quod ipsa mirificè construxerat, in destructionem venit. Venerabilis autem Dei amica

nolens locum, quem ædificaverat, quémque multùm dum in corpore viveret dilexerat, omnino relinquere; obtinuit (ut reor) apud Deum, ut à quibusdam Clericis Blangiaco manentibus ejus requireretur corpus: quod & factum est. Requisitum ergo est à Clericis, quorum unus ALBUINUS, altérque dicebatur EBROINUS: & inventum atque Deo annuente Blangiaco reportatum, ac super altare sanctæ Dei Genitricis decenter est collocatum. Post verò unius anni spatium, nutu illius à quo bona cuncta procedunt, à Præsule [a] Tarwanensis Ecclesiæ Clericis & omni populo cum hymnis & laudibus, plurimis præ gaudio flentibus, est ostensum. Ubi ille cujus sapientiæ non est numerus, quique facit mirabilia magna solus, & facit misericordiam omnibus ad se confugientibus, tale miraculum est operatus.

CIRCA AN. DCC XXV. JULII IV.

4. Erat namque quædam puella, quæ cujusdam infirmitatis onere pressa oculorum lumen amiserat. Hæc cùm didicisset Præsulem advenire ad ostendendum populo corpus sanctæ Bertæ, venit cum ceteris ad tanti sollemnia gaudii, confisa de Dei misericordia & de meritis ejus famulæ, quòd sibi diu subtractum lumen posset restituere. Deus autem qui dixit mulieri Cananeæ, *Fiat tibi sicut vis;* respiciens fidem hujus puellæ reddidit ei lumen meritis sanctæ Bertæ. Nam, ut dictum est, veniente ipsa cum matre ceterísque mulieribus festivitatis devotione, & celebrantibus Monachis vigiliarum sollemnia, jacebat ipsa prostrata corpore ante altare sanctæ Dei famulæ, exorans misericordiam, ut sibi dignaretur subvenire. Expletis verò Matutinis Monachi longo noctis spatio fatigati in Dei servitio, ut est usus humanæ fragilitatis, paullulum remedium quærentes lectulis suis se collocavere, in Ecclesia donec dies illucesceret ipsa remanente. At verò dum prima lux diei apparuisset, ipsa de qua fit relatio, elevans oculos ad altare, quasi explorando quid ejus genitrix & ceteræ mulieres quæ secum erant agerent, cœpit paullatim quasi crescendo ante se lumen diei videre. Vocatáque matre ait flebili voce: Dulcissima mi, jam dies illucescit. Et illa: Quomodo, inquit, filia, nosti? Ipsa verò ex intimo cordis suspirans, ait: Agamus gratias Deo, quia diu desideratum lumen merui videre meritis benefactricis meæ beatissimæ Bertæ. Cui mater: Cur, inquit, filia, sic te jactando loqueris? Si Dei beneficium erga te factum cognoscis, oportet te potiùs silere, quàm loqui, donec omnis agnoscat populus, quid tibi meritis hujus Sanctæ acciderit. Sic autem illis sermocinantibus, absque ductore venit filia ante altare, & inclinato capite quasi commeatum petens, cœpit ad hospitium ire. Mater verò accurrens, ac manum illius arripiens, volebat eam, ut solita erat, deducere. sed illa illius ductum omnino respuens aiebat matri suæ: Cur, mater mi, sic me deducere conaris, cui Dominus sua bonitate, Sanctæque suæ meritis jam cæli lumen videre concessit? Cùm hæc ita dicerentur, venerunt ad hospitium præstolantes Præsulis adventum, ut ostenderet populo beatæ Bertæ corpus gloriosum. Adveniente autem hora diei tertia egressus Præsul cum Monachorum caterva seu non modica populi utriusque sexus multitudine, ferentes humeris sanctissimum corpus, Monachis psallentibus, populísque lætantibus adscenderunt ad supercilium cujusdam montis, ut tam desiderabilis thesaurus ab omnibus posset videri. Completo autem ad populum sermone, ostendit ipse Præsul populo caput beatissimæ Bertæ: quod multi cernentes, cœperunt præ gaudio flere. Præfata verò puella adspiciens illud, cœpit clariùs videre cuncta mundi hujus. Accepta autem populus Præsulis benedictione, ad propria revertebatur unusquisque cum magna exsultatione. Sæpe autem dicta puella coacta à matre, per quindecim dierum spatium celabat sibi præstitum à Deo beneficium. Sed paullatim narrantibus aliis, aliísque audientibus, tam gloriosum miraculum processit in publicum. Quod

Cæca lumē recipit.

[a] Drogone scilicet, de quo jam plura in Actis S. Vvinnoci superiùs adnotata.

Circa An. DCC XXV. Julii IV.

audiens Gaufridus Monachus sanctæ Bertæ famulus, ceteríque Cœnobii Fratres, immensas Deo ex animo referebant grates. Et convocantes omnem loci illius populum, enarrabant tam gloriosum miraculum. Elevantes verò cuncti voces suas cum manibus ad cælum, in commune benedicebant Dominum.

Paralyticus sanatur.

5. Huic etiam & aliud dignum adjungere duximus ob laudem Dei famulæ miraculum, quod oculis vidimus ejusdem meritis cælitus taliter factum. Est quoddam castellum intra Flandriæ fines in cacumine cujusdam montis situm, octo fere millibus à castro sancti Pauli distans, nomine *Hosdegh*. Ibi veniens prædictus Monachus reperit quemdam Clericum ita paralysi dissolutum, ut officio careret utrorumque pedum, & vix aliorum manibus sustentatus, à domo ad Ecclesiam, iterúmque ab Ecclesia deferretur ad domum. Cùm ergo Monachum vidisset, percunctari cœpit quisnam esset. Qui verò adstabant sibi, indicaverunt quis & unde esset. At ille rogans eum venire ad se ait: Domine Pater, si nosti aliquod hujus meæ infirmitatis medicamentum, sive in oleribus, sive in specierum generibus, edicito; ut tuo instructus magisterio, paritérque fultus auxilio, tanto valeam eripi dolore quo torqueor. Monachus ergo hæc audiens dixit illi: Certè, Frater, hujus qua premeris infirmitatis natura est talis, ut qui eâ percussus fuerit, ut tu esse dignosceris, aut vix, aut nullo modo à Medicis possit curari. Sed si animæ & corporis tui salutem obtinere cupis, impetra ab amicis seu parentibus tuis, ut ad sanctæ Dei famulæ Bertæ sepulcrum quantocius feraris. Et si ex toto corde credideris quòd ipsa te suis sanare possit meritis, confido in Dei ac Sanctæ suæ bonitate, quòd quidquid petieris impetrabis. Ille autem hæc audiens gaudio repletus, jámque de Dei bonitate, sanctæque Bertæ meritis securus, suos expetebat amicos, ut sibi quantocius subvenirent, séque ad sanctæ Bertæ tumulum deferrent. quod & factum est. Veniente autem illo, jussit prædictus Frater, ut ante fores Ecclesiæ in lectulo collocaretur, & ibi sibi alimenta ministrarentur. Jacuit ergo ibi ter quinis diebus, Dei famulæ bonitatem exspectans, ejus meritis se juvari posse omnino credens. Ille autem qui Centurionis fidem respiciens, puerum illius, etsi corpore absens, tamen Deitate præsens sanavit: hujus infirmi fidem attendens, quòd ejus famula sibi, si vellet, subvenire posset, ita eum ab omni infirmitate liberavit, ut de lecto exsiliens ad instar cervi, novos quosdam saltus ab introitu Ecclesiæ usque ad sanctæ Dei famulæ tumulum expeditè daret, Deum laudans, sanctæque Bertæ gratias referens, cujus meritis se sanitati redditum noverat. Hoc autem Cœnobitæ loci illius audientes, altisonis vocibus Omnipotentem pro tantis beneficiis meritis sanctæ Bertæ illi loco concessis, laudabant.*

* *Hic feminæ Blangiacensis cæcæ curatio omissa.*

S. Bertæ velo imposito clarè videt alius.

6. Alio quoque tempore erat quidam adolescens, qui oculos apertos habens nihil omnino videbat. qui veniens quadam die ducente se avuncula sua ad sanctæ Bertæ sepulcrum, ejus flagitabat auxilium. Expleta autem oratione erigens se postulabat ut duceretur ad Monachum qui dicebatur Gaufridus, quatenus suos oculos velamine capitis Dei famulæ Bertæ tangere dignaretur. Ductus est autem per medium Ecclesiæ ad Monachum, & reperit eum cum Rogerio Comite & ejus conjuge Berta sedentem super Ecclesiæ quæ tunc fabricabatur fundamentum. Cùm verò illum vidisset conjux inclyti Principis Rogerii, interrogavit quid sibi vellet. At ille: Domina mi, inquit, dominum quæro Gaufridum, ut mihi restituat lumen oculorum meorum. At illa subridens ait: Numquid non ipse peccator est, sicut & ceteri homines? Et ille: Domina, inquit, si tetigerit oculos meos velamine capitis sanctæ Bertæ, confido de Dei bonitate, quòd ipsa suis sanctis meritis, expulsis tenebris me faciet cæli lumen videre. Quod audiens nobilissimus Comes Rogerius

misericordia motus dixit Monacho jam dicto, út quod ille cum fide petebat, non denegaret illi. Respondens autem prædictus Frater ait adolescenti: Vade, & cras revertere horâ primâ diei, ut quod petis, Deo tribuente accipere valeas. qui jussionem adimplens ivit ad hospitium, posteráque die reversus venit ante altare sanctæ Dei Genitricis. Tunc Ecclesiæ custos sacrosanctum velamen accipiens tetigit oculos illius ita dicens: Fiat tibi beatissimæ Bertæ meritis secundùm tuam fidem. Et statim fugata cæcitate cœpit ante se Monachos stantes adspicere.

Circa An. DCCXXV. Jul. IV.

Pars quarta.

7. Quoniam sicut Psalmista ait, Mirabilis Deus in sanctis suis; quæ per beatam Bertam famulam suam ad ipsius laudem Deus operari dignatus sit, pauca de pluribus miracula excerpere, quóque in loco vel tempore acta sint, ad præsentium memoriam, ad futurorum notitiam describere decrevimus.

8. Anno igitur ab Incarnatione Domini MCCXXXIX, quarto Nonas Julii, qua die beata Berta munda de mundo migrasse dignoscitur, quædam mulier de villa quæ Capella vocatur, operis cupida, infortunii sui nescia, filum in traolium de fuso extrahere cœpit: sed Dei judicio præventa, nervos brachii ejus retrahere, digitos manui tam fortiter infigere sensit, ut nec traolium excutere, nec digitos ullatenus posset extendere. Illa verò reatus sui conscia tremens & ejulans Blangiacum venit; Ecclesiámque intrans coram feretro S Bertæ se projecit, se graviter peccasse coram omnibus confessa cum magno gemitu & lacrymis Dei misericordiam & beatæ Bertæ auxilium cœpit implorare. Quid plura? adveniente nocte ante matutinos Dei misericordia adfuit, miseram respexit, nervos laxavit, digitos resolvit, ex toto infirmam sanavit. quæ se sanatam sentiens, custodes Ecclesiæ ilico vocavit, sanam se clamavit: manum ostendit; traolium super feretrum S. Bertæ deposuit. Mane autem facto Abbas Blangiaci domnus GISLEBERTUS, & Abbas S. Wlmari domnus BALDUINUS, omnésque Monachi in Ecclesia convenerunt, pulsantésque signa Deo cum lacrymis laudes cantaverunt. quo audito utriusque sexus & ætatis plurimi concurrerunt, miraculum viderunt, Deum & sanctam Bertam ejus famulam benedixerunt.

Mulieri digiti contracti extenduntur.

9. Eodem quoque tempore dum feretrum beatæ Bertæ ad villam quæ vocatur Anelusium deferretur, quædam puella ætate septennis gravi passione percussa, toto corpore tremens, os ad aurem usque retrorsum habens, à parentibus delata feretro sanctæ Bertæ supponitur: ibíque obdormiens, tam sibi quam parentibus sana restituitur, toto vitæ suæ tempore Dei & sanctæ Bertæ se esse ancillam, illique servituram promittens.

10. Per idem quoque tempus dum hi, qui feretrum portabant, in villam quæ vocatur Alteïa, devenirent; juvenes loci illius in platea ludentes, nostros irridere cœperunt. quibus nostri: Vestro inquiunt, malo hoc facitis, quia non impune feretis, quòd Bertæ famulos irridetis. His dictis feretrum in quadam foliata de ramis arborum ibidem facta deposuerunt. Mira res! in crastino partem maximam illius villæ, & etiam domos ex utraque parte foliatæ illi contiguas, in qua feretrum positum fuerat, ignis consumsit, nec foliatam contingere præsumsit. Quod videntes loci illius incolæ, Deum & beatam Bertam benedixerunt; locúmque illum maximo deinceps in honore habere cœperunt*.

* *hic quædã omissa.*

11. Quadam die cùm Sacerdos Missam cantaturus jam revestitus esset, & secretarius vinum ad Missam cantandam deferre debuisset, vas vinarium petiit: nihílque vini in vase reperiens, expavit; magistrum vocavit; quod acci-

Vinum pro Missa cælitus datum.

Circa An. DCC XXV. Jul. IV. derat intimavit. Magister verò adveniens, ubi vas vinarium esset interrogavit. Audito verò quòd in armario vas vino vacuum esset, illuc properavit; vasque priùs vacuum, vino plenum reperit. quod videns primò obstupuit, rem apud seipsum celare disposuit: postea autem rem ut gesta fuerat, Fratribus manifestavit.

Mutæ vox restituta. 12. Contigit tempore domni RICARDI Abbatis, quamdam feminam triduo dæmonum astutiâ linguæ officio carentem, quasi unius horæ spatio loqui gestientem, ante altare sanctæ Bertæ miserabiliter ejulare. Cúmque omnes adstantes pro ipsa lacrymabiliter sanctam Bertam acclamarent; statim quæ muta fuerat, Deo ac sanctæ Bertæ benedicens loquelam recepit, &c.

MONITUM.

ACCEPI etiam ex eodem Monasterio catalogum Abbatum Blangiacensium, & narrationem historicam de S. Bertæ corporis delatione Audomaropolim in Refugium (ut vocant) Monasterii S. Johannis in Monte, facta anno M D LV, *dum bellum inter Carolum V Imperatorem & Franciscum I Regem Francorum exarderet; déque ejusdem corporis revectione Blangiacum, ubi hactenus adservatur unà cum Reliquiis sanctarum Bertæ filiarum Gertrudis & Deotilæ, præter mandibulam S. Bertæ aliámque Gertrudis aut Deotilæ, Monachis prædicti Cœnobii S. Johannis concessas. Colitur S. Berta duplici festo quotannis in suo Monasterio, nempe die depositionis 4 Julii, & translationis 11 Octobris. Animus erat hîc subjicere catalogum Abbatum, nisi advertissem quosdam in eo Abbates desiderari, in his* HUGONEM Abbatem Blangiacensem, *quem invenio subscripsisse chartæ Gerardi Morinorum Episcopi pro Bertinianis Monachis,* anno dominicæ Inc. M X C V I I, Indict. I V, X V Kal. Novemb. in Synodo.



Ann. Chr. DCC XXVI. Nov. XXVI.

DE SANCTO MARTINO MONACHO CORBEIENSI, CAROLI PRINCIPIS CAPELLANO.

1. *IN veterrimis Annalibus Francorum, quos Andreas Chesnius secundo loco edidit in tomo 2, hæc leguntur:* Anno DCC XXVI MARTINUS mortuus est. *Quis fuerit Martinus ille, hactenus fere ignotus, docent nos alii Annales vulgati à Philippo Labbeo tomo 2 Bibliothecæ novæ pag. 733, ubi hæc verba:* Anno DCC XXVI Martinus mortuus est. Fuit autem Monachus in Corbeïa, vir vitæ continentissimæ, & adprime eruditus, quem KAROLUS Dux in summa veneratione habuit,. & peccata sua ei confitebatur, *nempe Carolus Princeps, cognomento Martellus.*

2. *Locus iste, qui Martinum nostrum non parum jam illustrat, animo injecit studium diligentioris inquisitionis. & ecce in miscellaneis historicis Bernardi Guidonis tomo I Bibliothecæ Labbeanæ hæc item de Martino invenio.* Sanctus Martinus Confessor, qui fuit Capellanus Karoli, apud S. Præjectum prope Axiam in Domino requiescit: cujus sacrum caput habent Fratres Prædicatores Lemovicis, cujus partem quidam furtivè abstulit. & cùm apud quamdam matronam deposuisset, pro eo quod minùs reverenter illud tra-

ctaret, terruit eam per somnia & per visiones horribiles; nec cessavit sanctus Confessor, quousque caput suum reportari fecit. Is quoque vindictam in homines castri Lemovicensis, qui Ecclesiam suam invaserant & violaverant, dum Sacerdos celebraret divina, in eadem die exercuit. nam interfecti fuerunt atrociter ab inimicis suis de Axia plusquam triginta, anno Domini MCCLXXIII. *Locus S. Prajecti opidulum est, vulgò* S. Priet, *ad Vigennam fluvium, altero miliari Gallico à civitate Lemovicis, prope Axiam opidum*, Aixé. *Eo in loco honoratur S. Martinus noster; cujus diem festum celebrant* VI *Kal. Decembris. Ejus caput amisere Dominicani Lemovicenses, adservat nunc Ecclesia S. Prajecti, quò voticausâ confluere solent qui podagrâ laborant. Gaufredus Prior Vosiensis agens de illustrioribus Lemovicum sanctis viris, Martini hujus non meminit. Martinus floruit* GRIMONE *Abbate Corbeiensi quinto, qui ab Childeberto Rege & Dagoberto ejus filio immunitatis à Iudicum exactionibus impetravit. Is est Grimo Abbas, quem unà cum Sigeberto Reclauso Cœnobii Dionysiani Carolus Princeps Romam ad limina sanctorum Apostolorum misisse ad Gregorium Papam secundum dicitur in Chronici Fredegariani continuatione cap. 110.* ANN. CHR. DCCXXVI. NOV. XXVI.

3. *Hæc sunt quæ reperire potui de S. Martino Corbeiensi Monacho, & Caroli Principis cognomento Martelli Capellano: quem Martinum fastis Benedictinis primus insero, aliósque non paucos. Si quid amplius de Martino isto discere potero, id in additionibus ad hoc Sæculum exponam.*



VITA S. PATERNI MONACHI ET MARTYRIS APUD SENONAS.

CIRCA AN. DCCXXVI. NOV. XIII.

Ex ms. cod. Bibliothecæ Chesnianæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. RES *gestas S.* PATERNI * *Monachi rudi minerva exaravit antiquus Auctor anonymus, expolire tentavit anonymus alter, & is quidem Monachus, ut patet ex Prologo sequenti. Auctoris utriusque ætas incerta.* CLARIUS *Cœnobii S. Petri Senonici Monachus ineunte sæculo* XI, *meminit* Passionis, *id est libelli de passione* S. Paterni.

* S. Paterni

2. *Idem Sanctus memoratur tum in sinceris Usuardi & Adonis Martyrologiis, tum in pervetusto alio Biturici Parthenonis S. Laurentii, edito apud Labbeum tomo 2 Bibliotheca nova, & quidem iisdem ubique verbis, sed non eodem die. Nam in Usuardino & Biturico S. Paterni memoria celebratur* pridie Idus Novemb. *at apud Adonem* Idibus *ejusdem mensis, in hunc modum:* In territorio Senonico S. Paterni Martyris. *Ita Martyrologia tria: si tamen Bituricum aliud est ab Usuardino.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. IN describendo beati PATERNI gloriosissimam passionem ne vestris sanctis jussionibus deservirem, hactenus mihi silentium imperavit, quia conscientia testis compulit castigando insulsam ignorantiam insipidæ mentis, arguens attentari, quòd nullo virium posse valeret fulciri: ne si audax præsumtio ad hæc appetenda quoquo modo adspiraret, in ipso limine sui ponderis gravedine victa succumberet. præsertim cùm huic operi accommodo in nulla numerabar prærogativa, nec in ea quæ vocant Grammatici vitia sollicitaverat me cavendi diligentia. Nam mihi satyrici arriserat clausula, & nos, ait, ergo manum

Circa An. DCCXXVI. Nov. XIII. ferulæ subduximus. Et cùm animo tenerem superabundare numero philosophicis debriatos haustibus, & facundiæ lepore dicacissimos; stupore tenebar attonitus, ab eo cui vix plebeia sufficiebat rusticitas, tam excellentia flagitari. Suppeditabat alio excusationis obtentu, quia ignotum à quo antiquitatis temporibus ipsius Sancti digesta Passio, adeo inordinatè & confusè hiulca suis partibus & sententiis scatuit, ut vix profundioris ingenii viri queat intelligentiæ spiculis terebrari. His multiplicioribus ad evitandum armato telis objecistis clypeum validæ retunsionis, prolato in medio evangelici servi exemplo, qui pro ligato talento in sudario, & in terræ defosso obruto, fraudatus est debitè exoptabili domini sui *Euge*. Processerunt & alia se acerrimè in me residentia, maximè illius regularis censura sententiæ: si qua fratri injungantur impossibilia. quibus acceptis, in facie totiúsque vultus perfusus rubore, in nullo reluctari potui; vestris non adsentari jussis. Ergo aggressurus tam scrupeum iter, posco me obnixè vestris precibus juvari apud pretiosum Christi Martyrem, ut ejus intercessorio obtentu, ille meo dignanter illabatur pectori, qui ubi vult spirans, linguas infantium disertas facit, & balbutientium ora currere facit per sermonem plana. Sed & illud est impensè observandum, ut si fortassis (quod vereor) quocumque modo editum opus prodierit in publicum, auctoris nomen non divulgetur, ne per hoc minùs habeant laudis præconia tanti Patroni, & auctor inuratur notâ præsumtivæ temeritatis.

Auctor antiquã scriptionem expolit, Monachus.

Regula S. Bened. cap. 68.

INCIPIT PASSIO.

2. IGITUR PATERNUS Armoricana [a] regione, civitate Constantia oriundus, quodam præsago nomine sic dictus. qui nos paterno affectu foveat orationibus, conciliet meritis, illustret virtutibus, atque à peccatorum gravamine sublevet crebris intercessionibus. Hic à puero Monasterio Saxiaco [b] traditur à parentibus divinis dogmatibus imbuendus, & regularibus disciplinis admodum informandus. Qui sub cujusdam patris regimine constitutus, quem Abbatis officio omnis Fratrum sibi prælegerat concio, in tenera adhuc ætate inoffensè quæ Dei sunt cœpit agere: quæ quotidie augmentando, & ad ea quæ ante sunt pedetentim se extendendo, usque ad finem perduxit vitæ. Concupiscentiis carnalibus reluctando, & se mundo crucifigendo, dicere cum Apostolo poterat: *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus*. Orationibus se assiduabat, quia legerat: *Oportet semper orare, & non deficere*. quid dicam? quàm pernox erat in vigiliis, stabilis in laboribus! Namque ut carnis sibi rebellionem faciliùs expugnando subjugare posset, ferreis nexibus artus corporis sui damnaverat. Jejuniorum verò sibi ita abstinentiam indixerat, ut cùm alii Fratres ad vesperam fatigata jejuniis corpora reficerent, iste vix septima die aliquid cibi potúsque indulgeri sibi permitteret. Cibos quoque, quos à Præposito Monasterii accipiebat, clanculò pauperibus distribuebat.

a Paternus Constantiensis,

b Monachus Saxiaci vivit rigidè.

Galat. 2. 20.

Luc. 18. 1.

3. Tantis ac talibus virtutum floribus honestam compingens vitam, mortalium cordibus se multimoda laude commendabat, & merito. quippe qui Dei dilectione se fecerat dignum, dignè hominibus reddebatur acceptus. Unâ itaque dierum certâ causâ Monasterii ostium egressus, obvium habuit

Cæco lumen reddit.

a Id est maritima. *Armor* siquidem *ad mare* significat. nam aliàs Constantia, vulgò *Coutance*, urbs episcopalis in Neustria sita est, non in Britannia minori, quam speciatim Armoricam appellamus.

b Saxiacum seu Sesciacum Monasterium agri Constantiensis, conditum est ab alio Paterno, postea Episcopo Abrincatensi, à quo locus dictus *S. Pair*, ad oram Oceani, destitutus Monachis, ut notavimus in Actis S. Paterni Episcopi in Supplemento Sæculi I tomo 2.

quemdam

quemdam cæcum, victûs indigentiam aliorum juvamine solari poscentem. quem tollens in partem (vitabat siquidem appetitum laudis humanæ) signo crucis orbatis luminibus impresso, & benedicti olei liquore perunctis, Christi invocato nomine dixit: Qui cæci nati ex sputo pulveri permixto oculos linivit, atque in natatoria Siloë lumine hactenus negato donavit; eâ potentiâ divinitatis, abstersâ cæcitatis caligine, dignetur tibi videndi gratiam infundere. Ad invocationem itaque tantæ virtutis, dicto citiùs sublata diu lux proprios reparavit obtutus. Cui subjungens vir Deo plenus, ait: Vade in domum tuam, & adnuntians Domini Salvatoris in te operata miracula, nihil horum Paterno peccatori audeas imputare magnalium, ne tibi pro talibus pejora contingant ulteriùs. Qui animo ultrà quàm credi potest lætus, omnia circumcirca perlustrans, prædicabat quanta in se esset operata divina potentia, beati Paterni in hoc cooperante munifica gratia. Hujus famâ miraculi exciti circumquaque populi, concurrentes ad eum, offerebant ei variis languoribus & debilitatibus utriusque sexûs medendos; quos ille sub invocatione Christi nominis sospitati restituens, salvos & gaudentes remittebat ad propria.

Circa An. DCCXXVI. Nov. XIII.

Sanat ægros ad se confluentes.

4. Quorum continuatâ frequentiâ Sanctus ille gravatus meditabatur tacitam à Monasterio digressionem: sed retardabat ejus promotionem quò tenderet locorum dubietas. Cúmque fatigatum vigiliis & orationibus corpus aliquantisper quieti indulsisset, eo soporato adest ei superna visio. Fidelissime, inquit, mi serve, facessat à te quæ tibi circumvolans instat abhinc proficiscendi sollicitudo. surge quantocius, & valedicens hujus regionis incolis, ne timeas, quia individuo meo frueris auxilio. Burgundiæ ne trepidâris fines expetere, & Senonicam adiens Metropolim urbémque ibi famâ percelebrem nobilitatis, tibi quoque nomine non ignotam; in vicinia dictæ urbis, Cœnobio scilicet sancti Petri Apostolorum Principis elige tibi habitaculum conversandi, ubi non modica Monachorum concio in Dei se continuat servitio. Cúmque repeteret, Surge, ne timeas, Angelus Domini bonus comitabitur tecum; maturè se proripiens, dicto omnibus vale cum dolore omnium cœpit iter arripere.

Angelico monitu hinc discedit.

5. Tandem prospero gradu devenit in pagum Vilcassinum *, & ut lucerna non sub modio, sed super candelabrum lampas, miraculorum signis occultari non potuit. Nam quædam mulier erat ex marito jam lacrymis conclamato habens filium in adolescentiæ annos evadentem: sed præfectoriæ dignitati quodam debitæ successionis officio obsequentem. Hic indigentis matris inopiam militari more adsecuto stipendiario solabatur subsidio. qui validæ infirmitatis incommodo arreptus, grassante vi languoris communem accepit sententiam mortis. Fortè tunc divina id præordinante clementia, beatum Paternum in proximum divertere fatigatio compulerat itineris. sagax sollicitudo matris Sanctum Domini pollentem miraculis illa relatu didicit adventasse in loca: quæ depositâ muliebri verecundiâ, in qua præponderabat flebiliter unigeniti orbitas, irremediabili infelix luctu, obviàm se præbens in occursu, ejus prolabitur pedibus inquiens: O Sancte Dei, si qua tibi sunt præcordia pietatis, si ingenitus tibi umquam fuit maternus affectus, ne neges me dignam tuis miserationibus. Mulier sum vidua, infeliciter viduata marito, infeliciùs unico orbata filio, & omni solamine destituta, nescio in quem ponenda mihi sint subveniendi consilia. redde eum tuis precibus matri, restitue piis petitionibus, ad hoc directus à Domino. & quidem credo tuam operam huic beneficio à Deo indultam. Cœpit senior venerabilis tam genuino affectu quàm mulieris luctu totus ad lacrymas commoveri, & blando alloquio suadere, ut suo anteire via daretur illi ad corpus

Viduæ filiũ exanimem suscitat.

** le Vexin*

Circa An. DCC XXVI. Nov. XIII. accedere. Gaudens illa accelerat hoc cum fide, & in eundo ingeminat istud cum singultu nimio: Hic, mi Pater, suo supplemento mariti vocabat * amplexus, fisci debiti nescio præstabat reditus, & quæ est semper suspecta viduis, extorrem me reddebat timidæ paupertatis. Heu me! infelix quo nunc me vertam? utinam me præoccuparent vitæ suprema! Hæc inter loquendo, ventum est quò cadaver exanime jacebat in loco. Quæ quasi subito renovato dolore, pansis crinibus, iterum plantas ejus amplectitur talia proferendo: Ecce in hoc, quem cernis, discrimen mihi est positum vitæ & mortis. si flatu spirantes receperit auras, vivam; sin minimè, letifero mox procumbendum est sopore. Itaque sanctus Domini Paternus corde tenus impendens se ejus doloribus, & in morem Elisei totum se componens super corpus defuncti, perfusus genas lacrymis, istiusmodi ad Dominum fudit verba orationis: Altissimi Patris ante sæcula unice, pro hominum salute primogenitus in tempore natus ex virgine, qui in resuscitatione filii dignatus es lacrymas viduæ compatiendo solari; etsi meorum peccaminum obstantibus meritis, tamen istius mulieris adsis propitius fidei mæroribus, &c. Necdum verbis finem imposuerat, cœperunt membra movendi reparare officia, totósque anima infusa per artus, vividum corpus maternis redditur obtutibus. Amaræ doloris lacrymæ recompensantur dulcibus lacrymis lætitiæ, exsultat mater gaudiis exsultationis, tripudiat plausibus omnis familia domûs, totáque novitate miraculi vertitur in admirationem, & venerationem Paterni Martyris. rapitur fama pernix per opida, per vicos illius pagi fit ingens concursus populi faciem pretiosi inspicere Martyris.

* f. viebat

Parisiis adit Episcopum.

6. Inde se se idem, quò citiùs potuit, præripiens ad evitandum elationis elogium, citato gressu adiit urbem Parisius. Cúmque jam ei esset proximus, intempestæ noctis silentio lassitudinem corporis reficiens somno, apparuit ei in spiritu ejusdem Parisiorum civitatis Episcopus. Unde factum est, ut plus solito se maturiùs agens, in occursum progrederetur Patris, quem ante in nocturna quiete spiritali conspexerat visione. Obviantes ergo se invicem propriis se salutavere nominibus; hactenúsque facie incogniti, alterutra præsentia sunt delectati. Cúmque inter se divinorum præceptorum sererent semina, & illo pane, quo vivunt etiam Angeli, sua dulcè animarent intima, vix Præsul obtinuit eum vel unam ibi facere diem. Insequenti igitur lucis initio, jam suo exortu procedente aurora, commendando se Deo invicem, inter alia adhortationis alloquia, sancti Pontificis sic se habuerunt verba: Perge, amantissime Deo plenus, aggredere partes tibi à bono JESU designatas, ubi & plurima boni operis largitione gaudium Domini tui consequeris, & demum cum palma martyrii cælestis sibi socium te adscíscet curia. At ipse Christo devotus divinitus illi inspirata cognoscens, commotus est amoris instinctu ei aperire, quo ordine tantæ peregrinationis iter expetierit superna admonitione: causámque ibidem suæ expeditionis, utpote sibi revelanti per ordinem pandit. Tunc pacis amplexu se iterum invicem commendantes, cum benedictione Pontificis beatus Paternus reddidit se labori cœpti itineris.

Jonnense Monasterium petit.

7. Exhinc recto tramite ad Senonicum pervenit Comitatum, ad portum qui Jonnensis vocatur tractus à villa Jonna, quæ sita est super ipsum Sequanæ flumen: ubi comperiens esse Cœnobium [a] sancti Petri Apostoli

[a] Nullum ampliùs exstat Cœnobium in vico Jonna, vernaculè *Ionne* ad Sequanam, prope Brajacum opidum, in Decanatu Trianguli, diœcesis Senonensis. Ecclesia loci hactenus S. Petro sacra est.

ſub veneratione ſacratum, paullulum errore inductus opinatus eſt locum eſſe, quem oraculi monitu juſſus fuerat adire. Cui ibidem ab Abbate ejuſdem loci cum ſumma veneratione occurritur. Jam enim fama ſanctitatis ejus ad eum perlata fuerat, ſicut & ubique locorum miraculorum ſigna & doctrinæ exhortatio vulgaverat. Deinde poſt mutuum colloquium ſanctæ exhortationis ſanctarúmque ſcripturârum ad invicem collocutionis, obnixè precatur unum ſe haberi ex eorum numero: quod adſecutus eſt amore ſanctæ devotionis.

Circa An. DCC XXVI. Nov. XIII.

Miracula patrat.

8. Cùm iterum illic iret in Eccleſiam, contuetur in atrio beati Petri jacentem puellam, quam ita paralyſis toto corpore damnaverat, ut nullum membrorum ejus proprio poſſet ſubvenire officio. In nomine, inquit, illius qui in ſe credentibus dedit poteſtatem ſuper ægros ponendi manus ut bene habeant, ejus omnipotenti virtute ſurge ſana. His dictis ſurrexit, acſi nihil antea infirmitatis perpeſſa eſſet in corpore. Hoc attoniti circumquaque populi miraculo, tanta ruit ad eum multitudo, ut non eſſet ſufficiens receptui ampliſſimus ambitus ipſius Templi.

9. Interea alia mulier auditu Sancti Dei famâ acceptâ, quæ clauſis oculorum feneſtris ſolaris ſplendoris caſſabatur gaudiis, dans regenti manum ductori, dictat ſe dirigi ad præſentiam beati Paterni. quò perducta, mox ut ſenſit ſe ab illo poſſe audiri, in his precariis verbis vocem effudit: Si te non abnegas ex illius diſcipulorum numero, per quem ſalus invecta eſt mundo, morigerare ejus miſericordiis, ut cæcitatis oculis infulgeat lux diu ademta ſolis. Diſtulit aliquantulùm Pater circumſeptus agmine populari clamans & dicens: Deſine, mulier, deſine ab iſtis. hoc propriè illorum eſt, qui in ejus veſtigiis innixi ſunt imitationis greſſu. Quam tandem evangelicus ſectator removens à turba ſeorſum, hac prece initiavit medicandi remedium: JESU bone, qui à cælorum arce ſuperna Sauli ſtraviſti ſuperba, & ſalubriter eum cæcitate multaſti corporea, ut paullum in proximo non modò corporali, verùm & mentali illuminares videndi gratiâ; eâ virtutis potentiâ hujus mulieris digneris irradiare oculorum lumina. Cui impreſſo crucis vexillo, locum dantibus obſcuris continuatæ noctis, infundi cœpta eſt clara lux phœbeæ lampadis: & ſe quodam modo videndo mirans, remeans ad propria præconabat cunctis Chriſti per Paternum magnalia.

Senonas ad S. Petri Cœnobium ſe recipit.

10. Jam magnificis exornatus miraculis, Deo nimiùm amabilis, ire perrexit ad mœnia Senonenſis urbis, expetens præfatum Cœnobium beati Petri Apoſtolorum Principis. quod ingreſſus cum Abbatis [a] & omnium venerabili proſecutione Fratrum pavimento adhærens, haud parvo morarum intervallo orationi incubuit, & ubertim lacrymis ſolum quo ſe proſtraverat humectans, auctori vitæ ſe commendabat intentè, ſanctique Petri interceſſionem ſibi in cunctis exorabat adeſſe.

Paralyticũ ſanat.

11. Cúmque ibidem aliquamdiu moras innecteret, ſuggeſſerunt ei Fratres humiliter, quemdam ſuorum Monachorum decubantem in lecto diutino languore. Jam, inquiunt, domine, quatuor annorum evoluta ſunt curricula ex quo debilitate pedum viandi ei denegatur officium, & obſtruſæ aurium januæ auditûs ei intercludunt donum. precamur ſupplices, ut concedas eum tua viſitatione dignum. Cum feſtinatione igitur pergit

[a] Huc ſpectant Clarii Monachi verba in Chronico: *Præerat Cœnobio B. Petri Chrodolinus Abbas, vir religione inclytus & ſanctitatis opinione famoſus, quo tempore vir ſanctiſſimus Chriſti Martyr Paternus à partibus Oceani veniens, divina admonitione, ſicut in ejus Paſſione legitur, in Cœnobio B. Petri ſub Abbatis imperio militavit.* De Cœnobio S. Petri plura in Vita S. Ebbonis Epiſcopi, infrà.

Circa An. DCCXXVI. Nov. XIII.

ad lectum ægrotantis, & manibus propriis pedes attrectans, & juxta exemplum Domini sui digitos in auriculas inferens, dixit: Et hic mihi adesse digneris, Salvator benignissime, qui tuâ præsentiâ surdis auditum, claudicantibus dignatus es reformare gressum. redde eum clementissime pristinæ incolumitati, ut per eum laus nominis tui prædicetur in sæculis. Et respondentibus qui aderant, Amen, mox ita sanatus est, ut propriis se regens ad Ecclesiam gressibus, auctori bonorum omnium gratias pro impensis beneficiis redderet. Non dissimile huic accessit & aliud miraculum.

Item febricitantem.

12. Quædam mulier tanta experiens miracula, obtulit ei filium quartano typo graviter laborantem. Extemplo ille Deo dilectus aquam sibi afferri præcepit: quam vexillo sanctæ crucis sanctificans, ei hauriendam jussit offerri. Bibit, & propitiante divina clementia, quæ semper se ex fide invocantibus præstò est, febris fugata, & incolumitatis sunt prospera subsecuta. Plura & innumerabilia per illum sunt curationum genera infirmantibus impertita. Etiam in expulsionibus dæmonum obsessorum corporum cælestis largitio non parva est operata. quæ quia nimis est longum litteris describendo mandare, ad seriem ejus passionis aptemus stilum exarationis.

A latronibus perimitur.

13. Aliquantulum effluxerat temporis, & sæpedictus Sanctus deliberavit regressum ad Jonnense Monasterium, distans quindecim millibus à beati Petri Senonensi Cœnobio. erátque ei iter per quamdam densissimam silvam [a], ita ut nec dextrâ vel sinistrâ ab ea divertendi esset aditus. Quam ingrediens, latrocinantium ibi non parvam multitudinem offendit: quem percunctantes quò dirigeret gressum, respondit ad Monasterium Jonnense se itinerari. Cúmque cum eis adorsus esset sermocinari, cœpit eos miti arguere increpatione, cur in insidiis prætereuntium dispositi mortibus delectarentur, & innocentum sanguinum effusione se debriarent, spoliísque & rapinis immaniter grassarentur. Ut quid, ait, miseri, sedetis in occultis quasi leo in insidiis? &c. At illi verba ejus subsannando spernentes, & in suæ obstinationis malitia perdurantes, de ejus nece cœperunt mente tractare. Unde ad eorum insultationem ille aliquantisper commotus: Nisi ab his properè cœptis finem desistendo imposueritis, judiciariæ potestati vos manifestare habeo, quatinus illius determinata sententia à temporali supplicio vos ad æternæ damnationis tormenta transmittat. Sed rursus commoneo vos & suadeo, agite pœnitentiam, & ad Domini affluentissimam convolate misericordiam, &c. Enimverò illi in impœnitenti proposito perdurantes, maximè verentes detegi potestati sæculari, ex sententia quam audierant comminantis Beati, vinctum manicis & compedibus in abditiora silvæ deduxerunt, & sic juxta cujusdam arboris stipitem gladio capite plexum dimiserunt. Sic vir Christo amabilis, rosei sanguinis stolâ indutus, victorioso palmatus triumpho, angelico plausu cælico est exceptus capitolio. At in hora, quâ ille Dei servus capitali multatus est sententia, tanta ibi apparuit virtus Domini, ut in ejus ipsi qui jugulo mucronem strinxerant, pavoris formidine resoluti, instar Centurionis in passione Domini, pugnis pectus percutientes dicerent: Verè hic, cujus irreverenter sanguinem fudimus, æterni Dei est amicus, cui sic elementa junguntur affectu compassionis.

[a] Silvam de Serginiis appellant, vulgò *la forest de Sergines*, à qua non longè distat Prioratus S. Paterni, de quo infrà. In hymno de S. Paterno, cani solito in Ecclesia S. Salvatoris de Brajaco: *A furibus decollatur in villa Sarginea, ab Ebbone inhumatur corpus cum lætitia, ab Angelis deportatur anima in gloria.*

14. Ut autem evidentiùs meritum clarescceret Martyris, unus ex tantorum satellitum numero pervasus dæmone immundo, bacchari cœpit furore dementissimo, & crebra iteratione nomen inclamitans Martyris, deludebat se vocibus plenis demoniacis querelis: O sancte Paterne, jam mea cooperatione muneratus cælo triumphali serto, ne me torqueri facias tam acerrimo flammarum incendio, &c. Talibus insaniens, arrepticio impetu totum se proruit super cadaver defuncti: ac statim ut eum contingere meruit, fugato dæmone, obsidenti se caruit importabili dominatione. Quod persecutores ceteri territi cernentes, passim palantes per diversa, fugæ sibi exposcunt præsidia. CIRCA AN. DCCXXVI. Nov. XIII. Unus ex eis à dæmone arreptus, postea liberatur.

15. Interea qualiter & quo ordine pretiosi Martyris corpus divina revelatione sit repertum, paucis credimus subnectendum. In devexi montis latere silvæ, quæ videbatur tantarum Reliquiarum sola esse conscia, sita est villa, cui Serginiæ nomen indidit antiquitas, in qua commanebat quidam dictus Tresulfus, quem per novenorum spatium annorum cæcitas corripuerat oculorum, nescio an propter correptionem vitæ melioris, an ad cumulum perfectionis, sicut contigit in Tobiæ oculis; an ad glorificationem altissimi Dei, ut factum est in cæco nato: & fortasse ut in oculorum ejus illuminatione ubique terrarum manifesta diffunderetur sanctitas in Martyre. Hic cùm bonorum operum studiis insudaret, dies noctésque orationibus & eleemosynis inserviret, noctis in quiete apparuit ei Angelus dicens in somnis: Eleemosynæ & orationes quibus incubas, jam sunt adnumeratæ in conspectu summæ majestatis. unde mane ortu diei initiante surgens è stratu, propera ocius in superiora montis, & adhibe tibi diligentiam investigandi, perquirens ubinam reconditum sit corpus beati Paterni Martyris: & confestim ut truncatum repereris cadaver exanime, mox clausæ sub fronte reserabuntur fenestræ, & cupito solari perfunderis oculis lumine. Demum ille plus sueto maturè lecto se attollens, advocatis domesticis, quibúsque etiam villæ accolis, properum se agit obtemperare jussis: veniénsque ad locum cum populari manu, omni conamine densa silvarum cœperunt succidere, quoúsque ventum est ubi sanctus Paternus à latronibus peremtus, & in spissioribus ramorum & fruticum fuerat projectus. At supradictus Tresulfus fixis in terram genibus, ac tundens manibus pectus sic cœpit orare: Benignissime Conditor & Redemtor perditæ humanitatis, qui Tobiæ cæcatos Raphaëlis medicinabili officio pristinæ luci restituisti, eodem pietatis effectu per interventionem istius Martyris Paterni refunde hujus lucis radios oculorum meorum sedibus, &c. Oravit, & ilico deterso cæcitatis nubilo claritatis lumine se illustratum gaudio tripudiavit non modico. Hoc viso miraculo cuncti qui aderant, hymnidica voce se in laudibus efferentes dicebant: Sit nomen tuum, Deus, benedictum in sæcula, &c. Tunc pretiosis vestibus obvolventes corpus sancti Paterni, & sabanis [a] nobiliter constringentes, cum omni diligentia in eodem loco condiderunt illud, parvúmque tugurium desuper construxerunt. Corpus sacrum perquirit cæcus. Eo reperto visum recipit.

16. Nuntiantur hæc omnia Episcopo Senonensi. Infulabatur autem tunc temporis pontificali stola EBBO doctrinâ & miraculis clarus: qui agnitis virtutibus quibus clarificabatur Dei sacer Martyr sanctus Paternus mundo, & de illuminatione fidelis sui Tresulfi (erat enim non tacitæ famæ in his regionibus) admodum lætitiâ est perfusus, maximè de inventione corporis jam dicti beati Paterni Martyris. & surgens mane cum albato Cleri- Corpus ab Ebbone sepultum.

[a] Id est linteaminibus. Paulus Papa I. in epistola ad Pippinum, ait se accepisse ab eo *Sabanum in quo ejus filia sacratissimo lavacro abluta suscepta est.*

Circa An. DCCXXVI. Nov. XIII. corum agmine & urbica multitudine, cœtu etiam Monachorum sancti Petri, cum crucibus & cereis pergit ad locum, quo cadaver sancti Paterni Martyris erat humatum: & accedentes cum magna reverentia levaverunt illud à beato monumento, impositâque antiphonâ cum psalmis & hymnis deportaverunt illud in locum, ubi revelatum fuerat sancto Præsuli Senonensi sepeliendum, & ubi idem vir Dei elegerat sibi tumulum ad se recondendum.

Basilica ibi erecta.

17. Super cujus tumulum idem prænominatus Tresulfus jussis sancti Pontificis spontanea devotione construxit Basilicam [a] miro opere & pulcro decore, ob honorem & reverentiam beati Paterni Martyris, totúmque in gyro territorium, quod ejus ditioni hereditario competebat jure, tradidit eidem Ecclesiæ perpetuò possidendum. Ubi vivifica Domini manus liquescere dat mortalibus, quo honore apud ipsum habeatur, dum ejus obtentu cæcis innovatur visus, obturatis aurium meatibus refunditur auditus, mancis restituuntur vividæ manus, claudorum formantur gressus, dæmones ab obsessis extruduntur corporibus, & omnia morborum genera patrocinante prece sancti Paterni Martyris intercessoria, ope curantur superna, maximè eo die quo celebritas passionis ejus excolitur annua, utpote tunc ad ejus corporis glebam maxima populorum confluente frequentia.

Mortis dies.

18. Passus est autem electus Dei testis Paternus Martyr in Idibus Novembribus Senonico Comitatu, villa Serginia, regnante & opitulante Domino nostro Jesu-Christo, qui cum Patre & Spiritu paraclito vivit & dominatur Deus per tempora sine fine manentia, Amen.

a Visitur haud procul à vico Serginiis Ecclesia & Prioratus S. Paterni Abbatiæ Bonævallis diœcesis Carnutensis subjectus: quo in loco S. Paterni corpus primùm sepultum crediderim; dein Brajacum ad Monasterium S. Salvatoris translatum, infrà.

APPENDIX.

De S. Paterni Reliquiis, & Brajaco Monasterio,

1. *Corpus S. Paterni sub finem seculi* x *translatum est ex Ecclesia (ut quidem reor) Serginiensi in Cœnobium S. Salvatoris de Brajaco. id quod testatur Clarius Monachus in Chronico.* In illo tempore, *nempe Hildemanni Senonici Pontificis*, erat quidem miles Burchardus, & uxor illius Hildegardis, qui habebant quamdam munitiunculam in pago Senonico super Sequanam fluvium, in loco qui vulgò dicitur Brajacus, in locis palustribus. Ibi exstruxerunt illi Cœnobium Monachorum in sua hereditate, in honore Domini Salvatoris; deferentes illic corpora sanctorum Paterni Martyris & Pavacii Confessoris. *Post aliquot annos* erat quidam miles Boso nomine, raptor fortissimus versutúsque moribus: qui ingressus in munitiunculam domni Burchardi apud Brajacum, deprædatus est cunctam provinciam vivente adhuc Hildegarde uxore supradicti Burchardi. Igitur Rainardus Comes indignatus super hac re, incendit munitiunculam ipsam, capto Bosone cum Basilica nostri Salvatoris, deferens inde Reliquias Ecclesiæ cum corporibus sanctorum Paterni & Pavacii in turrim Senonicæ civitatis. postea verò reddidit ea per deprecationem Thetbaldi Comitis, sub cujus dominatione idem locus esse videtur.

2. *Brajacum, vulgo* Bray, *opidum est ad Sequanam in diœcesi Senonensi, habens Ecclesiam & Prioratum S. Paterni, subjectum Carnutensi Bonavalli Abbatiæ Ordinis S. Benedicti, ex qua Monachi istuc mitti solent.*





SANCTI HADULFI ABBATIS VEDASTINI PRIMUM, DEIN EPISCOPI ATRABATENSIS, ELOGIUM HISTORICUM.

ANN. CHR. DCCXXVIII. MAII XIX.

1\. ATRABATES *seu Atrebates, Galliæ Belgicæ populi, S.* VEDASTO* *non tantùm Fidei restitutæ gratiam referunt acceptam; sed etiam urbis suæ incrementa & ornamentum. Is urbem ab Attila Hunnorum Duce labefactatam instauravit, Deiparæ virginis majorem ædem fœdè violatam expiavit, & ad* Crientium * *seu* Crientionem fluviolum *aliud inchoavit Oratorium sub nomine S. Petri, in pomœrio urbis situm: quod postmodum auctoris sui nomen accepit, accrevítque in percelebre Monasterium, immo in urbem, solo veteris muri interjectu à civitate distinctam. S.* HADULFUS *Monachus & Abbas fuit in eo Monasterio, de cujus primordiis quædam hîc præmittenda sunt.*

Atrabatum urbs quid debeat S. Vedasto.

* S. Vâst

* Crinchon

2\. *Vedastus* in Oratorio quod super litus Crientii fluvioli ædificaverat, requiescere disponebat, *inquit primariæ Vitæ Scriptor anonymus.* Sed tamen neque locus sic delectus, nec monumentum paratum esse videbatur. *Unde* tradiderunt eum sepulturæ in Ecclesia à dextro cornu altaris, ubi ipse pontificalis cathedræ fungebatur officio. *Anonymum ita reddidit Alcvvinus.* Ipse verò sepulturæ suæ locum in Oratorio quod paupere sumtu, id est ligneis tabulis prope litus Crientionis fluvioli ædificaverat, fieri disposuisse cognoscitur. Quod licet ipse pro humilitate qua semper usus est fieri voluisset, omnes tamen qui aderant, attendentes meritorum ejus insignia, indignum ducebant tanti viri corpus in loco humili debere sepeliri: præsertim cùm nec locus ipse habilis esset tanto monumento; nec palude obsitus, foret accessibilis populo. *Erat ergo principio exiguum S. Petri Oratorium, nec vivente dum S. Vedasto in Monasterium evaserat. Et tamen S. Vigor ejus discipulus, Episcopus Bajocensis, Monachus fuisse dicitur* in Monasterio S. Vedasti. *quod proinde non de Vedastino hodierno, siquidem necdum erat; sed de aliquo alio intelligendum est, forsitan de ipsa primaria Deiparæ Basilica, quæ à Balderico non semel* Monasterium *appellatur. S. Vedasti corpus in Ecclesia B. Mariæ* jacuit usque ad tempus B. Autberti, qui septimus in sede pontificali successit Episcopus, *testante Alcvvino. Is superno monitu corpus S. Vedasti transtulit in Oratorium Crientioni fluviolo impositum: ubi & amplioris Ecclesiæ molitus est ædificium, & Monasterium construxit, suísque rebus dotavit. Eo mortuo, istuc Monachos induxisse videtur successor Vindicianus, à quo* HATTA *primus Abbas Vedastini Cœnobii institutus est. Hattæ viro sancto successit* HADULFUS, *de quo agere instituimus. Qualis à primordiis fuerit Vedastini Cœnobii status, ita describit Alcvvinus.* Est autem locus ipse non longè ab eadem urbe, qui pro nobilitate sui Nobiliacus primò est appellatus. sed procedente tempore tam insignis effectus, ut urbis nomine quæ jam ruinis crebrioribus pæne obsoluerat, vocitetur. Est namque & largitione Fidelium sublimatus, & agmine Monachorum & aliorum Deo devotorum grege refertus: ubi incessanter quotidie divina celebrantur præconia, & frequenter cælestia facta sunt & fiunt miraculorum signa. *Floruere in eo Cœnobio viri sancti* HATTA & HADULFUS,

Monasterii Vedastini primordia.

ANN. CHR. DCCXXVIII. MAII XIX.

sæculo VIII; FULCO *paullo post* RADONEM, *sæculo* IX; *B.* RICHARDUS *& S.* POPPO *Abbates, sæculo* XI; *quibus meritò adjungendus* LIETDUINUS *Richardi successor, Balduino Episcopo multùm laudatus. De his agemus opportunis locis. interim de Hatta & Hadulfo dicendum.*

S. Hatta Abbas primus,

3. HATTA *Cœnobii Vedastini Abbas primus, Blandinio accitus, à Vindiciano Camaracensi Episcopo* secundo ordinationis ejus anno benedictus, simul Gandensem S. Petri Abbatiam, quæ in monte Blandinio sita est, nobiliter regebat, *uti legimus in Actis S. Eusebiæ in Sæculo 2 Benedictino.* Quo tempore sancta Autberti anima carne soluta supernam Hierusalem petiit, certum quid ad nostram notitiam non pervenit, *inquit Fulbertus in ejus Vita.* Incertum est etiam, *teste Balderico in Chron. lib. 1 cap. 28*, quanto tempore Vindicianus *Autberti successor* Ecclesiam Camaracensium rexerit. Ideo de his melius est silere, quàm fabulosum quid conficere. *Verumtamen ex eodem Balderico certum est*, Vindicianum ejusdem Ecclesiæ sedem regendam suscepisse temporibus Theoderici Regis filii Chlodovei ex Bathilde, *& quidem (ut videtur) antequam Theodoricus à Childerico fratre pelleretur, hoc est anno circà* DC LXX. *Certè jam Episcopus erat ante annum* DC LXXVIII, *quum S. Leodegarius Ebroïni jussu necatus est. siquidem de ejus corpore adversùs alios Episcopos litem movit. Ergo si Hatta* anno secundo *ordinationis S. Vindiciani Abbas Vedastinus est institutus; non anno* DCXC, *ut vulgò scribunt, sed anno circà* DC LXXII *id contigit.* Vindicianus suo tempore omnes inquietudines à Monasterio S. Vedasti scripto Præcepto exclusit, ut quietè & secundùm Regulam S. BENEDICTI Monachi viventes Deo servirent, *uti apud Baldericum legitur in Chron. lib. 1 cap. 106. Quamdiu Cœnobium Vedastinum rexerit Hatta, incompertum. Hattam in Sanctorum albo reponunt nonnulli, alii Kalendis Februarii, alii* XVI *Kalend. tametsi apud Vedastinos nostros in ecclesiasticis officiis nulla sit ejus memoria, neque apud Blandinienses.*

Hadulfus secundus, pòst Episcopus.

4. *Hattæ successit* HADULFUS *ex-Præposito (ut putant) Monasterii Vedastini. Quid rei egerit in Abbatiali regimine, nobis latet. Vix plura novimus de ejus pontificatu.* Beato Vindiciano, *inquit Baldericus in lib. 1 cap. 34*, Hildebertus in Episcopium successit: cui Hunoldus. Hoc defuncto ad episcopale solium HADULFUS eligitur, quem adserunt quidam filium fuisse S. Ragnulfi Martyris: de quo hi qui nostris superfuere temporibus Fideles testati sunt, multa se ad sepulcrum ejus vidisse miracula. *S. Ragnulfus in villa sua Teludo, secundo ab urbe lapide occubuisse dicitur. Hadulfum in episcopatu propositum Monachi, Abbatis & Patris nomen retinuisse ferunt, ac devixisse* XIV *Kalend. Iunii, quo die in codice sacramentali Ratoldi Abbatis Corbeïensis ante annos* DCL *manu descripto notatur his verbis:* Atrebas depositio S. Hadulfi Episcopi. *ipsóque die apud Atrabates colitur, duplici quidem officio in Vedastina, simplici in majori Ecclesia. Annum mortis ejus* DCC XXVIII *signant Annales veterrimi editi apud Labbeum in tomo 2 Bibliothecæ novæ pag. 733.* Anno DCC XXVIII Carolus fuit in Saxonia, & Adulfus Episcopus mortuus est. fuit autem de Camaraco, & habuit Abbatiam S. Vedasti. *Hinc explicantur Annales etiam vetustissimi Francorum, qui secundum tenent locum in tomo 2 Chesniano, ad hæc verba:* Anno DCC XXVIII Karolus fuit in Saxonia, & Hadulfus Episcopus mortuus est. *Ejus corpus in Oratorio S. Petri, quod ad partem australem Cœnobii Vedastini hactenus cernitur, sepultum est in sacello beatis virginibus Barbaræ & Catharinæ sacro: ubi vicino in pariete depicta conspicitur S. Hadulfi effigies cum subjectis versibus, nuper ex albo lapide restituta.*

Hîc jacuit sanctus speculum virtutis HADULFUS,
Qui vigil Atrebatum rexit ad astra chorum.
Dulcis ave nostris veniam Pater objice culpis,
Gratáque dilecto dona repende gregi.

5. Lo-

5. *Locum sepulturæ & corporis elevationem sic describit Baldericus in lib. 1 cap. 16.* Hic Hadulfus in Ecclesia S. Petri Apostoli, quæ intra muros castelli Atrebatensis est juxta Monasterium S. Vedasti, sepultus est. Hujus verò sanctitas procedente tempore multis mirisque portentis ostensa est: quorum præcipuus testis ædituus Monasterii S. Vedasti, ENGRANNO Cameracensi Episcopo visiones quas plerumque viderat propalavit: qui ergo testem idoneum animadvertens, sanctum corpus levavit. In qua elevatione, ad declaranda sancti viri merita, mulier quædam ab immundo spiritu mirificè liberata est. Unde Episcopus lætus, verbo facto ad populum, beati Hadulfi sollemnia in numero Sanctorum notificavit. *Sancti corpus in B. Vedasti Basilicam invexit Engrannus*, antè Corbeiensis Cœnobii S. Petri Monachus, *qui Atrabatensem & Camaracensem adeptus est sedem anno* CMLVII *in annos tres.* Sic autem Episcopii dignitatem implevit, ut propositum Monachi nullo modo excedere videretur, *ait Baldericus cap. 84 lib. 1. Addit in lib. 3 cap. 39, per Gerardum Episcopum ad novam Ecclesiæ B.* MARIÆ *dedicationem delatas Camaracum fuisse plurimorum Sanctorum, in his etiam S. Hadulfi Reliquias, anno scilicet* MXXX, XV *Kal. Novembr. cui supplicationi ac dedicationi interfuit beatus Richardus Abbas. Sancti loculum argenteum spoliarunt improbi milites anno* MCCCCXCII, *relictis tantùm æneis laminis.*

CIRCA AN. DCCXXVIII. MAII XIX.

Delatio Camaraci.

6. *Anno demum* MDCII *reverendus P. Philippus Caverelius Abbas Vedastinus, is qui Benedictinum Duaci collegium erexit; in quo Vedastini Cœnobitæ publicè litteras docent; adstantibus R. P. Bonaventura Fabro Maricolensi Abbate, multísque religiosis viris; S. Hadulfi Reliquiarum scrinium reseravit, in quo hoc scriptum repertum est.* Anno Verbi incarnati millesimo centesimo nonagesimo septimo, Indict. XV, Epactâ nullâ, concurrente 2, sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidente Cælestino Papa III, Willelmo autem Remorum Archiepiscopo, imperante glorioso Romanorum Imperatore Henrico, apud nos verò regnante fortissimo Francorum Rege Philippo, pugnante item contra nos potentissimo Anglorum Rege Richardo; reconditum est in isto feretro, ligatúmque in duobus pannis corpus beatissimi Confessoris Christi Hadulfi Cameracensis & Atrebatensis Episcopi à D. Henrico Abbate S. Vedasti, ipso die depositionis ejus, scilicet XIV Kalend. Junii feliciter Amen. *Loculum facta visitatione prædictus Abbas Philippus argento affabre elaborato decenter, ut nunc est, exornavit, & pone majus altare unà cum Reliquiis Sanctorum Vedasti ac Ragnulfi collocari curavit. Hæc à viro erudito ac religioso Stephano* le Pez *Cœnobita Vedastino accepi.*

7. *Eodem tempore floruerunt S.* ADULFUS *Episcopus, cujus Acta superiùs primo loco exhibuimus; &* HALDULFUS *Abbas Altimontensis, de quo legenda S. Ansberti Episcopi Vita Sæculo 2 Bened.*

Alii cognomines.

8. *Ad hoc etiam tempus spectat id quod in libro de mirac. S. Vedasti refertur* temporibus Pippini & Karolomanni Principum, ADALRICO ejusdem Monasterii Abbate, qui fuit probatissimus illis temporibus Medicus, *de quodam horto, quem à Karolomanno concessum* Theutbaldus Atrebatensis provinciæ Comes *Monasterio subripere tentavit, at restituere coactus est.*

9. *Non ab re erit observare hoc loco, Vedastini Monasterii primarium nomen,* Nobiliacum, *tribui etiam duobus aliis Galliæ Cœnobiis, nempe Nobiliaco Cœnobio prope Pictavorum urbem, vulgò* Noaillé, *quod est Ordinis S. Benedicti & Congregationis S. Mauri; & Nobiliaco Monasterio quondam, nunc opido & Ecclesia Collegiata sub nomine S. Leonardi in Lemovicibus.*



ANN. CHR. DCCXXVIII. MAII XIX.

seculo VIII; FULCO *paullo post* RADONEM, *seculo* IX; *B.* RICHARDUS *& S.* POPPO *Abbates, seculo* XI; *quibus meritò adjungendus* LIETDUINUS *Richardi successor, Balduino Episcopo multùm laudatus. De his agemus opportunis locis. interim de Hatta & Hadulfo dicendum.*

S. Hatta Abbas primus,

3. HATTA *Cœnobii Vedastini Abbas primus, Blandinio accitus, à Vindiciano Camaracensi Episcopo* secundo ordinationis ejus anno benedictus, simul Gandensem S. Petri Abbatiam, quæ in monte Blandinio sita est, nobiliter regebat, *uti legimus in Actis S. Eusebiæ in Sæculo 2 Benedictino.* Quo tempore sancta Autberti anima carne soluta supernam Hierusalem petiit, certum quid ad nostram notitiam non pervenit, *inquit Fulbertus in ejus Vita.* Incertum est etiam, *teste Balderico in Chron. lib. 1 cap. 28*, quanto tempore Vindicianus *Autberti successor* Ecclesiam Camaracensium rexerit. Ideo de his melius est silere, quàm fabulosum quid conficere. *Verumtamen ex eodem Balderico certum est,* Vindicianum ejusdem Ecclesiæ sedem regendam suscepisse temporibus Theoderici Regis filii Chlodovei ex Bathilde, *& quidem (ut videtur) antequam Theodoricus à Childerico fratre pelleretur, hoc est anno circà* DCLXX. *Certè jam Episcopus erat ante annum* DCLXXVIII, *quum S. Leodegarius Ebroïni jussu necatus est. siquidem de ejus corpore adversùs alios Episcopos litem movit. Ergo si Hatta* anno secundo *ordinationis S. Vindiciani Abbas Vedastinus est institutus; non anno* DCXC, *ut vulgò scribunt, sed anno circà* DCLXXII *id contigit.* Vindicianus suo tempore omnes inquietudines à Monasterio S. Vedasti scripto Præcepto exclusit, ut quietè & secundùm Regulam S. BENEDICTI Monachi viventes Deo servirent, *uti apud Baldericum legitur in Chron. lib. 1 cap. 106. Quamdiu Cœnobium Vedastinum rexerit Hatta, incompertum. Hattam in Sanctorum albo reponunt nonnulli, alii Kalendis Februarii, alii* XVI *Kalend. tametsi apud Vedastinos nostros in ecclesiasticis officiis nulla sit ejus memoria, neque apud Blandinienses.*

Hadulfus secundus, pòst Episcopus.

4. *Hattæ successit* HADULFUS *ex-Præposito (ut putant) Monasterii Vedastini. Quid rei egerit in Abbatiali regimine, nobis latet. Vix plura novimus de ejus pontificatu.* Beato Vindiciano, *inquit Baldericus in lib. 1 cap. 34,* Hildebertus in Episcopium successit: cui Hunoldus. Hoc defuncto ad episcopale solium HADULFUS eligitur, quem adserunt quidam filium fuisse S. Ragnulfi Martyris: de quo hi qui nostris superfuere temporibus Fideles testati sunt, multa se ad sepulcrum ejus vidisse miracula. *S. Ragnulfus in villa sua Teludo, secundo ab urbe lapide occubuisse dicitur. Hadulfum in episcopatu propositum Monachi, Abbatis & Patris nomen retinuisse ferunt, ac devixisse* XIV *Kalend. Iunii, quo die in codice sacramentali Ratoldi Abbatis Corbeiensis ante annos* DCL *manu descripto notatur his verbis:* Atrebas depositio S. Hadulfi Episcopi. *ipsóque die apud Atrabates colitur, duplici quidem officio in Vedastina, simplici in majori Ecclesia. Annum mortis ejus* DCC XXVIII *signant Annales veterrimi editi apud Labbeum in tomo 2 Bibliothecæ novæ pag. 733.* Anno DCC XXVIII Carolus fuit in Saxonia, & Adulfus Episcopus mortuus est. fuit autem de Camaraco, & habuit Abbatiam S. Vedasti. *Hinc explicantur Annales etiam vetustissimi Francorum, qui secundum tenent locum in tomo 2 Chesniano, ad hæc verba:* Anno DCC XXVIII Karolus fuit in Saxonia, & Hadulfus Episcopus mortuus est. *Ejus corpus in Oratorio S. Petri, quod ad partem australem Cœnobii Vedastini hactenus cernitur, sepultum est in sasello beatis virginibus Barbaræ & Catharinæ sacro: ubi vicino in pariete depicta conspicitur S. Hadulfi effigies cum subjectis versibus, nuper ex albo lapide restituta.*

Hìc jacuit sanctus speculum virtutis HADULFUS,
Qui vigil Atrebatum rexit ad astra chorum.
Dulcis ave nostris veniam Pater objice culpis,
Gratáque dilecto dona repende gregi.

5. Lo-

5. *Locum sepulturæ & corporis elevationem sic describit Baldericus in lib. 1 cap. 16.* Hic Hadulfus in Ecclesia S. Petri Apostoli, quæ intra muros castelli Atrebatensis est juxta Monasterium S. Vedasti, sepultus est. Hujus verò sanctitas procedente tempore multis mirísque portentis ostensa est: quorum præcipuus testis æditurus Monasterii S. Vedasti, ENGRANNO Cameracensi Episcopo visiones quas plerumque viderat propalavit: qui ergo testem idoneum animadvertens, sanctum corpus levavit. In qua elevatione, ad declaranda sancti viri merita, mulier quædam ab immundo spiritu mirificè liberata est. Unde Episcopus lætus, verbo facto ad populum, beati Hadulfi sollemnia in numero Sanctorum notificavit. *Sancti corpus in B. Vedasti Basilicam invexit Engrannus*, antè Corbeiensis Cœnobii S. Petri Monachus, *qui Atrabatensem & Camaracensem adeptus est sedem anno* CM LVII *in annos tres.* Sic autem Episcopii dignitatem implevit, ut propositum Monachi nullo modo excedere videretur, *ait Baldericus cap. 84 lib. 1. Addit in lib. 3 cap. 39, per Gerardum Episcopum ad novam Ecclesiæ B.* MARIÆ *dedicationem delatas Camaracum fuisse plurimorum Sanctorum, in his etiam S. Hadulfi Reliquias, anno scilicet* M XXX, XV *Kal. Novembr. cui supplicationi ac dedicationi interfuit beatus Richardus Abbas. Sancti loculum argenteum spoliarunt improbi milites anno* M CCCC XCII, *relictis tantùm æneis laminis.*

Circa An. DCCXXVIII. Maii XIX.

Delatio Camaraci.

6. *Anno demum* M DC II *reverendus P. Philippus Caverelius Abbas Vedastinus, is qui Benedictinum Duaci collegium erexit; in quo Vedastini Cœnobitæ publicè litteras docent; adstantibus R. P. Bonaventura Fabro Maricolensi Abbate, multísque religiosis viris; S. Hadulfi Reliquiarum scrinium reseravit, in quo hoc scriptum repertum est.* Anno Verbi incarnati millesimo centesimo nonagesimo septimo, Indict. XV, Epactâ nullâ, concurrente 2, sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidente Cælestino Papa III, Willelmo autem Remorum Archiepiscopo, imperante glorioso Romanorum Imperatore Henrico, apud nos verò regnante fortissimo Francorum Rege Philippo, pugnante item contra nos potentissimo Anglorum Rege Richardo; reconditum est in isto feretro, ligatúmque in duobus pannis corpus beatissimi Confessoris Christi Hadulfi Cameracensis & Atrebatensis Episcopi à D. Henrico Abbate S. Vedasti, ipso die depositionis ejus, scilicet XIV Kalend. Junii feliciter Amen. *Loculum facta visitatione prædictus Abbas Philippus argento affabre elaborato decenter, ut nunc est, exornavit, & pone majus altare unà cum Reliquiis Sanctorum Vedasti ac Ragnulfi collocari curavit. Hæc à viro erudito ac religioso Stephano* le Pez *Cœnobita Vedastino accepi.*


7. *Eodem tempore floruerunt S.* ADULFUS *Episcopus, cujus Acta superiùs primo loco exhibuimus; &* HALDULFUS *Abbas Altimontensis, de quo legenda S. Ansberti Episcopi Vita Saculo 2 Bened.*

Alii cognomines.

8. *Ad hoc etiam tempus spectat id quod in libro de mirac. S. Vedasti refertur* temporibus Pippini & Karolomanni Principum, ADALRICO ejusdem Monasterii Abbate, qui fuit probatissimus illis temporibus Medicus, *de quodam horto, quem à Karolomanno concessum* Theutbaldus Atrebatensis provinciæ Comes *Monasterio subripere tentavit, at restituere coactus est.*

9. *Non ab re erit observare hoc loco, Vedastini Monasterii primarium nomen,* Nobiliacum, *tribui etiam duobus aliis Galliæ Cœnobiis, nempe Nobiliaco Cœnobio prope Pictavorum urbem, vulgò* Noaillé, *quod est Ordinis S. Benedicti & Congregationis S. Mauri; & Nobiliaco Monasterio quondam, nunc opido & Ecclesia Collegiata sub nomine S. Leonardi in Lemovicibus.*





Circa An DCCXXVIII Jun. XX.

DE SANCTO BAINO EPISCOPO TARVENNENSI IN MORINIS.

Acta ejus intricata.

I. De S. Baino *Monacho primùm Fontanellensi in pago Rotomagensi, dein urbis Tarvenna Episcopo pauca scimus, & ea quidem tot modis intricata, ut filum abrumpere quàm dissolvere facilius videatur. Is laudatur in secunda Vita S. Vvandregisili & in Actis Eremberti Episcopi Tolosani Saculo 2. item in Actis S. Vulfranni Senonici Pontificis superiùs relatis; pracipuè verò in Chronici Fontanellensis cap. 2, ex quo sequentia excepimus.*

Is Fôtanellæ Abbas 5.

2. Bainus Episcopus de civitate Tiroanda, *id est Episcopus civitatis Tarvenna in Morinis*, quintus ab almifico ac cum omni honorificentia nominando protectore nostro clarissimo Sacerdote Wandregisilo regimen adsumit Cœnobii, ab anno videlicet septimo Hildeberti Francorum Regis, & tertio-decimo Sergii Papæ, usque ad decimum-quintum ejusdem Regis annum, *hoc est ab anno fere* DCC I *ad* DCC IX. *nam Sergium Papam Romana sedi vertente anno* DC LXXXVII *impositum fuisse constat: Childebertus verò Chlodoveo fratri successit anno* DC XCIV, *aut potiùs insequenti. Pergit Chronographus.*

Floriaco præficitur à Pippino.

3. Sub hujus tempore præfatus Pippinus gloriosissimus Dux Floriacum Cœnobium unà cum nobili conjuge sua Plectrude ædificat, quod situm est in pago Veliocassino anno duodecimo Hildeberti Regis (*malè in editis anno nono, ut constat ex diplomate Childeberti, infrà*) ipsúmque Bainum Rectorem ibi præfecit, plurimámque turbam Monachorum adunavit; ipsum autem Monasterium huic Cœnobio contradidit. *Floriacus, Fleury, modò opidulum quinto miliari Gallico ab urbe Rotomago distans, ad Andelam* * *amnem in finibus pagi Veliocassini* * *situs, nunc rudera solùm habet veteris Monasterii, redacti in Prioratum* de mensa Prioris S. Marcelli Cabilonensis, Ordinis Cluniacensis, *ut legitur in Bibliotheca Cluniacensi.*

* *l'Andele*
* *le Vexin*

Qua occasione.

4. Occasioni autem ædificationis prædicto Cœnobio idcirco fuit, quoniam isdem Princeps per invidorum consulta admirabilem Ansbertum de sede Rotomagensis Ecclesiæ expulerat, atque ad exsilium direxerat: in quo isdem agonista divinus ad æternam migravit requiem. Cúmque præfatus Princeps multas sanitatum virtutes audiret ab eo fieri, reminiscens culparum suarum, ob ejusdem militis Christi amorem ac reverentiam, simúlque ut indulgentiam mereretur accipere, hoc Cœnobium ædificavit, unáque cum omnibus rebus suis huic Cœnobio Fontinellæ perpetualiter tradidit possidendum.

Quo jure.

5. Sed de hoc Monasteriolo qualiter in potestatem ipsius gloriosissimi Ducis Pippini redactum fuerit, declarabo. Hic namque locus possessio fuerat antea cujusdam illustris viri, cui nomen erat Fraericus, qui ipsum Floriacum, licèt modico opere, in suo proprio à fundamentis construxit in honorem S. Annæ, S. Petri, & Anniani: & Xenodochium decem pauperum ibi constituit, ubi largitus est duas partes de ipso Floriaco; similiter de alia villa quæ dicitur Salcidus, & Gamapium qui dicitur Fuscinocurte; & de Fontanido tertiam partem, necnon & alia prædia. Quod actum esse constat sub anno quinto, regnante Theoderico Rege. Sequenti quoque tempore dum Pippinus Princeps singularem Francorum principatum obti-

tinuisset, superato Theoderico Rege & Bertario Majore-domûs, sæpedictus Fraericus prædictum Floriacum eidem contradidit, ea videlicet ratione, ut in majori elegantia ipsum locum sublimaret, ac Monachorum congregationem ibidem constitueret: quod ita & factum est. Denique evocatum ipsum venerabilem Patrem idem Princeps hoc Cœnobium ædificare jussit, Rectorémque constituit, sicut in largitione quam de ipso locello huic Monasterio tradidit, scriptum fore constat. Sic enim inter cetera illic insertum reperitur: Ubi constituimus virum strenuum & Dei cultorem domnum Bainum ipsum Rectorem Monasterii Fontinellensis, ea videlicet conditione, ut ex præfato Monasterio Fontinella post recessum ejusdem Baini, ipsi Monachi in ipso Floriaco Cœnobio consistentes, omni tempore Rectores & gubernatores habeant, & sub eorum ditione nostris & futuris temporibus permaneant, ac sub nostra ac heredum nostrorum defensione ipsa loca perenniter tuenda consistant. Actum est anno duodecimo regnante Hildeberto Rege. In quo conventu interfuit idem gloriosissimus Princeps, & nobilis conjunx ejus Plectrudis, filiique eorum Drogo & Grimoldus, Grippo & alii plures. *Plures alias donationes S. Baino tum Fontanellensi Abbati factas omittimus.*

Circa An: DCCXXVIII. Junii XX.

6. *Hic notare juvat, Bainum in præcitato Pippini diplomate* Rectorem Monasterii Fontinellensis, *necdum* Episcopum *appellari, quod argumento est, ipsum anno* XII Childeberti, *id est anno* DCC VI, *nondum ad sedem Tarvennicam evectum fuisse, contra quam Malbrancus & alii opinantur. immo nonnisi post annos octo aut novem, quibus Abbas Fontanellæ præfuit, successorem sortitus Benignum Abbatem Childeberti Regis anno* XVI, *Christi* DCC X, *uti in Actis Benigni Abbatis superius vidimus. Valeat proinde Malbrancus, dum ait in lib. 4 de Morinis cap. 20, Bainum vivente adhuc Audomaro sedi Tarvennicæ impositum fuisse; Romam profectum Sergio Romano Pontifice cap. 31, & alia id genus nullo teste idoneo confirmata. Quamdiu illam Ecclesiam rexerit Bainus, incompertum est. regiminis annos duodecim ipsi tribuit Malbrancus: quibus exactis Fontanellam sese reddidisse creditur, privatam acturus vitam. Successorem habuit* RAVENGERUM, *Ravengerus S.* ERKEMBODONEM *ex-Abbate Bertiniano, de quo sic Iohannes Iperius in Chron. cap. 4 parte 2.* Anno tertio Regis Theoderici, qui fuit annus DCC XVI, *immo annus* DCC XXIV. Domnus sanctus Erkembodo noster Abbas Tarvanensis Ecclesiæ sublimatur Antistes post Ravengerum, qui Baini, qui Draucii, qui B. Præsulis Audomari fuere successores. *Vulgatis S. Audomari litteris de Sithivensi Basilica beatæ* MARIÆ Baginus Episcopus *subscripsisse reperitur cum* Gravengero *seu* Ravengero *Episcopo. quod quidem factum credimus, non eo tempore quo litteræ confectæ sunt; sed forsitan (si litteræ vitiatæ non sunt) alter post alterum, quo quisque tempore ad regimen Ecclesiæ Tarvennicæ accessit, absque novis litteris Audomari instrumentum signo suo ratum esse voluit, ut in Vita S. Audomari diximus ad ann. 709.*

Episcopus Tarvennæ, quando.

7. S. Bainus inter innumera bonitatis opera quæ gessit, etiam corpora sanctorum Wandregisili, Ansberti, atque Wlframni in Ecclesiam B. Principis Apostolorum Petri e Basilica S. Pauli Apostoli transtulisse *dicitur. De anno ita variant notæ chronologicæ, uti ad Acta S. Vulframni superius vidimus, nihil ut certi pronuntiari possit. S. Eremberti Tolosani Episcopi corpus in Ecclesiam S. Pauli transferre jussit.*

Transfert corpora SS.

8. Obiit idem Episcopus Bainus XII Kalend. Julii, *inquit Chronographus Fontanellensis. Gemeticensis codex vetus de Vita S. Vulframni signat* annum DCC XXVIII. *nec citiùs sanè obiisse dicendus est S. Bainus, siquidem corpus S. Vulframni loco movit. Sepultus est in Cœnobio Fontanellæ, ubi tum privatus degebat.*

Moritur.

ANN. CHR. DCCXVIII. OCT. XIX.

VITA S. THEOFREDI ABBATIS CALMELIACENSIS, MARTYRIS IN GALLIA,

Auctore anonymo, qui ante sæculum XI vixisse videtur.

Ex mſ. cod. Monaſterii S. Theoffredi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores.



1. **V**ITAM S. THEOFREDI ſeu Theotfridi *Abbatis varii ſcripſerunt Auctores, in quibus præferendus videtur Anonymus hic, cujus libellum ex mſ. codice Calmeliacenſi nunc primùm edimus. Ætatem ſuam utcumque indicat num. 9. ubi interdictum, quo feminis in Eccleſiam Monaſterii negabatur ingreſſus, ſuo tempore adhuc viguiſſe ait. Atqui ritus ille in paucis Monaſteriis perſeveravit ultra ſæculum* X. *Præter hunc Auctorem legimus alia duo S. Theofredi Elogia apud Labbeum tomo 2 Bibliothecæ novæ; item aliud in mſ. cod. Cheſniano, excerptum ex Chronico Monaſterii S. Theofredi: ex quibus verſus quoſdam huc referre juvat.*

Notanda quædam.

2. *In primo Elogio Labbeano dicitur Theofredus parentes habuiſſe gentiles (quod repugnat aliis ſcriptoribus) apud* Tregreſſim, *fortè Tricaſtinam* urbem: *ab eáque digreſſus veniſſe* in Comitatum Velaunenſem, in vicum qui vocatur Sollemniacus*, *ibíque* Laurentio *Preſbytero adhæſiſſe haud procul à loco*, quem vulgus linguâ ruſticâ Calmilium vocat. *tum ob increpitos incolas qui ſimulacrum quoddam adorabant, lapidibus & fuſtibus appetitus, demum accepto in capite vulnere vitam profudiſſe cum ſanguine, quem S. Savinianus Abbas cum Laurentio Preſbytero collegerit.* Hæc autem ſub Chlothario Rege facta *dicuntur, quum* quidam patriæ Princeps RITILIUS* nomine, natione Vallaïcus; BASILIUS civitati Arvernenſi *præerant: qui ob aſſidua S. Theofredi miracula, in loco ſepulturæ* Baſilicam parvam in honore S. Petri fabricaverint. *Iſta narratio longè recedit ab aliis, quæ præferenda videntur. tametſi ea hoc loco non viſa eſt prætermittenda, ut eruditis detur occaſio altiùs eruendæ veritatis. Certè* SAVINIANUS Abbas, *cujus mentio nulla apud alios Auctores, ſucceſſiſſe dicitur Theofredo in regimen Cœnobii Calmeliacenſis, ubi etiam colitur* VI Idus Junii. *an alius à Saviniano S. Menelei diſcipulo?*

* al. Soleviacus, Sonlignac

* f. Rutilius

Theofredi memoria & Monaſterium.

3. *S. Theofredi memoria in antiquis Martyrologiis non habetur. Ludovicus Auguſtus cognomento Pius* Monaſterium S. Theotfridi *reparaſſe memoratur in libro de Vita ſua ab Anonymo ſcripta. Celebre exſtat ad hanc uſque diem Monaſterium S. Theofredi ſub Ordine S. Benedicti, primitus* Calmeliacenſe *appellatum, ſive à* Calmelio vico *ex præmiſſis, ſive à Calmelio Duce ejus (ut aiunt) conditore. Id ſitum eſt in diœceſi Anicienſi* apud Velaunos* ad Anſam* amnem & radices montis Meſentii, ex quo Ligeris fluvius originem habet. Audiendus Auctor anonymus Chronici Calmeliacenſis ex mſ. cod. Cheſniano.* Monaſterium quod nunc S. Theofredi Martyris ad radices præcelſi montis Meſentii poſitum, omnium montium eminentioris, quibus Celtæ ab Aquitanis diſterminantur, qua parte iidem Aquitani Orientem ſive Meridiem reſpiciunt; ex quo monte Ligeris fluvius ſuam originem ducit: ibíque non longè Bonæ-fidei Carthuſianorum totius in Aquitania ejuſdem Ordinis antiquiſſimum ſitum eſt. Monaſterium olim Calmeliacenſe Cœnobium appellatum vetuſta hujuſce Monaſterii S. Theofredi tradit antiquitas, à Calmelio ſcilicet illius prædicti à fundamentis ædificatore. *Nunc iſtud Monaſterium vulgò* Monaſtier *ab incolis dicitur, aliis Monaſterium ſancti Theofredi, vernaculè* de S. Chaffie. *Abbatem primum habuit S.* Eudonem *Theofredi deceſſorem; inſtauratorem* Dalmatium *Abbatem, Ludovico Pio ferente ſuppetias. Privilegiis gaudet ampliſſimis, Abbate Regulari: pluribúſque membris nobilitatur, in his Prioratu Camelarienſi, qui non longè infra Monaſterium cernitur. S. Bernardus Abbas Clarevallenſis de eo agit in epiſtola 231.*

* le Puis
* le Velay
* l'Anſe

Viri pii & illuſtres.

4. *Præter Sanctos jam memoratos, ex eodem Aſceterio prodierunt nonnulli ad inſulas*

Anicienses, in quibus GODESCALCUS *anno* CML, *qui S. Hildefonsi Toletani Episcopi opus de virginitate B.* MARIÆ *ex Hispania retulit; & Guido Godescalci successor, auctor Monasterii S. Petri apud Anicium. Et quoniam Godescalci mentio se offert, huc adscribam quæ de eo legi in quodam ms. cod. Carolilocensi diœcesis Silvanectensis in hac verba.* Ego quidem GOMESANUS, licèt indignus, Presbyterii tamen Ordine functus, in finibus Pampeloniæ Abba Hildensæ in Archisterio, infra atria sacra ferens Reliquias sancti ac beatissimi Martini Episcopi, regulariter degens sub regimine videlicet Dalquinti Abbatis, inter agmina Christi servorum ducentorum fere Monachorum; compulsus à GOTISCALCO Episcopo, qui gratiâ orandi egressus Aquitaniæ à partibus, devotione promtissima, magno comitatu fultus ad finem Galiciæ pergebat concitus, Dei misericordiâ S. Jacobi Apostoli suffragia humiliter imploraturus; libenter conscripsi libellum à B. Hildefonso Toletanæ sedis Episcopo dudum luculentissimè editum, in quo continetur de laude virginitatis S. MARIÆ perpetuæ virginis, JESU-CHRISTI Domini nostri genitricis: ubi prædictus Hildefonsus Episcopus divino spiramine afflatus, oraculis Prophetarum imbutus, Evangeliorum testimoniis roboratus, Apostolorum documentis instructus, cælestium simul & terrenorum contestatione firmatus, gladio verbi Dei Joviniani perfidiam vulneravit; & pugione verissimæ rationis Helvidii errorem destruxit; Judæorum quoque doctrinam, non solum adstipulatione Angelorum & hominum, sed etiam dæmonum prolata confessione jugulavit. Jam verò quàm dulcia, quámque divino munere comta promserit eloquia, quisquis in hoc libello sollerter legerit, facilè pervidebit; ex quo & credulus hauriet satietatem, & anceps reperiet, unde à se procul repellat erroris pravitatem. Unde æstimo incunctanter, ut pari gloria ditetur à Christo Pontifex GOTISCALCUS, quò hanc laudem Genitricis Domini nunc Aquitaniæ S. MARIÆ Annicio in propriam sedem specialiter advexit, sicut Hildefonsus Episcopus, qui eam universæ Ecclesiæ catholicæ dudum generaliter tradidit. quia etsi materia defuit laboris, æquiparatur tamen sacra devotio retributione mercedis. Mihi autem exiguo atque miserrimo Gomesano concedat Christus gloriosæ Genitricis suæ interventu placatus, hîc emundari à sorde facinorum, & post expletum vitæ hujus cursum cum Sanctis omnibus in regno cælorum perfrui gaudio feliciter sine fine mansuro. Amen. Transtulit autem hunc libellum sanctissimus Gotiscalcus Episcopus ex Hispania ad Aquitaniam tempore hiemis, diebus certis Januarii mensis, currente feliciter æra DCCCC LXXXIX, regnante Domino nostro JESU-CHRISTO. *Deinde sequitur in eo apographo, quod sine dubio excerptum est ex Godescalci exemplari, Vita S. Hildefonsi per Julianum hoc exordio:* Julianus loquitur Episcopus. Hildefonsus memoriâ sui temporis clarus, *&c. ut eam edidimus Sæculo nostro 2 ad ann. 667. cui Vita subjicitur liber Hildefonsi de Virginitate B.* MARIÆ, *præmissis titulo & initio in hunc modum:* Incipit confessio Hildefonsi. Deus lumen verum qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, *&c. eodem prorsus ordine & modo, quo nostra hoc de opusculo censura procedit loco jam citato.* ANN. CHR. DCCXXVIII. OCT. XIX.

1. ROMANI Imperii dignitatem Justino Cæsare sublimiter disponente, Regnúmque Francorum Theodeberti atque Theodorici Ildeberti Regis filiorum tirocinio cum sævissima Brunechilde Regina fortiter subjugante, apud Arvernam urbem floret ac præest vir Christianissimus Dux inclytus nomine CALMILIUS, cujus suberat ditioni Aquitaniæ pars non minima, nobiliúmque innumerosa tironum clientela, opida, rura, castella, ceterarúmque rerum copiosa affluentia, cùm etiam suffultus dogmate litterali, nullo carebat negotio mercuriali. Quadam verò die, populari privatus contubernio, contentus singulari comite, videlicet sene sapientissimo, incolit vicum Villarem vocabulo: ubi dum plura conjecit ex hujus mundi labente curriculo, transitoria commoda pro nihilo ducit, & ætherearum sedes divino perfusus spiritu quasi spiritaliter scandit. Calmelius Dux Arvernicus,

2. Placet ergo prædicto Principi nec procul ab eodem loco orationis domum pro ponderosi criminis levigatione ædificari, & sub honore Petri Apostolorum Principis dedicari, cujus cænopegiam Idus Octobris annuatim instituit iterari. Tunc circumquaque discurrens prædictus heros, ibidem inducit quos potest & dignoscit famulos, pro corporea & spiritali incolumitate supernam pietatem invocaturos: quibus indulget, ut nullo vacent merci- condit Monasterium S. Petri.

ANN. CHR. DCCXXVIII. OCT. XIX.

monio, plurimos vicos & prædia, unde ibidem commorantes corporea repellant necessaria: unúsque ex eis efficitur, licèt non deserat sæcularia, sed jugiter consolans eos paterno corripit verbere, ac speculativæ suggerit affamina vitæ.

B. Petri limina petés, *id est comitatu.

3. His ergo rite dispositis B. Petri revisit limina gratiâ orationis: quo præoccupatus in itinere, exiguo consolatur Fidelium aggere *, qui post plurima ex Fori-Juliensis se testantur esse congregatione. Verbis quoque non exiguis ventilantibus Lirinense Monasterium interserit unus, cujus summæ Religionis reverentiam docet ab ipso Principe rogatus, & quemadmodum summo Deo ibidem Cœnobitarum famuletur grex immensus. Quod audiens vir Dei Calmilius, in arcula mentis reponit tacitus, divinæ supplicans pietati quòd tanto sit cibo refocillatus. Itinere quoque finito, comitantibus ipsis à quibus pii solaminis verba dudum acceperat, ad famosissimum prædictúmque Cœnobium usque properat. Ea verò tempestate sanctæ præerat Congregationi beatus MAXIMUS[a], cujus vita magnis floruit virtutibus, intantum quòd tria resolvit cadavera tenebrosis nexibus: & sicut scriptum habetur in eorum annalibus; Regensis etiam præfuit Antistes egregius. quo accito omnia mentis arcana Calmilius retulit, & de exigui Oratorii opificio, & quia Patris suffragio egeret quem præponeret, pleniter dixit. Quibus cognitis, Justa est, inquit beatus Maximus, petitio, fili, cui summa pietas Dei, ac reverentia tui nos sine interstitio consentire jussit. committam ergo tibi sub providentia Altissimi exspectabilem virum genere & dilectum mihi persedulum litterarum, ac meditatorem divini negotii: quem cùm tu susceperis, tota caritate circumplectere, & prædicti tugurii Patrem delige. pollet enim bonis moribus, sanctis decoratus virtutibus. Tunc ex omni discipulorum religioso agmine venerabilem prælegit virum EUDONEM nomine, sublimem staturâ, penultima decoratum ætate, probatissimum virtutibus & omni honestate: cui Pater eximius quosdam Fratres tradidit, inter quos eum Abbatis vicem habere jussit, plurimum ejus confidens religioni, quoniam ipsum plenissimè educaverat sub disciplina Christi, ac devotissimum coaptaverat pedisequum sibi. Valedicens ergo omnibus, pro fraterno discessu cœpit dare magnos gemitus: & convocans sæpe memoratum Principem, movet eum de sancti viri custodia, datóque signo pacis jubet carpere itinera.

Lirinum petit.

Eudonem secum inde adducit.

4. Profectus itaque sanctus Eudo, cum Duce & sodalibus indictum maturat iter, donec deveniunt locum qui ex conditoris nomine Calmilius dicitur: quò cùm pervenissent, locum beato viro Princeps ostendit, & cum omnibus quæ ejus diœcesi videbantur adjacere tradidit, ac super omnia primatem constituit[b]. Quod vir Dei benignè accipiens Oratorium ibi designavit, pro tanto beneficio grates auctori referens. Quoad verò mundi naufragia declinans ibidem vixit, superbientem carnem viriliter edomuit, ac divinis exercitiis jugiter affectus, multósque divino exemplo & pia religione à tartarea fraude liberavit.

cui Monasterio præficit.

5. Cujus protractum generis si quis ignorat, pro temporis interstitio nobis aures commodet subnixis vera relatione & litterali testimonio. Uterinus quippe fuit frater LEOTFREDI Arausicæ civitatis nobilissimi viri. qui sub ætate adhuc tenera plurima aggressus pietatis conamina, cùm jamjam per-

Eudonis genus.

a Longè à temporibus illis aberat S. Maximus Regiensis Episcopus, qui post S. Honoratum Lirinensi Monasterio præfuit sæculo v.

b In fragmento Chronici ipsius Monasterii dicitur Calmelius his peractis *ad interiorem Arverniam* se recepisse, ibique *novo exstructo Monasterio*, Mauziacensi scilicet prope Ricomagum, *vita excessisse*.

fectus esset ætate & litterarum studio, Tragessinæ sedis summi Diaconi functus est officio. Sed perfunctorii fastûs nihili pendens culmina, effectus Monachus viriliter militavit Deo sub Lirinensi regula, donec ipsius loci Pater eximius transmisit eum habendum Aquitaniæ partibus, sicut suprà consequenter designavimus. Hæc hactenus dicta illis sufficiant, qui, quantus cujúsve religionis beatus Eudo fuerit, ignorant. Nunc verò patriam, parentésque replicabimus, unde sanctissimus Theofredus prædicti viri nepos ducat genus. ANN. CHR. DCCXXVIII. OCT. XIX.

6. Reverendissimus itaque THEOFREDUS, summa ab ipsa pueritia honestate decoratus, quondam egregia urbe Arausicæ* exortus, LEOTFREDO ipsius urbis nobilissimo Principe ac LEUTILDA[a] matre fertur progenitus. qui cùm totius affinitatis viros congrua sub ditione premerent, & dignitatis culmine ac rerum copiâ multos præirent, hac se potiùs opinantur sublimatos felicitate, quòd tantæ probitatis prolem gignere meruissent. Unde cùm jam tetigisset quinque lapsos solis annos, litteris traditur demum instruendus inter scholares egregios: ubi pegasei libans liquoris flumina intima, Doctorum tamdiu scrutatur volumina, donec inter eos non mediocris videtur suffragante sapientia. Qui quamvis sæpe legendo jugi inhæreret memoria, orationis tamen assiduæ nec aberat cura. Sed quoniam paternæ hereditati erat unicus, subditorum spes, & tantæ dignitatis salus; condigna parabantur ei ædificia ac numerosa divitiarum genera. Hæc omnia nihili pendit puer Deo devotus, & in pio scilicet abrenuntiandi sæculo proposito manet immotus. Jam enim multoties incaluerant aures Eudonis famâ religiosissimi, quem si quo modo posset imitari, sæpe subibat menti. Unde cùm Lirinensis Cœnobii gregem dudum visitaret Eudo, ac per nativam consolandi suos gratiâ patriam gressum flecteret, Tragessina sede triduo statuit commorari, vbi adhuc minùs vltimæ deditus professioni, officio fungebatur Diaconii. Quod audiens Leotfredus moram habens Arausicæ, ne sæpe quæsito defraudetur solamine, convocato filio & plurima carorum multitudine, quantocius properat fratrem visere. Tunc videres gaudia pacta fide lacrymis convenire; & inter fraternos amplexus omne dilectionis genus redundare. gaudet visio, gemit affectus, Fratribus adinvicem plurimum colloquentibus. Tunc sancta viri monita, mores, habitus & colloquia puer insignis Theofredus mente revolvit sollicita, donec eum ita alloquitur semotâ turbâ: Carissime, inquit, quem sæpe videre concupivi, te duce auctori rerum Domino militare decrevi. Unde paternam adiens præsentiam nostrum edoce propositum, & corripe ne divinæ resistat voluntati, licèt sibi sit obviàm. quibus si adsensum non præbuerit, perpetuum inter nos dissidium pullulabit. Properat vir beatus cum legatione salutari, & hæc mandata refert patri. quod senex audiens stupet inscius, & adhibito filio minas ingeminat & assiduos fremitus. Puer, inquit, paterna resolutio jam imminet, omnísque juvenum manus te sibi præponi assiduè monet. Ne permittas ergo exterum heredem propriam subripere sedem & tibi debitum solium. Omnis inde turba hoc ipsum iterat, indulgens incœptum si finem deserat. Sed ille vivo subnixus lapide, nec lacrymis movetur, nec pietatis mollescit voce, omnibúsque resistit primo adhærens incœpto, veluti immota silex ac marpesia cautes circumlatrante labenti fluvio. Quod pater videns irrevocabile, licèt mæstus itura pro sobole adquiescit benigniter, & assidua suggerit prece.

Theofredus prænobilis Arausicus, * Orange

Eudoni patruo se adjungit,

patre ægre annuente.

7. Tunc peractis omnibus, agmine coram posito incessanter deflens

a Menardus in lib. I Observat. in Martyrologium Bened. Theofredi matrem LEILITRIDEM vocat.

Ann. Chr DCCXXVIII. Oct. XIX.

committit filium pater patruo, miratur quisque puerilem animum, humectans largo flumine vultum. quos omnes Theofredus sic alloquitur, ut saltem in ultimo digressu consolentur. Constrictis, Fratres, doloribus nunc piæ lacrymæ cessent & gemitus, &c. Tunc dato osculo laxat habenas itinere sumto, quem turba mærens oculorum prosequitur lumine, donec frustratur visus per oppositas Alpes ac per spatia aëris. Quid plura? beatus Abbas Eudo feliciter ingreditur Calmiliacense Cœnobium cum puero: cui deponens comam capitis, piam Religionem docuit, & omni sancta conversatione informavit. ætate verò accedente cùm jam perfectis polleret moribus, exteriorem Monasterii curam sibi commisit funditus.

Monachus exteriorem Cœnobii curam gerit.

8. Quodam verò tempore sidus cancri sole adscendente, tunc cum fervor urget nimius, & canis fert pestem miseris mortalibus, ea scilicet diei parte cùm virgo jam superducit honestum os terræ, beatus Theofredus pro Monasterii utilitate Arvernicum pagum ingressus, sub condensa quercu apud Vallem-Vaveris refici volebat cum commilitonibus suis: quibus prandentibus ibi tres ex saltu contiguo prosiliunt viri. Quos cùm propiùs accessissent B. Theofredus percontatur, unde vel quò abirent. Horum minimus Meneleus nomine, hæc sibi placido intulit ore: Andegavensis ego, Meneleus nomine dicor, natus Amanulfo patre, vico Pissiniaco, & Docula matre, sicut testatur uterque. Cùm verò jam septimum ætatis primæ tetigissem annum, potenti Deo devovi castimonium, quod dum vixero ipso juvante non faciam irritum. Heros verò quidam Barontus, nimiùm nobilitatis genere ac divitiis fultus, suadebat mihi legitimos filiæ amplexus, patre quoque meo præbente adsensum. Sed animadvertens quod devoveram, omissis parentibus & relictâ patriâ, sicut ipse vides, peragro deserta, assiduè tamen quærens qui me litterarum instruat dogmata, ut cùm tempus advenerit, divino studio possim vacare. Cui Theofredus: Ipse & tui socii mecum pergite, quoniam satisfaciam desiderio & petitioni vestræ. Lætus ergo Meneleus pro tanto munere efficitur, & virum sanctum ad Calmiliacensis Cœnobii Patrem Eudonem usque prosequitur. quem ille, sicut innotuit Theofredus, benigniter suscepit, & perfectioribus viris educandum præbuit, sociis verò suis Saviniano & Constantio per ejusdem Monasterii tuguria cibaria præbere jussit. Per septem quoque annos B. Meneleus ibidem instruitur, & utraque eruditione, divina & litterali roboratur. Elapso verò prædicti cursu temporis, ultima sub requie cujusdam noctis, tunc videlicet cùm rosea micant vehiculis solis, & corusca luce properant ad supera laxis habenis, æthere lapsus Angelus, his eum soporatum in Oratorio verbis est aggressus: Cum sodalibus qui huc tecum advenere, ad locum ubi beatissimum Theofredum invenisti revertere, & ostendam tibi quid te oporteat agere. Expergefactus itaque Meneleus, B. Theofredum expetiit, & supernos visus ac monitus angelicos fideliter protulit. Quod postquam religiosissimo Patri Eudoni innotuit, immensas Deo pro cælesti visione grates dedit, & convocatis Saviniano & Constantio, supernæ committens eos pietati, in pace abire permisit.

Meneleum cum sociis secum adducit,

instruendum per annos septem.

9. Longo itaque confectus senio, sævissimo debacchante ad interna corripitur morbo. Unde fidelium adstante discipulorum collegio, sermone sancta produxit oracula benignissimo. Cognovimus, inquit, Fratres, quòd præsens adest & sæpe nobis minitatur resolutio corporis, nec vult nos ultrà perferre periculosi naufragia maris. Ergo cùm hanc deposuerimus sarcinam mortalitatis, & ipsa coronabimur incorruptione in regnum perpetuitatis, pro stabilitate vestri orabimus ante divinæ majestatis conspectum. Sed ne tantus grex absque pastore dispersus vagari incipiat, idoneum Dei famu-

Eudoni mortuo sufficitur.

famulum Theofredum patrem habeat, qui & pravos mores ancipiti resecabit mucrone, Fidelium quoque corda assiduo sulcabit vomere. His dictis felix anima à Deo coronanda suscipitur, cadaver verò ritè peractis divinis exsequiis sacro cæspite supponitur: cujus depositio nono post decimum Novembris mensis die [a] recolitur. Interea mæsti famuli pro discessu paterno, legali jugo subjiciunt colla procurante sanctissimo Theofredo: qui persedulus erga eos, omni invitabat studio, corroborans pater filios theorico subsidio, lupúmque invisibilem procul pellens sancta liberabat ovilia tartareo hiatu. Cùm verò summa pollens discretione magnus esset moribus, mentémque benignam similis designaret vultus; serpentis astutiam interiùs ita promeruit, ut etiam felle carens avis in simplicitate perfectiùs cohæreret ei. Ita enim studuit vivere, ut Deo placens hominibus esset exemplar justitiæ. Nam Oratorium tanta honestatis cautela providebat, ut nulli liceret in eo superfluitatis operari quidpiam: feminei verò accessus procul haberent sedem circa Templi januam. quam quia plures pro nihilo ducentes observantiam, divinum quondam * censent vetitum, incorruptibilis conservabitur usque in perpetuum. Sed hæc ad præsens mandare litteris & memoriæ non est nostrum. scribere curavimus quàm viriliter militavit servus Domino, dum adhuc viveret. Nunc verò interposita Menelei legatione & tanti Patris debita consolatione, non reticebimus quemadmodum pervenerit ad coronam martyrii proprio fusus cruore.

ANN. CHR. DCCXXVIII. OCT. XIX.

a

Mulieres arcet à Templi aditu.

* f. quidam

10. Denique quodam tempore familiari semotus obsequio, micrologum cudens de lapsu mundi senario, determinat eum sermone rhythmico. quem quia vitiatum novimus falsidicorum carie, si cœptum opus Deus annuerit perficere, propria decorabimus venustate, & ad laudem tanti Patris veritati restituemus pristinæ. Cui cùm extremam manum jam imponeret, & calamus liquore mentis exhaustus quiescere vellet, beati Menelei veredarius subitò paret ante faciem, sanctos ferens apices & continuam orationem. Suscipe, inquit, sanctissime Pater, precantis verba filii, & quem divino quondam satiasti ubere, ne differas consolari. accelera ergo concitus, commorigerantis dispone exercitia alumni & omnes incœptus: caritas enim quæ nos sub una fide copulavit, hæc licèt ardua deposcere suasit. His dictis surgit ocius, ac parans omnia indicto sub itinere est positus. Cúmque pervenisset ad Vallem-Vaveris, quæ mox Minarum mutuavit nomen pro regalibus minis, invenit virum Dei Meneleum, ibidem orationis ædificantem domum. quo viso post sanctos amplexus & pacis oscula, percontari cœpit Theofredus prospera & incommoda. At ille referens quòd digressus Calmiliacensi Cœnobio abactæ noctis cursu sub medio, cùm quieta flumina ventorum silent in mundo, ab Angelo monitus fuit ut ibi pararet domum summo rerum Auctori. injurias quoque quas patrante Baronto pertulit, vel quomodo divino correptus spiritu, amicitiæ ejus se copulaverit, & cetera accidentia pleniùs dixit. Quod præceptor audiens narrante discipulo, lætus reddit Deo grates pro tanto beneficio, totúmque diem illum & noctem pervigilem ducunt in laude Dei, & ædificatione construendi Monasterii. Quibus adinvicem colloquentibus EUSEBIUS [b] supervenit Arvernensis Episcopus: quem sanctus Theofredus benigna efflagitat oratione, ut Menelei comam consecret ac detondeat; itáque sub genere regali & pontificali moraliter eum vivere edoceat. Satisfecit votis Antistes egregius, & in honore Salvatoris ac perpetuæ virginis MARIÆ dedicatâ

Rhythmô componit.

Meneleum invisit.

b

Ecclesiæ dedicationi interest.

a Ipso die nempe XII Kalend. Decemb. colitur S. Eudo in Monasterio suo, laudatúrque in Actis S. Menelei & in Martyrologio Benedictino.

b Aliis Bonitus; cujus Acta dedimus suprà ad ann. 709. Menelei verò ad ann. 720.

CIRCA AN. DCCXXVIII. OCT. XIX. Basilicâ propriam domum est reversus. Prædictus verò Pater cum filio spiritali refocillatur edulio: sed sollicitudo suorum & præsens familiaritas suggerit ei regressum, omnésque dissolvere moras post concessum otium. Dispositis ergo omnibus saluberrimum vale dixit Fratribus, propero gradu sedem repetens, unde dudum venerat rogatus. Ubi quàm religiosissimè vixerit, præmissus ordo retulit: sequens verò quemadmodum ad coronam martyrii pervenerit, sicut suprà polliciti sumus, explicabit.

Martyrium ejusdem.

II. POST Incarnationem Domini nostri JESU-CHRISTI DCC XVII, aliàs DCC XVIII anno [a], cùm CAROLUS Pippini senioris filius Regnum obtineret, ac de RAMFRIDI Ducis tirocinio post multa bella & certamina Francorum Magistratum favente Deo abstulisset, rebúsque bellicis viriliter invigilans suæ ditioni supposuisset, necne barbaram gentem Ismaëlitarum cum expulso Duce totam Galliam occupantem duobus magnis prœliis devicisset; Eudo Dux Aquitaniæ qui à prædicto tyranno convocatus ac semel cum eo fugatus fuerat, Hispaniam ingressus, circa Regem eorum ABDIRAMA familiariter se habuit, & placatum munere & obsequio cum sævissimæ gentis innumerabili exercitu secum duxit. Unde ob injuriam sui ulciscendam à Burdegala usque ad Pictavensem urbem veniens, omnia consumsit, munitiones quoque & Ecclesias quas devastare potuit, populante gladio & comburente flamma hospitali subsidio vacare fecit. Et quoniam exercitus copiosus & innumerabilis fuerat usquequaque discurrens, totam provinciam ac Septimaniam conculcaverat: adveniénsque Gabalitanensem ac Vallavensem Comitatum, plurimos Dei famulos, utriusque sexûs multitudinem, nulli parcens ætati, horribili morte necaverat. Interim quoque dum his debacchatur partibus, divulgante fama adhuc piorum sanguine didicit cruentatus, quòd sæpe laudans Dominum Calmiliacensi degat tugurio sancti numerosa gregis & imbecillis multitudo. Quod non latuit athletam Dei Theofredum, prædicti Patrem Monasterii religiosissimum: sed cælesti perfusus dignoscit oraculo, quoniam loci ipsius proxima subsequatur desolatio. Ergo divulgat omnia evocato fideli agmine, etiam quòd ipse vitam finiret proprio fusus cruore. Scitote, inquit, proculdubio, Fratres dilectissimi, quòd plebs Agarena quæ nostras depopulat partes nullo parcens gregi, hunc post biduum veniens locum evertere funditus autumat, nósque imbelles ferocissima dilacerare rabie, captis spoliis pertractat: ideo, carissimi, qui sub loro fidei nobis præcipientibus colla submisistis, adsensum quæso jussibus præbete meis, ne sævissimi hostes cùm subitò advenerint, valeant triumphare de vobis. cuncta quoque quæ possunt transvehi humano vel pecuali auxilio, in interioris silvæ multiplici reponantur diversorio. Deinde quisque vestrûm propria teneat latibula, sperans in Domino, donec videatis quam consolationem præparet Dominus sancto populo. Et cùm plebs nequissima vestris discesserit domiciliis, grates Domino solventes ad propria redire valeatis.

[a] Caroli victoria adversus Ragenfridum contigit anno DCCXVII; at verò Theofredi martyrium anno DCCXXVIII, uti legitur in Elogio ejus secundo apud Labbeum, *Theoderico regnante, & Carolo Pippini senioris filio super Francos principante*. Huc forsan pertinet id quod dicit Beda in lib. 5 cap. 24, anno DCCXXVIII apparuisse cometas duos circa solem, eóque tempore gravissimam Saracenorum luem Gallias misera cæde vastasse. Confer tamen libellum de vita S. Pardulfi infrà, in quo legitur, Saracenos ab Carolo fusos anno DCCXXXII in Gothiam fugâ se recepisse, & obvia quæque ferro ac flammis corripuisse. an tum cæsus Theofredus?

12. Ad hæc sancta verba Patris piissimi irrevocabiliter flentes dixerunt alumni: Absit, Pater, ne doceas fugam urgente adversario, sed potiùs militare viriliter & diversa subire supplicia pro Christo Domino. Non est necesse, Pastor inquit eximius, sed persequentium declinate vesaniam, sicut ipse Dominus. At illi: Si testimonio confirmatos debacchantium furori nos cedere præcipis, & ipse nobiscum latibula petens salvaberis. Quos Pater immolandus ilico sermone compescit saluberrimo: Audistis, filii, Dominum confitentem in Evangelio, quòd omnis mercede ductus opilio commissas deserit oves sub agonis articulo. Cedite ergo sancta disperdere ovilia cupientibus, sicut multorum salus expostulat & præsens tempus. Nos verò nec vitâ perfrui, nec mortis vincula recusabimus. Cùm hæc & talia verba per diem revolverent integrum, ecce solis orbita properat ad occasum, sicut in libro Ecclesiastes Salomonis sapientia indicat opinandum, terrigenas autem cæca caligine recursus offuscat noctium. Et quoniam instabat tempus labori prohibitum, præcipit omnes congregari in unum. quibus dixit ad ultimum: Jam audistis, Fratres, quòd sæva gens, cujus adventus vos meritò sollicitat, Sanctorum veneranda limina ac Monasteria depopulat, fundénsque sanguinem innoxium nullius religioni parcat. Ergo humili poscentes devotione sanctam invocemus Trinitatem, quatenus locum hunc dignetur servare indemnem, & sibi in perpetuum servire Fidelium concedat congregationem: nec nos perire patiatur pro scelerum enormitate, sed misericorditer adspiciens ineffabili nos protegat pietate. Tunc ingressi Oratorium S. Petri cùm hæc diutiùs orassent, & surgentes ab oratione plurimi reclinatoria quæsivissent, remansit vir Dei cum exiguo agmine, & illam noctem insomnem duxit in omni spiritali laude. Horâ verò solitâ divina cum Fratribus celebrat officia: quibus peractis ex integro recreat omnes potu & spiritali cibo, statímque prædicta latibula quærere suggerit, ne moriantur omnes cùm hostis advenerit. Sed cùm filii hoc molestè ferrent, & absente Patre exire dissimularent, cœpit eos vir egregius his consolari collocutionibus: Miror, Fratres, & valde doleo, cur adhuc moramini, sanctorum Patrum vacuati testimonio. Paulus enim ut Damasceni minas præpositi evadere posset, submissus fugæ liber gaudet. Fundamentum quoque fidei Princeps Apostolorum Petrus Neronis quondam declinasset fremitus, nisi certamina movens obviàm venisset Dominus. Ergo cùm hæc & plura vobis pateant exemplaria, nolite refragari divinæ misericordiæ, quæ docet vos cavere futura mala. Nos etenim confisi in Domino hoc in loco substinebimus, & pro communi salute cælestia interim patrocinia implorabimus: nec decet ut tempore persecutionis pastor fugiat, licèt vibrantis gladium exemtum videat. Si verò necessitas exigit, dignam mortem subire expedit. Hæc cùm sæpe diceret iterato sermone, cœtus omnis vehementissimè cœpit flere. Tunc ipse commotus discipulorum lacrymis, divinæ invocat suffragia protectionis. Deus omnipotens, Rex immense & inenarrabilis, fons & origo totius pietatis, tu, Domine, quæ licent nosti & expediunt nobis. fiat ergo sicut placet oculis tuæ majestatis. Tunc muniti his orationibus, egredientes condensa silvarum petunt ocius, exceptis duobus Fratribus, quos secum retinere probitas suasit & virtus. Quibus fastigia montis juxta Monasterium siti adscendentibus, unde eventum rei cernere possent licentiùs, ipse ante venerandum B. Petri titulum in oratione est prostratus.

ANN. CHR. DCCXXVIII. OCT. XIX.

13. Nec mora subitò ferocissima Ismaëlitarum venit turba, sperans innoxium fundere sanguinem & multa subripere spolia. Postquam tot ædificia videt hospite vacare provido, fremit, bacchatur, nequit stare loco. Tunc circumquaque prosiliens invenit beatum virum, sicut suprà diximus, orationi

Circa An. DCCXXVIII. Oct. XIX.

deditum. Irruentes ergo viri nequissimi, acribus contudere eum verberibus, ac eliminantes percunctantur, ubi tot ædificiorum lateret populus. Quorum nefandis jussibus ipse respondet intrepidus: Vobis testificor, fratres, in veritate, quòd omnium protector Dominus cuncta subduxit immanitati vestræ, nec propter voluntatem ejus erit vobis licitum sancta disperdere agmina Fidelium. Nisi nobis, inquit plebs sævissima, omnia citiùs patefeceris quæ confiteris reposita, celsa Monasterii fastigia videbis ruere superante flamma, ac deinde tu ipse morte peribis pessima. Quibus vir beatus respondit: Cùm Dominus noster hujus sit defensor loci fortissimus, exinanire eum, sicut dicitis, adversantium non valent manus. quod si mortem mihi vultis inferre, dignum est pati pro ovibus, & in interitu nostro eas salvare. Illi verò nimio succensi furore videntes quòd nihil proficiunt, acriter eum cædentes semivivum relinquunt. Sed quoniam sollemnis dies secundùm ritum gentium intervenerat, procul ab Eclesia gens Ismaëlitarum ferocissima paterno more sacrificia celebrat. Quod animadvertens vir sanctissimus, Deo annuente resumtis viribus ad eos usque properans, in medio libantis populi hæc exhortationis verba est locutus: Si hæc dæmonibus tam devota mente sacrificia persolvitis, auctori rerum Deo cui elementa famulantur omnia, & quem omnia cælestium spiritalia collaudant agmina, his abdicatis ceremoniis condigna vos oporteret celebrare libamina. Ad hæc verba sævus debacchatur populus pro monitis viri, quem exstinctum putaverat, & votorum contemtibus. Princeps verò libaminum cùm hæc rationabiliter discernere debuerat, ingentem capiti ejus lapidem vibrat: quo statim corruit ictu vir sanctissimus, ac fuso sanguine polluta consecratur tellus. Mundissimi verò labente gleba corporis, locus ille contremuit [a], tantúmque sonitus ac motus terræ impiorum auribus insonuit, acsi omnis Monasterii fabrica lapsum Patris vellet imitari dolore commota: paganis verò velociter fugientibus crebra subsequuntur fulgura ac tenebrosus nimbus. Tunc procedente ventorum valitudine multipliciter feriuntur, ac nimio devastantur horrore; & licèt infideles, divina certamina cognovere. Abjectis ergo ceteris militiæ insignibus, parmis ad instar phœbeæ lampadis compactis conabantur defendere suppositum corpus. Sed sublatæ furente spiritu revolvunt gyros in modum turbinis, ne scelerata plebs sancto discedens loco videretur indemnis. Ita contigit, ut qui injustè diripere aliena deliberaverant, vix evasionis locum promerentes propria amiserint.


14. Expulsis igitur prædictis hostibus, ceteri hoc audientes ab ipso confinio reflectunt gressus. Denique Fratres illi quibus vir Dei montis adscendere culmina indixerat, ac plurimorum cœtus qui locis tutioribus ac celsioribus interim rupibus latitaverat, videntes impacatos terribiliter discedere Iberos, sentiunt se interventu B. Theofredi ab acie nequissima esse liberatos. Convenientes ergo reperere Patrem pro communi salute horribiliter humi prostratum, verticem verò usque ad interiora cerebri cum ingenti lapide saucium. Tunc post nimios fletus & lamentationis carmina, paterna providenter pignora sacrata reportant in cellula. Ceteri quoque qui silvarum lustra ingressi longiùs fuerant dispersi, Pastoris domicilia repetunt universi: cujus discrimina videntes, provoluti genibus sanctos sæpe deosculantur pedes ac manus. Sed vir sanctissimus coercet eos tam familiari obsequio, ac per septem dies divini sermonis recreantur pabulo. Septimi quoque diei imminente articulo,

a Paullo aliter id refertur in secúndo Elogio apud Labbeum, in quo dicitur Theofredus Saracenis impia sacra exprobrasse; ob ídque male multatus, necem primò haud evasurus fuisse, nisi insequentes Saracenos *à vico Solviaco ad rivulum usque Colemptia*, rivulus iste subitò exundans prohibuisset. demum verò Saraceni postridie rivulum facilè prætergressi, accessisse feruntur ad Calmeliacense Monasterium, ubi Theofredum lapidibus pæne oppresserint.

postquam disposuerat quàm honestè se haberet præsens concio, vel quàm religiosè summo deserviret Domino, cùm omnes circumcirca decantarent divina præconia, migravit ad Dominum [a] felix anima, cui est honor, laus & gloria per cuncta sæculorum sæcula, Amen. CIRCA AN. DCCXXVIII. OCT. XIX.

Explicit vita & passio sancti ac beatissimi Theofredi Calmiliacensis Cœnobii Abbatis religiosissimi.

a Nempe anno præmisso DCCXXVIII, & quidem XIV Kal. Novemb. uti in Kalendariis Calmeliacensi & Benedictino signatur. Eudo & Theofredus propriis festis coluntur non solùm in Monasterio suo, sed & in Cœnobio Casæ-Dei, quod non longè distat à Calmeliacensi. In Kalendario istius Monasterii inscribitur XV *Kal. Decemb. Translatio S. Theofredi Abbatis.* Successorem habuisse fertur S. SAVINIANUM, cujus diem festum colunt Calmeliacenses VI Id. Junii. de eo suprà in Observationibus prævii.



DE SANCTO SIVIARDO ABBATE ANISOLENSI APUD CENOMANNOS.

CIRCA AN. DCCXXVIII. MARTII I.

1. MONASTERIUM *Anisolense apud Cenomannos in Gallia ad Anisolam* fluviolum, nunc* S. Carilefi * *dictum, construere cœpit S.* CARILEFUS *Abbas primus, cujus Vitam à S.* SIVIARDO *Abbate descriptam exhibuimus Sæculo 2. Locum Cœnobii appellabant Casam-Gajani, de qua id observatu dignum invenio in ms. libello de vita S. Turibii Cenomannensis Episcopi, quam* CARUS filius Severi, Dei servus, sicut viderat & audiverat, scribere curavit. *Turibius cujusdam præpotentis pagani nomine Gajani uxorem ad Christum adduxerat. quam ob rem Gajanus insidias ipsi tendebat.* Erat autem valde dives & potens, & possessiones multas habens: ipse verò inter suos pagenses quasi Dux habebatur, sicut locus in quo est, hactenus demonstrat, qui magnis ædificiis & muris altis Casa-Gajani vocatur. *Istic à S. Carilefo exstructum Asceterium haud ignobile quondam, in quo vixere S.* SIVIARDUS *Abbas quintus, quo de agere instituimus;* ADELHELMUS *ex-Monacho Sagiensis in Gallia,* WILLELMUS *ex-Abbate Dunelmensis Episcopi, & alii viri illustres, de quibus aliàs. Interim observo* ARNALDUM S. Karilefi Abbatem *subscripsisse litteris Synodi Parisiensis pro immunitate Corbeiensis Monasterii. Exstant item litteræ tres Nicolai Papæ I de controversia Rotberti Cenomannici Episcopi adversus Monachos Anisolenses; & alia pro confirmatione Privilegii Anisolensis, ad universos Episcopos & Principes Galliæ transmissa, in quibus* ENGILHARIUS Abbas *Anisolensis nominatur.* Anisolense Monasterium. * Anisle * S. Calais

2. *Legimus tum apud Surium & Bollandum, tum in mss. codd. sermonem exhortatorium de S.* SIVIARDO*, *aliis* Siwiardo *seu* Siwinardo; *quo in sermone pauca sunt notatu digna. Legimus & aliam Legendam (ut vocant) calamo exaratam, quæ prædicto sermoni nonnihil adversatur. Quamquam Legenda præferenda videtur homiliæ: ex qua paucas res ad S. Siviardi historiam pertinentes referre sufficiat. nam morales id genus temporum illorum orationes stomachum potiùs lectoris movent quàm pietatem. En Auctoris anonymi verba.* Siviardi acta. * S. Sevard

3. De quodam Dei famulo Patre nostro Siviardo, egregio Sacerdote, hîc pauca & de ejus admirabili vita vel conversatione sancta, quibusdam amicis flagitantibus, scribere decrevimus, unde & fraterna concordia optimo

Circa An. DCCXXVIII. Martii I.

ejus ædificetur pietatis exemplo, & Christi laus semper accrescat per suum fidelem famulum supradictum. Nostro etenim tempore (*hinc Auctoris ætatem disce*) exstitit hæc nobis sancta progago, per cujus os Deus larga prædicationis populo suæ propinavit Ecclesiæ.

4. Et quidem ipsius sancta origo, non de genere rustico, sed magis de nobili prosapia processit. Natus est enim in pago Cenomannico, & in parochia Deablentica, Christianis ac Deum timentibus parentibus, à genitore scilicet Dei famulo Sigiramno, necnon venerabili ac Deum timente femina genitrice ipsius quæ vocatur Adda. Ab his namque nobilibus ac felicibus genitoribus procreatus, processit in mundum hic optimus Christi miles Siviardus: cujus nos conversationem sanctam atque honestissimam ab adolescentia sua optimè novimus. Et quidem in ipsa sua adolescentia inter reliquos coætaneos suos valde dissimilis erat in conversatione. ætate scilicet juvenis, sed moribus grandævus erat. Non enim pueriliter levis fuit, sed magis gravitate fundatus. Et illud quod solet juvenilis ætas litteraturæ disciplinam fugere ac laborem, hic summo expetiit devotionis cultu.

Monastica professio.

5. Festinavit namque ad perficiendam atque complendam perfectionem evangelicam, ut optimus negotiator venditis omnibus compararet pretiosissimam cælestémque margaritam. Desiderabat enim Clericatûs religiosum officium, ut verus & obediens Monachus fieret, & ut Christi vestigia relictis omnibus per viam humilitatis & obedientiæ sequeretur. Quod & consolante Domino rectè perfecit, dum palam mitis & humilis in conversatione apparuit. Factus verò est non solùm Monachus, sed & per electionem Fratrum Sacerdos ac Pater magnus, ac doctissimus in cunctis salutaribus disciplinis.

Sacerdotiũ.

Abbatialis dignitas.

6. Post genitoris sui S. Sigiramni decessum, Fratres ex Anisolensi Monasterio elegerunt sibi præesse optimum Pastorem. Qui non solùm terreno, sed multo magis cælesti & spiritali cibo eos sæpius reficiebat, & ipsam Dei domum ut vir prudens tam in structura quàm in spiritali rigore pulcherrimè ædificavit, & inibi felicem cursum vitæ suæ miro modo consummavit.

Exitus splẽdore illustratus.


7. Similem pæne, ut Apostolus Johannes, ipse habuit vocationis suæ finem. Neque etenim audivit aliquis plangere eum aut contristari ante obitum suum: & in ejus sanctæ animæ egressu uni tunc ex Fratribus ostensa est visio, ita ut ostenderetur cunctis palam, quanto ipse vir Dei esset culmine sanctitatis præcipuus. Nam visum est illi, ut dixit, lumen summæ claritatis, idque sibi viciniùs adpropinquare. Et dum hanc admirabilem ipse visionem consideraret, adstiterunt ei beatissimi Apostoli Petrus & Paulus, & in medio eorum anima illa sancta domni Siviardi nimio fulgore candebat: qui utrique Apostoli utramque ejus manum tenere videbantur. Et fertur ad eum ille dixisse: Frater, ego Christo ago gratias, qui me dignatus est in requie sua suscipere. vado ecce cum dominis meis præsentibus; vos verò eulogias quas ego paravi, ferte germanæ meæ & ejus Sororibus. O Sacerdotem verum, qui nec post transitum oblitus est fraternæ dilectionis, sed magis ac magis semper in eo flammavit fervor caritatis plenissimæ. Nam fides & spes cessant aliquando in Sanctis, & sola in eis post obitum excrescit flamma pietatis. Ita & in hujus Sancti clarè apparuit visione. Ecce inter Apostolos visus est ille Sanctus, qui per munditiam castitatis & opera plenissimæ caritatis ac mortificationis continentiam & patientiæ perfectionem, ad merita rectè creditur pervenisse apostolica eorum, inter quos clarus apparuit in fine, & à quibus perductus est in cælestem patriam, ad maximam gloriæ

Eulogiæ sorori missæ.

coronam. Ecce quo præmio honoratur, & supra multa constituitur bonus ille servus, qui super pauca inventus est fidelis. CIRCA AN. DCC XXVIII. MARTII I.

8. Revera enim Pater iste venerabilis perseveravit semper cum Fratribus, & non cessabat usque in finem exhortari eos & consolando admonere, ut jugiter in sancto Ordine perseverarent, atque in Dei laudibus permanerent. Et cùm cognovit proximum finem suum, non contristatus est valde, sed oravit sobriè: & positis in lectulo sanctis membris, obdormivit quietus in pace. Et quidem octavo anno regni domini Theodorici Regis, Kalendis Martii sarcinam suæ deposuit carnis, & receptus est cum sanctis Angelis in sedem cælestem.

9. *Hæc sunt quæ de S. Siviardi gestis elici possunt ex prædicta homilia: in quibus nonnulla veniunt observanda. 1 Siviardum ex pago Cenomannico, non* ex Aquitanis partibus, *ut in ms. Legenda dicitur, processisse, & quidem* in parochia Diablentica. *Verùm quæ illa parochia apud Cenomannos? Corvaiserius fatetur id se adsequi non posse. In Vita S. Domnoli Episcopi apud Surium legimus* villam Tridentem sitam in condita Diablentica. *quem locum haud alium esse quàm Cæsaris* Diablentas *seu* Diablentres, *conjiciunt socii Bollandiani. id tamen adfirmare nolim. Deinde observandum, Sigiramnum Siviardi patrem, Anisolensis Monasterii Abbatem fuisse; sororem verò alicujus Parthenonis Abbatissam. Sigiramnum S. Bertramni Cenomannensis Episcopi pronepotem fuisse putant Corvaiserius & Bondonetus, eum quem Bertramnus in Testamento suo appellat* Sichamnum filium Sigechelmi, dulcissimum pronepotem. *Præterea Siviardi obitum contigisse* anno octavo Theodorici Regis. *quod vel de Theodorico Chlodovei secundi filio, vel de Theodorico Kalensi interpretandum. Et quidem si constaret, Siviardum à Carilefo quintum Anisolensis Monasterii fuisse Abbatem, (quod in fronte Vitæ S. Carilefi ab ipso Siviardo scriptæ legisse me memini) potiùs ad Theodoricum priorem quàm ad posteriorem referendus Siviardi obitus videretur. siquidem Carilefus vix annum* DCC XL *excessit. Bondonetus tamen Siviardum remittit ad Theoderici Kalensis principatum. Mirum est, S. Siviardi diem festum non recoli in Monasterio nostro S. Carilefi, cùm de eo jampridem in diœcesi Cenomannica fiat officium novem lectionum. Reliquiæ ejus ubi sint, ignoratur.*



SANCTI EGBERTI PRESBYTERI ET MONACHI IN ANGLIA.

ANN. CHR. DCC XXIX. APR. XXIV.

ELOGIUM HISTORICUM.

1. ANNO Dominicæ Incarn. DC LXIV *teste Beda in hist. lib. 3 cap. 27, quum* pestilentiæ lues *in Northanimbrorum provincia sæviret, eadem* plaga Hiberniam quoque insulam pari clade premebat. Erant ibidem eo tempore multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani & Colmani Episcoporum relictâ insulâ patriâ, vel divinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratiâ illò secesserant. & quidam quidem mox se monasticæ conversationi fideliter mancipaverunt, alii magis circumeundo per cellas Magistrorum, lectioni operam dare gaudebant. Erant inter hos duo juvenes magnæ indolis de nobilibus Anglorum, ÆDELHUN & ECGBERHT. Hi cùm essent in Monasterio quod linguâ Scottorum Rathmelsigi appellatur, & omnes socii ipsorum vel mortalitate de sæculo rapti, vel per alia essent loca dispersi; cor- Egbertus nobilis Anglus, in Hibernia Monachus,

Ann. Chr. DCC XXIX. Apr. XXIV. repti sunt ambo morbo ejusdem mortalitatis, & gravissimè afflicti. E quibus Ecgberht cùm se æstimaret esse moriturum, egressus est tempore matutino de cubiculo in quo infirmi quiescebant, & residens solus in loco opportuno, cœpit sedulus cogitare de actibus suis: & compunctus memoriâ peccatorum suorum, faciem lacrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priusquam vel præteritas negligentias quas in pueritia sive infantia commiserat, perfectiùs ex tempore castigaret, vel in bonis se operibus exerceret. Vovit etiam votum, quia adeo peregrinus vivere vellet, ut numquam in insulam in qua natus est, id est Britanniam rediret: quia præter sollemnem canonici temporis psalmodiam (si non valetudo corporis obsisteret) quotidie psalterium totum in memoriam divinæ laudis decantaret: quia in omni septimana diem cum nocte jejunus transiret.

Peste correptus, vitæ inducias obtinet.

2. *Ædelhuno mortuo*, Ecgberht decussâ molestiâ valetudinis convaluit, ac multo pòst tempore vivens, acceptúmque Sacerdotii gradum condignis ornans actibus, post multa virtutum dona, ut ipse desiderabat, nuper, id est anno dominicæ Inc. septingentesimo vicesimo-nono, cùm esset ipse annorum nonaginta, migravit ad regna cælestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentiæ, simplicitatis & justitiæ perfectione. Unde & genti suæ, & illis in quibus exsulabat nationibus Scottorum sive Pictorum, exemplo vivendi, & instantiâ docendi, & auctoritate corripiendi, & pietate largiendi de his quæ à divitibus acceperat, multùm profuit. Addidit autem votis quæ diximus, ut semper in Quadragesima non plus quàm semel in die reficeretur, non aliud quàm panem ac lac tenuissimum, & hoc cum mensura, gustaret. Quod videlicet lac pridie novum in phiala ponere solebat, & post noctem ablata superficie crassiore, ipse residuum cum modico (ut diximus) pane bibebat. Cujus modum continentiæ etiam XL diebus ante Natale Domini, totidem quoque post peracta sollemnia Pentecostes, hoc est Quinquagesimæ, semper observare curabat.

Sanctissimè deinceps vivit. Tres Quagesimas observat quotannis.

3. Eo tempore, *inquit Beda lib. 5 cap. 10, hoc est circiter annum* DCXXCVI, venerabilis & cum omni honorificentia nominandus famulus Christi & Sacerdos Ecgberht, proposuit animo pluribus prodesse, id est inito Apostolico verbum Dei aliquibus earum quæ nondum audierant gentibus evangelizando committere: quarum in Germania plurimas noverat esse nationes, à quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originem duxisse noscuntur. Unde hactenus à vicina gente Britonum corruptè Germani nuncupantur. Sunt autem Fresones, Rugini, Dani, Hunni, antiqui Saxones, Boructuarii. Sunt etiam alii perplures iisdem in partibus populi paganis adhuc ritibus servientes, ad quos venire præfatus Christi miles circumnavigatâ Britanniâ disposuit, si quos fortè ex illis ereptos satanæ, ad Christum transferre valeret: vel si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda atque adoranda beatorum Apostolorum ac Martyrum Christi limina cogitavit. Sed ne aliquid horum perficeret, superna illi oracula simul & opera restiterunt. *Nempe S. Boisilus*, Præpositus *quondam* Monasterii Mailrosensis sub Abbate Eata, *in somnis præcepit cuidam ex suis discipulis ad hoc opus destinato, ut diceret Ecgberto*, quia non valeret iter, quod proposuerat, implere. Dei voluntatem esse, ut ad Columbæ Monasteria magis docenda ipse pergeret. *Iterato viso ac præcepto*, ipse tametsi certus de visione, nihilominus tentavit iter dispositum cum Fratribus memoratis incipere. Cúmque jam navi imposuissent quæ tanti itineris necessitas poscebat, atque opportunos aliquot diebus ventos exspectarent; facta est nocte quadam tam sæva tempestas, quæ perditis nonnulla ex parte his quæ in navi erant rebus, ipsa in latus jacentem inter undas relinquerent. Salvata tamen

Germanorum cóversionem meditatur.

Divinitus impeditur.

tamen sunt omnia quæ erant Ecgberhti & sociorum ejus. Tum ille quasi propheticum illud dicens, quia propter me est tempestas hæc, subtraxit se illi profectioni, & remanere domi passus est, *& in Hiiensi Monasterio migravit ad perennem vitam anno* DCC XXIX. ANN. CHR. DCC XXIX. APR. XXIV.

4. *Divino consilio factum est, ut Egbertus ad exteras gentes non transierit, nempe ut Scottos Monachos ad ritus catholicos revocaret. Exponit id Beda lib. 5 cap. 23.* Nec multo pòst, *inquit*, illi quoque qui insulam Hii incolebant Monachi Scotticæ nationis, cum his quæ sibi subdita erant Monasteriis ad ritum Paschæ ac tonsuræ canonicum Domino procurante perducti sunt. Siquidem anno ab Incarnatione Domini septingentesimo sexto-decimo, quo Osredo occiso Coënred gubernacula Regni Northanimbrorum suscepit; cùm venisset ad eos de Hibernia Deo amabilis & cum omni honorificentia nominandus Pater ac Sacerdos Ecgberht, cujus superiùs memoriam sæpius fecimus, honorificè ab eis & multo cum gaudio susceptus est. Qui quoniam & doctor suavissimus, & eorum quæ agenda docebat, erat exsecutor devotissimus, libenter auditus ab universis, immutavit piis ac sedulis exhortationibus inveteratam illam traditionem parentum eorum, de quibus apostolicum illum licet proferre sermonem, quòd æmulationem Dei habebant, sed non secundùm scientiam: catholicóque illos atque apostolico more celebrationem, ut diximus, præcipuæ sollemnitatis sub figura coronæ perpetuæ agere perdocuit. Quod mira divinæ constat factum dispensatione pietatis; ut quoniam gens illa quam noverat scientiam divinæ cognitionis libenter ac sine invidia populis Anglorum communicare curavit, ipsa quoque postmodùm per gentem Anglorum in eis quæ minùs habuerat, ad perfectam vivendi normam perveniret. Sicut econtra Britones qui nolebant Anglis eam quam habebant Fidei Christianæ notitiam pandere; credentibus jam populis Anglorum & in regula Fidei catholicæ per omnia instructis, ipsi adhuc inveterati & claudicantes à semitis suis, & capita sine corona prætendunt, & sollemnia Christi sine Ecclesiæ Christi societate venerantur. Susceperunt autem Hiienses Monachi docente Ecgberhto ritus vivendi catholicos sub Abbate DUNCHADO post annos circiter octoginta, ex quo ad prædicationem gentis Anglorum AIDANUM miserant Antistitem. *Quo eodem tempore Hiienses Monachos etiam S. P. Benedicti Regulam suscepisse, in hujusce Tomi Præfatione docuimus.*

Nempe ut Scottos adduceret ad ritus catholicos, anno 716. datâ S. Benedicti Regulâ.


5. Mansit autem vir Domini Ecgberht, *pergit Beda*, annos tredecim in præfata insula, quam ipse velut nova quadam relucente gratia ecclesiasticæ societatis & pacis Christo consecraverat: annóque dominicæ Inc. septingentesimo vicesimo nono, quo Pascha dominicum octavo Kalendarum Maiarum die celebratur, cùm Missarum sollemnia ejusdem dominicæ Resurrectionis celebrasset, eodem die & ipse migravit ad Dominum: ac gaudium summæ festivitatis quod cum Fratribus quos ad unitatis gratiam converterat inchoavit, cum Domino & Apostolis ceterísque cæli civibus complevit, immo idipsum celebrare sine fine non desinit. Mira autem divinæ dispensatio provisionis erat, quòd venerabilis vir non solùm in Pascha transivit de hoc mundo ad Patrem, verùm etiam cùm eo die Pascha celebraretur, quo numquam priùs in eis locis celebrari solebat. Gaudebant ergo Fratres de cognitione certa & catholica temporis paschalis, lætabantur de patrocinio pergentis ad Dominum Patris, per quem fuerant correcti. Gratulabatur ille, quòd eatenus in carne servatus est, donec illum in Paschæ diem suos auditores quem semper antea videbant, suscipere ac secum agere videret: sicque certus de illorum correctione reverendissimus Pater exsultavit ut videret diem Domini: vidit & gavisus est. *In metrico Martyrologio Bedæ edito in tomo 9*

Moritur anno 729, ipso die Paschæ.

Ann. Chr. DCC XXIX. Apr. XXIV. *Spicilegii Acheriani memoratur hoc disticho, mense Aprili:*

EGBERTUS digna virtutum laude coruscus
Astriferum octavis veneranter scandit olympum.

Episcopus non fuit. 6. *Ex dictis patet, S. Egbertum nusquam dici à Beda* Episcopum Archiepiscopúmve, *sed tantùm* Sacerdotem: *quo nomine non rarò antiqui Episcopos vocant. Nec alia fortè de causa Alcuvinus Egbertum istum* Episcopum *appellat in Vita S. Vuillibrordi Episcopi. Quamquam quòd Beda nusquam eum Antistitem Episcopúmve nominat, satis demonstrat eum secundi ordinis fuisse Sacerdotem. Non audiendus pseudo-Marcellinus in Suidberti Actis fabulosis, qui Egbertum* Eboracensem Archiepiscopum *dicit, confundens eum videlicet cum* ECGBERTO *illius sedis Antistite, qui post hujus Egberti obitum anno tertio in ocum Vuilfridi junioris Eboracensis Archiepiscopi suffectus est.*



Circa An. DCC XXX. Feb. VI.

SANCTI INÆ REGIS OCCIDENTALIUM SAXONUM IN BRITANNIA, MONACHI ROMÆ,

ELOGIUM HISTORICUM.

Reges Anglorum Monachi. I. LURES *Britannicæ insulæ Reges septimo & octavo æra Christianæ sæculo ad vitæ monasticæ asylum sese receperunt, & ex eo ad cælestis patriæ portum feliciter appulerunt. Primus, nî fallor, iter aperuit* Sigberchtus. SIGBERCHTUS *Rex Anglorum Orientalium, à Bedâ laudatus in hist. Eccles. lib. 3 cap. 18*, qui relictis Regni negotiis & cognato suo Ecgrico commendatis, intravit Monasterium quod sibi fecerat, atque acceptâ tonsurâ pro æterno magis regno militare curavit. Sebbi, *Secundus occurrit* SEBBI *ejusdem provinciæ moderator. Is* cùm annos triginta in Regno exegisset, correptus infirmitate permaxima quâ & mortuus est, admonuit conjugem, ut vel tunc divino se servitio pariter manciparent, cùm ampliùs pariter mundum amplecti, vel potiùs mundo servire non possent. Quod dum ægrè impetraret ab ea, venit ad Antistitem Londoniæ civitatis vocabulo Waldhere qui Erconwaldo successerat; & per ejus benedictionem, habitum Religionis quem diu desiderabat accepit, *ut Beda lib. 4 cap. 11 auctor est.* Eutvvinus, *Tertius idem propositum secutus est* EUTWINUS *Occidentalium Saxonum Princeps, fortasse unus ex illis Subregulis, qui post Cenvvalchium* acceperunt Regnum gentis, & divisum inter se tenuerunt annis circiter decem, *inquit Beda cap. sequenti.* Eutwinus *idem esse videtur qui* Escwinus *apud Vuillelmum Malmesburiensem lib. 1 de Regib. Angl. cap. 2. Ipsius fortunam hactenus parum notam discimus ex Poëmatio tertio, Alcuvini nomine perperam edito, siquidem regnante Ina conditum est, in quo hæc de Eutvvino:*

Hoc Templum Bugge pulcro molimine structum
Nobilis EutWini erexit filia Regis,
Qui primus * Imperium Saxonum rite regebat:
Dona & præsentis contemnens culmina Regni,
Divitias mundi rerúmque reliquit habenas,
Plurima Basilicis impendens jura novellis,

* l. prius

Circa An. DCC XXX. Feb. VI.

Quam * nunc ruricolæ servant Monasteria * jura. *f. Quæ *f. monastica
Exin sacratam perrexit quærere vitam,
Dum proprium liquit Christi pro nomine Regnum.
Qui tamen ante tribus gessit certamina pugnis,
Et ternis pariter confecit bella triumphis.
Seu * Regnum rexit plures feliciter annos, *f. Sic
Donec conversus Cellam migravit in almam.
Inde petit superas meritis splendentibus arces,
Angelicis turmis ad cæli culmina ductus,
Cælicolis junctus lætatur sorte superna.
Post hunc successit bello fumosus & armis
Rex Ceadwalla potens, Regni possessor ut heres, *&c.*

Escvvino regni annos novem tribuit Vvillelmus. Quartus Æthilredus, *de quo sic Beda in Epitome:* Anno DCC IV Æthilred postquam triginta annos genti Merciorum præfuit, Monachus factus Coënredo Regnum dedit. *Quintus ac sextus ex Britanniæ Regibus purpuram cucullâ mutârunt* Coenredus *&* Offa *Merciorum Reges, à Beda commendati lib. 5 cap. 20.* Anno imperii Osredi quarto (*is est Christi annus* DCC IX) Coënred qui Regno Merciorum nobilissimè tempore aliquanto præfuerat, nobiliùs multo sceptra reliquit. Nam venit Romam, ibique attonsus Pontificatum habente Constantino, àc Monachus factus ad limina Apostolorum in precibus, jejuniis, & eleemosynis usque ad diem permansit ultimum, succedente in Regnum Ceolredo filio Ethilredi, qui ante ipsum Coënredum idem Regnum tenebat. Venit autem cum illo & filius Sigheri Regis orientalium Saxonum vocabulo Offa, juvenis amantissimæ ætatis & venustatis, qui pari ductus devotione mentis reliquit uxorem, agros, *&c.* & ipse, ubi ad loca sancta Romam pervenerunt, attonsus & in monachico vitam habitu complens, ad visionem beatorum Apostolorum in cælis diu desideratam pervenit. *Septimus* Ina *Rex occidentalium Saxonum, quem præ manibus habemus. Octavus S.* Ceolwlfus *Northanimbrorum Princeps, de quo agendum anno 739. Nonus denique* Eadbertus *Rex Northanimbrorum, uti Continuator Epitomes Bedæ tradit his verbis:* Anno DCC LVIII Eadbertus Rex Northanimbrorum Dei amoris causa & cælestis patriæ violentiâ, acceptâ S. Petri tonsurâ, filio suo Oswlfo Regnum reliquit. *Hic usurpare liceat id quod dicit Sugerius Abbas in Vita Ludovici VI Francorum Regis:* Videant qui monasticæ paupertati derogant, quomodo non solùm Archiepiscopi, sed & ipsi Reges, transitoriæ vitam æternam præferentes, ad singularem monastici Ordinis tutelam securissimè confugiunt. *Lege quæ de Carolomanno dicturi sumus ad ann. 755. Ad Inam revertamur.*

Æthilredus, Coënredus & Offa, Ina, Ceolwlfus, & Eadbertus.

2. *Diviso Britanniæ Regno in Heptarchiam, Saxones* Gewissorum Regnum *appellaverunt eam insulæ partem, quæ Cantio occidua, dicta est* Regnum West-Saxonum, *id est occidentalium Saxonum, ex opposito Galliarum sita. Hoc Regnum primus adeptus est* Cerdicus *S. Inæ tritavus. Sic enim de Inæ genere loquitur Johannes Bromton de Regno Vvest-Saxiæ:* Ine fuit filius Cenred filii Ceowolde, & frater Chinewolde, qui ambo fuerunt filii Cudwyne fratris Chealyng, fratris Regis Kenryk, fratris Regis Cerdic, à quo istud Regnum West-Saxiæ incepit. *Inæ sorores fuere SS. Cuthburga & Coënburga Abbatissæ, de quibus diximus ad annum 724.* Inæ genus.

3. Anno regni Aldfridi tertio, *inquit Beda lib. 5 cap. 7,* Ceadwalla Rex occidentalium Saxonum, cùm genti suæ duobus annis strenuè præesset, relicto Regno propter Dominum regnúmque perpetuum, venit Romam ∴ illò perveniens Pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto sabbati Paschalis, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono: & in albis Ceadwallæ succedit,

Circa An. DCCXXX. Feb. VI

adhuc positus, languore correptus, duodecimo Kalendarum Maïarum die solutus est à carne, & Beatorum est regno sociatus in cælis. Abeunte autem Romam Ceadwalla successit in Regnum Ine de stirpe regia, *nempe* Cinegisli ex fratre Cuthbaldo pronepos, *ut scribit Vvillelmus de Regib. Angl. lib. I cap. 2. qui tamen Ina* magis pro insitivæ virtutis industria quàm successivæ sobolis prosapia in principatum accitur, fortitudinis unicum specimen, prudentiæ simulacrum, religione parem nescias *: quibus artibus vitam componens, domi gratiam, foris reverentiam mercabatur. Adeo annis duobus de sexaginta (*legendum* de quadraginta) potestate functus, sine ullo insidiarum metu securus incanuit, sanctissimus purissimi amoris lenocinator. *Pergit Vvillelmus dicere de rebus bello gestis.*

laudatur.

* *f.* nescies

Bello strenuus.

* defervuerat

4. Prima illi in Cantuaritas expeditio, in quos nondum de incendio Mollonis ira defremuerat *. Provinciales parumper resistere ausi, mox omnibus tentatis & viribus in ventum effusis, cùm nihil in pectore Inæ quod ignaviæ conduceret reperissent, dispendiorum suorum intuitu deditionem consulere. Tentant regium animum muneribus, sollicitant promissis, nundinantur pacem triginta millibus auri marcis, ut pretio mollitus bellum solveret, metallo præstrictus receptui caneret. *Quod dicit de Mollone à Cantuaritis exusto Vvillelmus, id explicat cap. I. Quippe Ceadvvalla Inæ præcessor cum fratre Mollone Cantuaritis bellum intulit;* sed non ita ut sperabat, imparatos aut animi vacuos provinciales offendit. Siquidem post multa incommoda vicatim & opidatim accepta, tandem animati ad manus veniunt, congressúque superiores Cedwallam in terga vertunt, fratréque Mollone in tugurium quoddam compulso domunculam ipsam succendunt, Mollo inter flammas halitum eructavit. *Hinc hereditaria Inæ simultas in Cantuaritas. Matthæus Vvestmonasteriensis Monachus tradit,* Regem Cantiæ Withredum humiliter obviàm Inæ venisse, & magnam pecuniæ summam (trigesies mille marcas *Vvillelmus, Florentius Vvigorniensis* ter mille septingentas quinquaginta libras *numerat*) pro nece juvenis dedisse. *Hic mos illius temporis erat, ut homicidia pecuniæ pretio eluerentur.* Hæc de prœliorum ejus successu dicta modum agnoscant suum, *ait Vvillelmus lib. I cap. 2. Facta bellica leges apud Iohannem Bromton in Chro. tomo I Hist. Angl. Subdit Vvillelmus.*

Homicidiū pecuniâ multat.

Rebus piè gestis clarus.

5. Ceterùm quantus in Dei rebus fuerit, indicio sunt leges ad corrigendos mores in populo latæ, in quibus vivum ad hoc tempus puritatis suæ resultat speculum. Indicio sunt Monasteria regiis sumtibus nobiliter excitata, præcipuè Glasconiense nostris quoque diebus insignissimum .·.·. Adfuit consilio Pater Aldhelmus, cujus ille præcepta audiebat humiliter, suscipiebat granditer, adimplebat hilariter.

Leges condit.

6. *Ad leges quod attinet ab Ina latas, exstant illæ, pars quidem in tomo I Conc. Spelmanni, integræ verò in Chronico Iohannis Bromton distinctæ in capitula 80. quibus legibus ut robur adderet, misit qui Berechvvaldo Cantuariensi Archiepiscopo confirmandas deferet, Bonifacium postea Maguntinum Antistitem futurum, ut in hujus Vita legitur infrà.*

Monasteriū Glastoniense instruit,

7. *Monasterium* Glasconiense *seu* Glastoniense in quodam palustri recessu construxit Ina, ut scilicet eo tenaciùs Monachi supernis inhiarent, quo castigatiùs terrena haurirent. cui quantum splendoris adjecerit, libellus ille docebit, quem de antiquitate ejusdem Monasterii elaboravi. *Ita Vvillelmus loco jam non semel citato. Ina vetera Glastoniensis Monasterii ædificia instauravit, prædiis locum dotavit, munivit Privilegiis: quæ ne nimius sim, omittenda existimo. Lege Monasticon Anglicanum, Spelmannum tomo I Conc. & Februarium Bollandianum. Illud unum observare juvat quod in charta quadam apud dictos Auctores relata memorat Rex Ina his verbis:* Kentwinus Rex qui Glastingie

matrem Sanctorum vocare solitus erat, & eam ab omni sæculari & ecclesiastico obsequio immunem statuit, & hanc Privilegiis dignitatem concessit, ut habeant Fratres ejusdem loci potestatem eligendi & constituendi sibi Rectorem juxta Regulam S. BENEDICTI. *Istud Monasterium situm erat in Somersetensi Comitatu, multis viris illustribus & piis illustratum, quos enumerat Monasticon Anglicanum pag. 8 & 9. cujus Monasterii historiam ultimus scripsit* JOHANNES *Monachus Glastoniensis, cujus hæc verba in Præfatione ms.* Quoniam certè Willelmus Malmesburiensis Monachus nostram Chronicam sive antiquitates ab adventu sancti Joseph sociorúmque ejus usque ad tempora recolendæ memoriæ Henrici Blois Wintoniensis Episcopi & Abbatis hujus loci, cujus industria beneficiorum apud nos viget in sæcula; id est ab anno Incarn. Domini LXIII usque ad annum MCXXVI descripsit: Frater quoque ADAM de Donerham, dicti hujus nostri Cœnobii Monachus, à tempore prædicti Henrici & Abbatis, ubi prædictus Willelmus historiæ suæ telam succidit, videlicet ab anno Domini MCXXVI usque ad finem domni Johánnis de Tantonia Abbatis, qui fuit ab anno Domini MCCXC, vestigia secutus est; plura quæ Willelmus omiserat apposui, & in rectiorem ordinem redegi: ea verò quæ Frater Adam scripserat, prolixitatem nimiam vitans abbreviavi, atque à tempore ubi dictus Adam omisit, hoc est à tempore D. Johannis de Tantonia, usque ad annum Domini millesimum circiter quadringentesimum historiam continuavi. *Hactenus Iohannes in historia ms. cujus plura fragmenta decurtata in Monastico Anglicano adducuntur. Ederet quis Vvillelmi historiam! Interim legendum id quod de Glastonia scribit iste Auctor in lib. 2, ubi de Pontificibus Vvellensibus.*

CIRCA AN. DCCXXX. FEBR. VI.

8. *Etiam Monasterium Abendoniense cum patre* Cissa *exstruxit Ina.* Abendoniæ Cœnobium, *inquit Villelmus lib. 2 de Pont. Angl.* in Berkensi pago fundaverunt Cissa pater Inæ, mox ipse Ina Rex occidentalium Saxonum, multíque ab origine Reges. *Locus Abendonia, olim* Sheovesham *dictus, teste Cambdeno, postea ab erecta Abbatia Abbandun & Abbington, id est Abbatiæ aut potius Abbatis opidum dici cœpit, situs ad Isim fluvium, qui Tami recepto Tamisim efficit. Præterea Vvest-Saxoniæ Episcopatum, malè* vicesimo anno regni sui, *divisisse fertur. quod Henricum Huntidonensem: qua de re in S. Aldhelmi Actis egimus ad annum 709.*

& Abendoniense.

Episcopatū Vvest-Saxoniæ partitur in duos.

9. Ina cùm triginta & septem annis Imperium tenuisset, (*verba sunt Bedæ lib. 5. cap. 7*) & ipse relicto Regno ac junioribus commendato, ad limina beatorum Apostolorum Gregorio Pontificatum tenente profectus est, cupiens in vicinia sanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quò familiariùs à Sanctis recipi mereretur in cælis. *Ampliùs dicit Ranulfus Cestrensis lib. 5 cap. 24.* Rex Inæ commendato Regno suo West-Saxoniæ Ethelardo cognato suo, Romam profectus est. Qui primus omnium Regum denarium ex singulis domibus Regni sui B. Petro fertur concessisse, quod diu ab Anglis ROMESCOT, latinè verò DENARIUS PETRI vocabatur. *Addit Matthæus Vvestmonasteriensis Monachus, Inam Romæ fecisse domum,* quam Scholam Anglorum appellari fecit, *in qua erudirentur populares in Fide catholica: eique è singulis Regni sui familiis unum denarium annuo censu pendi, communi decreto præcepisse. id quod postea Offa & Ethelvvolfus Britanniæ Reges confirmaverint non sine aliqua accessione. Sunt qui dicunt, Inam bis Romam profectum fuisse, primò post oblatum Romanæ Ecclesiæ annuum denarium, quo ex itinere privilegium apostolico signaculo corroboratum Glastoniam reportaverit; iterum verò tum cùm Regno sese abdicavit. Prima profectio incerta; secunda explorata. Hujus occasionem Vvillelmus Malmesburiensis Monachus tribuit Ethelburgæ uxori:* quæ dum crebrò viri instillaret auribus, ut mundanis

Regnum abdicat.

Denario collato, Romæ Scholam instituit.

Circa An. dccxxx. Feb. vi.

danis rebus vel extremis annis valefacerent, & ille hortantem de die in diem differret, astu tandem vincere parat. Cùm enim quadam vice apud villam ingenti tumultu regales luxus explicuissent, postera die cùm discessissent, villicus ex Reginæ conscientia palatium quanta potuit deformitate tam fimo pecudum quàm aggere ruderum infamat: postremò in lecto ubi cubuerant, porcam noviter enixam collocat. *Uxoris suasu istuc reversus Rex*, locum pridie Sardanapalicis deliciis parem, nunc fœda solitudine deformem miratur. *Arrepta occasione uxor fecit ad eum brevem orationem de rerum mundanarum fluxa voluptate, &* maritum compulit in sententiam exemplo, quam multis annis frustra insusurraverat verbo. *Istius paradigmatis fides sit penes Vuillelmum. Inæ secessio Romam anno* DCC XXVIII *reponit chronologia Saxonica.*

A Bonifacio litteras accipit.


10. *Ad Inam, si non fallit conjectura, scripta est S. Bonifacii Martyris epistola 48, cujus hæc prima verba:* Reverendissimo Fratri Christique emerito militi Regi In, (*sic enim distinguenda videtur inscriptio*) æthereo Domino glorioso divinæ sospitatis salutem. Quorumdam venerabilium servorum Dei relatione didici, quòd acerba morborum valetudine graviter affectus, diu cruciatus laboriosè fatigatus sis. Ut autem hoc mihi compertum est, grates spiritali Patri agens cælesti gratia te visitatum, *&c. Quòd verò eum* Fratrem *vocat, suspicari licet, epistolam Inæ jam Monacho facto Romam fuisse directam.*

Monachus Romæ sanctè obit.

11. *Ina Romæ factus est Monachus, & quidem Benedictinus, ut Henschenius probat: tum quia S. Benedicti Regulam in Glastoniensi Monasterio servatam ipse commendaverat, tum quia Aldhelmi Benedictini Abbatis piis monitis plurimùm tribuebat, tum denique quia ipsius sorores Cuthburga & Coënburga eamdem normam in Vuinburnensi Cœnobio instituerant. Accedit, quòd tum in Britannia, tum Romæ Monasteria omnia tum temporis Benedictinis parebant institutis. Inæ profectio Romam contigit anno* DCC XXVIII. *quamdiu ibi vixerit Monachus, non constat. Non videtur ampliùs in vivis fuisse tum cùm Beda de eo scribebat. Quidquid sit, Romæ piissimè obiit, uti & ipsius conjunx Ethelburga in Berkingensi Parthenone, ubi reliquum vitæ transegisse dicitur.* Ita mutua caritate connexi, *inquit Vuillelmus*, temporibus suis viam hominum ingressi sunt, non sine magnis miraculis, ut accepimus, quibus divina dignatio felicium conjugum sæpe respondet meritis. *Hinc S. Inæ memoria inscripta Catalogo Sanctorum à Ferrario, item Martyrologiis Anglicanis & Benedictinis. Certè Iohannes Bromton scribit in Chronico, quòd* Ina Romæ Monachus factus, moriens stipendia cælestia merebatur.

An secundam uxorem habuerit.

12. *Ina Ethelburgam habuit uxorem, quæ marito vitæ sanctioris auctor fuisse dicitur, ipsáque se recepisse in Monasterium Berkingense diœcesis Londinensis juxta Tamisim, ubi deinde Abbatissa fuisse creditur. Sed vereor ut confundatur cum Ethelburga Berkingensi prima Abbatissa, de qua in Elogio S. Hildelitæ diximus. Præter Ethelburgam alia uxor,* Guala *nomine, Inæ adfingitur in Auctario ad leges Edvvardi Regis can. 35. ex cujus uxoris dote Principatui Inæ accesserit Cambria, à Guala* Wallia *appellata. Cujus fabulæ satis sit meminisse, quam rejecerunt Spelmannus tomo 1 Conc. Angl. & Godefridus Henschenius in Commentario de rebus gestis S. Inæ ad diem 6 Februarii.*



VITA S. HUGONIS EPISCOPI ROTOMAGENSIS IN GALLIA,

ANN. CHR. DCC XXX. APR. IX.

Auctore Fontanellensi Chronographo, qui Ludovico Pio imperante florebat.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. PRÆTER *Chronographum Fontanellensem, veterum qui de* HUGONE *Drogonis filio egerit reperi neminem ante conditorem Annalium Mettensium ad ann. 693 in hac verba:* Pippinus Drogonem primogenitum suum Ducem posuit Burgundionum, *immo Campanensium*, tradens sibi uxorem Anstrudem filiam Warattonis quondam illustris Majoris domus, derelictam Bertharii, qui de Textriciaco prœlio aufugerat, nec multo pôst à suis interfectus interierat. Hæc Drogoni peperit filium, quem vocavit HUGONEM. Hunc religiosa & strenua matrona Ansfredis avia sua, relicta uxor siquidem Warattonis, ad nutriendum susceperat. Hæc igitur prudentiæ, *&c. quæ prædicti Chronographi verba sunt.* Hugo Drogonis filius.

2. *Postea sæculo* X *ignotus cœpit esse Hugo Drogonis filius: ejúsque loco vulgatus est Hugo, Caroli Magni (ut putabatur) filius, æquè dictus Rotomagensis Antistes & Sanctus.* Hugo Caroli Magni filius.

3. *Quin etiam tertium* HUGONEM, *Caroli Magni itidem filium, Novaliciensem Monachum & Abbatem memorant Annales Novalicienses, qui in Cœnobio S. Medardi prope Suessiones mortuus sepultúsque sit, miraculis post obitum clarus.* Hugo alter Caroli Magni filius.

4. *Verùm quia ad distinguendos Hugones tres, ita ut præmissum est, non satis valida suppetunt argumenta: videndum est quid certi statui possit. Et quidem Hugonem Drogonis filium ejúsque sanctimoniam satis adstruit Fontanellensis Chronographus, qui Ludovico Pio imperante scribere desiit, & primaria Hugonis instrumenta, quæ suo etiam tempore Fontanellæ adservabantur, vidisse se declarat. En istius Hugonis Acta ab ipso Chronographo excepta ac relata in Chronicon suum, tomo 3 Spicilegii editum. De aliis duobus Hugonibus consequenter dicendum.*

I. HUGO filius DROGONIS, vir venerabilis, à matre nomine ADALTRUDE [a] primò genitus; nepos KAROLI sagacissimi Principis, Archiepiscopus Rotomagensis Ecclesiæ, post præfatum BENIGNUM regimen hujus Cœnobii suscepit ab anno dominicæ Incarnationis septingentesimo vigesimo tertio, Indictione VI, qui erat annus principatûs Karoli nonus, Gregorii verò secundi Papæ qui loco nonagesimo à S. Petro Romanæ præfuit Ecclesiæ, annus septimus [b] instabat. Rexítque istud Cœnobium per annos novem [c], menses duos, & dies tredecim, id est usque ad annum decimum-sextum principatûs antefati Caroli, Gregorii verò præfati Papæ decimum-septimum, dominicæ quoque Incarnationis septingentesimum & trigesimum, Indictione decimatertia. Hic etiam Præsulatum Ecclesiæ Parisiacæ, simúlque Bajocassinæ cum Rotomagensi tenuit, factione scilicet patrui sui Caroli Principis, extra decreta tamen Canonum. Cœnobia verò nobiliora, Fontinellam & Hugonis parentes & variæ dignitates.

a Anstrudis vocatur in Annalibus Mettensibus, quæ Berthario Præfecto palatii antea nupta fuerat.

b Immo decimus, siquidem Gregorii annum XVII anno Christi DCC XXX illigat Auctor infrà.

c Erat ergo Monachus, immo & Archiepiscopus ante annum DCC XXII, quo *duo filii Drogonis ligati* fuisse dicuntur in duobus brevibus Annalibus Franc. qui exstant initio Tomi 2 Chesniani.

ANN. CHR. DCC XXX. APR. IX. Gemmeticum; prædia verò regia, quæ ejus insederunt animo. Non enim causâ perversæ cupiditatis, aut aliquo sæculari fastu à patruo suo Carolo Principe, sive à Regibus Francorum, qui ejus tempore sceptra Regni hujus tenuerunt, id est HILDEBERTO, DAGOBERTO, HILPERICO, CHLOTHARIO, necnon & THEODORICO ea impetrabat; sed ut statim Ecclesiis Christi contraderet: sciens scriptum, quòd ea hereditas bene reconditur, quæ Deo custode servatur.

Educatio pia per aviam.

2. Mater denique ejus Adeltrudis (ut prædiximus) nomine, filia fuerat WARATTONIS nobilissimi Majoris domus regiæ, atque ANSFLEDIS conjugis ejus, qui plurima huic Monasterio largiti sunt prædia. Denique prædicta religiosa & strenua matrona Ansfledis avia sua, derelicta Warattonis, ad nutriendum susceperat ipsum Hugonem, Patrem demum gloriosissimum. Hæc igitur prudentiæ & providæ industriæ spiritu plena, animum pueri fertur quotidianis admonitionibus corroborasse; ut sese cum omnibus quæ habebat Dei servitio manciparet. Unde factum est, ut sacrarum litterarum studio imbutus, coævos suos sapientia & religione anteiret: secundúmque sanctam suggestionem præclaræ nutricis ac aviæ suæ Ansfledis cœpit terrena cuncta despicere, & ad regna cælestia viriliter anhelare, simúlque patrimonia plurima Ecclesiis Christi contradere. Quæ cuncta si qui pleniùs scire cupiunt, scrinia civitatum Rotomagensis, Parisiacæ & Bajocassinæ, & hujus Cœnobii Fontinellensis simúlque Gemmeticensis revolvant: illícque invenient, quantam sollicitudinem ac pervigilem curam de constructione, propagatione & administratione ac exaltatione Ecclesiarum habuerit.

Dignitates.

3. Hujus pater Drogo, filius prædicti Pippini Ducis Francorum, frater Grimoaldi & Caroli nobilissimorum Principum, defunctus est anno ab Incarnatione Domini septingentesimo septimo [a], Indictione quinta, tempore veris. Succedit ei [b] isdem vir venerabilis Hugo, in sede Rotomagensi vigesimus à Mellone primo Pontifice ejusdem urbis; Rector quoque sive procurator urbis Parisiacæ trigesimus quintus à B. Dionysio constituitur; porrò in regimine hujus Cœnobii Fontinellensis à B. Wandregisilo septimo in loco: similiter à S. Filiberto in regimine Cœnobii Gemmeticensis.

Donationes.

4. Hic namque vir venerandus Hugo dum adhuc laïcus foret, largitus est Benigno Abbati Vierlaicum villam, quæ sita est in pago *Tellau* [c] super fluvio Eora, quæ ipsi de jure prædictorum parentum suorum legitimè obvenerat. Facta est hæc largitio ab anno dominicæ Incarnationis septingentesimo decimo-tertio, Indictione duodecima, qui fuerat annus Dagoberti junioris Regis III, Pippini autem Ducis XXVI, undecimo Kalendarum Juliarum die, feria IV. Inter reliqua autem prædia ab eo contradita, etiam Witflanam villam largitus est Wandoni Abbati anno primo Chlotharii Regis, quem Carolus post fugam Hilperici ac Ragenfridi Regem sibi statuerat: & possessa est ab hoc Cœnobio usque ad regimen Witlaici Abbatis per annos quadraginta tres. Huic glorioso Præsuli largitus est quidam illustris, nomine Bertus, portionem aliquam de villa Digmaniaco, quæ sita est in pago Osismensi [d], in centena Alancionensi, & illam rem quæ vocatur Venda in centena Saginse. Similiter in territorio Cenomannico rem illam quæ dicitur Veringo; seu Metiago, quæ appellatur Avancurte. Edita est

[a] Immo anno DCC VIII, Indict. VI, ut probant tres veterrimi Francorum Annales à Chesnio editi initio tomi 2 Hist. Franc.

[b] An patri in Ducatum Campaniæ successit Hugo: silent ea de re veteres Annales Francorum, quinimmo contrarium adstruere videntur.

[c] De pago *Tellau*, nunc le *Tallou*, in Neustria hodierna, dictum est ad librum de miraculis S. Vulframni suprà.

[d] Ergo pagus Oxismensis comprehendebat centenam seu tractum Alancionensem & Sagiensem.

est hæc largitio anno undecimo Theodorici Regis, patris Hilderici demum Regis novissimi ex genere Merovingorum. De patrimoniis enim à prædicto glorioso Præsule huic loco largitis, sive à fidelibus Christianis impetratis ac susceptis qui nosse cupit, testamenta * ab ipso edita revolvat: & tunc probabit nihil me de eo sinistrum aut dixisse, aut scripsisse. Mensatas ad unumquemque mensem * sufficientes præberent alimoniam, idcirco memoria illius in benedictione manet.

ANN. CHR. DCC XXX. APR. IX.

* id est chartas donationum

* f. dedit quæ sufficientem.

5. Expletis namque laudabilis cursus sui annis migravit ad Dominum sexto [a] Idus Aprilis, qui erat annus dominicæ Incarnationis septingentesimus trigesimus, Indictione decima-tertia. Corpus enim Gemmetico Cœnobio, quo etiam vitæ decessit, in Ecclesia sanctæ matris ac perpetuæ virginis MARIÆ venerabiliter sepulturæ est traditum: conditáque est à Fratribus illinc habitantibus supra tumbam illius repa [b] diversis metallis decorata, ob amorem videlicet, sanctitatem, ac reverentiam illius. Nullus enim ante eum ejusdem Cœnobii Rector, nec post eum, tot prædia ac possessiones in jure ipsius venerabilis loci contulit ac impetravit, sicut ipse facere curavit, veluti testamenta ipsius Cœnobii cunctis legentibus liquidò patet. Hic dimisit in hoc Cœnobio Fontinellensi calicem aureum & patenam auream pensantes libras quatuor, uncias duas; turriculam auream pensantem libras sex; capsam auro & gemmis decoratam continentem pignora diversorum Sanctorum. Plurima enim bonitatis gessit opera, quæ dinumerare laboriosissimum est. Nobilis enim exstitit genere, sed non inferior religione. Hæc quidem de venerando Patre ac domino Hugone dicta sufficiant.

Obitus anno 730.

Tumulus insignis.

a Immo v Idus Apriles, qui dies notatur in Martyrologiis Romano, Rotomagensi, Benedictino, & in Molani additionibus ad Usuardum, immo & in Actis pseudo-Hugonis.

b Id est tumulus honorarius seu umbella, quatuor columnis seu fulcris super tumbam erecta. Lege libellum de vita S. Sturmionis Abbatis.

APPENDIX

De gemino HUGONE, utroque Caroli Magni (ut quidam scripsere) filio.

1. *CAROLO Magno filium naturalem nomine Hugonem fuisse, extra controversiam est. Eginhardus quippe Caroli concubinas quatuor earúmque liberos recensens, mentionem facit cujusdam concubinæ vocabulo* Reginæ, quæ *Carolo* Drogonem & HUGONEM peperit. *Carolo è vivis sublato Ludovicus Augustus ejus filius* fratres adhuc tenera ætate Drogonem, HUGONEM, & Theodericum, participes mensæ effecit, quos & in palatio unà secum nutriri præcepit; & Bernardo nepoti suo, filio Pippini, Regnum Italiæ concessit, qui quoniam paullo pòst ab eo defecit, capitur, & à Bertmundo Lugdunensis provinciæ Præfecto luminibus pariter & vita privatur. Hunc autem metuens ne pòst dicti fratres populo sollicitato idem facerent, ad conventum publicum eos venire præcepit, totondit, ac per Monasteria sub libera custodia commendavit. *Hactenus Nithardus in Hist. lib. I. cui Theganus subscribit in libro de gestis Ludovici cap. 24. scilicet Bernardo excæcato Ludovicus* jussit fratres suos tonsurari, Drogonem, HUGONEM, & Theodoricum, ad discordiam mitigandam, & liberalibus disciplinis jussit instrui: quos postmodum honorificè constituit. Drogoni Episcopatum dedit, & HUGONI cœnobialia Monasteria. *Adde Chronicon Moisacense ad ann. 817. Iste est* Hugo Abbas qui è Germania in Aquitaniam missus à Ludovico *dicitur* anno DCCC XXX, *ut* Pippinum *ad restituendum Ludovicum* instigaret. *& anno insequenti* commendatus est *cum aliis Ludovico adhærentibus, ut ad Lotharium* veniret: quatenus cum eis deliberaretur, quomodo petitio eorum impleri posset, *uti legitur in Vita Ludovici Pii. Plura Monasteria sibi commendata habuit Hugo, in his Monasterium Veromandense seu S. Quintini, cujus Sancti corpus est* elevatum ab Hugone monastico Abbate & à Drogone Metensium Pontifice anno DCCC XXV, *ut prodit historia ipsius elevationis, relata in Probat. Historiæ Veromandensis apud Emereum: ubi item* corpus S. Cassiani à quodam so-

Hugo Caroli nothus.

ANN. CHR. DCC XXX. APR. IX.

phistico Abbate, scilicet præscripto Hugone impetratum *fertur. Habuit item Monasterium Sithivense Hugo ipse, de quo sic liber 2 Mirac. S. Bertini cap. 7.* Mortuo Fridogiso quarto-decimo regiminis seu potiùs tyrannidis suæ anno, successit in regimen Cœnobii Hugo venerabilis filius Caroli Regis Magni & frater Ludovici Cæsaris. *Plura de eo ibidem & cap. 8. Denique* anno DCCCXLIV Pippini Duces Caroli exercitum superant VII Idus Junii: in quo prœlio ceciderunt Hugo Abbas patruus Caroli & Rithbodo Abbas, *&c. Verba sunt Annalium Mettensium & Fuldensium. quibus praivere Annales Bertiniani, in quibus describitur ea congressio facta* in pago Ecolisino: *qua in congressione* Hugo Presbyter & Abbas filius Caroli Magni quondam Imperatoris, & frater HLudowici itidem Imperatoris interfectus *memoratur cum aliis multis. Hæc fere sunt qua de Hugone Caroli Magni notho referuntur apud probos auctores.*

Alii duo Hugones dicti æquè Caroli filii.

2. *Præter Hugonem hunc, nullus cognominis Carolo Magno filius adscribitur ante seculum* X, *quo celebrari cœpit* Hugo *Caroli filius, Drogonis frater, Archiepiscopus Rotomagensis, ac demum Gemeticensis Monachus. Vulgatus & alius* Hugo, *si tamen alius, æquè inter liberos Caroli numeratus, Monachus & Abbas Novaliciensis: uterque* Sancti *nomine decoratus.*

Vnus Archiepiscopus Rotomagi.


3. *Ad priorem quod attinet, vix credam alium fuisse Hugonem illum ab Hugone Drogonis Ducis filio: qui deinde errore nominis creditus dictúsque sit Caroli filius, Drogonis Mettensis Episcopi frater. Id nulli non erit persuasum, si ejus Acta, qualia in libris tum editis, tum mss. exhibentur, tantisper conferamus.*

4. *Duplicem legimus scriptionem de S. Hugone Caroli Magni (ut aiunt) filio & Episcopo Rotomagensi. Vnam auctore anonymo, quæ manu exarata legitur in Bibliotheca Gemeticensis duobus apographis; aliam auctore* Baldrico *Dolensi Antistite, qui primam exornandam suscepit. Anonymi commentatio scripta est post instauratum Gemeticensé Monasterium initio seculi* x, *legitúrque in duobus exemplaribus mss. quorum unum Annone Abbate, id est medio seculo* x; *alterum eodem fere tempore descriptum est. In utroque illo exemplari dicitur Hugo* ex Carolo Magno & Anstrude Tassilonis filia *progenitus*, in Monasterio B. Dionysii *educatus fuisse* pro discendis litteris: *dein inter palatinos Clericos institutus; accepisséque* duas Abbatias optimas, Resbacensem videlicet locum, in quo B. Ailus requiescit corpore; & Crucem B. Audoëni super Auduræ fluvium, quem locum B. Leutfridus propriis sumtibus à fundamento in propria tellure locavit. *Postea commemoratur Hugonis peregrinatio Romana ad Leonem Papam III, à quo is Clericus ac Diaconus ordinatus fertur, voto facto Monachum profitendi in Cœnobio Gemeticensi. Reversus in Galliam, adiisse ad Carolum in palatio Trevirensi residentem; ac paullo pòst in Synodo Aquisgrani habito ab eo promotus ad sedem Rotomagensem, Drogo verò ipsius germanus ad Mettensem, utramque eodem die morte Episcopi sui vacantem, datis utrique Abbatiis quæ in sua diœcesi consistebant ad jus regium pertinentes. Porro uterque sacerdotalem consecrationem suscepisse* XII *Kal. Octobris, episcopalem Kalendis ejusdem mensis, anno* DCCLXII. *Denique Hugo post rectè administratum Episcopatum dicitur se recepisse Gemeticum, ubi Monachus factus, demum post annos fere decem sancto fine vitam concluserit* sub die v Iduum Aprilium, anno ætatis LXXIV. *Eadem de Hugone prædicto tradit Baldricus Dolensis Archiepiscopus, qui rogatu* Ursionis Abbatis & Monachorum Gemeticensium *scriptionem Anonymi exornare aggressus est initio seculi* XII. *Baldrici hac de re libellum ex ms. cod. Vedastino acceptum edidit in sua Neustria pia Arturus Monstierius, ubi de Gemetico agit; eòque loci prædictam narrationem non imperitè discussit capp. 9 & 10. Id etiam præstitere in sua Gallia Sancta-Marthani, & noster Franciscus Pommeraius in Historia Archiepiscoporum Rotomagensium: observarúntque varia ac fœda errata, quæ in illa narratione occurrunt. Vnum aut alterum hìc pono in gratiam exterorum, quibus non ita obvia sunt historia nostræ. Nulla Carolo uxor concubináve Anstrudis vocabulo fuit, ut constat ex Eginhardo in Caroli Vita. Carolus anno* DCCXLVII *natus, Regnum adeptus est nonnisi anno* DCCLXVIII, *Leo III Pontificatum anno* DCCXCV. *tantum abest ut Hugo Caroli filius anno* DCCLXII, *sive (ut atrociori mendo præfert codex Vedastinus) anno* DCCII *Diaconatûs ordinationem à Leone Papa suscipere potuerit, aut eo anno habilis esse sedi Rotomagensi. Accedit quòd neque apud Ordericum Vitalem, neque in vetustis indicibus Rotomagensium Antistitum, isti Hugoni ullus sit locus Parco aliis mendis jam notatis ab aliis. Et tamen commenticia narratio illa imposuit Balderico Noviomagensi, scriptori certè non indiligenti, qui in lib 2 Chron. Camerac. cap. 29, ubi agit de S. Hugonis translatione reliquiarum in villam Hasprum,* sanctum virum Domini Hugonem Rotomagensem Episcopum, Karlemanni Regis filium *appellat. Ex his nemo non videt, commenticium esse Hugonem istum, nec alium esse ab S.*

Hugone Drogonis Ducis & Anstrudis filio, qui obiit v Idus Apriles: cujus Acta cum deperdissent Gemeticenses Cœnobitæ in conflagratione Monasterii sui per Nortmannos, aliquis imprudens ea utcumque resarcire postea conatus est ex promiscuis vulgi traditionibus. at infeliciter omnino. Id facilè concedet quisquis adverterit, ficticio illi Hugoni matrem cognominem, scilicet Anstrudem, eumdem obitûs diem adsignari: verique Hugonis memoriam aboleri cœptam, quum alterius natales jactati sunt in vulgus. Drogo Campania Dux in Drogonem Mettensem Episcopum confusus: & qui Hugonis pater, ejus germanus creditus est. ANN. CHR. DCC XXV. APR. IX.

5. *Posterioris Hugonis, Novaliciensis scilicet Monachi & Abbatis, notitia paullo minùs incerta est. Sicut proditur tamen res, ne auctori fidem temere abrogare videar, exponenda est ex Chronico Novaliciensi, cujus hæc verba.* Post invasionem Italiæ à Carolo factam, pergente eo in Romaniæ tellus, ubi & Imperium & Patriciati honorem promeruit, revertente eo, UGONEM filium suum puerulum adduci præcepit: quem beato viro Frodoïno Abbati Novaliciensi commendans rogavit, ut in sancta & monastica professione illum nutriret. Qui benignè eum suscipiens aluit & nutrivit, ut filio tanti Imperatoris decuit. Ob cujus amorem illo in loco multa prædia terrarum & thesaurum multum ibi largitus est. *Mortuo Amblulfo Frodoïni successore,* protinus ad regendam Novaliciensem Ecclesiam domnum & sanctum promoverunt Fratres Hugonem, Karoli Magni filium .·. Erat in arva Francorum Monasterium quoddam ditissimum in honore S. Medardi Confessoris fundatum, quod nuper Karolus ob amorem filii sui Hugonis auxit, ut dicunt, Novalicio, ubi ipse præerat Pater .·. Post paucos verò annos idem vir venerabilis Hugo cùm quadam die secundùm morem Abbatiæ suæ Cellas causa providentiæ & admonitionis circuiret, devenit in Franciæ tellus, ubi multæ Cellæ erant sub ditione Novaliciensis Cœnobii erectæ. Quas cùm ex parte requisisset, consedit mox in præfato Monasterio, videlicet S. Medardi Confessoris. in quo cùm aliquantis commoratus esset diebus, infirmitate corporis tactus ægrotare cœpit: de qua ægritudine ad necem usque perductus obiit illic Idus Junii per omnia felicissimus. ibique sacrum ejus corpus honorificè quiescit humatum .·. Post multos itaque annos retulit nobis Abbas ille de S. Medardo, quòd præfatus Hugo Abbas apud ipsos multas virtutes & miracula illo in loco operatus sit, & quanta veneratione ab incolis loci haberetur. *Hactenus Chronographus Novaliciensis, cujus fidem non magni facio, ut qui multas identidem fabulas narrationi suæ immiscet. Crediderim certè, Hugonem istum esse ipsummet Hugonem Drogonis ex Regina Caroli concubina fratrem uterinum: qui non à Carolo patre, sed post ejus obitum ab Ludovico fratre tonsus est, uti superiùs vidimus, ac in Monasterium relegatus, forsan in Novaliciense, cujus regimen uti & aliorum obtinuerit. Certè neque in Chronico Sancti-Medardino, neque apud quemvis probatum Auctorem fit mentio ulla Hugonis sancti qui sepultus sit in Cœnobio S. Medardi, quod Novaliciensi numquam subjectum fuisse constat. Si quis tamen legitima habeat instrumenta contraria iis quæ hactenus à me dicta sunt, rogo ut ea communicare velit: ut si ita exigat res, id argumenti retractemus Sæculo insequenti.* Alter Abbas, Novaliciensis.

6. *Fuit & alius* HUGO *Abbas nominatissimus sæculo* IX, *& ipse regiæ stirpis ac Caroli Calvi propinquus, quem* Conradi Comitis & Adelaïdis filium *fuisse constat ex Herrico in lib. 2 de mirac. S. Germani Episcopi Autisiodorensis cap. 5. Fuit is Abbas variorum Monasteriorum, cui Servatus Lupus inscribit epistolas duas, 87 & 88, posteriorem* Hugoni Abbatum summo: *& Johannes Papa VII aliam* Hugoni Abbati nobili, spectabili prosapia gentis. *In Chronico Magadaburgensi ms. dicitur* anno DCCCLXVIII successisse Roberto qui marcam tenebat. *&* anno DCCCLXXXVII, Hugo Abbas & vir potens & prudens Aurelianis moritur, Autisiodoro ad S. Germanum sepelitur. Ducatus ejus Odoni filio Rodberti ab Imperatore datur, Parisiorum tunc Comiti. *Eadem habent Annales Mettenses. De eo fit mentio apud Adelerium in Appendice ad Adrevaldum de mirac. S. Benedicti. Id notare visum est, ne quem decipiat nominis communio.* Hugo Abbas Conradi filius.





ANN. CHR. DCC XXX. SEPT. VIII.

VITA S. CORBINIANI EPISCOPI FRISINGENSIS PRIMI,

Auctore ARIBONE ipsius successore tertio.

Ex tomo 9 Suriano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Auctor Vitæ Aribo,

I.  UI *Vitam S. Corbiniani primus litteris mandavit* ARIBO, *ipsius post* Erembertum *&* Josephum *successor, nomen suum prodit cap. 39.* Cœpi ego ARIBO Hæres, licèt indignus, ipsius Frisingensis sedis Episcopus, cogitare quid de tanti Patris corpore agerem. *Ex quibus verbis Arnolfus ex-Comite Monachus & Præpositus Cœnobii S. Emmerammi Ratisponensis in epistola ad Purchardum, Ariboni nomen tribuit* HÆREDI, *& cum eo ms. catalogus Episcoporum Frisingensium, ac* Marcus Velserus *in lib. 5 rerum Boicarum, ubi S. Corbiniani gesta politiori stilo exornavit. Certè Ariboni nomen etiam fuisse* CYRINO, *constat ex fine Vitæ S. Emmerammi à se scriptæ. Hæres etiam dictus est, ut patet tum ex fine istius Vitæ, tum ex Synodo Dingolvingensi, cui subscripsit* Hæres Episcopus *anno* DCCLXXII *apud Baronium. Is* Ecclesiæ Frisingensi præficitur Pastor anno Domini DCCLX, *ut habet ms. catalogus Episcoporum.* Multas dedicavit Ecclesias, *in his anno Domini* DCCLXXIX, Oratorium Schliersee, quod Fratres pro solitudine elegerunt & construxerunt: eisque Abbatem constituit juxta ordinem Regulæ S. BENEDICTI. Similiter Monasterium Schlechdorff in honore S. Dionysii dedicavit, & HÆRES sub gradu minori constitutus eidem Congregationi præfuit, ubi etiam S. Tertullianus requiescit in corpore, quod Reginbertus Monachus ab Hadriano Papa impetravit. *Hinc colligimus Aribonem ex-Monacho Benedictino creatum esse Episcopum Frisingensis Ecclesiæ, cui annos* XXIII *præfuisse dicitur.*

to. 2. antiq. lect. Canisii.

Hæres dictus.

Metrop. Saltzburg. p. 1. pag. 124.

Monachus.

Corbinianus an Monachus Benedictinus.

2. *An verò etiam* CORBINIANUS *Monachus ante susceptum Episcopatum fuit? Certè ad Oratorium S. Germani* parvum ergastulum (*Velserus rectè* Monasterium *interpretatur*) construxisse *dicitur, ibique* ministros *habuisse,* quos quotidie sacris studuit disciplinis instruere, *infrà cap. 1. Quam Regulam istic observaverit, discimus ex cap. 2. Quippe miraculum de musto servato accidisse noctu intelligens,* silentium suum ut servaret, ministris hoc indicare distulit, sic pernoctans in orando, usquedum matutinas Deo laudes persolveret. *Nimirum ex præscripto S. P.* BENEDICTI, *qui præcipuè nocturnis horis rigidum silentium à suis exigit in Regulæ cap. 42. Denique Corbinianus teste* Ottone Frisingensi *Episcopo in Chron. lib. 5 cap. 24.* in monte Frisingen Ecclesiam quæ usque hodie cernitur, in honorem B. BENEDICTI construxit, ac Monachorum ibi sacrum conventum adunavit. *Quæ Ecclesia etiam in honorem B.* MARIÆ *sacrata erat. Id quod patet tum ex hujus Vitæ cap. 20, tum ex litteris donationis Hittoni Episcopo factæ initio sæculi* IX, ad domum S. MARIÆ in Frisingam, ubi electus & pretiosus corpore requiescit Confessor Christi Corbinianus, ut memoria ejus multis temporibus in domo S. MARIÆ & S. BENEDICTI Confessoris permaneat, & ut oratores sui, videlicet Monachi & Episcopi successores, hujusmodi possideant. *Hæc ex Metropolis Saltzburgensis tomo 1 pag. 126. Quamdiu illam Cathedralem Ecclesiam tenuerint Monachi nostri, adsequi non licuit. In litteris Henrici Magni Imperatoris anno* MII *concessis pag. 140, prima* Canonicorum *mentio occurrit. nam in superioribus litteris* Fratres *appellantur. De Frisingæ situ infrà cap. 20.*

Frisingēsis Ecclesia Cathedralis primò à Monachis occupata.

PRÆFATIO. I.  UM cupimus ad ædificationem audientium Vitam B. CORBINIANI stilo brevissimo explicare, virtutésque quas per eum fecit Dominus; primò necesse est sancti Spiritûs implorare suffragium, quatenus ejus adjuvante gratia, dignè possimus tanti viri Dei utiliter miracula enarrare.

ANN. CHR. DCC XXX. SEPT. VIII.

CAPUT I. Corbinianus Mildunensis. * de Melun

VENERANDUS igitur Dei famulus CORBINIANUS, ortus fuit ex regione Melitonensi *, natus in vico qui dicitur [a] Castrus, ex patre WALDEKISO & matre CORBINIANA. Quo nondum nato genitor ejus languore correptus, rebus excessit humanis. Eo itaque post obitum patris nato, mater ejus, genitoris sui nomine ex sacro cum fonte fecit ablatum appellari; at postea illius amore compuncta, nomen ejus mutavit, eúmque vocavit CORBINIANUM. Qui dum bonæ indolis puer excrevisset, divina inspiratione compunctus, sacræ Religionis officium viriliter diligebat, cœpítque divinæ Scripturæ sagacissimus indagator exsistere, psalmodiam diligere, jejunium amare, vigiliis & orationibus sanctis insistere, pauperes quantum potuit recreare, hospitalitatem sectari, & in boni operis cultu studiosè persistere. Ad hoc quoque divino est perductus amore, ut omnem mundi concupiscentiam ab ipso juventutis relinqueret flore, & sanctæ continentiæ sanctæque castitatis sollertissimus custos exsisteret. Porro ad B. Confessoris Christi Germani Ecclesiam [b] in eodem castro constructam devotissimè se contulit, atque juxta eam parvum sibi construxit ergastulum, tantum solitudine delectatus, ut nihil aliud possideret nisi tantùm ministros, qui sibi exterioris necessitatis solatium exhiberent: quos quotidie sacris studuit disciplinis instruere, ut suæ imitatores exsisterent vitæ. Multa quoque cœpit ad illum credentium populíque turba confluere, & sacra ejus monita diligenter excipere. Quidquid autem ex oblatione Fidelium suscepisset, excepto victu necessario pauperibus erogabat.

II. Mustum in dolio disruptо conservat orando.

Vindemiarum quoque tempore cùm quidam ei vindemiarum primitias afferrent, ministri ejus in cellario vas inde non modicum impleverunt. Contigit autem cujusdam noctis silentio, ut musto vehementer intumescente, magni fervoris vim vas sufferre nequiret, spinámque tam fortiter rejiceret, ut ejus sonitus in cellula ad aures viri Dei perveniret. Qui statim intelligens quod gestum fuerat, sese in orationem fixis in terra genibus projecit; silentium suum ut servaret, ministris hoc indicare distulit, sic pernoctans in orando, usquedum matutinas Deo laudes persolveret. His peractis, ex more tintinnabuli signo ministros convocans, suspicionem quam de vino habuit, eis indicavit. Tunc ergo Frater qui cellario præerat, nomine ANSERICUS, arrepta clave festinè cellarium reseravit, & in introitu spinam pede invenit, & in manus tulit, ad vas accessit. res mira apparuit, quia tam incolume mustum inventum est, ut nec gutta quidem foras exiret. Quod dum viro Dei nuntiavit, omni cautela jussit silere miraculum.

III. Mulam à fure subreptam recuperat.

Quadam verò die fur quidam, instigante diabolo, mulam viri Dei foris reperiens abstulit, eámque adscendens, propinqui saltûs se immergebat latibulis. Ministri verò viri Dei vespera appropinquante mulam quærentes invenire non poterant, huc illúcque quærendo discurrentes per latera montium & ima convallium silvarúmque latibula, necnon & ea loca perscrutantes, ubi priùs mula solita erat pasci, usquedum eis nox ita tenebresceret, ut coacti vacuíque domum reverterentur, & damnum de mula viro Dei referrent. Ipse autem leniter consolatos dimisit, séque in oratione prostravit; sicque orando permansit, usquedum matutinarum sollemniis debitas Deo laudes implevit. Ac deinde cùm ad refocillationem lassi corporis paullulum quiesceret, Angelus Domini in ipso matutinali

[a] *Castras* forsan seu Castra opidum, vulgo *Châtres*, à quo Castrensis pagus agri Parisiacensis, quarto miliari à Lutecia Parisiorum in via Aurelianensi, ad amnem Orgiam, *l'Orge*.

[b] Exstat etiamnunc istud S. Germani Parisiorum Episcopi Oratorium, estque Ecclesia parochialis extra murorum Castrensium ambitum. nam loci Ecclesia parochialis S. Clementi sacra est, pendétque à Monasterio Fossatensi.

Ann. Chr. DCCXXX. Sept. VIII. crepusculo ei per visum apparuit, furémque cum mula adventurum prædixit. Ille autem à somno excitatus, grates Deo retulit & laudes, atque etiam S. Germano, in cujus Ecclesiæ foribus tunc ipse manebat: apertàque fenestrâ cellulæ, signo ex more tintinnabuli suos ad se convocat ministros. Quibus adstantibus præcepit, ut venientem furem cum mula minimè læderent. Sed hoc nequaquam appetitu vanæ gloriæ ministris prædixit, sed ut eorum mentis insaniam mitigaret, ne furore coacti, Dei virtutem in suam mutarent insaniam, aut ut rei sanguinis in ejus persecutione non fierent. Vix verba præcipiendo compleverat, & ecce ostium cellulæ ubi vir sanctus cum discipulis loquebatur, mula ingressa super se sedentem obtulit furem rigidum & quasi exanimem, dorso illius adhærentem, perinde ac si ligatus super eam esset, ita ut si vellet, descendere nequivisset. Qui dum viri Dei jussione depositus & humi esset projectus, instar ligni vel lapidis amens & sine sensu jacebat. Cœpit autem eum vir Dei tam increpatione quàm admonitione à sua nequitia quasi à gravi somno suscitare. Qui cùm ceu dormiens expergefactus esset, timorem dimisit animi, & confitendo atque pavendo malum quod viro Dei fecerat, professus est se ampliùs non peccaturum, etiamsi præ inopia periturus sit. Eo ergo sic prostrato jacente & promittente vitæ mutationem, eum vir Dei de humo jussit surgere. Mox ille tam celeriter surrexit, quasi rigidus atque contractus minimè fuisset: & sic suæ miseriæ referebat historiam, quomodo in dorso mulæ pernoctasset, tot montium summitates atque ima convallium, silvarum atque veprium densitates perambulasset, & quasi à mula vinctus fuisset. Quibus dictis fidem vulnerata facies conciliabat. Denique ab irrationali animali adductum se inscientem ad virum Dei fuisse professus est, & quòd intempestæ noctis silentio viam evadendi vel latendi reperire minimè potuisset. Sed quid mirum quòd orationes Justorum Deo largiente valeant vincula reprobis injicere, & à mentis eos revocare industria, cùm tantam Deus electis suis præstet gratiam, ut cùm rerum necessitas exposcit, mira quoque aliquando ex prece faciant, aliquando verò ex potestate, cùm Johannes dicat: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri?* Quia ergo filii Dei ex potestate fieri possunt, quid mirum, si signa facere ex potestate valent? Et quid mirum, si signa per orationes facere valent, cùm Dominus suis Fidelibus promiserit, dicens: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & fient vobis? orationis namque virtute semper sunt signa ostensa, mirabilia demonstrata. Nam Moses per orationem Pharaonem superbum Regem in mare rubrum demersit, Ægyptios delevit, & Dei populum liberavit. Josue occidentem solem tamdiu orando stare fecit, donec hostes pugnando delevit. Elias tribus annis & mensibus sex cælum ab imbre coërcuit, & cùm voluit, orando pluviam tribuit. Iste itaque vir sanctus oratione alligavit reum, ut à nequitia suæ animæ solveretur, & ad pænitentiam reverteretur: eique tres argenteos dedit, atque admonuit, ut nec coactus furtum faceret. Et illo accepto munere lætus recessit.

Ita Greg. M. lib. 2 Dial. cap. 30. Iohan. 1.

IV. à Pippino aliisque frequentatus. Cœpit itaque longè latéque fama sanctitatis ejus crescere, & Fidelium ad eum, nobilium & ignobilium, utriusque sexûs turba confluere, æternæ vitæ ex ore illius verba libenter audire. tantúmque excellentia vitæ illius percrebuerat, ut ad summum Majorem domûs PIPPINUM rumor sanctitatis ejus perveniret. Is verò unum ex carissimis sibi Optimatibus ad viri Dei cellulam transmisit, séque humillimè ejus precibus commendavit. Multíque ad eum senes & nobiles concurrentes, ut pro ipsis oraret, rogabant: alii autem sua ei munuscula orationis causâ mittebant. Tunc vir Dei cre-

bris advenientium colloquiis occupabatur; sed mens ejus magno inde tædio affecta, magnis fletibus atque lamentis se abstrahere nitebatur: tactúsque dolore cordis intrinsecùs, suspiriis & gemitibus crebris deplorabat, quòd tranquillitatem quam quæsierat, & solitudinem quam desideraverat, se amisisse perspiceret; & paupertatem quam amaverat, sibi deesse valde pertimesceret, & adesse sibi divitias quas noluerat: orationis studium se ultra consuetudinem amittere, responsis advenientium & acceptione dantium, & dispensatione egentium occcupatum. His verò tribulationibus fatigatus, quartum-decimum in sua cellula impleverat annum. Tunc demum iniens consilium, ad limina sacratissima beatorum Apostolorum Petri & Pauli orationis causâ ire decrevit, & ibi se apostolici viri doctrinæ & orationibus commendare, &, si fieri posset, impetrare ab eo sibi & suis qui cum eo venirent, in quodam angulo latitandi facultatem, ut ad sanctorum Apostolorum patrocinia posset secretiùs pervenire, & ibi sub sanctæ conversationis regula liceret ipsi vitam ducere. ANN. CHR. DCCXXX. SEPT. VIII.

Movit autem vir sanctus comitatum suum cum universis supellectilibus, & incolumis cœptum perfecit iter. Oratione autem facta in confessione beatissimi Apostolorum principis Petri, ad beatæ memoriæ GREGORII [a] Papæ pedes se prostravit, eíque secretum animi sui diligentissimè explicavit, & quibus necessitatibus coactus suum amisisset secretum, & quomodo tranquillum per humanos favores perdidisset portum, & quibus rerum sæcularium tumultibus, quasi navis in medio mari jactaretur fluctibus, ut vix solitudinis marginem recolendo prospiceret. Et plus etiam formidanda adjecit, quia temporalia à multis sibi concessa munera, sibi potiùs ad perditionis cumulum evenire posse timeret, quàm ad præsentis vitæ solatia. Venerabilis autem Papa Gregorius audiens viri Dei verba, intellexit zelum animi ejus, qualiter & quàm magnam in Dei opere haberet animi puritatem. Erat enim vir Dei valde facundus, & humanitate præcipuus, conversatione inter omnes præclarus, contra vitia ad irascendum facilis, velox ad ignoscendum conversis; non piger in bona operatione, deditus orationi, studiosus psalmodiæ, præclarus in vigiliis, frequens in jejuniis, largus in eleemosynis, ad omne bonum semper promtissimus, vir mitis atque modestus, nulli pietate secundus. Sed quid de eo dicendum est, quem omnibus bene volentibus simúlque indigentibus, omnis boni adjumentum, quantum potuit, fuisse non dubium est? Itaque vir Dei Spiritu-sancto repletus, unicuique congruens erat sexui vel ætati, ut per sanctæ conversationis studium posset unicuique sanctarum exempla virtutum ostendere. Sed hæc beatissimus Papa Gregorius intuens, cœpit cum suis inire consilium, ne tanti luminis fulgor absconderetur sub modio, sed ut secundùm dicta Veritatis supra candelabrum posito illo, multi ab eo illuminarentur, cogitavítque ut ex auctoritate B. Petri Apostoli sacerdotalem ei honorem conferret. Itaque in viro Dei quæ consultando tractaverat, opere perficiens, per singulos gradus ad summum usque pontificalem eum provexit honorem. V. Romam petit. a

Vir itaque sanctus, quamvis coactus, tamen dono Dei & divini muneris largitori consentiens, Psalmistæ non immemor, timens ne tali fraudaretur honore, dicentis: *Quia noluit benedictionem, elongabitur ab eo;* quamvis honorem fugiendo humilitatem continere voluisset, obeditio- VI. Ordinatur Episcopus.

a Hîc mendum esse in Gregorii nomine rectè monet Baronius, tum quia Pippinus qui post hanc Corbiniani profectionem superstes fuisse dicitur, eodem anno vivere desiit, quo Constantino Gregorius successit; tum quia anni septem cap. 9 dicuntur effluxisse à prima ad secundam viri sancti peregrinationem Romanam, quæ anno DCC XVII contigisse videtur.

Ann. Chr. DCC XXX. Sept. VIII.

Accepto Pallio reversus Gallos erudit.

nem tamen majorem judicavit, ne Patrem resistendo contristaret, vel divinæ voluntati contraire videretur. Coactus ergo sacerdotalem suscepit benedictionem, accepto etiam Pallio cum benedictione & adjutorio B. Petri Apostoli, ut ubique prædicationis officium exercere in toto orbe posset, & tanti Patris concessu potestatem haberet. Tanto autem accepto honore & privilegio in Galliam reversus est, cœpitque divinum largiter ex ore ejus emanare verbum, & mellislua instar vivi fontis in aures audientium effundi prædicatio; atque per universam Galliam verbum doctrinæ illius in virorum ac mulierum sanctis crevit moribus, & tam in sacrarum virginum ac viduarum, quàm & Monachorum & Clericorum pectoribus diffusum est. Ipse verò verbum Dei administrans ceu prudens dispensator Ecclesiæ Christi, unicuique mensuram tritici hilari vultu largitus est.

VII. à Pippino arcessitus,

Interea contigit, ut Major-domûs in Gallia, qui erat Pippinus, virum Dei ad se accersiret. Illo verò ad palatium proficiscente, in via quidam reus ad damnationis ultimæ suspendium ducebatur propter latrocinium, nomine Adalbertus; manibus post tergum vinctis, & restis in collo illius pendebat; & hi qui funem tenebant, jam eum trahere ad damnationem conabantur. Cœpit autem vir Dei totis viribus festinare, & sub testificatione divina alta voce clamare, ut ejus exspectarent adventum. Cùm autem appropinquaret, statim ex equo prosiliens ad reum ipsum cucurrit, & principes hujus operis qui essent, omnibus modis inquisivit: eósque inveniens, cœpit humillimè postulare fixo in terram capite, ut sibi reum donare dignarentur, vel pœnas differre, usquedum ad Majorem-domûs citissimè pervenire posset. His minimè petitioni illius obtemperantibus, dicentibúsque publicam se functionem nullo modo audere prætermittere, ne fortè illius punirentur pœnâ, qui tanta & talia commisisset crimina, ne regales ad suæ damnationis exitium commoverentur aures; vir Dei reum admonere studuit, adsistentésque longiùs amovit, ut omnem ei putredinem & vulnus animæ suæ confessione purissima aperiret, tam in factis quàm in locutionibus atque cogitationibus pravis: eúmque arripiens, ut omnis malitiæ suæ pænitentiam puriter ageret admonere curavit. Ipse autem reus promisit se vitam & mores correcturum, sæculum relicturum, admissa deploraturum, futura evitaturum. Tunc vir Dei signo Crucis æternæque salutis caput illius & pectus munivit, lacrymabili vultu reversus, equum adscendens, sub omni festinatione cœptum carpebat iter. Quod cùm eodem die perficere minimè posset, secùndum diem ad perfectionem ipsius itineris complens, tandem ad solis occasum ad palatium pervenit, & ex caballo ocius descendens, summíque se Principis pedibus advolvens, humillima prece poposcit, ut qualitercumque de suspenso illo actum sit, corpus ejus sibi donare non dedignaretur; simul etiam quomodo ministros ejus prærogasset, & iis negantibus quanto inde cum mærore abiisset, pleniter exposuit.

latronem patibulo addictū mirè liberat,

confessione ipsius audita.

VIII. His dictis Princeps præfatus compassus est, & eum quem viventem tantus Pontifex à ministris obtinere non potuerat, quémque ultimo supplicio affectum nemo non mortuum crederet, Episcopo præcepit reddi. Nuntii utrorumque directi, domini venerandi Pippini & beati Corbiniani Episcopi epistolam deferebant. Qua accepta, tandem die tertia vesperascente, ô inauditam & valde incredibilem rem! ita vivens inventus est latro pendens in patibulo, ut eum venerabilis vir Corbinianus muniverat signo Crucis sanctissimo. Sed quid mirum, si sanctus vir Dei ejus vitam à Domino impetravit oratione & lacrymis ad gloriam Dei, ut nec corporis

pondere

pondere collum ejus dissolveretur, nec restium compressio guttur ejus suffocaret? Qui utrum fidelis vel infidelis fuerit, ignoratur. Quid mirum, si iste vir Dei in virili sexu exaudiebatur, quando in fragili sexu femineo beatam Christi virginem SCHOLASTICAM à Deo ita exauditam legimus, ut ea quæ à sanctissimo fratre BENEDICTO Abbate petiit & obtinere non potuit, divina ei virtus poscenti ministraret? Volens namque ipsa virgo castissima ut frater ejus cum ea pernoctaret in oratione, quod ab eo minimè potuit obtinere, petiit à Domino, & tantam vim ventorum & imbrium impetravit, ut ex eodem tecto in quo loquendo consederant, nullus omnino egredi valeret: & ita qui ibi rogatus noluit manere, mansit invitus. Si ergo à tam fragili sexu sanctus vir Dei Benedictus orando potuit retineri, quid mirum, si beatus Corbinianus infideles aut etiam fideles orando potuit salvare, qui se à divino tramite numquam abstraheret? Sicque factum est, ut de pœnis depositus Adalbertus, non tantùm vivus, sed etiam illæsus inventus sit, & ad palatium ab his qui missi fuerant deductus. Ad cujus intuitum quasi adingens spectaculum multitudo nimia confluebat, & non modò incolumem, sed etiam valentem contemplabatur, & à multis habebatur insigne. Tunc idem Adalbertus, quasi passer ereptus à laqueo pœnarum, habitum mutavit, & in sanctæ conversationis vita sub magisterio viri Dei post multa temporum spatia finem vivendi fecit.

Ann. Chr. DCCXXX. Sept. VIII.

apud Greg. lib. 2. Dial. c. 36.

ex latrone discipulum facit.

Ex eo tempore vir Dei Corbinianus venerabatur ab omnibus, maximè verò à domesticis fidei. At ille gloriam sæculi pertimescere, honoris ambitionem expavescere, tranquillitatem secreti quod perdiderat multipliciter lamentari, divitias sibi locupletatas haud secus ac avari amissas deflere. Ad pristinum ergo rediit ergastulum in foribus B. Germani Ecclesiæ, ibique sub protectione ejus proprium quæsivit secretum, turbas hominum devitavit, paucósque secum Clericos retentavit, quos admonendo & docendo deserere non valebat. quibus sub operationis suæ cura victum suppeditavit, & verbi Dei semina quotidie eorum pectoribus infudit: ibique continuis septem annis permanens, eò advenientibus secúmque commorantibus verbum Dei sedulò ministravit. Sed quanto secretiùs se in ima loca contulit, eo ampliùs fama ejus sanctissima altiùs eminebat in publicum: & quotidie supervenientium turbas sustentare non valens, & quasi concussam cellulam & conquassatam medii maris fluctibus naviculam deflens, ad pristinum se contulit orationis auxilium, iterúmque Romam pergere disponebat, & à tanti Patris munimine absolutionem percipere, & secreta Monasterii petere, atque alterius magisterio se commendare pertractans, si eum summus Papa sub patrocinio, ut priùs poscebat, B. Petri militare sub manuum suarum concessisset sudore. Qui non jam publicum à Gallorum partibus arripiens callem, sed secretiorem eligens viam, in Alemanniam pervenit, deinde in Germaniam [a]: & sic in Noricum veniens, ibi aliquamdiu demoratus, verbi divini seminavit doctrinam, & nonnullorum sacra verba penetrabant, gratiâ Dei, corda in augmentum Fidei Christi. Quæ gens adhuc rudis erat, & nuper ad Christum conversa [b]. IX.

Secessum repetit.

Solitariæ vitæ desiderio iterum Romā adiens,

in Bajoaria verbū Dei prædicat.

Eo namque tempore erat ibi devotissimus THEODO Dux, insignis potentiâ, & virilis virtute, filiis ornatus, & nobilium virorum alacritate præcipuus: cujus cùm longè latéque felix fama increvisset, provinciam ipsam X.

Theodone Duce,

[a] Non recto itinere, sed flexuoso. nec enim Romam tendenti adire Noricum opus erat; nec adeunti Noricum petenda Germania, quæ trans Danubium sita est, sed eundum erat per agrum Ræticum Alpibus Penninis subjectum, Alamanniæ seu Sueviæ partem, vicinum Norico, quod ab Odoacris Regis principatu Bajoarii occupaverant. Lege Walafridi Strabi Prologum in Vitam B. Galli Sæculo I.

[b] Nimirum per S. Rudbertum, de quo suprà ad ann. 717. ubi de Ducibus Bajoariis.

ANN. CHR. DCC XXX. SEPT. VIII.

sibi & liberis in quatuor [a] partes divisit, caríque ibi habebantur Sacerdotes, ut solet apud novitios. Qui dum virum Dei Corbinianum advenisse cognovit, ad se invitavit, cúmque humillima supplicatione flectere conabatur, ut ab ipso honores sibi debitos acciperet. Sed obtinere non potuit, quòd vir Dei mallet paupertatem tranquillam sectari, quàm divitiis frui perituris. Itaque multa ei munera largitus Dux, permisit abire. Illo autem relicto, in partes filii ejus nomine GRIMOALDI venit: qui eum honorificè recepit, & de tanti Pontificis gratulabatur adventu, nec tantùm ipse, sed etiam universa turba quæ erat in ditione ejus. Cùm autem gustasset dulcedinem doctrinæ illius, cœpit multis blanditiis ei supplicare & nimiis insistere precibus, ut eum nequaquam desereret, pollicebatur enim eum comparticipem facere filiorum suorum. Sed vir Dei ad ejus promissionem ab statu suæ mentis minimè declinavit, sed immobilis ad explendum iter arreptum permansit, & se nequaquam recedere ab hujus tramitis perfectione professus est. Idem verò Grimoaldus munera illi non modica largitus, fecit ei copiam abeundi, direxítque ministros, qui eum cum summo honore deducerent à finibus Noricensibus usque in Italiæ partes. Qui jussa complentes, sub debito honore benedictionem petentes, reversi sunt: sed silenter, ignorante quidem viro Dei, jubente autem eodem Principe, actoribus vel habitatoribus Alpium mandaverunt, tam Venusticæ vallis, quàm aliis circumquaque, ut si quando eum reverti in illas partes contingeret, eum à finibus Bajoariorum nequaquam paterentur abire, nisi ad jam dictum Principem perveniret.

& Grimoaldo visitatis, cœptum iter persequitur.

XI. In ipso autem itinere Romam pergendo, cùm Breones [b] perveniret, juxta silvam quamdam in castris manebat. Sed dum custodes equorum incautè obdormirent, ita ut nullus vigilaret, ursus è silva egrediens, sagmarium viri Dei discerpens comedit. Mane autem facto; dum expergiscebantur custodes, invenerunt eumdem ursum semetipsum sagmarium jacentem, & comedentem illum. Quod dum Ansericus prædictus viri Dei minister agnovit, B. Corbiniano dixit. At vir Dei patienter ferens, dixit eidem Anserico: Tolle flagellum istud & vade ad eum, & fortiter illum verbera, & castiga pro delicto suo, quo nobis nocuit. Quod dum ille agere formidaret, dixit ei vir Dei: Vade, & noli timere eum; sed ut dixi tibi fac, ac postea mitte super eum sellam sagmariam & sterne illum, & sagma [c] super illum impone, & duc cum aliis caballis in viam nostram. Ipse verò Ansericus fecit, sicut præceperat ei vir Dei. Porro impositam sibi sagmam ipse ursus quasi domesticus equus Romam usque perduxit; ibíque à viro Dei dimissus, abiit viam suam.

Equo suo vorato ab urso, [b] urso sarcinam imponit. [c]

XII. Cùm autem ad Tridentinum castrum vir Dei pervenit, ubi tunc à Longobardorum Rege Comes nuper erat positus, nomine HURSINGUS. is cùm viri Dei emissarium valde decorum formâ vidisset, emere concupivit: sed cùm vendere nollet, furto clam tollere jussit. Cujus rei vindictam cælestem ad tempus narrationis & ordinem reservamus. Igitur vir Dei sanctus Papiam veniens, à præcellentissimo Longobardorum Rege * & Deo devoto cum omni veneratione susceptus est, & septem ibi diebus propter sacram prædicationem verbi Dei, quæ ex ore illius inundabat, retentus

Papiæ à Rege exceptus.
* nim. Liutprando

[a] Et tamen *is Dux* duos tantùm *filios habuit successores*, DIOTPERTUM *videlicet atque* GRIMALDUM, inquit Arnolfus ex-Comite Monachus in lib. de Vita S. Emmerammi cap. I.

[b] Breones seu Brenni, populi Bajoariæ in Comitatu Tirolensi ad Ænum fluvium, paullo infra Rosenheimum opidum.

[c] Græca vox σαγμὰ onus & sarcinam significat, unde *sagmarius*, id est sarcinarius equus. Hinc corrigendi libri editi Ottonis Frisingensis Episcopi, in quibus *sagina* & *saginarius* legitur lib. 5 cap. 24.

est. Ejus se orationibus humillimè idem Rex commendavit, munera largitus non modica, & valedicentem abire permisit, atque in ejus comitatum cujusdam civitatis præfectum ire jussit, ut usque ad portum amnis Padi deduceret, & virum Dei cum omni comitatu suo diligenter transponeret: & inde usque ad Romanos fines alios cum eo pergere fecit, ut darentur ei per viam totius necessitatis solatia. Cùm autem pervenissent ad portum Padi fluminis, is qui cum eo missus fuerat, videns elegantem equum viri Dei, animo hærens, emere concupivit. Sed vir Dei minimè se daturum prædixit, summo Romanæ urbis Pontifici ducendum insinuans. Ille verò antiqui hostis pervicaciâ accensus, ad suæ damnationis cumulum, ad ultimum transeuntibus amnis portum reservare suis silenter equum præcepit: Dei quoque viro transposito, subitò se equo imponens, cursu velocissimo in vicinam silvam se immergens cum suis, huc illucque discurrens, simulabat latronem se quærere. Tunc demum vacuus revertens, raptorem se non nosse testatus est. Viri quoque Dei provolutus vestigiis poposcit, ut pro negligentia sua ad regales aures eum minimè accusaret. At vir sanctissimus patientiæ suæ custos, hilari vultu ei valefaciens, à se dimisit, divinæ vindictæ non ignarus. Cujus rei finem divino adjutorio ad posterum narrandi ordinem reservamus. Nam vir sanctus tramite arrepto, cœptum carpebat iter. ANN. CHR. DCCXXX. SEPT. VIII. — Equum alterum amittit.

XIII. Sextâ feriâ, — Cùm autem quadam die ad Tusciæ partes pervenisset sextâ feriâ jejunii, in qua abstinere oportebat ab esu carnium, videntes hi, qui præerant itineri, quòd hora gustandi tardiùs protrahebatur, & quòd caballi calorem toto diei spatio sub pondere nequirent sustinere, dixerunt ut vel paullulum repausarent. His dictis is qui alimenta ad mensam Pontificis ministrabat, dixit se ad esum Episcopi nihil præter carnem habere, quam eo die non comesturum Episcopum noverat. Hoc eo dicente vir Dei sursum adspiciens, vidit aquilam in aëris altitudine volantem, & ait: Ecce avis, per quam nobis Dominus misericordiæ suæ largitate daturus est alimenta. His dictis, ab intuentium oculis longiùs aquila recessit, & de tanta altitudine oculorum acie piscem in maris fluctibus videns, submissis alis, arreptum ad litus perduxit. Illis ergo pergentibus, quidam cocus Pontificis more itinerantium hoc videns, ad litus cucurrit, invenit aquilam in piscis adhuc vivi capite sedentem, piscémque palpitantem. Qui cùm advenisset, aquila piscem dimisit, & avolavit. At cocus arreptum piscem obtulit Pontifici, & factum aquilæ enarravit. Magnitudo verò piscis tanta erat, ut non solùm Pontifici sufficeret, sed etiam cunctis qui apud illum comederunt. Res mira & valde inaudita, excepto antiquo miraculo quo Paulo & Antonio corvus ministravit escam. Tanta enim divinæ pietatis est largitas, ut nusquam suos servos permittat inopiâ confici, dicente Psalmista; quia inquirentes Dominum non deficient omni bono. Magna autem erat eodem loco amœnitas, magnáque herbarum copia & fons largus. Quid ergo ibi aliud datur intelligi, nisi quòd omnipotens Deus, qui suum dignatus est pascere servum, subvectioni ejus necessariam præbuit alimoniam? Sed nequaquam aliud ejus miraculum prætereundum esse videtur. — aquilâ ministrâ piscé accipit.

XIV. Piscem ingentè Anserici operâ è mari capit. — Octavo namque die ab eo quem diximus, similiter sextâ feriâ quidam ex conviatoribus ad litus maris cucurrit. Est enim delectabilis callis juxta mare euntibus, undarum molibus depressus. Is dum iret per litus, vidit secus litus natantem piscem non modicæ magnitudinis, quasi pedum undecim. quem dum deambulando intueretur, clamore valido auribus viri Dei indicavit. Itaque cuncti relicto calle, ad litus quasi ad ingens spectaculum cursitabant. Vir autem Dei cùm natantem conspexit, intra semetipsum ta-

Ann. Chr. DCCXXX. Sept. VIII.

citè cogitans ne fortassis sibi in esum (ut erat) à Deo transmissus esset, quemdam suum ministrum, nomine Ansericum, (cujus longè jam superiùs mentionem fecimus) ex nomine vocat, sciens eum peritiam habere natandi. Ei præsenti exui indumentis, nihil diffidentiæ in animo habere, pugionem in manus sumere præcipit. Ipse verò verbis ejus confisus, vestimentis exutus, imperterritus quasi per humum mare ingrediens, (erat enim viribus strenuus, alacer ingenio) in mare mersus, in interiora se contulit, sinistra manu pernatans, dexteram super undas elevans, ferro summis nisibus piscem tam fortiter percussit, ut ferrum sequeretur capulus. Pisce verò statim ad altiora maris se torquente, ipse summitatem tenens, ferrum secutus est. Cúmque diu per mare natando piscis se fatigasset, & nihilominus persequendo eum percussor torqueret, ad litus eum convertere nitebatur. His ita decertantibus, jam longiùs eductus fluctibus, ita ut vix jam litus adspiceret, confisus tamen verbis viri Dei, sumebat fiduciam. Quod dum piscatores quidam intuerentur, ex latere retia relevantes, his relictis, certatim ad periclitantis adnavigaverunt spectaculum. Qui dum vulneratum piscem intuerentur, totis viribus festinabant, atque ab æquore eum in navim voluerunt attrahere. Sed dum idem viri Dei minister brachium in summitatem puppis immitteret, cœperunt piscatores pugnis & percussionibus reverberare, ut ex tanta præda reverteretur vacuus ad litora. Sed cùm alacer pedem puppi immitteret, ad flagella intrepidus, viriliter se erigens, arrepto unius ex manibus remo, cœpit percussores suos cædere. Qui ilico timore perculsi per orationes viri Dei, illius pedibus se submittentes, navim usque ad litus traxerunt cum præda. Tunc vir Dei & qui cum eo erant, immensas Deo referebant laudes, locáque ad applicandum aptissima perspicientes, castra illic metati sunt. Cúmque tantæ esset abundantiæ gratia, ut piscem eumdem nequaquam cunctus comitatus illius consumere posset, residuum salientes, in vasa condiderunt. Refectis autem omnibus, hi qui aliena rapere conabantur, dignis sunt verberibus castigati, atque à viro Dei admoniti, ne ulteriùs principis Apostolorum B. Petri peregrinis nocere ullo modo auderent. Duos etiam eis tresses dare præcipiens, ne de operatione diei vacui recederent, abire illos permisit.

XV. à Papa secedendi facultatem postulat, frustra.

Ipse verò iter persequens, Romam usque pervenit, & oratione facta ad utraque beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina, ad summi Pontificis B. Gregorii præsentiam [a] veniens, ad ejus se stravit vestigia. At ille surgere illi imperans, se denique juxta se poni faciens, sedere præcepit. Qui cùm sedisset, non modica dona tanto * Dei viro obtulit, & cuncta sibi de sua conversatione displicentia enarravit, quomodo videlicet & quibus quasi immensis fluctibus quateretur hujus mundi honoribus, & quomodo ei nec murorum claustra tranquillitatem præstare potuissent, & quantum hujus mundi formidaret divitias, quippe qui nec unum vellet habere colonum. Secretum ergo * petens, ut ei omnes perturbationes animi sui atque angustias liberè posset referre lacrymis fusis, flebili voce deplorat, ut suum secretum imposito honore perdiderit, in pristina petitione persistens, ut ad Cœnobium ipsum ire permitteret, vel in quamdam cellulam includeret, vel in aliqua secreta silva ad operationem ipsi concederet agellum. His auditis, tantam humilitatem ejus miratus est summus Papa: eóque à se di-

* al. sancto

* al. verò

[a] Non anno DCCXVI, ut apud Baronium, sed potiùs anno insequenti. Quippe Theodo Bajoariorum Dux paullo post Corbiniani discessum (prout ex hac narratione intelligitur) defunctus, Gregorio II Pontifice, jam Romam profectus erat *Indictione* XIV, teste Anastasio, id est anno DCCXVI, ut proinde in annum sequentem rejici debeat altera hæc Corbiniani Romana profectio.

missso, ad secreta necessaria synodum congregavit, & in eo conventu ista recitavit. Quibus illi auditis, una voce omnes eum reverti debere proclamabant, multis testimoniis scripturarum id confirmantes. His ita dicentibus, virum Dei in medium venire jussit. Quorum verbis se victum considerans, ut injunctum sibi à tanto Patre officium nullo modo omitteret, & à lucro vacuus rediret ad aream, cum summo ibi aliquantum temporis retentus honore, benedictione accepta, valefaciens omnibus tristis recessit. ANN. CHR. DCC XXX. SEPT. VIII.

Cúmque revertendo Papiam pervenisset, ad portam urbis feretro impositum cujusdam mortui corpus efferebatur, quem universus sequebatur urbis magistratus. Qui mox ut virum Dei conspexere, subtiliter de persona ejus atque vocabulo sciscitabantur. Erat autem cadaver ejus viri, qui caballum illius antea rapere ausus fuerat. Eos autem omnes pavor ingens invasit, quia ille desperatus à medicis, facinus suum non abscondit, sed publicè confessus est. Tunc quoque vir sanctus cum omni humanitatis reverentia à Rege receptus, regalem deducebatur in aulam: quia nequaquam Principem latebant divinæ virtutis miracula, quæ per viarum spatia ab eo, & per eum fuerant gesta. & propterea miles Christi ampliorem ab omnibus recipiebat honorem, quamvis ille ea omnia libentissimè voluisset silentio premi. Sedente autem Rege & cum eo viro Dei, mulier ipsius tunc defuncti orbata viro & viduata, flebili vultu vestigiis viri Dei provoluta est. Adducens viri Dei caballum à viro suo machinis diabolicis & nefandis raptum insidiis, forma & specie decorum, quasi de obitu viri sui mortis reum; insuper ducentos solidos viro Dei obtulit, dicens virum suum eadem die percussum fuisse, quia illecebrosis machinis viam viri Dei impedire præsumsit, & ut ab eadem percussione languor quotidie dolori fomitem ministrasset, & ut jam à medicis desperatus sibi præcepisset, ut omni diligentia ipsum custodiret caballum, & viro Dei, si Deo donante eò reversus esset, omnino redderet, & ejus facinus illi confiteretur, & insuper debitæ impensionis ei aurum afferret, ut pro ejus anima vir sanctissimus deprecari divinam clementiam dignaretur. Quibus dictis, compassus eminentissimus Rex, & dolore ac tremore compunctus, statim ex throno prosiliens, genibus provolutus est Episcopi, rogans ne hoc sperneret quod mulier obtulit, & insuper suum reciperet quod amisit. Vir autem Dei ne totam eminentiæ ejus familiam contristaret, quam ob mortem tanti viri flentem conspexit & in magna esse desperatione animæ illius, universis petentibus ad suscipienda quæ mulier obtulerat, tandem coactus consensit: Regem ut surgeret petiit, leniterque eum consolari cœpit, eúmque rogavit, ne aliam quis pro ipso reatu ultionem reciperet, dicens quia non vindicat Dominus bis in idipsum, suísque illum orationibus ut valeret, adjuturum professus est. Fide recepta ex viri Dei verbis viduata mulier recessit. Non longè pòst Pontifex cum summo ibi detentus honore & reverentia, nec modicis ditatus muneribus à Rege dimissus est, & rebus necessariis abundè instructus, ad Tridentinos pervenit fines. XVI. Papiæ cernit funus raptoris equi sui, quem à vidua recipit cum solidis ducentis.

Cùm autem non longè à castro venisset in prata, quæ appellabantur Rumanniana, quidam ex comitibus ejus emissarium quem ibi viro Dei fraudulento consilio ipsius Principis, qui tunc ibi erat, ministri abstulerant, conspiciens quoddam jumentum sequentem, & multa macie deformem, ita ut vix cognosceretur, viróque Dei indicare curavit. Qui cum se dissimulans agnoscere, suis omnino inde silere præcepit. Cùm autem urbis portæ appropinquaret, ecce jam àntea dictus comes HURSINGUS ei obviàm veniens, pedibus illius advolutus, commissum à se facinus non abscondit; sed humiliter confitebatur damnum quod ei fecerat ex caballo, XVII. Hursingo Comiti simile furtum condonat.

Ann. Chr. DCCXXX. Sept. VIII. & illecebrosæ machinationis furtum per ordinem confessus est, qualiter propter decoram nobilitatem ejus suis jumentis ad propagationem eum immittere concupivisset, & in posterum reservare; asserens, quòd hoc facto divina consecuta illum sit vindicta, ita ut fere quadraginta duo ex ipsis jumentis elephantino morbo perierint, excepto uno superstite quod tunc sequebatur. Et cùm hæc confiteretur, duos quos optimos habuit caballos viro Dei obtulit, & insuper ducentos solidos auri, humili voto deposcens, ut vir Dei pro emundatione delicti in ipsum admissi accipere non sperneret, & sibi delictum remitteret. Quibus auditis, vir Dei arrisit, & ob satisfactionem illius condonavit ei. Ille autem cum magno honore per ministros suos eum usque ad fines Bajoariorum deducendum curavit.

VXIII. Grimoaldi Ducis jussu detentus Magiis, a b Cùm autem Magiense [a] castrum intrasset, à custodibus captus est, sicut longè superiùs diximus à Grimoaldo Duce præceptum esse: nec ulteriùs eum abire sinebant, nisi ad eorum Principem se iturum promitteret. Ibique nolens & coactus tamdiu detentus est, usquedum ab eis missus Grimoaldo hoc nuntians reverteretur. Quæ vir Dei impedimenta viæ suæ diligenter pertractans, consideravit divinæ virtutis gratiâ vacua non fuisse. Tunc enim ad B. Valentini [b] Confessoris Christi sepulcrum, situm in eodem castro, sanctæ orationis causâ se contulit, sollicito animo universam montanam regionem urbi illi confinem circuivit, viditque terram fructiferam & silvosam. Invenit etiam inter duos rivulos locum secretum & purum absque habitatoris tramite, qui appellabatur visitato nomine *Camina*. Intellexit ergo non sine divino nutu & voluntate ibi se esse detentum: consideránsque locum secretum, & ad sanctæ Religionis cultum valde commodum, cum magno amavit affectu; cogitavítque sibi secretum ibi hospitiolum construere, si eum condigno posset pretio comparare. Perquisivit ergo diligenter, cujus vel quorum is esset proprius, ut accedente opportunitate temporis, propter vicinitatem S. Valentini Ecclesiæ, sibi ad secretum hospitium eum vindicaret. Interea illi, qui ad Grimoaldum Ducem pro adnuntiando adventu ejus missi fuerant, revertebantur, cum summa eum veneratione rogantes, ut ad eum venire non dedignaretur. Adjecerunt etiam, ut si sponte venire nollet, datum sibi esse præceptum, ut invitum eum deducere deberent. Intellexit vir Dei illorum insidias, & in prædicto castro relictis sarcinis suis, ad dictum Principem mæstus perrexit.

ad Ducem deducitur.

XIX. Ducem ob incestam copulam recusat adire, Cùm autem ad palatium prædicti Principis pervenit, per quemdam dilectum ejus cubicularium eidem Principi demandavit, nequaquam se faciem illius videre velle, antequam lascivam conjugem à se expelleret, quam sibi tunc copulaverat post obitum fratris sui Theodoaldi viduam. quæ quidem secundùm hujus carnis putredinem pulcra videbatur & decora, nomine Pildrud, & genere præclara, ex Galliæ partibus genitricem secuta, istas pervenerat in partes. Sed cùm Episcopi dictis consentire nollent, ipse in sua perseveravit sententia, eísque egregii Prædicatoris Pauli ea verba demandavit inter cetera: *Quia neque adulteri, neque fornicatores regnum Dei possidebunt.* Illa autem funestæ Herodiadis sequens exemplum, de morte viri Dei cum malevolis quibusdam tractare cœpit. At vir Dei pro tali crimine meminerat Johannem increpasse Herodem & Herodiadem, quam tulerat fratri suo viventi uxorem, atque ob hoc ab Herode

1. Cor. 6.

[a] Magiæ opidum, vulgo *Maise* seu *Maies*, situm est in Tirolensi Comitatu ad Athesim fluvium, prope Tirolim & Meram.

[b] Valentinus Batavis olim pulsus, lætiori successu in Alpes delatus, Ecclesiam Maiis condidit, in qua mortuum humavere, inquit Velserus lib. 4 rer. Boïcar.

intereemtum esse: ideóque nullatenus in tantum facinus se consentire prædixit: antè se esse potiùs moriturum. Sic ergo quadraginta diebus ab eorum se subtraxit obtutibus, eósque per suos jugiter admonere non destitit, ut tam exsecrabile conjugium relinquerent, congruísque temporibus jam quidem si converterentur ad pænitentiam, blandis sermonibus Dei regnum promisit; porrò si permanerent in malitia, terrorem magni judicii Dei æternúmque eis citò venturum minabatur supplicium. tandémque Dei omnipotentis consolante clementia, perduxit eos ad promissionem separationis suæ. Tunc vir sanctus in Domini Christi Jesu confisus gratia, eos fecit ad suam venire præsentiam. Qui venientes, humi se prostraverunt ambo, & extensis ad pedes ejus brachiis, se graviter peccasse, se nimiùm reos esse confessi sunt; & ita pura confessione ad pænitentiæ confugerunt remedia. Quorum capitibus vir Dei manus imponens, signo æternæ salutis eos munire curavit, ex humo eos erigens, tam graviter lapsis pænitentiam designavit, viam eis salutis ostendit; remediorum solatiâ eleemosynarum largitate, jejuniorum & orationum frequentiâ adipiscenda monstravit, & ut ampliùs peccare caverent, sollicitè præmonuit. Sícque domum ingressi, communiter sumserunt cibum. Sicut autem à mensa Principis vir Dei alimoniam corporis sumsit, ita illis alimoniam animarum prædicando verbum Domini ministravit.

Ann. Chr. DCCXXX. Sept. VIII.

resipiscentem hortatur ad pœnitentiam.

Tunc quoque vir sanctus locum amœnum in confinio Magiensi, cujus superiùs mentionem fecimus, Grimoaldo Principi à possessoribus justo pretio emere persuasit, ut haberet justo labore adeptum, unde animæ suæ remedium adquirere posset. Ei verò Princeps libenti animo obedivit, eóque cum B. Corbiniano veniens, convocavit ad se possessores loci illius, qui vulgò adhuc dicitur *Camina*, inter duos rivulos Timonem & Finalem: & data justo pretio, emit à viris nobilibus tam agros, quàm prata & vineas cum parte Alpium. Illi verò venditores cum testimoniis & testibus hoc illi confirmaverunt, sicut mos est, in proprietatem. Quo facto, ex consilio fidelium & Deo devotarum personarum tradidit hoc ipsum per manus B. Corbiniani Deo & sanctæ Dei genitrici MARIÆ [a] ad Ecclesiam ejus sitam in castro Frisingensi super fluvium Isaram [b], & coram testibus eidem perpetuo jure serviturum firmavit. Tunc quoque vir Domini Corbinianus habitaculum sibi construere illic festinavit, Basilicam ædificavit, & S. Valentini atque B. Zenonis in ea patrocinia collocavit, & in eorum dedicavit honorem, vineásque ibi plantans pomiferis ornavit arboribus; & alimoniam pauperibus præparavit. Cœpítque fama sanctitatis ejus spargi latè per orbem, à cujus ore laus Dei jugiter emanabat.

XX. agro comparato,

a

b in castro Frisingensi Ecclesiam ædificat.

Fuítque inde non longè manens quædam vidua nomine Fausta cum duabus filiabus, bonam habens substantiam: quæ Fausta dividens cum filiabus possessionem, portionem suam Grimoaldo Principi eo pacto tradidit, ut usquedum illa viveret, eam tueretur & custodiret: & post ejus decessum, eam sibi haberet propriam in loco qui dicitur *Chories*, cum omnibus rebus eò pertinentibus. Post ejus verò obitum B. Corbinianus dedit Grimoaldo Principi nongentos auri solidos, quos ei dudum Pippinus Majordomus Francorúmque Princeps pro eleemosyna largitus erat, & comparavit hoc ipsum in *Chories*; & ambo pariter postea, B. Corbinianus Episcopus & Grimoaldus Princeps, tradiderunt hoc Deo & S. MARIÆ ad

XXI. aliû agrum à Grimoaldo adquirit.

a Sancto etiam BENEDICTO, ut in Observationibus præviis ex Ottone aliísque probatum.

b Inter Lycum & Anum fluvios decurrit Isara, in cujus ripa sinistra ad Mosacum amnem sita est Frisinga, quam antiqui *Fruxinum* vocavere. Lege Ottonem loco jam citato.

Ann. Chr. DCCXXX. Sept. VIII. prædictam Ecclesiam in castro Frisingas, ubi tunc B. Corbinianus cathedram tenuit pontificalem.

XXII. Duci succenset. Quadam verò die vir Dei beatus Corbinianus cum præfato Principe recumbens ad prandium, appositâ mensâ, salutifero crucis Christi signo cum laude superpositam consignavit alimoniam. prædictus verò Princeps ex mensa dilecto sibi cani panem per incuriam projecit. Quod ubi vir Dei conspexit, dextro pede tripodi calcem impegit, & mensam evertit, ita ut argentea vascula per pavimentum huc illúcque spargerentur, & ex scamno prosiliens, aiebat eum tanta benedictione indignum, quam cani non veritus esset projicere; domúmque illius egressus, dixit se ab ejus curia omnino se abstrahere, & nequaquam cum eo ulteriùs panem communem sumere velle. Tum verò mulier de morte viri Dei cœpit tractare, invidiæ facibus succensa, eoquòd à viri sui illicito concubitu per verba ejus separata esset, incessantérque in aures viri sui invidiæ & odii fomitem ingessit contra virum Dei, dixítque in Principis ignominiam hoc egisse Episcopum, ideóque mortis esse reum. At rem ipsam Princeps idem diligenter perpendens, patientiæ servans custodiam, aditum claudi jussit, ne tantus à se vir Dei recederet irâ permotus. Ipséque cum primatibus suis palatium egressus, viri Dei provolvebatur vestigiis, satisfactionem spopondit, magnisque precibus atque blanditiis necnon & muneribus motum mitigavit Episcopum, & tandem ægrè pacis osculum à beato promeruit Episcopo: & sic iterum pariter communem sumserunt cibum. Cœperúntque viro Dei divitiæ quas non amabat quotidie accrescere, & loca augescere.

XXIII. In Ecclesia S. Stephani mira visa. Cùm quadam die in Episcopio Frisingæ sederet molestiâ corporis correptus, more solito in vicinum montem ad Oratorium B. Stephani Martyris venire nequivit ad matutinas Deo persolvendas laudes. Clerum itaque excitans, illuc ire præcepit. Illísque adscendentibus, vox psallentium in Ecclesia obviàm illis venit, tantáque concordia modulaminis magis ac magis in aures audientium se intulit, quanto ad Ecclesiam propinquiùs accedebant. Et fenestris quoque & tecto tanta vis clari luminis radiabat per latera ejusdem montis, ut claritatem diei superaret. Illis ergo festinantibus & Ecclesiæ januam ingressis tantus claritatis fulgor evanuit; odor tamen incredibili suavitate ibi triduo permansit. Clerici quoque nimio timore perterriti & velut mortui corruerunt in terram, alii ante fores, alii limina Ecclesiæ ingressi. Ubi tandem vires recepere, domum cucurrerunt, & omnia viro Dei indicarunt. His ille auditis, se illuc deferri præcipiens, ibi ad manendum domum sibi construi jussit exiguam.

XXIV. Fontem precibus obtinet. Cùm autem ministri de aquarum penuria propter altitudinem montis quòd ibidem quotidie ferendo lassarentur, murmurare cœpissent, vir Dei quodam die diluculo consurgens, solus montis latera circumiens, in plaga meridiana ad orationem se humi prostravit: qua completa, baculum quo sustentabatur, in terram defixit. Cúmque paullulum perfodisset, tanta mox ex eadem fovea aquarum emanavit abundantia, ut ad totius cellulæ ministerium sufficeret, insuper & usque ad montis imam crepidinem defflueret, & eo vivente numquam deesset. Cùm autem vir Dei obiisset, & ejus corpus à nobis ablatum fuisset, per quadraginta annos sine aqua humus arida remansit: eo à nobis iterum adducto, pristinam abundantiam aquarum fons ipse ministrabat. Huic nostræ adsertioni fons ipse intuentium oculis testimonium præbet. Sed ad historiæ narrationem redeamus.

XXV. Maleficæ xenia exsecratur. Cùm quadam die vir sanctus vespertinâ horâ ad Ecclesiam B. MARIÆ in castro Frisingensi ad persolvendas Deo laudes veniret, ecce quædam mulier rustica cum muneribus ei obviàm perrexit, quæ de maleficii suspicione jam

jam antea viro Dei fuerat delata. Ibant cum ea onusti carnibus viri, & animal vivum secum ducebant. Quod vir Dei cernens, subtiliter inquisivit, quinam esset illius adventus. Ad hæc mulier dolosa quamdam in juventutis flore Principis sobolem quibusdam illusionibus dæmonum adserebat fuisse commotam, séque suo carmine suísque artibus ad salutem perduxisse gloriabatur; & inde hæc xenia apportare. Quibus auditis vir Dei vehementer expavit, & ex equo prosiliens, tanto commovebatur zelo, ut ipse eam propriis non parceret manibus cædere: & cuncta quæ cum ea portabantur xenia, ad portam civitatis domum revertens, pauperibus distribuens, perfidiam Principis non cessaret deflere. Socia verò antiqui hostis, ut serpens in paradiso, sparsis crinibus, receptis viribus, cruentata facie, Principis se offerebat obtutibus. Quam cùm ita flentem incesta uxor Principis videret, diabolico instinctu furore incensa, vultu mutato, vim veneni quam in corde ferebat, adspicientibus demonstravit, vitam Episcopo auferre volens. Quod tamen viro indicare distulit; sed clam ei insidias in suam perniciem præparare non distulit, cuidam secretario suo nomine Nino occultè præcipiens, ut cùm ab eadem villa recessisset Episcopus, collectis famulis eum interimeret.

ANN. CHR. DCC XXX. SEPT. VIII.

Piltrudis insidiis appetitus,

Cúmque ad aliam pergere vir Dei disponeret villam, quidam Deum timens per fratrem ipsius Episcopi beatæ memoriæ ERIMBERTUM ei demandare curavit, quòd in eadem nocte nequissimo mulieris consilio occideretur, nisi se mutatione loci studiosè servaret. His dictis fidem Episcopus adhibuit, & intempestæ noctis silentio occultè se ad aliam contulit villam. Inde sequente crepusculo, ecce Ninus ille collectis famulis domum viri Dei circumcinxit, & eum diligentissimè inquirentes ut interficerent, sed minimè reperientes, cunctis ædificiis eversis, vacui & confusi reversi sunt. Episcopus autem, sumto secum Clero locum reliquit, ad Magiense castrum perrexit, per quemdam ex suis Principi demandavit, quòd sub omni celeritate ipsa maligna mulier in foveam quam ipsi paraverat, corrueret, & ipse citò vitam finiret. Eas insidias suæ conjugis ubi Grimoaldus cognovit & abscessum viri Dei, misit, & humiliter eum ut rediret rogavit. Ille autem minimè adsensit, sed Jezabelis pessimæ mulieris insidias oportere cavere dixit. Quæ verò tales insidias fuerit secuta vindicta, silentio non est premendum.

XXVI. fugâ evadit.

Filius ejus, quem nefando carmine (ut diximus) machinis diaboli mulier incantaverat, rebus excessit humanis, eóque mortuo Grimoaldus ab insidiatoribus interfectus est. Prædictus verò Ninus qui necem Episcopo afferre voluit, probrosa morte vitam finivit. Cùm enim ventrem purgaret, lanceâ percussus interiit. Ad ultimum verò Piltrud [a] CAROLUM in Gallias sequens, pro meritis suis ab eo repudiata, omnem honorem & gloriam perdidit, propriísque exuta substantiis, novissimè nihil nisi unum asellum ad subvectionem possidens, in Italia vitam finivit. Natíque ejus qui ex illius prodierant utero, cum multa tribulatione regno privati vitalem amiserunt flatum.

XXVII. Vindicta in Grimoaldum & Piltrudem.

HUCBERTUS autem cùm regnare cœpisset, humanissimè & summo cum honore virum Dei ad se revocavit, eúmque tanto venerabatur studio, ut sanctis ejus meritis dignum erat; atque etiam sacro fontis lavacro eum sibi sociavit.

XXVIII. Hucberto Duci carus vir sanctus.

Cúmque exitus viri Dei appropinquaret, temporis obitus sui non igna- XXIX.

[a] Bilitrudem vocat Fredegarii continuator cap. 108, eámque unà cum nepte sua Sonichilde ait à Carolo Martello abductam in Franciam in Bajoarica expeditione anno DCC XXV facta, uti veterrimi Francorum Annales tres tomo 2 Chesnii probant.

ANN. CHR. DCC XXX. SEPT. VIII. Morti proximus, petit confirmationem Magiensis prædii, * Liutprandum ubi postulat sepeliri.

rus, fratrem suum ERIMBERTUM in Italiam ad Longobardorum direxit Principem *, postulans firmitatem suæ possessionis juxta Magias, quam S. MARIÆ tradiderat, ne inde auferretur, & ut suum corpusculum ad sepeliendum ibidem recipi juberet, quod illic B. Valentino commendavit vivus. in eo enim castro dominabantur ea tempestate Longobardi. Hoc igitur octavo ante obitum suum die mandare curavit, & horam egressionis suæ prædicens, alium ex discipulis suis ad Hucbertum Principem direxit, suum obitum ei nuntiaturum, poscens ut cadaver illius deferri juberet, ubi vivus promiserat.

XXX. Piè moritur.

Veniente autem jam exitus sui die, balneum sibi præparari jussit, & ex more abluens corpus, capillos sibi tonderi fecit, & caput & barbam radi: sicque vestibus sacris indutus, Deo sacrificium obtulit, & Viaticum propriis manibus recepit. Missarum sollemnitate completa, domum ingressus, post perceptionem corporis & sanguinis Christi, vinum sibi adduci jussit, modicúmque degustans, nihil doloris præ se ferens signum Crucis Christi capiti impressit, & Deo spiritum reddidit [a], atque à ministris in beatæ Dei genitricis MARIÆ Ecclesia traditus est sepulturæ.

a Frisingæ corpus sepultum,

XXXI. Magias defertur,

Sed tanta mox pluvia secuta est atque procella triginta diebus & noctibus, ut nec unâ horâ umquam cessaret. Ubi apertè monstrabatur, quòd ibi requiem corporis sui habere nollet, sed in loco ubi popofcerat vivus. Missi verò à Principe Hucberto reversi attulerunt mandatum, ut beatissimi viri corpus Magiis apportaretur, sicut ipse vivus fieri disposuerat, ut ibi in Ecclesia S. Valentini sepeliretur.

XXXII. post dies triginta.

Itaque tricesimo obitus sui die de humo elevatus, tali repertus est forma, ut vivus esse à multis putaretur, & quasi rectè valens dormiret. Confluebat namque ibidem magna multitudo virorum ac mulierum, quasi ad ingens spectaculum, qui tanti Pontificis lamentabantur decessum.

XXXIII. Puellæ cujusdam calumnia punita.

Cúmque corpus ejus plaustro imponerent, in ea hominum multitudine quædam puella, nomine Magata, non longè inde secretè cum socia stabat. Cúmque ex illa socia inquireret, quid de Episcopo ageretur, nefandum valde protulit sermonem, suæ lasciviæ atque immunditiæ socium illum fuisse. Quod ideo tam improvide dixit, quòd sociam suam deludere vellet. At statim divinæ virtutis est vindicta secuta. Nam femur ejus dextrum ita incurvatum est, ut usque ad pedes obrigescerct; atque in ea claudicatione permansit usquedum vixit, & binis sustentabatur baculis, unius pedis utebatur gressu, tametsi in luctu & pænitentia & jugi confessione peccatorum suorum, atque sanctæ orationis studio vitam multis duxisset annis.

XXXIV. Sanguis è Sancti naribus fluit.

Pergentibus itaque illis atque deportantibus corpus Episcopi, cœpit de naribus ejus emanare sanguis tam calidus, ut de corpore vivo solet effluere. Quem colligentes in vasculum fictile, deportaverunt usque ad castra: ubi cum sancto corpore vigilando illa nocte manserunt, & vas plenum ipsius sanguinis in eodem loco confoderunt in terram, & cooperuerunt.

XXXV. Febricitans sanatur.

Cùm autem advenissent in partes Vallenensium cum sancto corpore ejus, quidam nobilis Romanus nomine Dominicus, Veronensis civis, magnis vexabatur febribus. Is ad viri Dei corpus cùm venisset, de meritis sancti

a Septembris diem octavum signant tabulæ Frisingenses & recentiora Martyrologia; annum Christi DCC XXX Annales Frisingenses teste Velsero, & quidem rectè. Nam S. Bonifacius Maguntinus Episcopus accepto Pallio à Gregorio III anno DCC XXXI, mox in Bajoariam accedens *temporibus* HUGOBERTI Ducis, Eremvvulfum Corbiniano mortuo dogmata fabricantem ac turbas agitantem damnavit abjecítque: & anno DCC XXXVIII ex Italia reversus, Bajoariam iterum adiit ab Otilone Duce invitatus, eámque partitus est in parochias quatuor, Erimberto Corbiniani fratri demandatâ curâ Ecclesiæ Frisingensis.

viri sanitatem se recipere posse confidens, subter corpus ejus se submisit altero quidem latere, surrexítque pristinæ sanitati restitutus tam valenter, ut in proprium insiliens equum, Dei omnipotentis virtutem & beati viri merita collaudans, domum sanus reverteretur. Ministri verò viri Dei cùm ad castrum Magiense cum ejus corpore venissent, ab ipsa porta urbis à custodibus Longobardorum repulsi sunt, dicentibus, quòd hoc nequaquam viri Dei corpus esset, sed machinari ipsos insidias, ut urbem capere possent. His ita dicentibus, litteræ Longobardorum Regis à Papia eò pervenerunt, quæ tanti viri corpus præcipiebant cum summo honore recipi. Eo suscepto, vasculum aperuerunt, ut experimento discerent veritatem.

ANN. CHR. DCCXXX. SEPT. VIII.

Magias corpus sacrum delatum,

XXXVI. Cùmque pallium super corpus ejus expansum & sudarium quod fuerat super caput ejus abstulissent, iterum sanguis ex naribus viri Dei egrediebatur calidus, qui inter tot montium spatia fuerat adportatus: & pulcritudo faciei illius tali inveniebatur colore, ut priùs fuerat illo vivente. Tunc omnes una voce magnificabant Deum in Sanctis ejus, & sanctum corpus ejus in Ecclesia S. Valentini Confessoris Christi, ut ipse disposuerat, sepulturæ tradiderunt.

in S. Valentini Oratorio humatum.

XXXVII. Post sepulturam verò, tertia nocte media, magni luminis cerei ardentes visi sunt in eadem Ecclesia, ita ut diei vincerent fulgorem, & candorem superarent nivis; magnúsque ibidem & optimus secutus est odor, qui illic permansit usque ad matutinarum sollemnia.

Miracula.

XXXVIII. Quadam verò die puer parvulus in nocte ipsius viri Dei sollemnitate secus muros civitatis incautè cucurrit, & pede lapso in præcipitium decidit. Erat autem ibi tantæ altitudinis spatium, ut intuentes magnus pavor invaderet, atque ad ima montis ipsius, Passaris amnis magnis intumuerat fluctibus. Quis verò aliud de illo exspectaret puero nisi mortuum esse, & inter saxorum scopulos ingentes diruptum? Et quamvis ad ima montis pervenisset, nequaquam fluvium evadere potuisset. Cùm autem irent ad cadaver quærendum, amne per pontem trangresso, contemplabantur puerum saxo cuidam inhærentem. Qui arreptis funibus, per saxorum adscendebant cavernas, usquedum ad jacentem puerum pervenirent. Qui ob merita viri Dei non tantùm vivus, sed etiam illæsus repertus est, qui divinæ largitatis munere, illi postea Episcopatui multis diebus præfuit [a].

XXXIX. Interea verò dum à Longobardorum gente corpus B. Valentini Confessoris Christi de eodem castro ablatum fuisset, & in Tridentinam urbem deportatum, ac postea à venerando TASSILONE Duce in Patavium * civitatem, cum summo revocatum honore; cœpi ego ARIBO Hæres, licèt indignus, ipsius Frisingensis sedis Episcopus, cogitare quid de tanti Patris corpore agerem, qui sine debito honore & absque sancto illic jacebat officio, atque ea causa debitus ei honor præstari non poterat. Ad divinum itaque me contuli consilium, atque cum coëpiscopis meis & ceteris approbatis Ecclesiasticis viris tractare cœpi, ut ad suam sedem, ubi Episcopus fuerat, ad gloriam Dei translatus, sibi debito afficeretur honore. Sanctorum autem virorum corroboratus consilio, generali Synodo congregata, cogitationes vel consilium beatorum virorum in medium protuli, visum illis esse, ut sanctum corpus viri Dei ad suum locum reduceretur. Paritérque tractabamus, ne sanctus vir curæ nostræ sublatus, sine sancto officio, & nobis ob tantam absentiam sine lumine remaneret: & quòd B. Valentini corpus inde ductum fuisset, ob quem iste vir Dei suum corpus eò adduci voluerat. Inito ergo generali concilio, triduanum jejunium

Aribo de corporis sacri relatione tractat.

* *Passavv*

[a] An Joseph Aribonis decessor, qui Italus Veronensis fuisse dicitur?

Ann. Chr. DCCXXX. Sept. VIII. decrevimus per totam diœcesim illam celebrandum, psalmodiámque sine intermissione ab omnibus generaliter agendam, atque per Missarum celebrationes quotidie divinam clementiam ab omnibus unanimiter cum summa devotione & humilitate invocandam, ut per suam misericordiam alicui suam inde aliquo modo dignaretur Christus ostendere voluntatem; utrum ad pristinum locum deberet adduci, vel illic exspectari ultimi & magni diei resurrectionem, ne improvidè contra divinum veniremus consilium. Triduano denique peracto jejunio, antequàm abinvicem corporali secederemus præsentia, septem viris ex nostris divinæ largitatis gratia in somnis est revelatum, sicut tractavimus, ita perfici debere, ut ad suum locum viri Dei corpus reduceretur. Omnésque ergo nos humillimè collaudavimus clementiam Dei, & vale dicentes, abinvicem recessimus.

XL. Tunc quoque cum consilio omnium coëpiscoporum nostrorum, ceterorúmque Ecclesiasticorum, & ipsius venerandi Principis Tassilonis, ad repetendum viri Dei corpus probos atque prudentes ecclesiasticos viros cum aliis direximus.

XLI. Cúmque ad prædictam urbem Magiensem venissent, & orationes suppliciter implessent; die declinante in vesperam, inito consilio quosdam in Ecclesia dimiserunt, alii verò ad percipiendam alimoniam domum ingressi sunt. Et ecce subitò in Ecclesia sonus factus est magnus, ita ut validi tonitrui vim superare videretur, & universam non solùm Ecclesiam, sed etiam urbem commoveret. Tanta verò diei fuerat serenitas, ut nubes minimè apparere videretur. Tantus ergo omnes, qui in Ecclesia erant, timor invasit, ut nimiùm perterriti in terram corruerent, & quasi exanimes jacerent. At post paullulum viribus receptis, ostium Ecclesiæ conati sunt egredi. Et ecce hi qui erant in domo obviàm illis advenerunt, & sic omnes cum ingenti pavore Ecclesiam ingressi, cum omni reverentia pernoctaverunt in vigiliis usque in crastinum. Sed quid mirum, si tali sonitu vir Dei voluit ostendere suam in revocando ipsius corpore fieri voluntatem, quando etiam Israëlitico populo ad movenda castra convocando, divino jussu prolixiùs perstrepebat buccina?

XLII. Rem exsequitur. Mane autem facto, magna cum supplicatione accedentes & tumulum aperientes, invenerunt sancti viri corpus tam pulcrum, eáque elegantia coloris, ut leniter dormiens putaretur. Elevatúsque de eodem loco cum omni gloria & honore, & feretro impositus, cum magna pedestrium virorum religiosorum adducebatur celeritate, ita ut equites vix eos sequi possent. Superatis autem transalpinis jugis, cùm ad portum Æni fluminis cum tantis reliquiis viri religiosi pervenissent; magna turba Clericorum & laïcorum utriusque sexûs ibidem obviàm sancto viri Dei corpori facta est, & cum multa litaniarum sedulitate illud excepit.

XLIII. Arida manus sanatur. Cúmque inde in quemdam opportunum campum venissent, & illic quiescerent, quidam vir manu arida à teneris annis eò accessit, atque sub feretrum sacri corporis se submittens, de Dei misericordia & beati viri meritis confidens, eam manum ita retraxit sanam, ut erat altera.

XLIV. Dæmoniacus curatur. Eadem nocte quidam eò venit à dæmonio arreptus, tanta insania exagitatus, ut vix à fortissimis viris posset retineri, magnísque & perturbatis perstrepens vocibus clamabat immaniter. Cúmque à fidelibus viris subter feretrum corporis beati viri immissus esset, ita suffragante gratia Dei & intercessionibus sancti viri immundus spiritus ex eo profligatus est, ut numquam deinceps illi nocere potuerit.

XLV. Contigit autem, ut apportando sancto corpore ad eum venirem locum, ubi jam olim è Frisinga cum eodem corpore pergentes substiterant, &

collectum ejus sanguinem, ut suprà dictum est, in vase fictili, impositâ illi tabulâ defoderant. Ibi verò sanctæ crucis bajulus super ipsum vasculum imprudens & insciens crucem defixit, inventúsque est sanguis viri Dei eo colore ac decore, ac si eodem die ex viventis corpore effluxisset. Itaque hymnos, laudes & grates Deo lætantibus animis omnes depromentes, & iterum eumdem illic sanguinem honorificè reponentes, cum multa festinatione Ecclesiam ibi condiderunt: ubi innumera Dei omnipotentis clementia ad honorem & gloriam sancti nominis sui dignata est multarum sanitatum operari miracula, per merita & intercessiones beatissimi viri.

Ann. Chr. dcc xxx. Sept. viii.

Oratorium in itinere constructum.

XLVI. Inde autem moto sacro corpori omnis cœtus Pontificum & Ecclesiasticorum turba immensa unà cum Tassilone Principe obviàm occurrentes, cum omni ecclesiastico obsequio, cum hymnis & canticis spiritalibus, cum multa omnium laude & prædicatione, in Ecclesia S. Mariæ, ubi primò fuerat humatus, ad honorem & gloriam nominis Christi & ad totius spem Christianæ plebis ejus suffragia postulantis, est honorificè exaltatus: atque per ejus merita & preces magnas ibi virtutes divina potentia quotidie efficere dignatur, & multis in Deum verè credentibus & fideliter petentibus sanitates jugiter illic conferuntur, præstante & miserante Domino Jesu-Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Corpus in Ecclesia Frisingensi depositum.



S. MODERAMNI EPISC. REDONENS.

DEIN ABBATIS BERCETENSIS in Italia,

Ann. Chr. dcc xxx. Oct. xxii.

ELOGIUM HISTORICUM.

1. INTER *varia quæ Liutprandus Langobardorum Rex sacra ædificavit loca, numeratur* Bercetum Monasterium, *quod S.* Moderamnus *seu* Moderandus *factis suis illustravit.* Hic gloriosissimus Rex, *inquit Paulus Vvarnefridi in hist. Langob. lib. 6. cap. 58*, multas in Christi honore per singula loca, ubi degere solebat, Basilicas construxit. Hic Monasterium B. Petri, quod foras muros Ticinensis civitatis situm est & Cælum-aureum appellatur, instituit. In summa quoque Bardonis alpe Monasterium quod Bercetum dicitur, ædificavit, &c. *De priori superiùs actum est ad annum 722, ubi de Translatione S. Augustini; de posteriori hîc agendum.*

Liutprandi opera pia.

* S. Moran

Situm erat istud Monasterium in alpe *seu in monte Bardonis, qui Apennini pars est, in Parmensi diœcesi, ubi hactenus Bercetum * opidum visitur. S. Abundio martyri primitus nuncupatum erat, si Frodoardo fides: postea verò à Moderamno attributum S. Remigio Remorum Episcopo, ejúsque nomine ac Reliquiis insignitum. Certè Hugo Italiæ Rex in litteris ad Sigifredum Parmensem Episcopum anno* CM XXX *Ecclesiæ Parmensi confirmat* Abbatiam de Bercedo, in honorem S. Remigii exstructam, *ut in Italiæ sacræ tomo 2 legitur. Iam audiamus Frodoardum in hist. Rem. lib. 1 cap. 20.*

Bercetum.

* Berzeto

3. Temporibus Chilperici Francorum Regis exstitisse fertur Moderamnus, Redonensis Ecclesiæ Præsul, vir nobili prosapia oriundus.

Moderamnus istuc secedit.

ANN. CHR. DCC XXX. OCT. XXII.

qui per licentiam prædicti Regis limina S. Petri adire disponens, divertit in Monasterium B. Remigii situm in suburbio Remensis urbis: ubi liberaliter à Fratribus ejusdem loci susceptus, impetravit à Bernardo sacrorum custode reliquias de stola, cilicio atque sudario S. Remigii. quibus gratanter acceptis, iter incœptum lætus agens, dum permeat Italiam, in monte Bardonum quadam nocte metatum habens, memoratas in ilicis ramo suspendit reliquias. Cúmque diluculo surgens iter cœptum arriperet immemor horum; nutu ceu creditur divino hæc ibidem remansere pignera. Procedente verò aliquanto longiùs Episcopo, ubi relictarum memor fuit reliquiarum, suum statim ad has recipiendum dirigit Clericum nomine WIfadum. quo ad has perveniente, nullos valet eas ingenio contingere, dum mirabili signo, ut eas attingere vellet, elevarentur in sublime. Hoc præfatus Episcopus audito miraculo, egrediens in eodem loco fixit tentorium: sed relicta pignera eadem nocte minimè valuit recipere, donec facto mane in Monasterio quod vocatur Bercetum, in honore S. Abundii Martyris inibi constructum, Missam celebrans, prædictorum partem munerum devoveret ibidem se relicturum. sicque rapta sibi recipiens, impleto venerabiliter voto cœptum repetit iter. Cui obvius factus LUITBRANDUS Italorum Rex strenuus, qui hanc auditu jam compererat sacrorum virtutem, amore B. Remigii ductus, idem Monasterium, Bercetum scilicet, cum omnibus adjacentiis omníque Abbatia, mansos octingentos (ut tradunt) continenti, præfato Præsuli Moderamno delegavit, eíque in præsentia fidelium suorum legali de more vestituram ex ea & chartam fecit. Remeans autem ab urbe Roma memoratus Præsul, accessit ad venerandum B. Remigii sepulcrum: atque sicut illi præmissus Rex hanc terram tradidit, ita nihilo minus ille S. Remigio eamdem contulit. Sícque prosperè in suum reversus Episcopium, successorem sibi ordinari fecit: & vale faciens filiis suis, Bercetum Monasterium repetiit, & usque ad obitûs sui diem in loco illo moderatè & honestè, ut servus Dei, conversatus vixit. Qui quoque nonnullis deinceps locus miraculis illustratus claruit.

Mors & festum ejus.

4. *Quo anno Moderamnus secesserit in Monasterium Bercetense, certò statui non potest. Quamquam id accidisse non potuit aut citiùs, aut seriùs anno* DCC XX. *tum quia paucis antè annis Liutprandus, anno* DCC XII *Rex creatus, Cœnobium istud condiderat: tum quia Chilperici, cujus Regis permissu Moderamnus Romam abiit, is annus* DCC XX *supremus fuit. Apud Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ agitur de S. Moderamno, qui* clarus miraculis obdormisse in Domino *dicitur* XI Kalend. Novembris anno salutis DCC XXX. Corpus Berceti in propria Ecclesia suo nomini dicata requiescit, *refert ille ex Sanctuario Ecclesiæ Parmensis. Eo in Cœnobio monasticam vitam amplexus* RADUINUS, *postea in Remensi S. Remigii Cœnobio floruit principatu Ludovici Augusti, ut Frodoardus auctor est in lib. 2 cap. 19.*

5. *Non prætermittendum hoc loco id quod Rotomagi in ms. cod. V. C. Emerici Bigotii legi de* TIBERIO *Abbate Bercetensi, qui cùm S. Moderamni corpus tumulo efferre statuisset, à Sancto monitus istuc B. Abundii corpus vexit. Rem ex ms. cod. à nostro Iohanne* Garet *descriptam sic accipe.*

TRANSLATIO S. HABUNDII MARTYRIS.

Tiberius Abbas S. Moderamni corpus sub aram inferre cogitans,

6. TEMPORIBUS invictissimorum Imperatorum H LUDOVICI & LOTHARII fuit quidam venerabilis Abbas, TIBERIUS nomine, Monasterii Berceti, quod est situm in cacumine montis cui nomen est Bardo. Hic cùm sui Cœnobii Ecclesiam, juxta quod necessitas congregationis sibi

commissæ exigebat, aliquantulum in longum porrexisset, quæ priùs erat modica vel vix capiens Fratrum collectam; placuit ut sub altare ejusdem Basilicæ pararet congruum locum, in quo poneretur corpus sancti MODERANDI, quod illic ad lævam altaris jacebat humatum. Sed non priùs tanti viri ossa mutanda prædictus Abbas dignum statuit, quàm hoc precibus Domino peteret, utrum fieri deberet an non. Adsumtis autem secum religiosis Fratribus, jejuniis & obsecrationibus cœperunt voluntatem Dei & prædicti famuli Christi Moderandi orando quærere. Tertia autem nocte jam fatigato Patre Monasterii & ex jejunio lasso, cùm ad ostia Ecclesiæ pro re quam quærebat excubaret, apparuit ei niveis indutus vestibus ab Ecclesia egrediens vir senex, qui mox eumdem Abbatem ita cœpit increpare: Quid est, ô Frater, quòd me tanto labore quæris? cur me non sinis quiescere? Cui Abbas respondit: Quis es, domine, qui mihi talia tristibus verbis loqueris? Ego sum, inquit, Moderandus quem tu quæris. Et Abbas respondit ei: Volebam, domine, corpus tuum in locum quem tibi paravi transferre, & debito tibi honore obsequium præbere, ut apud Dominum pro commissis erratibus pius intercessor exsisteres. Tunc ait illi sanctus Moderandus: Bona quidem est, ô Frater, in te voluntas, sed mihi scito illum locum non esse concessum. Habundio autem Martyri dabitur sarcophagus, quem pio amore parasti. nam me urna propria dormientem servabit. His dictis evanuit, & Abbas à somno surrexit. Vocatísque ilico quos petitionis suæ socios fecerat Fratribus rem visam retulit, atque mærens ait: Scio modò quoniam fuimus accipere quódque sumus indigni. Nam sanctum Habundium de quo responsum accepi, apud urbem Romam cognovi esse humatum. Nobis ergo exiguis Papa Romanus nequaquam super hoc adsensum præbebit. Tunc venerabilis Pater cum Fratribus spe sua frustratus, desiderium habitum pæne in oblivionem duxit, & Monasterii sui solito more quotidianam cœpit agere curam. Sed omnipotens Deus famulum suum nolens contristare, eique quod diu quæsierat petitionis ejus affectum misericorditer volens largiri, etsi non statim, postea tamen concessit.

de transferendo S. Abundii corpore monetur.

7. Etenim evoluto non multo tempore, contigit eumdem Abbatem ad sedem regiam ire, quæ est urbs Papia, ubi tunc ab omni Italia piissimus Imperator LOTHARIUS jusserat Episcoporum Comitúmque magnum convenire conventum: inter quos & Fulgineæ civitatis DOMINICUS Episcopus adfuit, qui reverentissimo Tiberio dudum familiaritate conjunctus erat. Igitur cùm in unum venerabilium virorum convenisset congregatio illa, sicut mos est, alterutrum cœpere interrogare, qualiter circa unumquemque res ageretur officii sui. Nam & cùm præfatus Abbas venerabilem jam dictum Episcopum fraterno amore alloqueretur, & ab eo Ecclesia ejus quomodo se ageret quæreret, inter cetera studuit interrogare dicens: Rogo te, Pater, ut narres mihi, si in diœcesi tua est alicujus Sancti sacrum corpus humatum. Cui Episcopus ait: Etiam plurima. Ad quam vocem Abbas velut à somno surgens, vultu hilari dixit ad eum: Et qui sunt Sancti illi, quorum sancta membra habetis? Tunc memoratus Episcopus cœpit dicere: Habemus corpus sancti Habundii & sancti Carpophori, & aliorum qui cum eis passi sunt. Quod audiens jam dictus Abbas gratias egit Deo in corde suo, quoniam quem per revelationem audierat sibi promissum, per Episcopum locum quo esset agnovit ostensum. Statim ergo cum multis precibus venerabilis Abbas cœpit rogare Episcopum, ut sancti Martyris Habundii ossa venerabilia sibi donaret, dicens ea se velle ad Monasterium suum transferre. Cui sine mora Episcopus adsensit, & postulata concessit.

Quod in Concilio Papiensi obtinet.

Ann. Chr. DCCXXX. Oct. XXII.

Miracula facta in Translatione.

8. Ut autem sacer ille conventus disjunctus est, & vir Dei Tiberius ad Monasterium rediit suum; sine mora paratis quæ in via erant necessaria, ad venerabilem Episcopum perrexit, & corpus prædicti Martyris ab eo tulit, atque ad Monasterium honorificè, velut qui invenit spolia multa, exsultans reportavit, recondens illud cum hymnis & laudibus sub altare Dei, in loco quem olim paraverat. Sed rem miram dicam, quæ cùm adducerentur sacri cineres illi accidit. Igitur cùm prædictus Abbas ab urbe qua sanctum corpus acceperat, jam inciperet proficisci, adhuc venerabili Dominico Episcopo secum posito, ecce subitò illic dum quidam ejusdem Patris Diaconus in sindone munda Sancti ossa ulnis gestaret, videt repente aforis in eadem sindone cincinnos sanguinis pendere, acsi eadem horâ sanctus ille Martyr gladio percussus fuisset; nullam tamen ad terram defluere vel modicam guttam. Servatur usque hodie sindon illa sacro cruore perfusa in eodem Monasterio, velut recens tincta in sanguine.

9. Deinde cùm idem Pater egressus Monasterium tenderet, venit ad mœnia Lucensis civitatis, per quam transiturus erat. Ubi cùm àliquantulum quiesceret cum suis ut vires reciperet, repentè dæmoniaca Sanctimonialis quædam adducta appropians Reliquiis Martyris, ab eo dæmon expulsus est: & gratias agens Deo, quæ venerat vincta, rediit mente soluta.


10. Quidam etiam fide plenus cæcus accessit in via ad sancti Martyris corpus, & mox visu recepto reversus est in domum suam magnificans Deum. Illud verò non sileam, quòd unus ex hominibus Patris ejusdem cùm in via febribus vexaretur, accessit ad vas quo sancta Martyris membra ferebantur: sub quo paullulum dormiens, ita sanus à somno surrexit, ac si umquam hunc febris non tetigisset. Decreverat idem Pater ut usque ad Monasterium sacrosanctum corpus in humeris Fratres deportare hymnos Dei psallendo debuissent. Quod cùm facerent, rogavit eumdem Patrem quidam qui obviàm eis occurrerat, ut sibi aliquantulum liceret ossa Martyris ferre. Cui dum concessum fuisset, etiam ad quoddam flumen, cui nomen est Ausa, pervenisset, illic ingressus vestitus, usque ad ilia alvei aquam habens, ita vestimenta ejus quæ undas per medias transierant, sicca & absque ullo humore apparuerunt, velut si aqua ea non tetigisset.

11. Aliud referam signum quod factum est juxta Monasterium Patris Tiberii. Cùm, sicut dixi, isdem Pater studeret sanctum Dei Martyrem & Levitam transferre, transmisit nuntium qui se præcederet ad Fratres in Cœnobio, per quem mandavit ut nihil operis eodem die agerent in agris, quo ipse ad Monasterium erat venturus cum corpore sancto. Sed neque ullus de hominibus illorum quibus erat servitium impositum, ut labores Fratrum colligerent, & in Monasterium reconderent. Nuntius igitur ad Monasterium venit, impleta est jussio Magistri. cui omnes Fratres obviàm eum vexillis & cereis exierunt, & ab eo Martyrem Domini susceperunt. Sed quædam femina rustica despexit Patris Fratrúmque imperium. hæc nec obviàm sancto properavit corpori, nec ab opere agri manum retraxit, immo subsannans dixit: Quis est Sanctus iste quem huc deferunt, ut pro eo opera mea relinquam? hæc mihi veniant si fecero. Necdum verba compleverat, etiam articuli manûs in mediam palmam defixi ita obriguerunt, ut territa heu misera illa nec vellet ampliùs operari, nec valeret extendere manum. Adducta est tunc ad sanctum Martyrem & ad venerabilem Patrem: quæ dum diu prostrata humo hærens, flens & pectus pugnis percutiens miserum jaceret, promittens jurejurando numquam se ultra violaturam dies sollemnes; tandem aliquando misertus est ejus venerabilis Abbas, præcepitque Fratribus ut pro ejus stultitia deprecarentur Dominum, quatenus

ei

ei daretur salus quam perdiderat, & deinceps vitaret esse quod fecerat. Fecerunt Fratres quod jusserat Pater, & pristinæ reddita est sanitati. Ventum est igitur cum corpore sacro ad Monasterium. Sed priusquam portam illius intrassent, epilepticus quidam sancto Martyri obviàm inter ceteros qui advenerant occurrit, & statim sanus factus choro Deum laudantium junctus, pro sanitate sua immensas cœpit reddere gratias. Sit igitur Patri & Filio & Spiritui-sancto laus & gloria & jubilatio per infinita sæcula sæculorum, Amen. ANN. CHR. DCCXXX. OCT. XXII.

12. *In hac historia multa observanda veniunt. Primum, S. Abundium, quo de hic agitur, esse Diaconum illum qui cum Carpophoro sub Diocletiano passus est, de quo Martyrologium Romanum ad diem 10 Decembris. Alterum,* DOMINICUM, *Fulginatem Episcopum, qui sancti Martyris corpus Tiberio Abbati concessit, anno* DCCCL *sedere cœpisse, testante Ughello in Italia sacra tomo 1. Tertium, eo etiam tempore Monachos in Bercetensi Monasterio exstitisse. nam insequenti seculo Abbatia secularibus Canonicis concessa jam erat, ut fidem faciunt litteræ Hugonis Regis, ab Ughello relatæ in tomo 2 Italiæ col. 195. quibus Hugo audito quod* Canonici de Bercedo Monasterio S. Remigii non haberent ad ciborum seu vestimentorum necessitatem qualiter viverent, *eis annonam & subsidia concedit anno* CMXXVII. *Postremum, Papiense Concilium, cui Tiberius Abbas interfuit, celebratum esse* LIUTARDO *Papiensi Antistite, qui anno* DCCCLXIV *vivere desiit.*



DE S. GREGORIO PAPA SECUNDO, ANN. CHR. DCCXXXI. FEBR. XIII.

ubi de ZACHARIA, STEPHANO secundo, ac STEPHANO tertio.

1. EX *sanctis istius seculi Pontificibus Romanis, quatuor nostris vulgò adnumerantur,* GREGORIUS *id nominis secundus,* junior *dictus;* ZACHARIAS, STEPHANUS *secundus, ac* STEPHANUS *tertius, quos alii tertium ac quartum vocant. Eorum gesta suo cujusque ordine commemorari postulabat ratio propositi nostri. At quoniam eo in negotio posuere operam bene multi, sufficere visum est explicare ea, quæ ad rem nostram spectant. Id verò consilii eo libentiùs secuti sumus, tum quod eadem sæpius recudere otiosum videtur; tum quod Frodoardi carmina de Romanis Pontificibus hactenus inedita, à Gregorio secundo ad Leonem septimum, typis vulgare statuimus ad calcem istius Seculi. De Gregorio primùm quædam adnotanda.*

2. *Quod in Ordinem S. P. Benedicti Gregorius Magnus, idem fere præstitit Gregorius alter. Hic enim nullam occasionem prætermisit sacri Instituti promovendi, quà verbis, quà monitis, quà factis. Nimirum Petronacem ad instaurandum Casinense Monasterium adduxit & adjuvit; Monachorum cœtus propè destitutos Romæ restituit, novósque instituit; & propriam domum, uti Gregorius Magnus, in religiosas ædes convertit. Ex quibus nemo non intelligit, eum monasticæ vitæ amantissimum fuisse, immo & sectatorem ante susceptum Pontificatum. Quod sanè non obscurè significat Anastasius his verbis :* Hic à parva ætate in Patriarchio nutritus sub sanctæ memoriæ domno Sergio Papa, Subdiaconus atque Sacellanus factus, Bibliothecæ illi est cura commissa : deinde ad Dia- Gregorius in Ordine nostrum munificentissimus.

ANN. CHR. DCC XXXI. FEBR. XIII. conatus ordinem provectus est, *&c. qui locus intelligendus videtur de Patriarchio Lateranensi, in quo tum Romani Pontifices degere solebant, quum Patriarchium S. Petri erat extra muros urbis. Atqui ab excidio Cœnobii Casinensis ad ejusdem instaurationem Gregorio secundo Pontifice factam, Monachi nostri Patriarchium Lateranense incoluerunt. siquidem teste Leone Marsicano in Chron. Casin. lib. 1 cap. 4, inde colonia Monachorum Casinum per Petronacem reducta est. Hinc est, quod Gregorius tertius cernens Monasterium Lateranense* antiquitus institutum, ab omni ordine monachico destitutum *esse, Monachis scilicet Casinum translatis; inibi* congregationem Monachorum & Abbatem constituit, ad persolvenda quotidie sacra officia laudis divinæ in Basilica Salvatoris. *De restitutione Casinensi plura leges in Elogio S. Petronacis infrà: de monastico verò instituto Ecclesia Lateranensis alias. interim lege Anastasium in Stephano tertio, quem alii quartum vocant.*

3. *Præterea Gregorius secundus* Monasteria quæ secus Basilicam S. Pauli erant, ad solitudinem deducta innovavit, atque ordinatis servis Dei Monachis congregationem post longum tempus constituit, ut ibidem die noctúque Deo redderent laudes. *Et tamen teste Alcuvino in epistola 83, Carolus Magnus cogitabat* facere Monasterium ad S. Paulum: *cujus Monasterii reformationem (ut vocant) operâ S. Iohannis Abbatis Gorziensis factam esse, videbimus suo loco. Porro Monachos in Ecclesia S. Pauli tempore Constantini Papa exstitisse patet ex Baronio ad annum 713.*

4. *Insuper Gregorius junior* gerocomium, *id est hospitale senum emeritorum,* quod post absidam sanctæ Dei Genitricis ad Præsepe situm est, Monasterium instituit: atque Monasterium S. Andreæ Apostoli, quod Barbaræ nuncupatur, ad nimiam deductum desertionem, in quo nec unus habebatur Monachus, adscitis Monachis ordinavit, ut utraque Monasteria ad sanctam Dei Genitricem singulis diebus atque noctibus Deo laudes canerent.

5. *Denique* post matris *suæ* obitum Gregorius domum propriam in honore sanctæ Christi Martyris Agathæ additis à fundamento cænaculis, vel quæ Monasterio erant necessaria, à novo construxit: prædia illic urbana vel rustica pro Monachorum obtulit necessitate. *Cetera legesis apud Anastasium, quem hactenus retulimus.*

6. Sepultus est ad B. Petrum Apostolum sub die III Idus Februarii, Indict. XIV, Leone & Constantino Imperatoribus, *id est anno Domini concepti* DCC XXXI. *Notkerus tamen in Martyrologio ejus obitum signat* pridie Idus Februarii *his verbis.* Romæ Gregorii Papæ secundi, qui rexit Ecclesiam sedecim annis Leonis & Constantii * Imperatorum temporibus. qui vir castus & in divinis scripturis eruditus, in Germaniam per Bonifacium Episcopum verbum salutis prædicavit: idémque ut in quadragesimali tempore quintâ feriâ jejunium atque Missarum celebratio fieret (quod non agebatur) instituit. *Nihilominus in Breviario Casinensi tempore Oderisii Abbatis primi, id est ante annos quinquaginta supra quingentos exarato, sic habet Kalendarium Sanctorum:* Idibus Febr. Gregorii Papæ secundi. *quo die etiam in Martyrologio Romano ejus memoria celebratur. Cum Notkero consentiunt Fasti Benedictini, in quibus Gregorius secundus colitur pridie easdem Idus. Leo Papa IV in epistola ad Episcopos Britanniæ,* beati junioris Gregorii decreta *laudat, ea scilicet quæ de copula inter cognatos Gregorius sancivit in quadam ad Bonifacium epistola, ordine 126 inter Bonifacianas. Hincmarus Remorum Antistes in litteris nomine Synodi Tusiacensis ad Rodulfum Bituricensem & Frotarium Burdigalensem Pontifices scriptis, citat etiam epistolam* beati junioris Gregorii per Denualdum Presbyterum directa ad Bonifacium Moguntinum Episcopum:

* l. Constantini

quæ epistola ea est quam mox designavimus. Gregorium secundum Benedictinis accensent præter nostros Hieronymus Platus in lib. 2 de bono status religiosi cap. 28, & Ferdinandus Ughellus in Italiæ sacra tomo 1. Falluntur qui Gregorium secundum ab antiquis scriptoribus juniorem *dictum negant, idque cognomen ad Gregorium tertium transferunt. Lege Vitam S. Bonifacii per Othlonum. Error iste quosdam induxit, ut Gregorio tertio tribuerent Synodum Romanam, nomine* Gregorii junioris *insignitam: quam Baronius Gregorio secundo rectè vindicat, eamdémque laudat S. Odo Cantuariensis Archiepiscopus in Constitut. cap. 7.* ANN. CHR. DCC XXXI. FEBR. XIII.

7. *Zacharias Papa Gregorio tertio successit anno* DCC XLI, *æquè in Ordinem nostrum optimè affectus. Is enim ad perficiendum Casinense Monasterium Petronaci* plurima contulit adjutoria, libros scilicet aliquot sacræ scripturæ, necnon & codicem sanctæ Regulæ, quam Pater BENEDICTUS manu propria scripserat; pondus etiam libræ panis & mensuram vini, quæ olim inde sub Langobardorum invasione Monachi fugientes secum Romam detulerant; diversa etiam ad ecclesiasticum officium ornamenta, nonnulla quoque ad diversas utilitates Monasterii pertinentia, illi apostolica liberalitate largitus est. Ab hoc etiam sanctissimo Papa prædictus Abbas Privilegium primus accepit, ut hoc Monasterium cum omnibus cellis sibi pertinentibus ubicumque terrarum constructis, ob honorem ac reverentiam sanctissimi Patris Benedicti, ab omnium Episcoporum ditione sit liberum, ita ut nullius juri subjaceat, nisi solius Romani Pontificis. *Ita Leo Marsicanus in Chron. Casin. lib. 1 cap. 4.* Zacharias itidem.

8. *Idem Pontifex* privilegio sedis apostolicæ munivit *Fuldense* Monasterium, in vastissima solitudine *à Bonifacio* fundatum atque in honore Salvatoris dedicatum, ubi Monachos sub Regula B. BENEDICTI degere ordinavit. *Lege hac de re Bonifacii epistolam 141, & sequentem Zachariæ.*

9. *Ipse etiam Carolomannum Ducem seu Regem Francorum vestibus monasticis induit, ac Casinum misit; Ratchisum etiam Langobardorum Regem ab se tonsum unà cum uxore ac filia Deo sacratis eòdem destinavit, uti in Elogio Carolomanni inferiùs dicemus.*

10. *Denique apud Adrevaldum in libro de miraculis S. Benedicti exstat Zachariæ epistola ad Episcopos Galliæ, tum pro concordia inter Pippinum & Grifonem concilianda, tum pro restituendo Casinatibus S. Benedicti corpore: quæ epistola ex schedis Pithœanis edita est à Sirmondo in tomo 1 Conc. Galliæ, cum hac salutatione:* Zacharias Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Sacerdotibus & Presbyteris Francorum. *& in contextu epistolæ:* Ergo quia innotuerunt nobis OPTATUS religiosus Abbas, Presbyter Monasterii S. Benedicti, & Carolomannus, *&c. ut apud Adrevaldum, qui paullo aliter expressit salutationem, &* Optati *Abbatis nomen prætermisit. Porro eam epistolam recitavit alieno loco, Zachariæ & Stephani tempora confundens, uti Sirmondus rectè observavit. Non enim semel tentavere Casinates, ut sacrum corpus communis Patris nostri in Galliam furtim advectum recuperare possent, primò quidem litteris à Zacharia Pontifice impetratis: deinde verò Carolomanno Monacho Pippini Regis fratre in Galliam misso. Grifonis à Pippino discidium contigit anno* DCC XLVIII *& insequenti: quo circiter anno Zachariæ epistola scripta videtur. Confer ea quæ ad librum Adrevaldi adnotavimus in Sæculo 2 Benedictino.*

11. *Obiit Zacharias* & sepultus est ad S. Petrum Idibus Martii Indict. v, *hoc est anno* DCC LII. *In præcitato Casinensis Breviarii ms. Kalendario inscribitur nudum ejus nomen* Idibus Martii: *quo die in Fastis Romanis & Benedictinis Zacharias celebratur. Monachum eum fuisse tradit Onuphrius in Chronico, Benedictinum non solùm Vvion & Yepezius aliique è nostris, sed etiam Ciaconius. Sanè eum de S. Benedicto sensisse ac scripsisse ut filium, probat versio*

Ann. Chr. DCC XXXI. Feb. XIII.


Græca ab ipso facta Dialogorum Gregorii Magni. nam in libri 2 inscriptione, ubi Gregorius habet de vita & miraculis S. Benedicti, *ita Zacharias reposuit:* περὶ τῆς πολιτείας τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Βενεδίκτου, *Benedictum suum ius Patrem appellans. Scio Græcis familiare esse istud vocabulum honoris causâ, quum de Sanctis loquuntur. at illud movet, quòd Zacharias nuspiam, quod legerim, hac voce utitur, quum de aliis Sanctis agit. Accedit quòd in Præfatione libri 2 Dialog. Gregorii textum sic editum*, qui liberiori genere ex provincia Nursiæ ortus, *Zacharias in gratiam S. Benedicti ampliando reddidit hoc modo:* ὅστις δίκην ἑωσφόρου ἀστέρος ἐκ τῆς Νουρσίας χώρας, τῇ τῶν Ῥωμαίων χώρᾳ ἀνέτειλε. *Latinè*, qui instar matutinæ stellæ ex Nursia regione Romanorum exortus est. *quibus sanè verbis translatoris modum excessit, dum amorem suum adversus Benedictum exprimere studuit. Zachariam Ordini S. Benedicti adjudicat etiam Ferdinandus Ughellus.*

Stephanus secundus. 12. *Zacharia mortuo, post* Stephanum quemdam Presbyterum *electioni suæ biduo tantùm superstitem, successit* STEPHANUS secundus, *nonnullis tertius*, natione Romanus. Hic post patris sui transitum parvus derelictus in venerabili cubiculo Lateranensi pro doctrina apostolicæ traditionis. *Ad eum misit Pippinus* Rodigangum Abbatem & Episcopum (*nam utroque titulo ab Anastasio insignitur*) *cum* Autechario Duce, quatenus prædictum sanctissimum Papam ad Franciæ Regnum deducerent. *Rodigangum hunc non alium esse puto à Chrodegango Mettensi Episcopo, qui etiam Abbas erat Monasterii Laurishamensis. Stephanus Luteciam Parisiorum maximo cum honore deductus*, cum suis omnibus apud venerabile Monasterium B. Dionysii *hiemavit, ibique Pippinum Regem cum duobus filiis inunxit. Cùm Stephanus in Monasterio Dionysiano hospitaretur, contigit ut deploratam sanitatem meritis Apostolorum Petri & Pauli ac S. Dionysii reciperet. Iacobus Sirmondus in tomo 2 Conciliorum Galliæ edidit ipsius facti testimonium, ab ipso Pontifice in litteras relatum. cujus rei etiam meminit Ludovicus Pius in epistola ad Hilduinum de scribenda S. Dionysii vita: & Frodoardus in carminum libro II, ubi de Stephano secundo agit. Quæ idcirco commemoro, ne quis in præjudicium istius rei trahat Eginhardi, Appendicis Fredegarii, & Anastasii silentium, qui moræ quidem Stephani in Monasterio Dionysiano faciunt mentionem, non verò receptæ ab eo sanitatis.*

13. *Ex hoc beneficio hospitalitatis Stephanus magno in S. Dionysium affectus studio est. adeo ut varia prædicto Cœnobio privilegia concesserit, sicuti in Elogio Fulradi inferiùs dicemus. De Stephano secundo aliàs ex Frodoardo agemus. Interim notamus ex Anastasio, eum morte sublatum esse* VI Kalend. Maii Indict. X. *id est anno* DCC LVII.

Stephanus tertius. 14. *Stephano secundo suffectus Paulus in annos decem, successorem habuit* STEPHANUM *tertium, quem alii quartum numerant.* Hic dum ex Siciliensi insula in Romanam advenisset urbem, tradidit eum domnus Gregorius sanctæ recordationis tertius Papa Monasterio S. Chrysogoni, quod tunc noviter fundabat, illicque Clericus atque Monachus est effectus. quem postmodum domnus Zacharias ex ipso abstollens Monasterio, in Lateranensis Patriarchii cubiculo esse præcepit: cúmque postmodum Presbyterum in titulo sanctæ Ecclesiæ consecravit, quem tamen pro ejus castitatis modestia in suo officio Lateranensi detinuit. Sed & reliqui, scilicet domnus Stephanus & Paulus beatissimus Pontifices, eumdem sanctissimum Stephanum pro ejus piis conversationibus similiter detinuerunt. *Constantinum quemdam laïcum, Totonis Ducis Nepezini fratrem; deinde Philippum Presbyterum & Cœnobii S. Viti Monachum æmulos habuit. Romani tandem* pergentes in titulo S. Ceciliæ, in quo *Stephanus* Presbyter exsistebat, eum Pontificem elegerunt, quem & cum vocibus acclamationum & laudibus in Lateranense deporta-

verunt Patriarchium. & post omnia in ejus electione peracta, Deo auctore pontificale adsumsit culmen. *Id memoriæ dignum in ejus ordinatione factum est. quippe Theodoro Episcopo & Passivo Constantini fautoribus in Monasteria retrusis*, Constantinus *ipse* deductus in medium est: & magna pondera in ejus adhibentes pedibus, in sella muliebri sedere super equum fecerunt, & in Monasterium Cella-novas coram omnibus deportatus est. Sabbato verò die diluculo, ante unam diem ordinationis præfati beatissimi Papæ Stephani, aggregati aliquanti Episcoporum seu Presbyterorum & Clerici in Basilica Salvatoris, iterum præfatus Constantinus ad medium allatus est: lectísque sacratissimis Canonibus, ita depositus est. Accedens enim Maurianus Subdiaconus orarium de ejus collo abstulit, & ante pedes ejus projecit, & compages ipsius abscidit. Sícque alio die dominico antedictus beatissimus Stephanus consecrationem suscepit Pontificatûs, *&c. Is* pristinum Ecclesiæ in diversis Clericatûs honoribus renovavit ritum. Statuit ut omni dominico die à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant Missarum sollemnia, super altare B. Petri celebraretur, & *Gloria in excelsis* Deo diceretur. *Obiit anno* DCC LXXII *pridie Kalend. Febr. quo die in Martyrologiis Benedictino & Ferrarij colitur.* ANN. CHR. DCC XXXI. FEBR. XIII.



DE SANCTO PORCARIO
ABBATE LERINENSI;
DEQUE ALTIGIANO ET HILARINO
Monachis Sequanensibus; aliísque cæsis ab Saracenis.

ANN. CHR. DCC XXXI. AUG. XII. XIX. XXIII.

I. SARACENORUM, *quos alii* Wandalos, *alii* Agarenos, Ismaëlitas *alii appellant, varias in Galliam impressiones legimus. Tres commemorasse hoc loco sufficiat. Prima facta est anno* DCC XXVIII, *quo teste Beda in lib. 5 cap. 24*, apparuerunt cometæ duo circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes ∴ apparebántque mense Januario, & duabus ferme septimanis permanebant. Quo tempore gravissima Saracenorum lues Gallias misera cæde vastabat, & ipsi non multo pòst in eadem provincia dignas suæ perfidiæ pœnas luebant. *Idem Auctor in epitome sua cometas illos anno insequenti apparuisse dicit, uti etiam legitur in Chronologia Saxonica, habita scilicet ratione diversi calculi, quo alii annum à Ianuario, quo accidit hac clades; alii à Martio ordiebantur. Ad eam cladem retulimus necem Theofredi Abbatis Calmeliacensis.* Variæ Saracenorum clades.

2. *Alia Saracenorum irruptio in Galliam accidisse videtur anno* DCC XXXI, *quo Provinciam, Burgundiam & attinentes regiones igni & ferro devastarunt. Eum annum signat Iohannes Monachus Besuensis in chronico Monasterii sui.* Tertia vice, *inquit*, devastatum est Monasterium à Saracenis, quando Augustidunum civitatem destruxerunt anno ab Incarnatione Domini DCC XXXI. (*mendosè in editis* DCCC XXXI.) *Cùm enim Abdiraman Hispaniarum Præfectus ipso anno Arelatum obsedisset, ibíque Francos devicisset auxilio profectos, testante Ruderico Toletano Episcopo in historiæ Arabicæ cap. 13; laxis secundæ victoriæ habenis, Francorum regiones populabundus ingreditur, Provinciam scilicet ac Burgundiam: & Senonas usque victorem exercitum perducit. At divi-*

ANN. CHR. DCC XXXI. AUG. XII. XIX. XXIII.

na vi per Ebbonem Archiepiscopum repulsus, pedem referre coactus est. Huc spectat Ado Viennensis in Chronico. Sarraceni per totam Aquitaniam vastantes & latè alias provincias igne ferróque superantes, Burgundiam dirissima infestatione deprædantur, pæne omnia flammis exurentes, Monasteria quoque ac loca sacra fœdantes, innumerum populum abigunt, atque in Hispanias transponunt. *Bonifacius Maguntiacensis Episcopus in epistola 19 ad Ethelbaldum Merciorum Regem scribit, id* Hispaniæ, Provinciæ & Burgundionum populis contigisse *propter adulteria & stupra sacrarum virginum ac Sodomitica flagitia: quibus iratus* Judex omnipotens, talium criminum ultrices pœnas per ignorantiam legis Dei & per Saracenos venire & sævire permisit. *Tum enim Viennæ Monasteria excisa, id quod S. Clarus Abbas futurum prædixerat. Lerinenses Monachi unà cum* PORCARIO *Abbate martyrio affecti. Besuense Monasterium agri Divionensis direptum; uti & S. Sequani, ubi cæsi* ALTIGIANUS *&* HILARINUS *Cœnobitæ. Luxovii verò* MELLINUS *seu* Miletus *Abbas cum Monachis suis. Eam verò stragem ut ad hunc annum referamus, suadet auctoritas tum Ruderici Toletani & Iohannis Besuensis Chronographi; tum continuatoris Fredegariani, qui capite 109 adfirmat Carolum Principem post subactum anno* DCC XXXII *Abdiramam apud Pictavos*, anno sequente regionem Burgundiæ penetrasse, *ac* fines leudibus suis probatissimis viris industriis ad resistendum gentibus rebellibus & infidelibus statuisse. *Carolus nimirum urbes ab Saracenis captas & afflictas recepturus*, Regnum Burgundiæ cum valida manu penetravit, *ut aiunt Annales Mettenses;* Lugdunum & civitates reliquas suæ ditioni subegit, *addunt Fuldenses, qui malè id referunt ad annum* DCC XXVII.

3. *Tertia Saracenorum populatio ad rem nostram spectat ea, quæ in libro de gestis S. Pardulfi Abbatis Garactensis describitur: cùm scilicet Saraceni apud Pictavos fusi à Carolo anno* DCC XXXII, *desperatione in rabiem versi, obvia quæque per Lemovicensem pagum aliósque finitimos flammâ ferróque corripuerunt. qui tandem iterum à Carolo Principe in Septimania apud Narbonem profligantur anno* DCC XXXVII. *Eucherius Aurelianensis Episcopus à Carolo post victoriam Pictavensem abductus in exsilium est.*

Porcarii martyrium cum Monachis quingentis.

4. *His prænotatis agendum est de* PORCARIO *Abbate Lerinensi, cujus Acta exstant apud Surium die 12 Augusti & in Chronologia Lerinensi, ex quibus pauca deflorare sufficiat. Porcarius Abbas Lerinensis, cognominis quidem ejus, qui S. Cæsarium Lerini probavit, at junior; præerat Monachis minimum quingentis eo tempore, quo Saraceni Gallis apud Arelatum superatis in vicinas provincias effusi sunt. Porcarius cælesti monitu præscius ruinæ Monasterio suo imminentis, discipulos ad perferenda tormenta hortatur; imbelles* pueros sexdecim, adolescentes triginta sex *fuga sibi consulere suadet, eósque in Italiam mittit;* COLUMBUM *&* ELEUTHERIUM *trepidantes* in quoddam antrum prope litus insulæ *abdi præcipit. Interim barbari aditâ insulâ in Monasterium subeunt, Monachos præcipiti cæde mactant, unàque cum iis Columbum, qui martyrii desiderio captus ex latibulo exierat.* Ecclesias omniáque sacra ædificia funditus evertunt, ac solo æquant. *His peractis in navi secum abducunt juvenes quatuor Monachos à se de industria servatos, qui in loco* cui nomen Agathon, *facta sibi potestate exscendendi in terram*, nemoris condensi latebras intrantes *aufugiunt; totaque nocte per secreta nemora ambulantes, ad* locum qui Aralucis dicitur pervenerunt. quo in loco parvum navigium prope litus maris reperientes & adscendentes, sacram Lerinensem insulam circa auroram intraverunt: *& adjutore Eleutherio corpora sepelierunt Martyrum, qui* pridie Nonas Augusti passi sunt. *Incolæ Montis-Virduni, quod opidum est in diœcesi Lugdunensi in provincia Segusiana * traditione acceptum ferunt*,

* Mont-Verdun
* le Forest

Porcarium Abbatem neci subductum, Lerino in Montem-Verdunum se recepisse; ibique à Saracenis istuc paullo pòst accedentibus interceptum, lanceâ transfossum interiisse XIV Kalend. Augusti, *quo die istic honorificè colitur in Ecclesia propria, quæ titulo Prioratus hodie decoratur, pendétque à Casa-Dei, celebri Monasterio diœcesis Claromontensis apud Arvernos. At veri similius crediderim, S. Porcarium Lerini occubuisse, ejúsque Reliquias postmodum translatas Montem-Virdunum fuisse. Paullo pòst Eleutherius, Monachis qui in Italiam perfugerant revocatis, Cœnobium Lerinense instauravit.* Porcarium præcesserat SILVANUS, Silvanum S. AMANDUS Abbas Monachorum (ut aiunt) *ter millium ac septingentorum, cujus obitus festivè recolitur* XIV Kal. Decembris. ANN. CHR. DCC XXXI. AUG. XII. XIX. XXIII.


5. *Eodem tempore, secundùm vaticinium Clari Abbatis Viennensis, Monachi aliíque accolæ ejusdem urbis Viennensis*, partim occisi, partim fugati sunt incensis sacris domibus, vastatis omnibus & pæne in desolationem redactis, *uti in Actis S. Clari legitur Sæculo 2 Benedictino. Tum etiam* MELLINUS *seu Miletus Abbas Luxoviensis cum Monachis suis interfectus est*, & mansit Monasterium sine Abbate annis quindecim. *Eamdem etiam fortunam experti sunt Monachi Besuenses, quorum Cœnobium ab Saracenis destructum est.* Monachi Viennenses & Luxovienses cæsi.

6. *Saraceni inde profecti, Monasterium S. Sequani situm in pago Segestrensi *, quarto miliari ab urbe Divione, aggrediuntur; ac Monachos duos*, ALTIGIANUM, & HILARINUM, *gladio feriunt* X Kalend. Septembris. *cujus rei fidem facit Breviarium vetus ejusdem Cœnobii in hæc verba.* Noverit omnium instantium atque futurorum certitudo, gentem Wandalicam in istam fuisse progressam terram ob confutandam sanctam Dei Ecclesiam. Cujus infestatione atrocissima cùm depopularetur undique Burgundia, tandem pervenit furens ad S. Sequani Abbatiam in Magnimontensi * Comitatu sitam. Quæ gens post plurima peracta flagitia, ad cumulum suæ damnationis sanctos Dei Altigianum atque Hilarinum, sacratissima S. Sequani benedictione monachatos, ut nostri antiqui Patres retulerunt, gladio suæ crudelitatis funeri tradidit beatæ passionis, in campo qui dicitur S. Hilarii, x Kalendas Septembris. Quorum beata passio quamvis negligentiâ hominum illius temporis non legatur in divina pagina, non sunt habendi minoris memoriæ: quia pro Dei amore tradendo proprium sanguinem, contemtui dederunt amorem hujus vitæ. Si quis autem requirit ubi habeantur eorum corpora, noverit esse condita penes S. Sequani Ecclesiam. *Egimus de S. Sequano ejúsque Monasterio in primo Sæculo Benedictino. Corrigendum hoc loco est id quod de Altigiano & Hilarino dicitur, eos scilicet ab ipso Sequano monachali benedictione initiatos fuisse. quod temporis ratio non admittit. Notandum porro est, prædictos Martyres hactenus memoratos mense Augusto necatos fuisse omnes, ut vel inde colligas, eodem anno eademque tempestate eos sublatos è medio fuisse. Animus erat illis adjungere S.* MARINUM *Monachum Candorensem. Sed satius visum est de eo agere in fine istius Sæculi, si quo modo possim obscuram ejus memoriam è tenebris eruere.*

Altigianus & Hilarinus Monachi Sequanenses.

* *de Sestre*

* *de Mesmont*



ANN. CHR. DCC XXXII. JANU. IX.

DE S. BRITHVVALDO EPISCOPO CANTUARIENSI, ejúsque successoribus.

Theodoro succedit.

I.  RITHWALDUS *seu* Berthwaldus *primùm Monachus, dein Abbas fuit Monasterii Raculfensis in agro Cantiano, eique Abbati anno* DC LXXIX Lotharius Rex Cantuariorum terram in insula Thanatos in loco qui appellatur Westanea, *aliáque prædia concessisse dicitur in libro Evidentiarum Ecclesiæ Cantuariensis. Lege Monastici Anglicani tomum I pag. 86. Raculfense cui præfuit Brithvvaldus Monasterium* Ricolvere *appellat Vvillelmus Thornus, additque:* Hic Brithwaldus fuit primus Anglicus, qui sedi Cantuariensi præsidebat. nam prædecessores sui erant omnes Romani.

2. Anno DC XC Incarnationis dominicæ Theodorus beatæ memoriæ Archiepiscopus, senex & plenus dierum, id est annorum octoginta & octo, defunctus est, *inquit Beda in lib. 5 cap. 8. qui & addit cap. 9.* Successit autem Theodoro in Episcopatum BERTWALD, qui erat Abbas in Monasterio, quod juxta ostium aquilonale fluminis Genlade positum, Racwlf nuncupatur, vir & ipse scientiâ scripturarum imbutus, sed & ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summè instructus, tametsi prædecessori suo minimè comparandus. Qui electus quidem est in Episcopatum anno dominicæ Incarnationis DC XCII, die primo mensis Julii, regnantibus in Cantia Victredo & Suebardo: ordinatus autem anno sequente, tertio die Kalendarum Juliarum dominicâ, à Godwino Metropolitano Episcopo Galliarum, *Lugdunensi videlicet;* & sedit in sede sua pridie Kalendarum Septembrium dominicâ.

Episcopos ordinat.

3. Qui inter multos quos ordinavit Antistites, etiam Gebmundo Rofensis Ecclesiæ Præside defuncto Tobiam pro illo consecravit, virum Latinâ, Græcâ & Saxonicâ linguâ atque eruditione multipliciter instructum. *Addit Gervasius in historia Pontificum Cantuariensium:* Acca quoque Presbyter his diebus Augustaldensis Ecclesiæ suscepit Præsulatum, & mortuo post annos Tobia Rofensi Episcopo Britwaldus substituit Aldulfum. Sacravit etiam Aldhelmum & Danielem, qui Heddæ Episcopo successerunt. Ipso etiam agente S. Wilfridus ad Episcopatum suum revocatus est, *quem antea Pontificatu summoverat.*

Concilia celebrat.

4. *Plura celebravit Concilia.* Becanceldense *anno* DC XCIV *pro libertate & immunitate Ecclesiarum.* Berghamstedense *ad restituendam Ecclesiæ disciplinam anno* DC XCVII. Eboracense *anno* DCC I, *in quo Vvilfridus sede sua iterum pulsus. nam Synodum istam in parochia Eboracensi coactam esse docet Radulfus Cantuariensis Antistes in epistola ad Calistum Papam II.* Niddense *anno* DCC V, *Vvilfridi restituendi gratiâ.* Alnense *anno* DCC IX, *ad confirmandas donationes factas Monasterio Eoveshamensi. Mitto* Londinense, *in quo (si solis Baleo & Centuriatoribus Magdeburgensibus fides est) sanctarum Imaginum cultus & cælibatus Sacerdotum præscriptus est. Legesis Spelmanni Concil. tomum I.*


Obit.

5. Anno dominicæ Inc. DCC XXXI, *teste Beda in lib. 5 cap. 24,* Berthwaldus Archiepiscopus longa consumtus ætate defunctus est die V Iduum Janua-

Januariarum, qui sedit annos XXXVII, menses VI, dies XIV. *Brithvvaldi memoriam recolunt eo die recentiora Martyrologia, Germanicum, Anglicanum, & Benedictinum. Bollandus citat Florarium ms. in quo leguntur hæc verba ad diem 13 Ianu.* In Anglia apud Cantuariam depositio S. Bartwaldi Episcopi & Conf. *& Kalendarium ms. Ordinis S. Benedicti in hæc verba 4. Ianu.* S. Berthwaldi Archiepiscopi Cantuariensis in Anglia, primò Abbatis Monasterii Raculfe. *Harpesfeldius, Pitseus & alii eum Vitæ S. Eguvini Episcopi auctorem dicunt. at scriptio hæc alii Britvvaldo tribuenda, ut diximus ad ann. 717.* ANN. CHR. DCC XXXIII. JANU. IX.

6. *Pro Berchtvvaldo* anno eodem, *ait Beda cap. præcitato*, factus est Archiepiscopus vocabulo Tatwine de provincia Merciorum, cùm fuisset Presbyter in Monasterio quod vocatur Briudun. Consecratus est autem in Doroverni civitate à viris venerabilibus Daniele Ventano, & Ingwaldo Londoniensi, & Aldreino Liccitfeldensi, & Aldulfo Rofensi Antistitibus, die decima Junii mensis dominicâ; vir religione & prudentia insignis, sacris quoque litteris nobiliter instructus. *Gervasius hæc addit de eo:* Suscepit pallium à Papa Gregorio missum, tribus annis Cantuariensem rexit Ecclesiam, & tandem III Kalend. Augusti de sæculi migravit. *Colitur in fastis Benedictinis, uti &* BREGWINUS, *quem Gervasius* sanctum *appellat, & hîc paucis commendabimus.* Tatvvinus successor.

7. *Tatvvino successit* NOTHELMUS Londoniensis Presbyter & Monachus *anno* DCC XXXIV. *Nothelmo post annos quinque mortuo successit Cuthbertus, qui* anno DCC XLI consecratus *dicitur in Chronologia Saxonica, & anno* DCC LVIII *obiisse.* Anno DCCLIX Bregowinus in Archiepiscopum die festivitatis S. Michaëlis consecratus fuit. *Gervasius de eo hæc scribit:* Suscepit pallium à Paulo Papa & plenitudinem potestatis, vir magnæ religionis. Eum VIII Kalend. Septembris ex hac vita sublatum filii Ecclesiæ Christi in Basilica S. Johannis Baptistæ, ubi prædecessor suus beatus Cuthbertus locatus fuerat, sepelierunt. Sancto Bregwino successit JAMBERTUS Abbas Ecclesiæ S. Augustini, & sacratus est in Archiepiscopum in die Purificationis S. MARIÆ, *nempe anno* DCCLXIII, *uti legitur in Chronologia Saxonica, in qua consecratus fertur* die post hiemem mediam decimo quarto. Nothelmus & Cuthbertus. Bregovvinus.



DE SANCTO RIGOBERTO EPISCOPO REMENSI & Abbate Orbacensi.

CIRCA AN. DCCXXXIII. JANU. IV.

1. SANCTUM RIGOBERTUM *nostris adnumerant non solùm fasti Benedictini, sed etiam Demochares & Colvenerius, viri docti: quibus ut subscribam, non levia suadent argumenta. Rigobertus quippe Abbas fuit Orbacensis Monasterii Ordinis nostri post Leudemarum Abbatem primum. Id muneris quidem à Childeberto Rege obtinuit post adeptum Pontificatum Ecclesiæ Remensis: ut constat ex litteris Bertoëndi Catalaunensis Episcopi pro Monasterio Dervensi, datis* anno secundo Chlodovci Regis *Childeberti fratris ac decessoris: quæ litteræ Spicilegii tomo 10 editæ inscribuntur* Rigoberto Metropolitano *& aliis. Verùm Childeberti junioris* Rigobertus Abbas Orbacensis.

CIRCA AN. DCCXXXIII. JANU. IV.

principatu moris erat, ut Monasteriorum prælatura nonnisi Monachis tribuerentur. quod contra Carolo Principe cognomento Martello actitari cœptum. Nec obstat, quòd in S. Rigoberti Actis apud Surium & Bollandum, monastica Rigoberti professionis expressa mentio non habeatur. Nihil enim de rebus ante pontificatum ab eo gestis rescribit Auctor anonymus, qui Frodoardo paullo superior fuit. Frodoardus fere anonymum secutus est in lib. 1 cap. 11 & seqq. at dignitatis ejus abbatialis, de qua siluerat Anonymus, meminit cap. 10, cujus verba expendenda hoc loco sunt. Leudemarus *Orbacensis Abbas*, licèt ab Odone quodam fuerit expulsus, à Childeberto tamen Rege postea restitutus est. Post cujus obitum domnus Rigobertus Archiepiscopus ipsum *Monasterium* recepit & rexit. *Atqui si Abbas fuisset sæcularis, Monachos certè aut Monasterium rexisse non diceretur. Hinc colligas ea verba, quibus Rigobertus* ab ætatis primævæ tirocinio totum se cælestibus mancipasse disciplinis *dicitur apud Anonymum; non obscurè monasticam ejus professionem designare.*

Monasterii status. * Orbais

2\. *Occasione Rigoberti non erit otiosum hoc loco aliquid adnotare de Orbacensi* * *Cœnobio. S.* REOLUS *Rigoberti decessor* construxit Monasterium Orbacense in loco quem promeruit dono Regis Theoderici per ipsius licentiam, suffragante quoque Ebroïno Majore-domus, *inquit Frodoardus in lib. 2 Hist. Remens. cap. 10.* Impetravítque domnus idem Reolus à Monasterio Rasbacensi sex Monachos, qui regimina SANCTÆ REGULÆ ibidem tenerent, & alios ea docerent. Ex quibus unum, Leudemarum nomine, in eodem loco Abbatem constituit, qui rexit idem Monasterium donec vixit. Nam licèt ab Odone quodam fuerit expulsus, à Childeberto tamen Rege postea restitutus est. Post cujus obitum domnus Rigobertus Archiepiscopus ipsum recepit & rexit. *Superest etiamnunc istud Monasterium, exile quidem, sub Ordine & Congregatione nostra, situm in diœcesi Suessionensi, sex leucis distans ab opido quod Castrum-Theoderici * appellant. Vixit in eo Cœnobio* GODESCALCUS, *miser an miserabilis Monachus, pontificatu Hincmari Remensis Archiepiscopi, is qui vivus exagitatus à multis, plures mortuus exagitavit. Creditur etiam inibi Abbas fuisse* RATRAMNUS *Corbeiensis Monasterii alumnus, de quo aliàs.*

*Chasteau-Thierry

Hucboldus Monachus ab Hungaris nil læsus.

3\. *Nec prætermittendum id quod de Hucboldo ejusdem Monasterii Monacho tradit Frodoardus loco citato.* Hujus Monasterii Monachum, nomine HUCBOLDUM, nuper Hungari comprehensum trucidare nisi sunt: sed nequaquam ferro incidere potuerunt. Nam ut idem refert, & nonnulli captivi qui viderant nunc quoque testantur, dum sagittis eum nudum undique barbari petissent; ut ab adamante relisæ, sic ab ejus corpore resiliebant sagittæ, nec signum ictûs ullum apparebat in cute. Sed & omni conatu gladio percussus, nihilo minùs mansit intemeratus. Unde & Deum dicentes eum esse, duxerunt reveriti secum: donec redemtus à quodam Episcopo, atque dimissus revertitur. *Hæc Frodoardus. Istius Monasterii Abbas* Bovo *seu* Bavo *Conciliis Carisiacensi anno* DCCCXLVIII, *Suessionico anno* DCCCLIII *interfuit. & in epistola excusatoria Remensium ad Hildeboldum Suessionensem Episcopum subscripsisse perhibentur* Monachi de Orbacis, RAMBRADUS Præpositus *& alii, tomo 2 Conc. Galliæ pag. 644.*

Vita cur omissa.

4\. *Ad S. Rigoberti Vitam quod attinet, cùm pauca, immo fere nulla historiæ nostræ momenta contineat, repetenda est à Bollando vel Surio. Unum aut alterum duntaxat observare sufficiat.*

Canonicā disciplinam instituit Rigobertus.


5\. *Primum.* Canonicam Clericis religionem instituit: juxta numerum quoque eorum quotus illo in tempore erat, sufficientia & continua eis victualia constituit, quatenus divino cultui liberiùs atque instantiùs insistere quivissent. Priùs quippe quàm exoptabilis hic altor ac pater eorum

advenirct, non eis dabatur canonicus panis, & non erant, ut sunt hodie, Canonici, sed sicut matricularii. Et ad hæc res proprias cum habitatoribus earum illis contulit, qui singulis necessitatibus eorum perpetuò deservirent. Primus Remensium hic Episcoporum fertur commune eis instituisse ærarium, generaliter illorum usibus in sæcula profuturum.

Circa An. DCCXXXIII. Janu. IV.

6. *Alterum. Cùm in Gerniaca-curte exsularet*, moris ei fuit sæpissime almum adire Remigium, tum in monte *Or* S. Theodoricum: ad cujus Monasterium HINCMARUS illum *ex Ecclesia S. Petri de Gerniaca-curte* transtulit XVIII Kal. Julii, & posuit eum in dextera parte ad tumbam ipsius Confessoris Christi anno Inc. Domini DCCCLXIV, Indict. XII. Annis novem elapsis, eisdem redeuntibus Kalendis, à prædicto Præsule Hincmaro ad urbem Remorum transfertur, & in Basilica S. Dionysii ponitur. *Item* hujus corpus rursus transtulit FULCO in Ecclesiam B. MARIÆ anno antistitii sui primo, posuitque retro altare quod vocatur ad sanctam Crucem, & almos decenter collocavit duos Christi Confessores THEODULFUM & BASOLUM hinc & inde; medium autem B. Rigobertum. *Istic nuperrimè, inquit Auctor*, quidam Monachus & Levita Cœnobii beatissimi Confessoris Christi Remigii, quadam validissima febre correptus, per eumdem sanitati donatus est. Is SIGLOARDUS vocabatur: & cum præceptore suo Archisacerdote THEOBALDO, sicut ejus ab infantia cliens, hucusque conversatur. *Hinc patet, Vitæ hujus scriptorem ætate paullo antecessisse Frodoardo, cujus hæc verba in lib. 2 cap. 15.* His fere diebus Monachus quidem Cœnobii beatissimi Remigii nomine Sigloardus, validissima febre correptus, *&c. Postea S. Rigoberti Reliquiæ* in pagum Veromandensem *delatæ, inde relatæ Remos in S. Dionysii Ecclesiam extramuranam; demum in majorem Basilicam, ubi hactenus quiescunt. Non ita pridem Remis quum studiis darem operam, retecta destructaque est cavea subterranea, quadratis lapidibus solidissimè camerata, quam* Turrim S. Rigoberti *appellabant, palatio archiepiscopali contigua. Huc olim retrudi solitos vitæ solutioris Clericos, vulgi fama est. Certè in Regula Canonicorum à Patribus Concilii Aquisgranensis collecta statuitur cap. 134*, ut sit locus intra claustra Canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur incorrigibiles.

Corpus transfertur in Monast. S. Theoderici.



DE ADELA ABBATISSA PALATIOLI APUD TREVIROS PIISSIMA.

Circa An. DCCXXXIV. Dec. XXIV.

ubi & de ADA, WARENTRUDE, & ROTHILDE Abbatissis.

I. PALATIOLUM, *locus amœnus, ab urbe Trevirorum passuum circiter tria millia in Septemtrionem, olim Virginum Benedictinarum Cœnobium, nunc opidum & collegium Canonicorum sæcularium, quos Poppo Archiepiscopus eò induxit circiter annum* MXXXVII, *testante Brouvero, distingui debet à* Palatio, *quò Palatinus vicus perducit, ubi hodie domus archiepiscopalis. Palatioli exstruxit puellarum Cœnobium Adela prima loci Abbatissa, de quamodò agendum.*

Palatiolum

Circa An. DCC XXXIV. Dec. XXIV.

Adelæ res gestæ.

2. ADELA *seu* Addula, *Dagoberti secundi filia, ejus qui in Hiberniam relegatus, postea in Regnum Austrasiorum receptus est, in matrimonio genuit* Albricum: *ac viro mortuo secessit in Partheneium Palatiolum à se constructum circiter annum* DCC, *cui Partheneio annis fere triginta quinque præfuit. Huic soror fuit nomine* IRMINA *Horreensis Abbatissa, cujus exemplo vitam monasticam amplexa est. S. Irmina res gestas posteris commendavit Theofridus Abbas Esternacensis: Adelæ facta nullus prodidit, quorum nonnulla ex ejus Testamento aliisque monumentis eruere conabimur.*

3. *Adelam Palatiolo præfuisse anno* DCC XXII, *constat ex Actis S. Gregorii Rectoris Ecclesiæ Trajectensis ad Rhenum, descriptis à S. Liudgero Episcopo, cujus hæc verba:* Dum Bonifacius admonitus à Deo ad Hassos & Turingos, orientales regiones Francorum, iter agere cœpisset lucrandorum Deo populorum caussâ, pervenit ad Palatiolum Monasterium Virginum prope Treveris civitatem in ripa fluminis Mosellæ, cui tunc præerat Abbatissa nomine ADDULA, religiosa valde & timens Deum. *Cetera leges in Vita S. Gregorii infrà ad ann. 781.*

Elfledæ epistolam accipit.

4. *Hæc mihi videtur esse* Adolana *Abbatissa, cui Elfleda Anglicani Cœnobii Abbatissa commendat aliam Abbatissam Anglicanam pergentem Romam, hac salutatione præmissa.* Dominæ sanctæ atque adeo honorabili ADOLANÆ Abbatissæ, ELFLED ecclesiasticæ familiæ famula, sempiternæ sospitatis salutem in Domino. Ex quo nos formam vestræ sanctitatis ab adventantibus ex illis partibus rumore celebri referente cognovimus, in primis nos vestrum visceraliter juxta præceptum dominicum ex intimo pectore amorem cepisse, Domino dicente, Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. Quapropter precibus subnixis suppliciter poscimus, ut sacrosanctis flammigerisque oraculis vestris nos apud almipotentem Dominum defendere dignemini: siquidem vobis vicem reddere nostra humilitas minimè pigebit, Apostolo Jacobo hoc ipsum præcipiente ac dicente: Orate pro invicem ut salvemini. Insuper & summæ sanctitati vestræ ac solitæ pietati N. devotam ancillam Dei ac religiosam Abbatissam, carissimam fidelissimámque filiam nostram, ab annis adolescentiæ pro Christi caritate & pro honore Sanctorum Apostolorum Petri videlicet & Pauli, ad ipsorum sancta limina ire cupientem, sed à nobis pro necessitate atque utilitate animarum sibi commissarum hactenus detentam, obnixè omni cum diligentia commendamus, *&c. Certè qui ex Anglia Romam tum temporis peregrinabantur, non rarò per illas Germaniæ oras flectebant iter, ut patet ex variis S. Bonifacii epistolis, quas inter hæc epistola est ordine 51.*

Testamentum.

5. *Hæc fere sunt quæ de Adela rescire possumus: cetera ex ejus Testamento repetenda, à Brovvero primùm edito, dein ab Henschenio in lib. 2 de tribus Dagobertis cap. 14 in hunc modum.*

ADELA in Christo Domino sacrata Abbatissa, Dagoberti Regis quondam filia. Cùm pervulgatum notúmque bonis omnibus sit, quemadmodum nos Monasterium in villa quæ dicitur Palatiolum, in ripa positum fluminis Mosellæ, quod ipsum à Pippino Majore-domus Treviris permutatione quæsivimus, honorique S. MARIÆ Virginis genitricis Domini nostri JESU-CHRISTI, & beatorum Petri & Pauli ceterorúmque Sanctorum jamdudum ad proprium Monasterii usum exstruximus, in eóque Monacharum cœtum disciplinâ & Regulâ S. BENEDICTI viventium aggregavimus; faciendum denique nobis visum est, ut has vitæ degendæ necessarias opes, quas de propriis hactenus largitæ sumus, Testamenti etiam præsenti pagina confirmaremus. Legamus itaque & donamus

huic quod diximus Monasterio villam nostram quæ dicitur Palatiolum, in quo Cœnobium esse constructum videtur; idque cum omni integritate tam domibus, ædificiis, additamentis, vasis, curtibus, mansis, mancipiis, quàm vineis, campis, pratis, silvis adjacentibus, farinariis, aquis, aquarúmque decursibus, & omnibus quæ ad ipsam pertinere villam constat. Addi volumus his prædium Scripuasium in pago Mosao situm ad ipsius Mosæ fluminis ripam, omnésque possessiones ejusdem villæ, uno dumtaxat quadraginta jugerum agro excepto, quem Insulæ nomine appellatum jam antè dulcissimo filio ALBERICO donavimus. Similiter à Deiparæ Matris hoc Monasterio possideri prædia ea omnia mea volo, quæ in Bietbergis Beslanocóque sita: quæque à dulcissima germana mea Regentrude dato pretio comparavi, &c. Datum Kalendis Aprilis anno XII Theoderici Regis, *id est anno Christi* DCC XXXII. CIRCA AN. DCC XXXIV. DEC. XXIV.

6. *Quamdiu supervixerit Adela, incertum. Ejus nomen inscribitur in Martyrologio Gallicano* IX *Kalend. Ianuarii unà cum sorore sua S. Irmina Abbatissa Horreensi. Piam dicere malim quàm sanctum, deficientibus idoneis argumentis.*

7. *Admonet me nominis similitudo, ut referam id quod habet Brovverus in libro 8 Historiæ Trevirensis de* ADA *sorore Caroli Magni, quæ sepulta dicitur ad S. Maximinum cum hoc epitaphio, albo marmori inscripto:* Ada ancilla Christi, soror Caroli Magni. *Præferenda inscriptio egregii membranei codicis Evangeliorum ab ea concessi, qui hactenus adservatur in S. Maximini Monasterio cum his versibus:* Ada Caroli Magni soror.

Hic liber est vitæ, paradisi quatuor amnes,
Clara salutiferi pandens miracula Christi,
Quæ priùs ob nostram voluit fecisse salutem.
Quem devota Deo jussit perscribere Mater
Ada ancilla Dei, pulcrísque ornare metallis.
Pro qua quisque leges versus orare memento.

XIII Idus Maii obiit ancilla Christi piæ memoriæ filia Pippini Regis, soror magni Caroli Imperatoris, quæ multa bona circa & infra Moguntiam & Wormatiam & in pago Machowe S. Maximino contulit, & post finem vitæ hîc sepulta quievit.

Ex his intelligimus, Adam cujusdam Cœnobii Matrem, id est Abbatissam fuisse.

8. *Ad hæc Brovverus exhibet alia duo epitaphia duarum Palatioli Abbatissarum, unum* WARENTRUDIS *libro 8, aliud* HRUOTHILDIS *libro 11. quæ quia non cuivis obvia esse possunt, huc attexere juvat. En Vvarentrudis epitaphium.* Vvarentrudis Abbatissæ epitaphium.

Hîc Warentrudis nimiùm veneranda quiescit
Abbatissa, animam sed paradisus habet.
HETTI Pontificis fuerat soror, amita magni
THIETGAUDI domini magnificíque Patris.
Cujus germanus vir clarus in omnibus exstat
Nomine GRIMALDUS, ore & honore potens.
Quíque jubent titulum pro munere scribere amici,
Illius ut nomen tempora multa habeant.


Hetti Trevirorum Antistes mortuus est anno DCCC L, *cui Thetgaudus nepos succedit in annos viginti. Grimaldum passim laudat Vvalafridus Strabus in libro carminum.*

9. *HRuothildis epithaphium avorum nostrorum memoriâ, inquit Brovverus, erutum sic se habet.* Item Rothildis.

Circa An. DCC XXXIV. Dec. XXIV.

Sponsa Redemptoris jacet hîc tumulata HRUOTHILDIS,
Sursum glorificâ tripudians animâ.
Dum viguit mundo, nituit castissima virgo,
Abbatissa chori candida virginei.
Mansit sub sacro speciosa Canonica velo,
Sed tamen in vita vera fuit Monacha.
Ipsa Kalendis septenis defuncta Decembris
Ad Sponsum rediit, quem pia promeruit.

Hinc intelligitur, Monachas Palatiolenses priùs ad Canonicarum mores defecisse, quàm Canonici Palatiolo substituerentur. quod à Poppone Archiepiscopo diximus factum circiter annum M XXXVII, *ex Brovvero.*




Ann. Chr. DCC XXXV. Maii XXVI.

VITA BEDÆ VENERABILIS PRESBYTERI ET MONACHI GIRWENSIS,

Scripta partim à CUTHBERTO ipsius discipulo, partim ab alio qui sæculo XI vixit.

Ex libris editis & mſ. cod. Thuaneo.

Bedæ tres.



1. FUERE *Beda tres, haud longo tempore abinvicem summoti.* Major BEDA Presbyter *& Monachus Lindisfarnensis laudatur à Beda Venerabili in libro de Vita S. Cuthberti cap. 37. Alterum* BEDAM *Monachum sanctum, Caroli Magni æqualem, celebrant Genuenses, de quo agemus Sæculo insequenti. Medius inter utrumque, sed utroque illustrior fuit* BEDA VENERABILIS *Presbyter & Monachus Girvvensis,* Beda *seu* Bedan *antiquis absque vocabuli flexione dictus, cujus gesta hîc repræsentare curamus.*

Bedæ Venerabilis laudatores.

2. *Tametsi Beda Venerabilis plures habuit laudatores & præcones, tamen diligentem gestorum suorum Scriptorem habuit neminem inter antiquos. Nam ea quam exhibemus ipsius Vita, rectiùs Bedæ brevis commendatio dicenda est, quàm accurata & absoluta narratio. Certè in apographo Cheminionensi hanc præfert inscriptionem:* Brevis commemoratio de Venerabili BEDA Presbytero & Monacho, catholico Doctore sanctæ Ecclesiæ & Scripturarum expositore. *Et in fine:* Explicit brevis commemoratio de Beda Presbytero, quam edidit ANTONIUS ejus discipulus. *Forsan legendum* CUTHBERTUS *Bedæ revera discipulus, & post Huethbertum Abbas Girvvensis, cujus Cuthberti epistola de præceptoris sui obitu hîc refertur. Siquidem Auctor ille qui cetera superaddidit, longo post Bedam tempore vixit, ut qui mentionem facit Bedæ Translationis Dunelmum, quæ procedente sæculo* XI *facta est. Edvvardus* Maihew *in Martyrologio Benedictino-Anglicano citat Anonymum quemdam perantiquum, ex cujus lucubratione mſ. refert nonnulla fragmenta, quæ Bedæ res gestas parum illustrant. Potiora sunt quæ leguntur tum apud* SIMEONEM *Dunelmensem Præcentorem, seu potiùs* TURGOTUM *Priorem Dunelmensem in libro 2 de Ecclesia Dunelm. capp. 14 & 15. omnino sanè huic Vitæ à nobis relatæ consonantia; tum apud Vvillelmum Malmesburiensem lib. 1 de Regib. Angl. cap. 4, tum apud Matthæum Vvestmonasteriensem Monachos ad annum 734, ex quibus aliisque scriptoribus Britannicis & Bedæ ipsius scriptis conficiemus ejus Elogium, quod vice commentarii Vitæ sequenti subjiciemus. Legesis Edvvardum* Maihew *ad diem 27 Maii & Johannem Capgravium in Legenda Sanctorum Angliæ.*

1. VENERABILIS & Deo dilectus Presbyter Beda natus est in provincia Northanimbrorum, in territorio Monasterii Apostolorum Petri & Pauli quod est ad Wiramutha & in-Girvum, anno [a] dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo-septimo, qui est annus secundus solitariæ vitæ S. Cuthberti. In quod Monasterium curâ propinquorum, cùm esset septem annorum, datus est educandus reverendissimo Abbati BENEDICTO, ac deinde CEOLFRIDO, anno scilicet decimo postquam idem Monasterium S. Petri Apostoli fundatum est: ex quo autem S. Pauli Monasterium fuerat incœptum anno tertio. Quæ utraque Monasteria tanta pace & concordia & eadem familiaritate & fraterna societate fuerant conjuncta, ut sicut ipse Beda postea describit, pro uno in duobus locis posito haberentur Monasterio. Unde ipse in historia Anglorum unius mentionem faciens; Monasterium, inquit, Petri & Pauli, quod est ad ostium Wiri amnis & juxta amnem Tina, in loco qui vocatur in-Gyrvum. ANN. CHR. DCC XXXV. MAII XXVI. Beda septénis Monasterio traditus, [a] « Beda in fine Epit. Hist.

2. Hic itaque infantulus bonæ spei, & divina & sæculari litteratura diligenter imbuitur, quandoque sancti Spiritus organum futurus: quo ejus præcordia irradiante, in sanctæ universalis Ecclesiæ munimentum plurimos in novi & veteris Testamenti expositionem libros erat compositurus. Et cum in Latina erudiretur lingua, Græcæ quoque peritiam non mediocriter percepit. Quippe per id temporis in Monasterio præfato deditus erat studio, quando THEODORUS Archiepiscopus & HADRIANUS Abbas, qui litteris sacris simul & sæcularibus abundanter ambo eruditi erant, peragratâ totâ Britanniâ congregantes discipulorum catervam, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam metricæ Artis, Astronomiæ, & Arithmeticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. [[b] Sic enim de his ipse Beda loquitur, deinde & istud subjungit: Indicio est, inquit, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam Græcámque linguam æquè ut propriam in qua nati sunt norunt. Transeunte autem ad cælestia patre Cuthberto, ille vitæ ipsius egregius quandoque scriptor futurus Beda ætatis jam tunc undecim, studii verò in Monasterio quatuor habebat annos.] Litteris imbuitur. [b] « in Hist: lib. 4. cap. 2.

3. Hic igitur Beda in extremo quidem mundi angulo vivens latuit, sed post mortem per universas mundi partes omnibus in libris suis vivens innotuit. In quibus terrarum regionúmque diversarum situs, naturas, qualitates subtiliter, ac si cuncta ipse peragrasset, plerumque describit: cùm ab infantia in Monasterio nutritus totam ibidem usque evocationis suæ diem vitam transegerit, licèt quidam eum fuisse Romæ adserere velint. Ne verò quisquam aliud quàm est de illo nos dicere suspicetur, ipsius de semetipso dicta congruum subjungere videtur. Scriptis clarus.

4. Ego, inquit, Beda famulus Christi, & Presbyter Monasterii beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quod est ad Wiramutha & in-Gyrvum, natus in territorio ejusdem Monasterii, cùm essem annorum septem, curâ propinquorum datus sum educandus reverendissimo Abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido: cunctúmque ex eo tempus vitæ in ejusdem Monasterii habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter observantiam disciplinæ regularis & quotidianam cantandi in Ecclesia curam semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce « Bedæ testimoniũ de seipso. « Ibidem.

[a] Annus dominicæ Incarnationis hîc non exprimitur in codice Thuaneo: sed cum hac editorum lectione convenit num. 2, dum Bedæ ætatis annos undecim componit cum anno obitûs S. Cuthberti, qui accidit anno DCLXXXVII. at lege Elogium num. 2.

[b] Inclusa parenthesi desiderantur in editis libris.

ANNO CHRISTI DCCXXXV. MAII XXVI.

" habui. Nono-decimo autem vitæ meæ anno Diaconatum, tricesimo gra-
" dum Presbyteratûs, utrumque per ministerium reverendissimi Episcopi JO-
" HANNIS jubente Ceolfrido Abbate suscepi. Ex quo tempore accepti
" Presbyteratûs usque ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum hæc
" in scripturam sanctam meæ meorúmque necessitati ex opusculis venerabi-
" lium Patrum breviter adnotare, sive etiam ad formam sensus & interpre-
" tationis eorum superadjicere curavi.

Index ipsius operum.

" In principium Genesis usque ad nativitatem Isaac & ejectionem
" Ismaëlis libros tres.
" De tabernaculo & vasis ejus ac vestibus Sacerdotum libros tres.
" In primam partem Samuëlis, id est usque ad mortem Saülis libros
" quatuor.
" De ædificatione Templi allegoricæ expositionis, sicut & cetera, li-
" bros duos.
" Item in Regum, librum triginta quæstionum.
" In Proverbia Salomonis libros tres.
" In Esdram & Neemiam libros tres.
" In Cantica Canticorum libros sex.
" In Canticum Abacuc librum unum.
" In librum B. Patris Tobiæ explanationis allegoricæ de Christo &
" Ecclesia librum unum.
" Item Capitula lectionum in Pentatheucum Moysi, Josue, Judicum.
" In libros Regum & Verba dierum.
" In librum B. Patris Job.
" In Parabolas, Ecclesiasten, & Cantica Canticorum.
" In Esaïam Prophetam, Esdram quoque, & Neemiam.
" In Evangelium Marci libros quatuor.
" In Evangelium Lucæ sex.
" Homeliarum Evangelii libros duos.
" In Apostolum quæcumque in Opusculis S. Augustini exposita inve-
" ni, cuncta per ordinem transscribere curavi.
" In actus Apostolorum libros duos.
" In Epistolas septem Canonicas libros singulos.
" In Apocalypsim S. Johannis libros tres.
" Item Capitula lectionum in totum Novum Testamentum excepto
" Evangelio.
" Item librum Epistolarum ad diversos, quarum de sex ætatibus sæcu-
" li una est.
" De mansionibus filiorum Israël una.
" Una de eo quod ait Esaïas: *Et claudentur ibi in carcerem, & post dies*
" *multos visitabuntur.*
" De ratione bissexti una.
" De æquinoctio juxta Anatolium una.
" Item de Historiis Sanctorum. Librum vitæ & passionis S. Felicis
" Confessoris de metrico Paulini opere in prosam transtuli.
" Librum vitæ & passionis S. Anastasii malè de Græco translatum, &
" pejùs à quodam imperito emendatum, prout potui ad sensum correxi.
" Vitam S. Patris Monachi simul & Antistitis Cuthberti & priùs heroï-
" co metro, & postmodum plano sermone descripsi.
" Historiam Abbatum Monasterii hujus, in quo supernæ pietati deservi-
" re gaudeo, Benedicti, Ceolfridi & Huetberti in libellis duobus.
" Historiam ecclesiasticam nostræ insulæ ac gentis in libris quinque.

Marty-

Martyrologium de natalitiis sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes quos invenire potui non solùm qua die, verùm etiam quo genere certaminis, vel sub quo judice mundum vicerint, diligenter adnotare studui.

Anno Christi DCCXXXV. Maii XXVI

Librum hymnorum de diverso metro sive rhythmo.

Librum Epigrammatum heroïco metro sive elegiaco.

De natura rerum & de temporibus libros singulos.

Item de temporibus librum unum majorem.

Librum de orthographia alphabeti ordine distinctum.

Item librum de metrica arte, & huic additum alium de schematibus sive tropis libellum; hoc est de figuris modísque locutionum, quibus Scriptura sancta contexta est.

Obitus & translatio.

5. Cùm ergo libros hos pervigili studio edidisset, obiit septimo Kalendas Junii in Gyrwe, ibique sepultus est. Sed post multa annorum curricula ossa illius inde translata, & cum incorrupto sanctissimi Patris Cuthberti corpore sunt collocata. Transiit autem ipsa die sollemni Adscensionis dominicæ. Cujus nos transitum meliùs verbis ipsius scribendum putamus, cui ejus discipulus vocabulo Cuthbertus præsens adfuit, ad condiscipulum taliter scribens.

Epistola de ipsius morbo & obitu.

Dilectissimo in Christo Collectori CUTHWINO CUTHBERTUS *condiscipulus in Deo æternam salutem.* Munusculum quod misisti libenter accepi, multúmque gratanter litteras tuæ devotæ eruditionis legi, in quibus maximè quod desiderabam, Missas videlicet & orationes sacrosanctas pro Deo dilecto Patre ac Magistro nostro Beda à vobis diligenter celebrari reperi. Unde delectat magis pro ejus caritate, quantum fruor ingenio, paucis sermonibus dicere, quo ordine migrarit è sæculo, cùm etiam hoc te desiderasse & poscere intellexi. Gravatus quidem est infirmitate maxima creberrimi anhelitûs, sine dolore tamen, ante diem Resurrectionis dominicæ, id est fere duabus hebdomadibus: & sic postea lætus & gaudens, gratiasque agens omnipotenti Deo omni die & nocte, immo horis omnibus usque ad diem Adscensionis dominicæ, id est septimo Kalendas Junii vitam ducebat, & nobis suis discipulis quotidie lectiones dabat, & quidquid reliquum erat diei in Psalmorum decantatione occupabat: totam quoque noctem in lætitia & gratiarum actione pervigil ducebat, nisi quantum modicus somnus impediret. Evigilans autem statim consueta repetivit, & expansis manibus Deo gratias agere non desivit. O verè beatus vir! Canebat sententiam beati Pauli Apostoli: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, & multa alia de sancta Scriptura, quæ in nostra quoque lingua, hoc est Anglica, ut erat doctus in nostris carminibus nonnulla dixit [a]. Cantabat etiam Antiphonas secundùm nostram consuetudinem [b] & sui, quarum una est: *O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cælos adscendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis Alleluia.* Et cùm venisset ad illud verbum, *ne derelinquas nos orphanos*, prorupit in lacrymas, & multùm flevit. Et post horam cœpit repetere quæ inchoaverat. Et nos audientes luximus cum illo. Altera vice legimus; altera ploravimus, immo semper cum fletu legimus. In tali lætitia quinquagesima-

a Nonnullos versus Saxonicâ linguâ refert Simeon Dunelmensis seu Turgotus, quorum ita sententiam reddit: *Ante necessarium exitum prudentior quàm opus fuerit, nemo exsistit ad cogitandum, videlicet antequam hinc proficiscatur anima, quid boni vel mali egerit, qualiter post exitum judicanda fuerit. Cantabat etiam Antiphonas*, & cetera in Hist. Dunelmensis lib. 1 cap. 15, ubi hæc epistola, immo hæc Vita integrè fere legitur.

b Hinc manifestum est, sequentem Antiphonam à Beda non fuisse compositam, ut putavit conditor Vitæ Alcvvini & alii nonnulli post eum.

Anno Christi DCCXXXV. Maii XXVI.

„ les dies usque ad diem præfatum deduximus, & ille multùm gaudebat, „ Deóque gratias agebat, quia sic meruisset infirmari. Referebat, & sæpe „ dicebat: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit*, & multa alia de sancta „ Scriptura. Sententiam quoque S. Ambrosii: *Non sic vixi, ut me pudeat* „ *inter vos vivere; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* In istis „ autem diebus duo opuscula multùm memoriâ digna, exceptis lectionibus „ quas accepimus ab eo, & cantu Psalmorum, facere studebat. Evangelium „ scilicet sancti Johannis in nostram linguam ad utilitatem Ecclesiæ conver- „ tit, & de libris Notarum Isidori Episcopi Exceptiones quasdam, dicens: „ Nolo ut discipuli mei mendacium legant, & in hoc post obitum meum sine „ fructu laborent. Cùm venisset autem tertia feria ante Adscensionem Domini, „ cœpit vehementiùs ægrotare in anhelitu, & modicus tumor in pedibus ap- „ paruit. Totum autem illum diem ducebat & hilariter dictabat, & non- „ numquam inter alia dixit: Discite cum festinatione; nescio quamdiu sub- „ sistam, & si post modicum tollat me Factor meus. Nobis autem videbatur „ quòd suum exitum bene sciret. Et sic noctem in gratiarum actione pervigil „ duxit. Et mane inlucescente, id est quartâ feriâ, præcepit diligenter scribi „ quæ cœperamus. Et hoc facto, usque ad tertiam horam ambulavimus „ deinde cum Reliquiis Sanctorum, ut consuetudo diei illius poscebat. Unus „ verò erat ex nobis cum illo, qui dixit illi: Adhuc, Magister dilectissime, ca- „ pitulum unum deest. videtúrne tibi difficile plus te interrogari? At ille: Fa- „ cile est, inquit, accipe tuum calamum & tempera, & festinanter scribe. „ Quod ille fecit. Nonâ autem horâ dixit mihi: [a] Curre velociter, & Pres- „ byteros nostri Monasterii adduc ad me, ut & ego munuscula, qualia Deus „ donavit, illis distribuam. Divites autem in hoc sæculo aurum & argentum „ & alia quæque pretiosa student dare: ego autem cum multa caritate & „ gaudio Fratribus meis dabo quod Deus dederat. Et allocutus est unum- „ quemque, monens & obsecrans pro eo Missas celebrare, & orationes dili- „ genter facere: quod illi libenter spoponderunt. Lugebant autem & flebant „ omnes, maximè quòd dixerat, quia ampliùs faciem ejus in sæculo hoc „ non essent visuri. Gaudebant autem quia dixit: Tempus est ut revertar „ ad eum qui me fecit, qui me creavit, qui me ex nihilo formavit. Mul- „ tum tempus vixi, bene, mihi pius Judex vitam meam prævidit. tempus „ resolutionis meæ instat, quia cupio dissolvi & esse cum Christo. Sic & alia „ multa locutus est in lætitia. Diem usque ad vesperam duxit, & præfatus „ puer dixit: Adhuc una sententia, Magister dilecte, non est descripta. At „ ille: Scribe, inquit, citò. Post modicum dixit puer: Modò sententia de- „ scripta est. At ille: Bene, inquit, veritatem dixisti: consummatum est. „ accipe caput meum in manus tuas, quia multùm me delectat sedere ex ad- „ verso loco sancto meo, in quo orare solebam, ut & ego sedens Patrem „ meum invocare possim. Et sic in pavimento suæ casulæ [b] decantans *Gloria* „ *Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, cùm Spiritum-sanctum nominâsset, spi- „ ritum è corpore exhalavit ultimum, ac sic regna migravit ad cælestia. „ Omnes autem qui vidêre beati Patris obitum, numquam se vidisse unum „ alium in tam magna devotione atque tranquillitate vitam finisse dicebant: „ quia sicut audisti, quousque anima in corpore fuit, *Gloria Patri*, & alia „ quædam spiritualia expansis manibus Deo vivo & vero gratias agere non

Paulin. in Vita S. Ambrosii.

[a] Hoc loco inserit editio Simeonis Dunelmensis: *Quædam pretiosa in mea capsella habeo, id est piperem, oraria, & incensa. Sed vade, curre velociter, &c.*

[b] Id est cellulæ, in qua *cilicio subjecto decumbens*, inquit Vuillelmus Malmesburiensis Monachus, extremum spiritum egit VII Kalend. Junii, anno DCCXXXV, infrà. Certè viri pii in cilicio orare solebant.

cessabat. Scito autem, Frater carissime, quòd multa possem narrare de eo: sed brevitatem sermonis ineruditio linguæ facit. « ANNO CHRISTI « DCCXXXV. MAII XXVI.

Crystallus patriæ, gregis astrum, lumen avorum,
Laus juris, bajulus legis, honórque jacet.
BEDA datus sacris, gravitate senex, puer annis,
Devotæ mentis æthera thure replet.
Discit, scrutatur divina, docet, meditatur:
Hujus cura Deo reddere vota fuit.
Justitiæ sedes, virtutum regia, casus
Illecebræ, gladius lubrica carnis arans.
Ense pio verbi confratrum castra tuetur,
Ne Christi miles hoste ruente ruat.
Non invasit eo præsente penuria mentes:
Esurie læsis pascua læta fuit.
Hujus in Ecclesia nardus respirat odorem,
Et circumfusos mulcet odore bono.
Hic dum subtrahitur cæco carbunculus orbi,
Orbis damna ferens munere lucis eget.
Vellere deposito superum comitatur ovile,
Cui merces operis vita beata Deus.

ELOGIUM HISTORICUM.

I. *Bedæ ortus, tempus discussum, monastica professio.*

1. VENERABILIS BEDA, *Ecclesiæ Anglicanæ lumen*, in extremo natus orbis angulo, *inquit Vuillelmus Malmesburiæ Monachus lib. 1 de Regib. Angl. cap. 3*, doctrinæ corusco terras omnes perstrinxit. Nam Britannia, quæ à quibusdam alter Orbis appellatur, quòd Oceano interfusa non multis Cosmographis comperta est, habet in remotissima sui plaga locum nativitatis & educationis ejus, Scotiæ propinquum. *Is locus pertinebat ad Northanimbrorum Regnum, quod ambitu suo Deiros seu Eboracenses, & Bernicios id est Scottos hodiernos, Tinâ fluvio abinvicem discretos complectebatur. Fere ad ipsum Tinæ ostium vicus* Girvum *dictus, vernaculè* Jarow *cernitur, venerabilis Bedæ natale solum. Istic lucis usuram accepit parentibus ignotis, eo tempore quo Egfridus Northumbris imperabat. De anno inquirendum.*

2. *In Vita præmissa Beda* natus *dicitur* anno Inc. dominicæ sexcentesimo septuagesimo septimo. *At hic calculus stare non potest. Quippe Beda Historiam gentis suæ libris quinque compositam absolvit* anno dominicæ Inc. DCC XXXI, *signato in fine libri 5. Ipsomet anno Epitomen suam absolvit, uti advertimus in nostro exemplari ms. in quo desinit Epitome in annum* DCC XXXI *his verbis:* Anno DCC XXXI Berctvald Archiepiscopus obiit. Eodem anno Tatvini consecratus Archiepiscopus nonus Dorvernensis Ecclesiæ, Edilbaldo Rege Merciorum quintum-decimum agente annum imperii. Hæc de historia ecclesiastica, *&c. ita ut ea quæ in libris editis leguntur de rebus per annos posteriores gestis, subditicia censenda sint. Eodem proinde anno* DCC XXXI *Historiam suam & Epitomen absolvit Beda. Porro Epitomen absolvit* anno ætatis suæ quinquagesimo-nono. *Sic enim paullo post prædicta scribit:* Ex tempore accepti Presbyteratûs usque ad annum ætatis meæ LVIIII, hæc in Scripturam sanctam meæ meorúmque necessitati ex opusculis venerabilium Patrum breviter adnotare ∴ curavi. *Quòd si ab anno* DCC XXXI *retrogra-*

Ann. Chr. DCCXXXV. Maii XXVI. *do calculo numeres novem & quinquaginta annos ætatis, Bedæ ortum anno* DC LXXIII *statuendum esse intelliges.*

3. Natus, *inquit Beda*, in territorio Monasterii beatorum Apostolorum Petri & Pauli quod est ad Wirimuda & in-Girvum, cùm essem annorum septem, curâ propinquorum datus sum educandus reverendissimo Abbati Benedicto ac deinde Ceolfrido: cunctúmque ex eo tempus vitæ in ejusdem Monasterii habitatione peragens, *&c. Utrumque Monasterium ædificavit Benedictus seu Biscopus*, Wiremuthense *quidem* anno DCC LXXIV, Indictione II, anno IV imperii Egfridi Regis ad ostium fluminis Wiri, *teste Beda in libro I de Vita S. Biscopi Sæculo 2 ad annum 690. unde Vviremuthense dictum, (nam* mouth *Anglis ostium significat;)* Girwense *autem anno circà* DC LXXX. *siquidem* Ecclesia S. Pauli Girwensis anno XV Egfridi Regis, Ceolfridi Abbatis ejusdem Ecclesiæ conditoris anno IV dedicata est, *prout eodem loci adnotavimus. Ex his conjicimus, Bedam non in Girvvensi, sed in Vviremuthensi Monasterio traditum fuisse Biscopo: tametsi postea apud Girvvm cum Ceolfrido mansit, ibidémque diem supremum explevit. Et certè* una erat utriusque loci pax & concordia, eadem perpetua familiaritas & gratia, *inquit Beda in eodem libro: adeo ut unum Monasterium tum propter locorum viciniam, tum maximè ob unum idémque regimen, mutuúmque Monachorum consensum & commercium passim ab ipso dicatur. Regulam S.* BENEDICTI *in utroque illo Cœnobio à primordiis viguisse, manifestè demonstratum est in observationibus ad Biscopi Vitam ex ipsius Bedæ verbis, quo auctore discimus Biscopum morti proximum discipulis suis præcepisse, ut* juxta Regulam magni quondam Abbatis BENEDICTI *&* juxta privilegii sui decreta *dignum successorem eligerent: quod etiam Ceolfridus Abbas regimen abdicaturus monuerit. Et Alcvvinus in Epistola 49 Vvirenses & Girvvenses Monachos exhortans*, ut regularis vitæ observationem à Benedicto & Ceolfrido statutam diligentissimè custodirent, *addit:* Regula S. BENEDICTI in conventu Fratrum propriâ exponatur linguâ, ut intelligi possit ab omnibus. *Cùm ergo Beda* cunctum, *ut ipse ait*, vitæ suæ tempus in *alterutro Monasterio* peregerit, *eum Benedictinis paruisse institutis infitiari nemo potest. Quamobrem verò passim* Presbyter, *non* Monachus *appelletur, dicemus inferiùs. quamquam S. Bonifacius Martyr in epist. 9 ad Huetbertum Abbatem Vviremuthensem*, aliqua de opusculis sagacissimi investigatoris Scripturarum BEDA MONACHI *postulat.*

II. *Exercitia, studia maximè Scripturarum, præceptores.*

4. QUID *rei egerit Beda in Monasterio suo, nobis aperit in Epitome sua his verbis:* Cunctum ex eo tempus vitæ in ejusdem Monasterii habitatione peragens, omnem meditandis Scripturis operam dedi: atque inter observantias disciplinæ regularis & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. *Summa ergo hæc vita ipsius fuit, meditatio & studium Scripturarum, cui tantum impendebat temporis discendo, docendo & scribendo, quantum sibi post disciplinæ regularis & officiorum divinorum pensum supererat. Quo magis mirandum est, hominem tantum tot rebus impeditum, nec posthabuisse status sui officia, à quibus facilè eximi potuisset; nec tamen minùs à summis viris aut didicisse, aut scripsisse.* Beda Monachus erat, *inquit Gaufridus Boussardus*, per dies & noctes cum Fratribus suis jugi psallentio invigilans; ac veluti nihil oraret, studiis litterarum semper incumbens. Ejus vitam si consideres, nihil ipsum litteris indulsisse; si studia, nihil orationi impendisse judicabis. *Ita ille in*

epistola ad Petrum Securibilem de editione Commentarii in Apostolum à Beda ex Augustini operibus deflorati. Utinam etiam pia hæc mentis agitatio ad multos derivetur Bedæ exemplo! cui post monastica exercitia id solum cordi fuit, meditari Scripturas, discere, docere & scribere. Quamquam utriusque istius Cœnobii Monachi non solis animi actionibus exercebantur. siquidem Biscopus Abbas, teste Beda in ipsius Vita, Fratrum similimus aliorum, ventilare cum eis & triturare, oves vituläsque mulgere, in pistrino, in horto, in coquina, in cunctis Monasterii operibus jocundus & obediens gaudebat exerceri. *Et Beda ipse tametsi fortasse exterioribus officiis minus occupatus, tamen amanuensis & exscriptoris laborem non defugiebat, ut inferiùs videbimus num. 8.* ANN. CHR. DCC XXXV. MAIIXXVI.

5. *Nullum fuit artis aut disciplinæ genus, in quo vir discendi avidus non fuerit diligentissimè versatus: in cujus rei subsidium præter Latinam, etiam Græcam linguam comparaverat. Quod quidem mirum est in homine privato, & in extremis fere Britanniæ recessibus intra Monasterii parietes consistente. Omnem verò studiorum suorum rationem in Scripturæ sacræ interpretationem conferebat. Huc vigilias suas, huc lucubrationes dirigebat, quò posset vel in suo, vel in discipulorum animis tam sanctum & laudabile studium promovere. In libro de arte metrica sic Cuthbertum discipulum suum affatur in fine.* Hæc tibi, dulcissime fili & Conlevita Gutberte, diligenter ex antiquorum opusculis scriptorum excerpere curavi; & quæ sparsim reperta diutino labore collegeram, tibi collecta obtuli: ut quemadmodum in divinis litteris statutisque ecclesiasticis imbuere studui; ita etiam metrica arte, quæ divinis non est incognita libris, te sollerter instruerem. Cui etiam de figuris vel modis locutionum quæ à Græcis schemata vel tropi dicuntur, parvum subjicere libellum non incongruum duxi: tuámque dilectionem sedulus exoro, ut lectioni operam impendas illarum maximè litterarum, in quibus nos vitam habere credimus sempiternam. *Et in libro de schematis Scripturæ.* Sed ut cognoscas, dilectissime fili, cognoscant item omnes qui hæc legere voluerint, quòd sancta Scriptura ceteris omnibus scripturis, non solùm auctoritate, quia divina; vel utilitate, quia ad vitam ducit æternam; sed & antiquitate & ipsa præeminet positione dicendi: ideo placuit mihi collectis de ipsa exemplis ostendere, quia nihil hujusmodi schematum sive troporum valeant prætendere ullis sæculis eloquentiæ magistri, quod non in illa præcesserit. *Neque res quantumlibet minutissimas, si modò ad sacræ Scripturæ intelligentiam conducere poterant, insuper habebat. Hinc est quòd libellum de* indigitatione, *seu de ratione numerandi per digitos composuit.* Neque enim, *inquit*, contemnenda parvíque pendenda est regula, cujus omnes pæne sacræ expositores Scripturæ non minùs quàm litterarum figuras monstrantur amplexi.

6. *Plures habuit præceptores Beda, in his* TRUMBERHTUM *Monachum, Ceaddæ Liccidfeldensis Episcopi discipulum, quem unum fuisse* de iis qui se in Scripturis erudiebant, *fatetur Beda in Historiæ lib. 4 cap. 3. Sunt qui eum* JOHANNIS de Beverlaco *Episcopi Hagustaldensis discipulum aiunt, rectiùs* JOHANNIS Archicantoris *Romani fuisse dixeris. Nam Biscopus, testante Beda tum in Hist. lib. 4 cap. 18, tum in ipsius Biscopi Vita,* ordinem cantandi, psallendi, atque in Ecclesia ministrandi juxta morem Romanæ institutionis suo Monasterio contradidit, postulato videlicet atque accepto ab Agathone Papa, Archicantore Ecclesiæ B. Apostoli Petri & Abbate Monasterii B. Martini JOHANNE, quem sui futurum Magistrum Monasterii Britannias, Romanum Anglis adduceret. Qui illò perveniens, non solùm viva voce quæ Romæ didicit ecclesiastica discentibus tradidit, sed & non pauca etiam litteris mandata reliquit, quæ hactenus in ejusdem Monaste-

ANN. CHR. DCC XXXV. MAII XXVI.

rii Bibliotheca memoriæ gratiâ servantur. *Nec dubium quin aliquos audierit præceptores ex discipulis* THEODORI *& Cantuariensis Episcopi &* HADRIANI *Abbatis, qui* litteris sacris simul & sæcularibus abundanter ambo instructi, congregatâ discipulorum catervâ scientiæ salutaris quotidie flumina inrigandis eorum cordibus emanabant: ita ut etiam metricæ artis, astronomicæ & arithmeticæ ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent, *inquit Beda in Hist. lib. 4 cap. 2.*

III. *Ordinatio, doctrina, reverentia erga Patres.*

7. DECIMO-NONO vitæ meæ anno, *inquit Beda in Epitome*, Diaconatum; tricesimo gradum Presbyteratûs, utrumque per ministerium reverendissimi Episcopi Johannis, jubente Ceolfrido Abbate suscepi. *Is est Iohannes Hagustaldensis primùm Episcopus factus circiter annum* DC XXCVII, principio regni Aldfridi *Northanimbrorum Regis, teste Beda lib. 5 cap. 2. deinde verò Archiepiscopus Eboracensis post Bosam anno circà* DCC IV *mortuum. Porro* mansit in Episcopatu, *ait Beda lib. 5 cap. 6*, annis triginta tribus; *postea* ordinato in Episcopatum *Eboracensis Ecclesiæ Vvilfrido Presbytero suo secessit ad* Monasterium *à se conditum* in Silva Deirorum; *mortuus demum* anno Inc. dominicæ DCC XXI, *quo anno de ipso egimus. Annum quo Beda Diaconus initiatus est, illigamus æræ Christianæ anno* DC XCI. *Presbyteratûs gradum adeptus est anno* DCC II, *quo Iohannes adhuc præerat sedi Hagustaldensi, ad quam Monasteria Vviremuthense & Girvvense tum pertinuisse videntur, antequam Episcopatus Dunelmensis erectus esset. Nam præter Bedæ ordinationem à Iohanne Hagustaldensi Episcopo factam, id suadet auctoritas* ACCÆ *Episcopi in ipsum Bedam, qui hortante & compellente Acca complures lucubrationes suas aggressus est. Acca verò cathedræ Hagustaldensi præfuit post Vvilfridum anno* DCC IX *defunctum, ut superiùs ad eumdem annum vidimus. Mirum forsan aliquibus videatur, quòd Beda anno ætatis suæ* XIX *ordinatus sit Diaconus, cùm Canones annum vicesimum-quintum præscribant. Verùm nonnumquam ob sanctimoniam ordinandorum dispensabant Episcopi, uti in SS. Germano Parisiacæ urbis Episcopo, Sequano, aliisque advertere licet.*

8. Ex tempore accepti Presbyteratus, *pergit Beda in Epitome*, usque ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum hæc in Scripturam sacram meæ meorúmque necessitati ex opusculis breviter adnotare, sive etiam ad formam sensus & interpretationis eorum superadjicere curavi. *Hinc intelligimus, Bedam non ante annum ætatis tricesimum libris scribendis dedisse operam. Qua in re Accam Hagustaldensem Episcopum præcipuè hortatorem & incitatorem habuit, cujus exstat epistola Bedæ inscripta ante ipsius Bedæ commentaria in Evangelium Lucæ hoc exordio.* Reverendissimo in Christo Fratri & Consacerdoti BEDÆ Presbytero ACCA perpetuam in Domino salutem. Sæpe quidem tuæ sanctæ fraternitati & absens scribendo, & colloquendo præsens suggessi, ut post expositionem Actuum Apostolorum, in Evangelium quoque Lucæ scribere digneris. Quod ipse hactenus verecunda excusatione differre quàm facere maluisti, attestando te duas maximè ob causas à tentando hoc opere deterritum: quia videlicet & ipsum opus arduum, & à sanctissimo ac doctissimo Antistite Ambrosio sit præoccupatum. *Et quia Beda reponebat timere se* ne in reprehensionem studii veterum nova condere putaretur; *objectioni Acca facit satis, subdítque:* Volo enim completo à te per Dei auxilium opere quod postulo, hanc simul epistolam in capite præponi, te non ob aliam quàm condescensionis fraternæ gratiam in Lucam scribere rogatum: ut qui ob

teneritudinem ingenii sublimia vel difficilia capere nequeunt, hæc simpliciori stilo exposita faciliùs apprehendant. *Et post pauca:* Credo etiam tuo vigilantissimo studio, qui in lege Dei meditanda dies noctésque ducis pervigiles, nonnullis in locis quæ ab eis (Patribus) intermissa sunt, quid sentiri debeat, Auctor lucis aperiet. Justum namque satis est, & supernæ pietatis atque æquitatis moderamini conveniens, ut qui neglectis ad integrum mundi negotiis æternum verúmque sapientiæ lumen indefessa mente persequeris; & hîc fructum intelligentiæ purioris adsequaris, & in futuro ipsum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, Regem in decore suo mundo corde contempleris. *At quia hæc in Bedæ honorem magnificentiùs (uti ipse sentiebat) dicta esse videbantur; humili epistola respondet in hunc modum:* Domino beatissimo & nimiùm desiderantissimo Accæ Episcopo Beda humilis Presbyter in Domino æterno salutem. Mira verè est & vera mirè Doctoris egregii sententia, quia caritas omnia credit, omnia sperat. Datis namque ad me epistolis, ut aliqua tibi scribam rogare te dicis: & inter rogandum, necdúmque meæ consensionis accepto responso, quæsitis adhuc opusculis quasi jam adquisitis ac perfectè consummatis, Præfationis signaculum condis. Nondum fundamine jacto, non adlatâ saltem materiâ, ipse quasi completo jam tanti laboris ædificio, claves quibus introitus muniatur dirigis, ut pudeat non citò subire opus, quod citò subeundum, citiùs explendum fides amica præsumat. *Et post versum:* Unde & ego mox lectis tuæ dulcissimæ Sanctitatis paginulis, injuncti me operis labori supposui: in quo (ut innumera monasticæ servitutis retinacula prætercam) ipse mihi dictator, simul notarius & librarius exsisterem. *Qua in re miranda sanè tanti viri modestia, qui tantis rebus dignus & tam arduis occupatus studiis*, scriptoris amanuensis *operam non subterfugit, nec* innumera monasticæ servitutis retinacula. *Pergit ipse in eadem epistola:* Nonnulla etiam quæ (ut verbis tuæ Sanctitatis loquar) mihi Auctor lucis aperuit, proprii sudoris indicia, ubi opportunum videbatur, adnexui. qui in legis divinæ meditatione, etsi non (ut ipse scripsisti) dies noctésque pervigiles ducere sufficio; non parum tamen studii me in Scripturis impendisse non dubito. *Eodem Acca auctore scripsit Beda duos commentariorum libros in Hexaëmeron, tum etiam libros sex in Samuëlem, tum expositionem in Esram. ex quibus Præfatio in Hexaëmeron, non* Abbati Accæ, *ut in editis libris, sed* Antistiti Acca *inscribi debent, ut præferunt mss. codices, in quibus Acca seu Accan sine flexione quocumque casu exprimitur.*

9. *In omnibus verò lucubrationibus suis Beda doctrinæ SS. Patrum addictissimus fuit, ita ut non tam nova opera cudisse, quàm ex ipsorum monumentis collectanea excerpsisse videatur. Sic commentaria in Hexaëmeron* ex Patrum Basilii, Eustathii, Ambrosii, & Augustini *operibus defloravit. Sic librum prolixiorem de temporum ratione* perspectis Patrum venerabilium scriptis *edidit. quod etiam præstitit tum in libro Quæstionum* XXX, quibus vestigia Patrum sequens satisfacere studuit; *tum in expositione in Canticum canticorum, ut ipse in Proœmio adfirmat. Certè in expositione in Lucæ Evangelium*, aggregatis hinc inde quasi insignissimis ac dignissimis tanti muneris artificibus opusculis Patrum, quid B. Ambrosius, quid Augustinus, quid denique Gregorius suæ gentis Apostolus, quid Hieronymus sacræ interpres historiæ, quid ceteri Patres in Lucæ verbis senserint, quid dixerint, diligentiùs inspicere sategit. *Et in expositione in Marci Evangelium, maximè* quæ in Patrum venerabilium exemplis invenit, hinc inde collecta ponere curavit, *lectorem obsecrans*, ut si hæc opuscula transscriptione digna duxerit, adnotationem nominum eorum quæ in margine apposita sunt, diligens scriptura conservet.

ANN. CHR. DCCXXXV. MAII XXVI.

ANN. CHR. DCCXXXV. MAII XXVI. *Quo iniquior in virum modestissimum Desiderius Erasmus, qui in adnotationibus ad Marci cap. 14 suggillat Bedam ob dissimulatum (ut putat) Hieronymi nomen, dum locum ex Hieronymi commentariis in Matthæum Beda transscribit in Marcum, quasi novi commenti gloriolam ex veterum scriptis suffurari voluerit. At longè alia mens homini, ut vidimus. E Patribus Augustinus potissimùm Bedæ in deliciis fuit: adeo ut continuam in Pauli epistolas expositionem ex solis tanti Doctoris verbis composuerit. Hoc se auctore tuetur adversus nonnullos conquerentes*, quare in expositione Apocalypsis, ubi ad quatuor animalia ventum est, nova interpretatione Matthæum in leone, Marcum in homine designatum dixisset: cùm nonnulli contrà Matthæum homini quasi de Domino scribere incipiat; Marcum leoni, in quo vox in deserto rugientis audiatur, adsignent. *Sic enim ipse reponit in epistola ad Accam Episcopum commentario in Lucam præfixa.* Quòd verò ais movere quosdam, quare in Apolypsi non interpretatione Matthæum leoni, Marcum homini adsignaverim; intueri debuerant quicumque illi sunt quos hoc movet, quòd non in hoc meâ novâ, sed antiquâ Patrum explanatione traditum dixi. Neque enim mihi à meipso ita visum, sed ita à B. Augustino expositum fuisse memoravi, *nimirum in libro 1 de consensu Evangelistarum, cap. 6, ut postea probat.*

IV. *An Beda Romam à Sergio vocatus, an Eboraci præceptor, & quos discipulos habuerit.*

10\. TANTAM *existimationem ingenii sui monumentis Beda obtinuit etiam apud exteros, ut ipsum Sergius Pontifex Romanus Romam arcessivisse dicatur: cujus rei epistolam à Sergio scriptam profert Vuillelmus Malmesburiensis Monachus in libro 1 de Regib. Angl. cap. 3 sub hac forma.*

SERGIUS Episcopus, servus servorum Dei, CELFRIDO religioso Abbati salutem. Quibus verbis ac modis clementiam Dei nostri atque inenarrabilem providentiam possumus effari, & dignas gratiarum actiones pro immensis circa nos ejus beneficiis persolvere, qui in tenebris & umbra mortis positos ad lumen scientiæ producit. *Et infrà:* Benedictionis interea gratiam quam nobis per præsentem portitorem tua misit devota religio, libenter & hilari animo, sicuti ab ea directa est, nos suscepisse cognosce. Opportunis ergo ac dignis amplectendæ tuæ sollicitudinis petitionibus arctissima devotione faventes, hortamur Deo dilectam tuæ religiositatis bonitatem, ut quia exortis quibusdam ecclesiasticarum causarum capitulis non sine examinatione longiùs innotescendis opus nobis sunt ad conferendum arte litteraturæ imbuti; sicut decet Deo devotum auxiliatorem sanctæ matris universalis Ecclesiæ, obedientem devotionem huic nostræ hortationi non desistas accommodare: sed absque aliqua remoratione religiosum Dei famulum BEDAM venerabilis Monasterii tui Presbyterum, ad limina Apostolorum Principum Petri & Pauli amatorum tuorum ac protectorum, ad nostræ mediocritatis conspectum non moreris dirigere: quem favente Deo tuis precibus non diffidas prosperè ad te redire peracta præmissorum capitulorum cum auxilio Dei desiderata sollemnitate. Erit enim, ut confidimus, etiam cunctis tibi creditis profuturum, quidquid Ecclesiæ generali claruerit per ejus præstantiam impertitum.

Exclamat hoc loco Vuillelmus: Ita jam celebris erat Bedæ fama, ut in quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. *Bedam tamen non vertisse patrium solum, satis intelligitur ex ipsius Epitome, ubi* cunctum ab infantia tempus vitæ suæ in sui Monasterii habitatione peractum *à se adfirmat.*

Est

Est etiam nonnihil suspicionis in prædicta epistola: tum quia vix Beda Presbyter ordinatus est ante mortem Sergii Papæ anno DCCI *demortui; tum quia libris scribendis vacare cœpit à tempore suscepti Presbyteratûs, quibus factum est ut fama ipsius ad exteros spargeretur. Dignus quidem fuit Beda quem consulerent Romani Pontifices: sed interest certa secernere ab incertis. Sanè Bedam numquam adiisse Romanam urbem vel inde rectè colligit Baronius, quòd ea quæ ad texendam suæ gentis historiam Româ expetere opus erat, non à se ablata, sed operâ Nothelmi qui Gregorio Papa II Romam petierat, se accepisse testatur in epistola ad Ceolvvulfum Regem Historiæ suæ præfixa. Quamquam reponi potest, Bedam eo temporis quo Sergii jussu Romam adierit, nondum de scribenda historia cogitantem, de monumentis huic consilio necessariis non fuisse sollicitum: nec brevissimum tempus quod insumserit in Romanam profectionem, obstare quominus verè dici possit*, cunctum tempus vitæ suæ in sui Monasterii habitatione peregisse. *Certè Beda testatur in lib. 2 Hist. Monasterii sui* Monachos *exinde* Romam missos tempore Papæ Sergii, *à quo Privilegium obtinuerint. Utut res se habeat, fabulosum est id quod legisse me memini tum in quodam Monasterii Ursicampi apographo, tum etiam in glossario Spelmanni voce* Venerabilis. *Bedam scilicet Romam profectum enodasse inscriptionem quamdam à nullo intellectam, quæ* Portæ ferreæ *insculpta erat in hunc modum:* P. P. P. S. S. S. R. R. R. F. F. F. *eámque sic reddidisse:* Pater Patriæ Perditus est. Salus Secum Sublata est. Ruet Regnum Romæ, Ferro, Flamma, Fame. *Qua ex interpretatione* Venerabilis *nomen Senatûs populíque Romani decreto meruerit. Nugæ.* ANN. CHR. DCC XXXV. MAII XXVI.

II. *Venerabilis Beda plurimam ætatis suæ partem transegit in Monasterio suo, ubi tot fere discipulos habuit quot Monachos; id est sexcentos, tot enim in Vviremuthensi & Girvvensi congregatione Cœnobitæ degebant. immo etiam alios ex diversis Monasteriis confluentes, ut ipsius eruditione proficerent. Istic auditores habuit* EUSEBIUM *seu* HUETHBERTUM, (*nam binominis erat, ut patet ex Præfatione ad lib. 4 in Samuëlem*) *postea Abbatem Vviremuthensem, cui* librum de ratione temporum *&* Explanationem in Apocalypsin; CUTHBERTUM *Huethberti successorem, cui* librum de arte metrica *nuncupavit;* CONSTANTINUM, *ad quem exstat libellus de numerorum divisione;* NOTHELMUM *primò Presbyterum Londinensem, dein Episcopum Cantuariensem, quo petente edidit* librum Quæstionum XXX *in libros Regum; & alios, quorum nomina nobis ignota. Nec tamen intra Monasterii sui cancellos ita sese continuit, ut foras prodierit numquam. Nuper è tenebris eruta est ipsius epistola ad Egbertum Eboracensem Archiepiscopum adversus corruptos sui sæculi mores, in qua hæc præfatur:* Memini te hesterno dixisse anno, cùm tecum aliquot diebus legendi gratiâ in Monasterio tuo demorarer, quòd hoc etiam anno velles, cùm in eumdem devenires locum, me quoque ob commune legendi studium ad tuum accipere colloquium. *Id intelligendum videtur de Monasterio Eboracensis Ecclesiæ, in quo* EGBERTUS *adhuc Monachus, Ceolvvulfi Northanimbrorum Regis consanguineus, Bedam præceptorem habuisse fertur in Vita Alcvvini Abbatis. Hinc* ALCWINUS *à nonnullis inter Bedæ numeratur discipulos, eoquòd sub Egberti jam Episcopi disciplina fuerit institutus. id quod in epistola quadam ad Carolum Magnum testatur, cujus fragmentum refert Vvillelmus Malmesburiensis Monachus in lib. 1 de Regib. Angl. cap. 3. aut fortè* Albinum Flaccum *seu Alcvvinum Caroli Magni præceptorem confundunt cum* Albino Abbate, *cujus Beda in Historiæ ecclesi. Prologo meminit.*

ANN. CHR. DCCXXXV. MAII XXVI.

V. *Bedæ sanctimonia, modestia.*

12. PORRO de vitæ illius sanctitate, *inquit Vuillelmus Malmesburiensis lib. 1 de Regib. Angl. cap. 3*, dubitare quemquam arcet illius dicti irrefragabilis veritas, quod protulit mundo divinæ sophiæ majestas. „In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. (Sap. 1. 4.) Quod de mundana sapientia profectò non dicit, quæ indifferenter hominum cordibus illabitur, & qua creberrimè pessimi nullásque ad extremum diem ponentes metas, sceleribus pollere conspiciuntur: sed illam sapientiam nominat quæ disciplinæ effugiet fictum, & quæ separat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu; intellectum dico bene vivendi & bene dicendi. Emundabat ergo ecclesiasticus Orator priùs conscientiam suam, ut sic accederet ad recludendam mysticorum scriptorum intelligentiam. Quomodo enim fieri potest ut serviret vitiis, qui medullas intimas hauriret, qui totas cogitationes consumeret in Scripturarum expositionibus? Nam ut ipse fatetur in lib. 3 super Samuëlem: expositiones suæ si non aliud adferrent lectoribus emolumentum, hoc sibi non mediocriter valerent, quòd dum hoc omni studio agebat, lubricum sæculi & inanes cogitationes post tergum ponebat. Defæcatus ergo vitiis subibat in interiora velaminis, quæ intus acceperat animo, foras efferens sermone castigato. *De ejus sanctitate plura inferiùs.*

13. *Modestiam viri satis indicat liber Retractationum ab ipso editus in Acta Apostolorum, exemplo* eximii Doctoris ac Pontificis Augustini. *Quod quidem præstitit*, maximè vel addendi quæ minùs dicta, vel emendandi quæ secus quàm placuit dicta videbantur. In quo etiam, *inquit*, quædam quæ in Græco sive aliter, seu plus aut minùs polita vidimus, breviter commemorare curavimus. quæ utrum negligentiâ interpretis omissa vel aliter dicta, an incuriâ librariorum sint depravata sive relicta, nondum scire potuimus. namque Græcum exemplar fuisse falsatum, suspicari non audeo. Unde Lectorem admoneo, ut hæc ubicumque fecerimus, gratiâ eruditionis legat, non in suo tamen volumine velut emendatos interserat, nisi fortè ea quæ in Latino codice suæ editionis antiquitus sic interpretata repererit. *Ex hoc modestiæ affectu Beda non propriam in exponendis Scripturis sententiam, sed scita sanctorum Patrum exprimere studuit. Id jam pluribus demonstratum superiùs. Hinc in Retractationibus ad Actus Apost. cap. 2, ubi de linguis Apostolorum agitur*, Scio, *inquit*, me reprehensum à quibusdam, quòd hanc sententiam duobus modis posse intelligi dixerim, vel potiùs qualiter intelligenda sit quæsierim. Quibus breviter respondeo, quòd omne quidquid de eadem sententia in præsenti meo volumine scripsi, non hoc ex proprio sensu protuli, sed ex verbis sancti & inreprehensibilis per omnia Magistri, hoc est Gregorii Nazianzeni.

VI. *Zelus pro veritate, Fide, & puritate morum.*

14. NEC *tamen homo veritatis amantissimus sic in auctoritate majorum totus erat, ut quidquid illi dixissent, nullo delectu sibi adfirmandum esse putaret. Noverat præclaram Augustini sententiam in epistola 19 ad Hieronymum:* Solis eis Scripturarum libris qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrináque præpolleant, non ideo verum putem, quia ita illi sense-

runt, sed quia mihi vel per illos Auctores canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. *Isidorum Hispalensem Episcopum secutus erat Beda, dum in Commentario in Acta Apost. cap. 1 scripsit, Simonem Zelotem eumdem esse* qui post Jacobum fratrem Domini Hierosolymorum rexit Ecclesiam, ac sub Trajano crucis martyrio coronatum fuisse, cùm centum & viginti esset annorum. *Quod tamen in Retractationibus suis in dubium revocat: tametsi non adhuc constanter negare audeat. Subdit de Hieronymi auctoritate.* Scripsi in eodem opere, commentarium Hieronymi secutus, & de Juda fratre Jacobi, qui etiam Thaddæus vocabatur, missum eum ad Abgarum fuisse Regem Osrœnæ, ut ecclesiastica tradiderit historia. Sed diligentiùs postmodum ipsam historiam ecclesiasticam inspiciens, reperi non ibi esse scriptum, quia Thaddæus Apostolus unus ex duodecim, sed Thaddæus unus ex septuaginta discipulis ad sanandum memoratum Regem fuerit destinatus. *Tum subinfert in sui excusationem:* Non autem mihi imputandum errorem reor, ubi auctoritatem magnorum sequens Doctorum, quæ in illorum opusculis inveni, absque scrupulo suscipienda credidi. *Et in ejusdem libri Retractat. cap. 8 rejicit librum de Dormitione B. Mariæ* ex persona Melitonis Asiæ Episcopi *scriptum, & mendacia Auctoris detegit.* Hæc idcirco commemorare curavi, *inquit*, quia nonnullos novi præfato volumini contra auctoritatem beati Lucæ incauta temeritate adsensum præbere. *Possunt & alia adduci testimonia, quibus probemus, Bedam non ita credulum ac præcipitis fuisse judicii in scribenda historia sua: cùm etiam in scriptis Patrum delectum ac censuram adhibuerit. Lege ipsius Præfationem Historiæ ad Ceolvvlfum Regem, in qua quibus auctoribus res à se relatas didicerit, declarat.*

15. *Nec minor fuit in eo zelus pro Fide catholica, cujus tuendæ studio expositionem in Cantica canticorum aggressus est. Audi verba ejus in libri primi exordio.* Scripturus juvante gratia superna in Cantica canticorum, primò admonendum putavi Lectorem, ut opuscula Juliani Celanensis Episcopi à Campania, quæ in eumdem librum confecit, cautissimè legat, ne per copiam eloquentiæ blandientis in cænam incidat doctrinæ nocentis: sed ut dici solet, ita carpat botrum, ut & spinam caveat, id est in dictis ejus sanos sensus scrutetur & eligat, & non minùs vitet insanos. Est enim homo ut Rhetor peritissimus, ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator acerrimus: ut apertiùs scripta ejus, quibus contra strenuissimum ejusdem gratiæ propugnatorem Augustinum insanivit, ostendunt. *Et infrà:* Sed & in alio libro quem ad Demetriadem virginem Christi de institutione Virginis scripsit, hæc eadem de potentia liberi arbitrii quomodo sentiat pandit. Quem videlicet librum nonnulli nostrum studiosè legentes, sancti & catholici Doctoris Hieronymi esse temere arbitrantur: minimè pervidentes, quòd & suavitas eloquentiæ demulcentis, & hæreseos perversitas seducentis, manifestè probat hoc illius opusculum non esse. *Postea Iuliani (ut putat) fragmenta refert ac refutat Beda, verè Doctoris catholici gerens officium, quò Lectores incautos adversus malè blanda hæretici eloquia præmuniret. Ex hoc Fidei catholicæ studio factum est, ut cùm aliquando nominis hæretici labem sibi inuri audisset, exhorruerit totus, & mox ad sui defensionem calamum arripuerit. Exstat hac de re epistola ad Plegvvinam Monachum à Vvaræo nuper edita, cujus hoc exordium.* Venit ad me ante biennium, Frater amantissime, nuntius tuæ Sanctitatis, qui pacificæ quidem salutationis à te lætissima verba detulit, sed hæc tristi mox admistione confudit, addendo videlicet, quòd me audires à lascivientibus rusticis inter hæreticos per pocula decantari. Exhorrui, fateor, & pallens percunctabar, cujus hæreseos

ANN. CHR. DCC XXXV. MAII XXVI.

ANN. CHR. DCCXXXV. MAII XXVI.

arguerer. Respondit, quia negarem in sexta ætate sæculi Dominum Salvatorem in carne venisse. Percunctari ergo cœpi quomodo diceretur: utrùm quòd Dominus non venisset in carne, cùm tamen sexta esset ætas: an quòd Domino in carne veniente necdum sexta ætas veniret, vel certè ætas septima jam venisset, cùm aperta ratione sexta ætas nonnisi ab ejus possit Incarnatione cœpisse. Deprehendíque hoc, sive illud insimularetur, me in utroque sanæ Fidei & ecclesiasticæ unitatis exsistere consortem. *Dein causam suam strenuè & nervosè agit, sicque concludit epistolam:* Obsecro sanè, ut has purgationis meæ litteras religioso ac doctissimo Fratri nostro David porrigas, quatenus eas ille coram venerabili domino ac Patre nostro Wilfrido scilicet Antistite legere possit: ut quoniam illo præsente atque audiente insipientiùs sum priùs appetitus conviciis, ipso etiam nunc audiente ac dijudicante, quàm immeritus eadem convicia sim perpessus appareat, &c. *Is erat Vuilfridus secundus, qui post Iohannem Vuilfridi senioris successorem sedi Eboracensi præfuit ab anno circa* DCC XVII ad DCC XXXII.

16. *Morum sanctimoniam quam in seipso exprimere toto animo studuit, etiam in aliis, quoad potuit, tum languentem excitare, tum violatam resarcire curavit. Hujus rei argumento est epistola illa, quam in extremo (ut conjicimus) morbo scripsit Egberto post Vuilfridum juniorem Eboracensi Archiepiscopo in hæc verba.* Dilectissimo ac reverendissimo Antistiti ECBERHTO BEDA famulus Christi salutem. Memini te hesterno dixisse anno, cùm tecum aliquot diebus legendi gratiâ in Monasterio tuo demorarer, quòd hoc etiam anno velles, cùm in eumdem devenires locum, me quoque ob commune legendi studium ad tuum accipere colloquium. Quod si ita Deo volente posset impleri, non opus esset tibi hæc per litteras scripta dirigere, cùm possem liberiùs ore ad os loquens, quæque velim sive necessaria ducerem, secreta tibi allocutione suggerere. Verùm quia hoc ne fieret, superveniens (ut nosti) corporis mei valetudo prohibuit; agere tamen quod potui, erga dilectionem tuam fraternæ devotionis intuitu curavi, mittendo videlicet per litteras, quod corporaliter veniendo per collocutionem nequiveram. precórque te per Dominum, ne harum apices litterarum arrogantiæ supercilium esse suspiceris, sed obsequium potiùs humilitatis ac pietatis veraciter esse cognoscas. *In consequentibus monet Episcopum*, ut gradum sacrosanctum sacrosancta operatione & doctrina confirmet. *Deinde* ante omnia ut ab otiosis se confabulationibus, obtrectationibus, ceterísque linguæ indomitæ contagiis pontificali dignitate coërceat; divinis autem eloquiis ac meditationibus Scripturarum linguam simul & mentem occupet, maximè legendis B. Pauli Apostoli epistolis ad Timotheum & ad Titum; sed & verbis sanctissimi papæ Gregorii, quibus de vita simul & vitiis Rectorum, sive in libro Regulæ pastoralis, seu in homiliis Evangelii multùm curiosè disseruit. *Præterea habeat* societatem eorum qui Christo fideli devotione famulantur. Quod non ita loquor, *inquit*, quasi te aliter facere sciam: sed quia de quibusdam Episcopis famâ vulgatum est, quòd ita ipsi Christo serviant, ut nullos secum alicujus religionis aut continentiæ viros habeant. *Ad hæc*, quia latiora sunt spatia locorum quæ ad gubernacula tuæ diœcesis pertinent, quàm ut solus per omnia discurrere & in singulis viculis atque agellis verbum Dei prædicare, etiam anni totius emenso curriculo sufficias, necessarium satis est ut plures tibi sacri operis adjutores adsciscas, Presbyteros videlicet ordinando atque instituendo Doctores, qui in singulis vicis prædicando Dei verbo & consecrandis mysteriis cælestibus, ac maximè peragendis sacri baptismatis officiis insistant. In qua videlicet prædicatione populis exhibenda hoc

præ ceteris omni instantia procurent, ut Fidem catholicam quæ Apostolorum Symbolo continetur, & dominicam Orationem, omnium memoriæ infigere curent; idiotas *quidem* hæc ipsa suâ linguâ dicere ac sedulò decantare faciant. *Ampliùs hortatur*, ut plures consecret Antistites, & enorme pondus ecclesiastici regiminis dividat in plures. *Demum iterum inculcat*, ut populis sufficientes doctores vitæ salutaris adhibeat, & hoc eos inter alia discere faciat, quibus operibus maximè Deo placere, à quibus se debeant abstinere peccatis; quàm frequenti diligentia signaculo se dominicæ crucis suáque omnia munire; quàm salutare sit omni Christianorum generi quotidiana dominici corporis ac sanguinis perceptio, juxta quod Ecclesiam Christi per Italiam, Galliam, Africam, Græciam, ac totum Orientem sollerter agere noverat. Quod videlicet genus religionis, *ait*, ac Deo devotæ sanctificationis tam longè à cunctis pæne provinciæ nostræ laïcis per incuriam docentium quasi peregrinum abest, ut hi qui inter illos religiosiores esse videntur, nonnisi in Natali Domini & Epiphania & Pascha sacrosanctis mysteriis communicare præsumant: cùm sint innumeri innocentes & castissimæ conversationis pueri ac puellæ, juvenes & virgines, senes & anus, qui absque ullo scrupulo controversiæ omni die dominico, sive etiam in natalitiis SS. Apostolorum sive Martyrum, quomodo ipse in sancta Romana & Apostolica Ecclesia fieri vidisti, mysteriis cælestibus communicare valeant. Ipsi etiam conjugati, si quis sibi mensuram continentiæ ostendat & virtutem castitatis insinuet, idem & licenter possint, & libenter facere velint. *Vides quos ad frequentem sanctæ Eucharistiæ communionem admittendos velit Beda*, innocentes *scilicet* & castissimos quosque, *etiam conjugatos, dummodo præscriptam castitatis conjugalis regulam servent.* ANN. CHR. DCC XXXV. MAII XXVI.

VII. *Bedæ obitus, sepulcrum & epitaphium, sanctitas declarata, Reliquiæ.*

17. FINEM *vivendi fecit Beda* die festo Adscensionis dominicæ, VII Kalend. Junii. *Nam teste Cuthberto Monacho in epistola superiùs relata*, usque ad diem Adscensionis dominicæ, id est septimo Kalendas Junii vitam ducebat. *Ne quis verò excluso Adscensionis die Bedam in vigilia ipsius festi obiisse dicat, occurrit eadem epistola, in qua Beda* feriâ quartâ post horam nonam, *id est sub vesperam, Presbyteris Monasterii sui accitis munuscula dedisse, & ad eos verba fecisse dicitur. Et certè vetustis Auctoribus persuasum fuit, Bedam in ipso Adscensionis festo diem supremum explevisse.* Die Adscensionis, *inquit Vvillelmus Malmesburiensis Monachus loco jam citato*, cùm jam anima fragilem usum corporis exosa egredíque gestiens palpitaret, contra Oratorium in quo consueverat orare, cilicio subjecto decumbens, illibato sensu & hilari vultu Spiritus-sancti gratiam invitabat dicens: O Rex gloriæ, *&c.* Hac oratione finita spiritum efflavit. *Et Simeon Dunelmensis Monachus seu potiùs Turgotus in libro 2 de Dunelmensi Ecclesia cap. 14.* Obiit VII Kalend. Junii in Gyrwe, ibíque sepultus est ∴ transiit autem ipso die sollemni Adscensionis dominicæ. *Quo anno? Audi eumdem Turgotum.* Anno autem dominicæ Inc. DCC XXXV, imperii autem Ceolwlfi VII, episcopatûs verò Ethelwoldi anno XI, illa Ecclesiæ catholicæ lucerna ad eam quæ se illuminaverat lucem, illa vena aquæ salientis in vitam æternam, ad fontem vivum Deum pervenit, defunctus anno ætatis suæ quinquagesimo nono; ex quo autem Rex Oswaldus & Antistes Aidanus pontificalem cathedram & Monachorum habitationem in Lindisfarnensi insula instituerant, anno

Ann. Chr. DCC XXXV. Maii XXVI.

centesimo primo; à constructione verò Monasterii Petri Apostoli in Wiramuthe LXXII; porro à Patris Cuthberti transitu LXIX anno. *Annum mortis rectè signat Turgotus, malè ætatem Bedæ, qui Historiam suam absolvit quidem Christi anno* DCC XXXI, *ætatis suæ anno* LIX. *at cùm superstes fuerit ad annum* DCC XXXV, *annos* LXIII *vixisse dicendus est. Eosdem adsignat diem & annum Thomas Stubesius Dominicanus in libro de actibus Pontificum Eboracensium. Et certè prædicto anno* DCC XXXV *dies Adscensionis dominicæ incidebat in* VII *Kalendas Iunias, cyclo lunari* XI, *concurrente* V, *epactâ* XXIII, *die dominicæ Resurrectionis* XV *Kalendas Maias. Hinc corrigendus Auctor libri de Vita Alcvvini Abbatis, qui juxta quorumdam opinionem, adfirmat Bedam* nonagenarium decessisse anno DCC XXXI. *Nec dubium quin interpolatio irrepserit in Bedæ epistolam ad* WICHREDAM Presbyterum de verno æquinoctio juxta Anatolium: *qua in epistola adducitur exemplum* de præsenti anno dominicæ Inc. DCC LXXVI, *ad quem sine dubio Beda non pervenit, tum quia major centenario fuisset, tum quia S. Bonifacius Maguntinus Antistes anno* DCC LIV *martyrio affectus, Bedam uti mortuum laudat in suis epistolis, ut infrà videbimus. Et certè si Beda diu vixisset post annum* DCC XXXI, *ultra hunc annum produxisset historiam suam. Non produxit verò, ut patet tum ex dicendis infrà num. 29, tum ex Chronici Fontanellensis principatu Ludovici Pii scripti cap. 9 in hæc verba:* Venerabilis Presbyter Beda historiam ecclesiasticam, quam de gente sua, id est Anglorum composuerat, usque in hunc annum, *quo cæsus Ragenfredus*, mirabili opere perduxit, & non multo pòst ad cælestia regna perrexit VII Kalend. Junii. *In quodam Chronico de sex mundi ætatibus manu exarato principatu itidem Ludovici Augusti legi hæc verba:* Karlus *Martellus* annis XXVII dominatur. Hujus anno XXII Beda Presbyter Anglorum obiit.

18. Sepultus est in Gyrwe, *inquit Turgotus Prior Dunelmensis*, in cujus videlicet Bedæ honorem porticus ad aquilonalem plagam Ecclesiæ S. Pauli in Gyrwe consecrata, venerandam Fidelibus nominis ejus ibidem præstat memoriam. Ostenditur etiam locus hodie, ubi de lapide mansiunculam habens ab omni inquietudine liber sedere, meditari, legere, dictare consueverat & scribere. *Et Vvillelmus Malmesburiensis Monachus:* Sepulta est cum eo omnis gestorum pæne notitia usque ad nostra tempora. Adeo nullus Anglorum studiorum ejus æmulus, nullus gratiarum ejus sequax fuit, qui omissæ monetæ lineam persequeretur. Pauci quos æquus amavit JESUS, quamvis litteris non ignobiliter informati, vitâ totâ ingratum consumserunt silentium. alii vix primis labris illas gustantes, ignavum confoverunt otium. Ita cùm semper pigro succederet pigrior, multo tempore in tota insula studiorum detepuit fervor. Magnum ignaviæ testimonium dabunt versus epitaphii sui, pudendi prorsus & tanti viri mausoleo indigni.

Presbyter hîc BEDA requiescit carne sepultus.
Dona, Christe, animam in cælis gaudere per ævum,
Dáque illi sophiæ debriari fonte, cui jam
Suspiravit ovans intento semper amore.

Est & aliud genus epitaphii non ita impolitum, quod ex codice Thuaneo superiùs retulimus post Cuthberti epistolam.

19. *Statim ab ipso obitu Venerabilis Beda* Sanctus *habitus est & appellatus. S. Bonifacius in epistolis suis non semel* Candelam Ecclesiæ *nuncupat, Lullus Bonifacii successor* beatæ memoriæ Bedam, *in cujus* venerationem holosericam *vestem* ad ipsius Reliquias *mittit. Eumdem vocat* beatum Patrem, *ut postea videbimus. Benedictus Anianæ Abbas, Bedæ subpar*, ex dictis beati Bedæ *versus quosdam refert in Concordia Regularum cap. 36. §. 6. Alcvvinus*

etiam in Præfatione commentarii super Iohannis Evangelio beatum Bedam Presbyterum *laudat, & in libris contra Felicem non semel. Hilduinus in epistola Areopagiticis præfixa ad Ludovicum Augustum*, Bedam *itidem* sanctum & venerabilem *vocat. Hincmarus Remorum Archiepiscopus uno post Bedam sæculo, eumdem* Sanctum *semel & iterum cognominat, nimirum in epistola nomine Synodi Tusiacensis ad Rodulfum Bituricensem & Froterium Burdigalensem Antistites, & in libro de Prædestinatione cap. 9. Notkerus Balbulus in Martyrologio* XIII *Kalend. April.* Sanctum Bedam Presbyterum *laudat. Quin etiam in Fuldensi Monasterio ara sancto Bedæ erecta fuit ineunte sæculo* IX, *teste HRabano Mauro in Inscriptione 39* ad altare S. Benedicti in crypta occidentali, *cujus hic versus:* ANN. CHR. DCC XXXV. MAII XXVI.

Cuthbertus, BEDA hic, Æquitiúsque manent.

In Litaniis ab Hartmanno Sancti-Gallensi Monacho metricè eodem sæculo compositis, apud Canisium tomo 5 sanctus Beda *recensetur post S. Pachumium.*

Pachumius, Beda, Attala, Pafnutius.

Certè Elfredus Presbyter Dunelmensis, referente Turgoto in lib. 3 Hist. Dunelm. cap. 7, ad Monasterium quod est in-Gyrvum, ubi Bedam Doctorem conversatum, defunctum & sepultum noverat, singulis annis adveniente anniversaria dormitionis ejus die venire, ibíque precibus & vigiliis solebat insistere. *Vivebat porro Presbyter ille Eadmundo Episcopo Dunelmensi, qui anno* MXX *electus est.*

20. *Is est Elfredus, qui sancti Bedæ Reliquias clanculùm suffuratus, Dunelmum transtulit.* Unde sæpius à suis familiariter requisitus, ubinam Venerabilis Bedæ ossa requiescerent, certus de re inquisita solitus erat respondere: Hoc, inquit, nemo me certiùs novit. Firmum, ô dilectissimi, & procul omni dubio certum habeatis, quòd eadem theca quæ sacratissimum corpus Patris Cuthberti servat, etiam ossa venerandi Doctoris & Monachi Bedæ contineat. *Anno* MLIV, *cùm S. Cuthberti corpus incorruptum è loculo extraheretur*, & ossa Venerabilis Bedæ quæ unà cum illius corpore hospitium habuerant, pariter continebat sacculus de lino, *ut in historia Translationis S. Cuthberti aliàs videbimus. Quæ Bedæ* ossa à ceteris Reliquiis segregata, in ligneo locello inveniebantur locata, *inquit Turgotus. Hugo Dunelmensis Episcopus anno* MCLIV *electus*, feretrum nimis pretiosum, auro purissimo & argento mundissimo optimè fabricatum, lapidibúsque pretiosis opere mirifico adornatum construxit, in quo viri venerabilis Bedæ Presbyteri & Girwensis Monachi ossa cum multorum aliorum Sanctorum Reliquiis collocavit, *sicuti in appendice ad Turgotum legitur. Iohannes Spedus in Theatro Britanniæ, ubi de Episcopatu Dunelmensi, scribit Bedæ monumentum marmoreum in occidentali templi Dunelmensis parte etiamnunc exstare. Et tamen in Monastici Anglic. tomo 1*, ossa Venerabilis Bedæ, Biscopi, S. Hesterpini, Sigfridi & Herberti Wiornensium Abbatum in Glastoniensi Ecclesia *haberi dicuntur.*

VIII. *Bedæ varia elogia, cur & quando* VENERABILIS *dictus.*

21. NEMO *fere veterum Scriptorum sine laude Bedæ meminit. Eum pluribus epistolis commendat S. Bonifacius Maguntinus Antistes. Epistola 8 ad* EGBERTUM *Eboracensem Pontificem:* Præterea ut mihi de opusculis BEDAN Lectoris aliquos tractatus conscribere & dirigere digneris, quem nuper (ut audivimus) divina gratia spirituali intellectu ditavit, & in vestra provincia fulgere concessit: & ut Candelâ quam vobis Dominus largitus est, nos quoque fruamur. *Idem habet epistola 9 ad* HUETBERTUM

ANN. CHR. DCCXXXV. MAN XXVI. *Vviremuthensis & Girvvensis Monasteriorum Abbatem. Sic verò epistola 85 ad eumdem Egbertum :* Modò inhianter desiderantes flagitamus, ut nobis ad gaudium nostri mæroris eo modo quo antea jam fecistis, aliquam particulam vel scintillam de Candela Ecclesiæ, quam illuxit Spiritus-sanctus in regionibus vestris, destinare curetis, id est de tractatibus quos spiritalis Presbyter & investigator sanctarum Scripturarum Beda reserando composuit : maximè autem si fare possit, quod nobis prædicantibus habile, & manuale & utilissimum esse videtur, super Lectionarium anniversarium & Proverbia Salomonis, quia commentarios super illa edidisse audivimus. *Eòdem spectat Bonifacii epistola 150 ad Cuthbertum Abbatem Huetberti successorem. Hîc observare juvat, Bonifacium ab aliis non ab ipso Beda petere ipsius lucubrationes, eúmque* nuper *fulsisse in provincia Northanimbrorum : ut dubium non sit, prædictas Bonifacii epistolas post Bedæ obitum scriptas fuisse.*

22. *Non minori venerationis studio affectus est* LULLUS *Bonifacii successor adversus Bedam. Id testatur Bonifaciana Lulli epistola 109 ad Cœnam Episcopum Anglum.* Obsecro ut quemlibet horum librorum adquiras, & nobis mittere digneris, quos beatæ memoriæ Beda Presbyter exposuit, ad consolationem peregrinationis nostræ, id est in primam partem Samuëlis usque ad mortem Saülis libros quatuor, sive in Esdram & Neemiam libros tres, vel in Evangelium Marci libros quatuor. *Eidem Lullo* GUTBERTUS *seu* CUTHBERTUS *Abbas Vviremuthensis post Huetbertum, (cujus Cuthberti de Bedæ obitu scripta epistola videtur esse fetus) dirigit epistolas duas, quæ inter Bonifacianas sunt ordine 89 & 95. In priore Cuthbertus Lullo rescribit his verbis :* Gratanter quidem munuscula tuæ caritatis suscepi, & eo gratantiùs, quo te hæc intimo devotionis affectu mittere cognovi, id est holosericam ad Reliquias beatæ memoriæ Beda Magistri nostri, ob recordationem & illius venerationem mittere destinâsti. Et rectum quidem mihi videtur, ut tota gens Anglorum in omnibus provinciis ubicumque reperti sunt, gratias Deo referant, quia tam mirabilem virum, præditum diversis donis, támque ad exercenda dona studiosum, similitérque in bonis moribus viventem Deus illis in sua natione donavit : quia per experimentum ad pedes ejus nutritus hoc quod narro didici. *Et infrà :* Nunc verò quia rogasti aliquid de opusculis beati Patris, cum meis pueris juxta vires quod potui, tuæ dilectioni præparavi, libellos de viro Dei Cudberto metro & prosâ compositos. *Et in epist. 95,* Librum quem clarissimus Ecclesiæ Dei Magister Beda de ædificio Templi composuit, ad consolationem tuæ peregrinationis mittere curavi.

23. *Pluribus aliis elogiis celebratur Beda ab Auctoribus, tum subparibus, tum sequioribus. Eum Alcvvinus* nobilissimum Magistrum Bedam Presbyterum *in epistola 55; Auctor libri de officiis ecclesiasticis Alcvvino subjectus,* Sacerdotem & Doctorem eximium *cap. de Purificatione ; Ratramnus* Presbyterum Anglorum, membrum Christi non reprobum *in libro de Nativitate Christi cap. 8; Lanfrancus Cantuariensis Archiepiscopus* Eboracensis Ecclesiæ Presbyterum & Anglorum Doctorem *in epistola ad Alexandrum Papam II appellant. Omnium verò illustrissimum est elogium, quod Patres Concilii Aquisgranensis II anno* DCCCXXXVI *habiti tribuunt Bedæ, quem sanctis Ecclesiæ Patribus adnumerant. Sic enim in præfatione libri 3 loquuntur.* In fine præcedentis libelli nos promisisse meminimus, quòd in hujus exordio, prout Deus posse dedisset, ex sanctorum Patrum oraculis breviter ostenderemus, quòd Templum Domini quod à Salomone ædificatum & dedicatum Domino est, figura fuerit catholicæ Ecclesiæ per universum orbem diffusæ; & conditor illius Salomon Rex personam gesserit Christi. quod quidem nos

Domino

Domino favente adimplere conamur. Salva quippe super hac re ceterorum sanctorum eximiorum Patrum expositione, quorum dicta in subsequentibus ponenda sunt; quid Venerabilis & modernis temporibus Doctor admirabilis Beda Presbyter de sæpe memorato Templo in Expositione Evangelii Johannis sentiat, videamus. *En Beda* Venerabilis *dictus*, Doctor admirabilis, *& Patrum numero adscriptus & quodammodo prælatus. Paschasius Ratbertus Abbas Corbeïensis in suo libro de Eucharistia, itidem Bedæ auctoritatem in censum sanctorum Patrum refert. & Vvalafridus Strabus in lib. de offic. eccles. cap. 25*, Bedam Anglorum Patrem *nominat. Denique Hincmarus Remorum Antistes, testante Frodoardo in Hist. Rem. lib. 3 cap. 23*, Expositionem Bedæ in Proverbiis Salomonis ad Synodum sibi deferri petiit *à Iohanne Episcopo Camaracensi.*

24. *Admoneor hoc loco adnotare, quo tempore quâve de causa Beda sit dictus* Venerabilis Presbyter. *Mitto fabulas hac de re plures. Si Tritbemio credimus*, Venerabilis *dictus est dum adhuc in vivis erat, ideo scilicet quòd cùm ipsius homiliæ eo vivente in ecclesiasticis officiis lectitarentur*, Venerabilem *nuncupabant, quem adhuc in carne degentem nondum poterant* Sanctum *appellare. Quò factum sit, ut nomen* Venerabilis *passim usu receptum apud omnes, hactenus auctoritatem retinuerit. Certè in Lectionariis Monasterii Corbeïensis ante quingentos fere annos manu exaratis, plures Bedæ homiliæ adsignantur hoc titulo vulgato* : Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri. *Et tamen Menardus noster in Notis ad Concordiam Regularum cap. 36 §. 6 existimat, recentiorem esse* Venerabilis *appellationem, ab Alcvvino, Monacho Sancti-Gallensi, Odoranno, Vvillelmo Malmesburiensi, Florentio Vvigorniensi, Henrico Huntidonensi & Rogerio Hovedensi nequaquam usurpatam. Equidem post Bedæ ætatem prodiisse cognomentum istud, satis probat silentium comparium Auctorum, quorum nullus, quem hactenus legerim, Bedam* Venerabilem *appellat. In veterrimo codice Thuaneo ab annis octingentis manu descripto, in quo exstant Bedæ homiliæ omnes; ubique præfertur*, Homilia Domni Bedæ. *Præterea antè quàm Paulus Vvarnefridi, Monachus Casinas, Lectionarium ecclesiasticum jussu Caroli Magni concinnaret; auctorum eorum, quorum homiliæ recitabantur in officiis divinis, nomina haud præcinebantur, uti Carolus in epistola ad Paulum auctor est. Si ergo Bedæ homiliæ eo vivente in Ecclesia lectæ sunt, non tamen præmissum* Bedæ Venerabilis *nomen. Iam tamen à nono sæculo* Venerabilis *nomen Bedæ attribui cœptum. Amalario in libris de divinis officiis passim* Domnus Beda, *at lib. 1 cap. 37* Venerabilis Presbyter Beda *nuncupatur, uti etiam Ionæ Aurelianensi Episcopo in lib. 1 de Institut. laïcali capp. 16 & 17, & lib. 3 capp. 6 & 7, necnon Usuardo in sincero Martyrologio Nonis Augustis. Addunt nonnulli Paschasium Ratbertum : at in loco citato ex libro de Eucharistia aliter præferunt codices mss. in quibus hæc inscriptio*: Bedæ Presbyteri in sermone suo, *omisso nomine* Venerabilis. *Addimus verò Auctorem Chronici Fontanellensis capp. 9 & 16. (in editis 15.)* HILDUINUM, RADBODUM *Trajectensem Episcopum in sermone de S. Svviberto; &* HERICUM *Monachum, qui in libro* de expositione compoti *hactenus (si non fallor) inedito*, libros de hac eadem re præcipuè Venerabilis viri Domni Bedæ Presbyteri *laudat : qui auctor opus suum anno* DCCCCLXXX *scribebat. Nec dubium quin ab aliis ejusdem ætatis Auctoribus eadem appellatio frequentata fuerit, tametsi non ab omnibus; uti nec etiam nostro ævo, quo honorificum istud vocabulum jampridem usu inolevit. Mittimus alios sequiorum temporum Scriptores, relaturi dumtaxat Algerum Cœnobitam Cluniacensem, à quo* Venerabilis Beda Presbyter *memoratur in libro 1 de Sacram. cap. 8, & Matthæum Vvestmonasteriensem Monachum, cujus tempore (scribebat autem medio sæculo* XIII) *Beda jampridem* promeruerat, ut ab universali Ecclesia

Doctor Anglorum & Pater Venerabilis nomine censeretur. *Cur verò, inquis*, Presbyter *non* Monachus, *si Monachus fuit? Nimirum tanta erat quondam (ut par est) existimatio sacerdotalis dignitatis, ut qui hoc gradu insigniti erant, missis aliis nominibus Presbyteri vocitarentur. Hinc Hieronymus, & ipse (ut sæpe fatetur) Monachus, vulgò* Presbyter *audit. Immo etiam Abbates Presbyteri (nam Presbyteri quondam non erant omnes) ob gradûs dignitatem* Presbyteri, *raro* Abbates *dicebantur. Hac causa est cur SS. Carilefus, Richarius, Gallus, Vvalaricus, etsi abbatiali dignitate præditi, tamen* Presbyteri *in antiquis Martyrologiis cognominari solent.*

25. *Nec ab re erit observare hoc loco*, Venerabilis *nomen ab Audoëno in Vita S. Eligii severiori Monachorum instituto, & Monachis illustrioribus signanter attributum. Nam* Buchinus ex gentili conversus, postea, *inquit*, Venerabilis, id est Monachus exstitit, ac Ferrariensi Cœnobio præfuit, *lib. 1 cap. 10. & Thillo vernaculus Eligii*, postmodum venerabilem, id est monasticam vitam duxisse *dicitur; & Eligius tamquam dominos honorâsse eos*, qui Venerabilem Monachorum vitam arriperent. *Ado Viennensis Episcopus in historia sua de Vvilicario ejusdem Sedis Episcopo agens*, relicto, *inquit*, Episcopatu in Monasterium SS. Martyrum Agaunensium ingressus, vitam Venerabilem duxit. *Et in Vita S. Desiderii Cadurcorum Episcopi, Arvanus Scottus* vitam Venerabilem *in Monasterio duxisse fertur. Denique, ut cetera id genus omittam, S. P. Benedictus* vir vitæ Venerabilis *à Gregorio Magno prædicatur.*

IX. *Observationes in Bedæ xeniola.*

26. HUC *in secessum consultò rejecimus observationes nonnullas tum in munuscula, quæ Beda morti proximus Presbyteris Monasterii sui distribuit; tum in quædam ipsius opuscula.*

27. *Ad extremam vitæ periodum accedens vir sanctus, uni è discipulis suis Cuthberto* horâ nonâ dixit: Quædam pretiosa in mea capsella habeo, id est piperem, oraria, & incensa. Sed curre velociter, & Presbyteros nostri Monasterii adduc ad me, ut & ego munuscula qualia Deus donavit, illis distribuam. *Nimirum eo tempore, si umquam aliàs, moris erat, ut id genus munusculorum amici darent acciperéntque in mutuæ dilectionis indicium, non rerum pretium attendentes, sed animum. In S. Bonifacii Archiepiscopi aliorúmque æqualium epistolis exempla sunt id generis complura. Sic Lullus Abbatissæ Kanebadæ, puellæ regio sanguine ortæ*, mittit tria munuscula, thuris, piperis, & cinamomi *in Bonifaciana epistola 5. Anonymus quidam Eadburgæ Abbatissæ* graphium argenteum, & storacis & cinamomi partem *epist. 7. Bonifacius Egberto Cantuariæ Archiepiscopo præter* exemplaria epistolarum S. Gregorii, *dirigit* ad indicium caritatis, corporale, pallium & villosam unam ad tergendos pedes servorum Dei *epist. 8. Huetberto Abbati Vviremuthensi* lectisternia caprina *epist. 9. Herefrido Presbytero* partem thymiamatis & sabanum pro benedictione & signo puræ caritatis *epist. 10. Ethelbaldo Regi* accipitrem unum, duos falcones, duo scuta, & duas lanceas *epist. 19. Egberto jam laudato* duas vini cupellas *epist. 85. Cynehardus autem Ventanæ civitatis Episcopus inter alia mittit* orarium & coculam & gunnam brevem. *Lege epistolam 148. Bonifacium IV aliósque Romanos Pontifices non raro* pectines, specula *aliáque istiusmodi tribuisse legimus in ipsorum epistolis. & Fortunatus in Epigr. lib. XI passim gratias agit pro eulogiis transmissis. quales putas eulogias?* olere *scilicet*, castaneis, lacte, prunellis, ovis, *&c. Nempe ut ipse ait Epigr. 23*,

Munere in angusto cernitur amplus amor.

Et scimus S. P. Benedictum in Regulæ suæ cap. 54 eulogias non prohibuisse,

modò ne darentur acciperentúrve citra conſcientiam Abbatis. Notum eſt munuſculum avari Monachi, qui S. Hilarioni ciceris faſcem virentis *detulit, teſte Hieronymo. Ergo venerabilis Beda in mutuæ dilectionis & fraternæ concordiæ indicium, morti proximus dat Fratribus ſuis Presbyteris xeniola, ut memoriam ſui haberent in ſacris officiis, ad eum modum quo Antonius Athanaſio* melotem unam, *Serapioni* alteram, *Fratribus* cilicinum veſtimentum *teſtamento reliquit. Cur verò, inquis,* incenſa? *Diſcimus ex Gemmuli Romanæ Eccleſiæ Diaconi epiſtola ad Bonifacium, ordine 149.* Tranſmiſimus per prædictum veſtrum Preſbyterum aliquantum coczumbri, quod incenſum Domino offeratis temporibus matutinis & veſpertinis, ſive dum Miſſarum celebratis ſollemnia, *&c. Quid demum* oraria? *nempe, ut conjicimus, linteola tenuia, quibus os tergi ſolet, quæ* ſabana *vocat Bonifacius in epiſtola 10. In hunc enim ſenſum non rarò ſumi* Orarium, *vocabulum alioqui variæ ſignificationis, probat Voſſius in libro 3 de Vitiis ſerm. cap. 31.*

ANN. CHR. DCC XXXV. MAII XXVI.

X. *Iudicium de Bedæ ſcriptis.*

28. HIs *per quemdam excurſum dictis, veniendum eſt ad quaſdam animadverſiones, quæ mihi inter evolvendum Bedæ ſcripta, tum edita, tum manu exarata, occurrerunt. Primùm quidem de tempore ſcriptionum agendum, poſteà de operibus dubiis & ſubditiciis, poſtremò de relictis.*

29. *Beda* librum tertium in Samuëlem *aggreſſus eſt mortuo Ceolfrido Abbate, id eſt anno* DCC XVI, *ut ex præfatione libri 3 conſtat.* Explanatiuncula in epiſtolam Johannis *prima videtur ex ipſius lucubrationibus in Scripturam ſacram. Deinde* Expoſitio in Apocalypſim, *quam* Fratri EUSEBIO *ſeu* HUETBERTO, *Abbati ſuo futuro nuncupavit. nam binominem fuiſſe Huetbertum, &* ob amorem ſtudiúmque pietatis Euſebium *cognominatum, patet ex præfatione lib. 3 in Samuëlem. Porro Beda librum Apocalypſeos in capitula diſtinxit. Poſt Apocalypſim commentatus eſt* librum de Actibus Apoſtolorum, *hortante* ACCA *Epiſcopo Haguſtaldenſi; tum etiam* Lucæ Evangelium: *&* Quæſtiones triginta de libris Regum *explicavit, petente* NOTHELMO *tunc Presbytero Londinenſi, pòſt Cantuarienſi Archiepiſcopo, quo adjutore in ſcribenda eccleſiaſtica Hiſtoria uſus eſt. Bedæ* Quæſtiones in utrumque Teſtamentum *ex Anglia petiit Lupus Abbas Ferrarienſis epiſtolâ 62* ad Altigiſum Abbatem *Eboracenſem. Poſt ea omnia edidit* Commentaria in Samuëlem, *ex quibus librum tertium, ut jam diximus, aggreſſus eſt anno* DCC XVI. *at verò* Expoſitionem in Marcum *vulgavit* poſt annos plurimos, *quàm* Lucæ Evangelium *explanaverat. Quæ omnia ex ipſius Bedæ præfationibus in eoſdem libros intelliguntur. Præterea* Expoſitionem in Epiſtolas Pauli, *itidémque* in Epiſtolas canonicas *ex dictis S. Auguſtini magno ſtudio contexuit; &* librum de ſex ætatibus *abſolvit Leonis Iſaurici anno* IX, *Chriſti* DCC XXIV. *His abſolutis edidit* Hiſtoriam eccleſiaſticam *gentis ſuæ, quam cum* Epitome *adjuncta perfecit anno* DCC XXXI. *Nam in optimo codice mſ. qui penes nos eſt, prædicta Epitome ultra iſtum annum non excurrit, ut ſuperiùs monuimus. In eadem Epitome Beda exhibet indicem lucubrationum ſuarum, in qua adnumeratur* Epiſtola de Æquinoctio verno juxta Anatolium, *ſcripta proinde ante annum* DCC XXXI. *Unde exemplum in ea epiſtola Vuichredæ Presbytero directâ adductum* de anno præſenti DCC LXXVI, *eſt interpolatio ſcriptoris amanuenſis ipſo anno epiſtolam exſcribentis, qui Bedæ ſententiam ſuppoſito exemplo explicare voluit. Denique* Retractationum librum *in Acta Apoſtolorum poſt annum* DCC XXXI *ſcripſit jam ſenex.*

Ordo Bedæ operum.

30. *Præter Opera Bedæ in ſuo Indice recenſita, pauca ſunt quæ ipſi tribuere*

Opera dubia.

ANN. CHR. DCC XXXV. MAII XXVI. *tutò possimus, exceptâ* epistolâ ad Egbertum *Eboracensem Pontificem, scriptâ* post annos triginta à morte Aldfridi Regis Northanimbrorum, *hoc est anno Christi* DCC XXXV, *qui Bedæ supremus fuit.* Commentaria in Evangelium Johannis, *siquidem Bedam habent auctorem, post annum* DCC XXXI *ab eo sunt edita, quæ veluti quoddam Augustinianæ Expositionis compendium esse videntur, insertis hinc inde sententiis aliorum Patrum, ut capite 4 agens de Regulo, verba Gregorii Magni adducit. Certè Ionas Episcopus Aurelianensis, Ludovici Pii æqualis, in lib. 1 de Institut. laïcali cap. 13, citat plures versus ex Beda* in homilia Evangelii vigesima, *qui in prædictis Commentariis leguntur capite 2. Unde suspicamur legendum esse apud Ionam,* in homilia Evangelii secunda. *Et quidem Alcuvinus in præfatione Commentarii sui in Iohannis Evangelium,* ex homeliis beati Bedæ Presbyteri *multa se adsumsisse fatetur. His insuper Beda morbo supremo decumbens, patriâ linguâ reddidit Iohannis Evangelium, testante Cuthberto discipulo in epistola quam de ipsius obitu exaravit. In dubiorum classem rejicienda sunt* Expositiones in Matthæi Evangelium, Commentarius in Psalmos, Vitæ Sanctorum, *exceptis* Actis SS. Felicis, Cuthberti, & Anastasii, *quæ Beda agnoscit ut sua;* Libellus de Officiis, Commentarius in Boëtii librum de Trinitate, Meditationes Passionis, Libri de elementis Philosophiæ, *&* liber de Remediis peccatorum, *quem jam inter supposititia relegavit Spelmannus tomo 1 Conc. Angl. tametsi in collectione canonum Regino Pænitentialem librum* Theodori seu Bedæ *citat in lib. 1 cap. 297. Ivo etiam & Gratianus* ex Pænitentiali Bedæ *referunt capitulum* de Sacerdote Eucharistiam vomente. *Non tamen prætermeam id quod in Bedæ Homiliario Thuaneo vetustissimo legi manu recentiori ante annos quadringentos adscriptum:* Ego non peto librum Expositionis Bedæ super Evangelia; sed peto librum Expositionis Bedæ super Psalmos Psalterii. *Apage* Epistolam de divinatione mortis, *quæ deliramenta quantum à mente pii hominis absint, probat Epistola* ad Herenfridum Presbyterum, *libello de Tonitruis à se latinè verso præfixa. Is est Herefridus Presbyter* de Regno Merciorum, *ad quem exstat S. Bonifacii Martyris epistola 10. Auctor libri de Officiis divinis scribebat post annum quàm Pascha inciderat in* VII. *Id. Apriles, ut patet ex cap. de Pascha annotino: quod ab anno* DCC XXXI *quo Beda Indicem operum suorum confecit, ante annum* DCC LXXI *non accidit.*

Homiliæ discussæ. 31. *Scripsit quidem Beda* homiliarum Evangelii libros duos, *ut ipse fatetur, seu* in Lectionarium anniversarium, *ut habet S. Bonifacii epistola 9, suprà num. 21 relata. at quænam ex editis ad Bedam pertineant, quænam supposita sint, interest distinguere. Sic enim explorabimus celebriores dies, qui tum anniversaria sollemnitate colebantur. In Bibliotheca Thuanea habentur duo pervetusti codices, in quibus Bedæ homiliæ reperiuntur. In primo num. 144, ante annos octingentos exarato homiliæ 39 continua serie exhibentur: in alio num. 38, qui annos sexcentos præfert, distinguuntur in duos libros præmissis ad utrumque* capitulationibus. *Utrumque apographum conferre & repræsentare hoc loco juvat. Sic procedit codex posterior.*

INCIPIT CAPITULATIO LIBRI I DE HOMELIIS BEDÆ PRESBYTERI numero viginti quinque.

1. HOMELIA lectionis S. Evang. secundùm Lucam, Missus est Angelus Gabriel. *in primo cod.* Homelia Domni Bedæ. *in utroque sic incipit post Evangelii verba:* Exordium nostræ redemtionis hodierna sancti Evangelii lectio commendat, *&c. ut in editis ad diem Annuntiationis B. Mariæ.*

2. Homelia lect. S. Evang. sec. Luc. Exsurgens Maria, *inc. in utroque:* Lectio quam audistis sancti Evangelii.

3. Homelia lect. S. Ev. sec. Marcum, Fuit Johannes in deserto. *in priori codice*, Homilia Domni Bedæ DE ADVENTU DOMINI. *inc. in utroque*: Adventum dominicæ prædicationis Johannes præveniens, *&c.* ANN. CHR. DCC. XXXV. MAII XXVI.

4. Homelia lect. S. Ev. sec. Joh. Johannes testimonium perhibet. *inc.* Redemtoris nostri præcursor testimonium de ipso perhibens, *&c. deest in priori cod.*

5. Homelia Evang. sec. Matth. Cùm esset desponsata. *in priori* Homelia Domni Bedæ IN VIGILIA DOMINI. *incipit in utroque*: Nativitatem Domini & Salvatoris N. J. C. qui æternus ante sæcula, *&c.*

6. Homelia S. Evang. sec. Luc. Pastores loquebantur, *inc.* Nato in Bethleem Domino, *&c. ut in editis. deest in primo cod. citatur tamen à Jona Aurelianensi Episcopo lib. 2 de Instit. laic. cap. 16.*

7. Homelia Ev. sec. Joh. In principio erat Verbum. *in priori cod.* Homelia Domni B. IN NATALI DOMINI. *inc. in utroque*: Quia temporalem Mediatoris Dei & hominum, *&c. ut in editis.*

8. Homelia Ev. sec. Joh. Dixit JESUS Petro, Sequere me, dicenda IN NATALI S. JOHANNIS EVANG. *inc. in utroque*: Lectio S. Evangelii quæ nobis modò lecta est, *&c.*

9. Hom. Ev. sec. Matth. Angelus Domini apparuit, IN NATALI INNOCENTIUM, *inc. in utroque*: De morte pretiosa Martyrum Christi Innocentium, *&c. ut in editis.*

10. Hom. Ev. sec. Luc. Postquam consummati sunt dies octo IN OCTABAS DOMINI, *inc. in utroque*: Sanctam venerandámque præsentis festi memoriam, *&c. ut in editis.*

Hom. Ev. sec. Matth. Angelus Domini apparuit, dicenda IN VIGILIA EPIPHANIÆ. *nulla homilia in utroque apog.*

11. Hom. Ev. sec. Matth. Venit JESUS à Galilæa in Jord. *in priori cod.* Homelia Domni B. die sancto THEOPHANIÆ. *inc. in utroque*: Lectio S. Evangelii quam modò Fratres audivimus, *&c. ut in editis pro die octava.*

12. Hom. Ev. sec. Luc. Ibant parentes JESU per omnes annos. *in primo cod.* Hom. Domni Bedæ DOMINICA PRIMA post Theophania. *inc. in utroque*: Aperta nobis est, Fratres car. sancti Evangelii lectio, *&c. ut in editis.*

13. Hom. Ev. sec. Joh. Nuptiæ factæ sunt. *in primo cod.* Hom. Domni B. DOMINICA II post Theophania. *inc. in utroque*: Quòd Dominus ac Salvator noster ad nuptias vocatus, *&c. ut in editis.*

14. Hom. Ev. sec. Joh. Vidit Johannes JESUM venientem ad se. Hom. Domni B. DOMINICA III post Theophania. *inc.* Johannes Baptista & præcursor Domini. *sic in utroque cod. nisi quòd in capitulatione posterioris non exstat.*

15. Hom. Ev. sec. Luc Postquam impleti sunt, dicenda IN PURIFICATIONE S. MARIÆ, *inc. in utroque codice.* Sollemnitatem nobis hodiernæ celebritatis, *&c. ut in editis.*

16. Hom. Ev. sec. Joh. Erat dies festus Judæorum, *inc.* Duo pariter miracula humanæ sanationis hodierna nobis S. Evangelii lectio tradit. *deest in primo cod.*

17. Hom. Ev. sec. Joh. Voluit JESUS exire in Galilæam, Domni Bedæ post THEOPHANIA, *inc.* Audivimus ex lectione Evangelii, Fratres car. benignam Redemtoris nostri gratiam, *&c. deest in posteriori cod.*

18. Hom. Ev. sec. Matth. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui. *in primo cod.* Homelia Domni B. DOMINICA II in Quadragesima. *inc. in utroque*: Quia Dominus ac Redemtor noster Electos suos per hujus vitæ laborem ad illam quæ laborem nescit, *&c.*

19. Hom. Ev. sec. Matth. Egressus JESUS secessit in partes Tyri, *inc.* In lectione S. Evangelii quæ nobis modò lecta est, *&c. & hæc deest in primo, exstat in editis ad Dominicam 2 Quadrag.*

20. Hom. Ev. sec. Joh. Perrexit JESUS in montem Oliveti. *in primo apog.* Hom. Domni B. DOMINICA III Quadrag. Sabb. *inc. in utroque*: Præsentis S. Evangelii lectionem tantò intentiùs considerare, *&c.*

21. Hom. Ev. sec. Joh. Abiit JESUS trans mare Galileæ. *in primo cod.* Hom. Domni B. in Quadrag. *inc. in utroque*: Qui signa & miracula Domini ac Salvatoris nostri rectè cùm legunt, *&c. ut in editis ad Dominicam 4 Quadrag.*

22. Hom. Evang. sec. Joh. Descendit JESUS Capharnaum. *in primo cod.* Hom. Domni B. FERIA II in Quadrag. *inc. in utroque*: Solet movere quosdam, quòd in exordio hujus lectionis, *&c.*

ANN. CHR. DCCXXXV. MAII XXVI. 23 Hom. Ev. sec. Matth. Cùm adpropinquâsset JESUS Hierosolymis. *in primo cod.* Hom. Domni B. IN PALMIS. *inc. in utroque :* Mediator Dei & hominum homo CHRISTUS JESUS, qui pro humani generis salute & passurus, *&c. ut in editis.*

24. Hom. Ev. sec. Joh. Proximum erat Pascha Judæorum. *inc.* Moris esse prudentium solet, *&c. deest in primo apog. exstat in editis.*

25. Hom. Ev. sec. Joh. Ante diem festum Paschæ. *in primo cod.* Hom. Domni B. IN CÆNA DOMINI. *inc. in utroque :* Scripturus Evangelista Johannes memorabile illud Domini mysterium, *&c. ut in editis.*

In posteriori codice post librum primum homiliarum legitur : Explicit Homeliarum liber primus, numero XXV. *Et tamen in ipso codice exstant homiliæ dumtaxat* XXIII. *alias ex priori supplevimus. Pergit codex posterior.*

INCIPIT CAPITULATIO LECTIONUM S. EVANGELII, numero XXIV. in libro 2 ejusdem Auctoris.

1. HOMELIA S. Evang. sec. Matth. Vespere autem Sabbati. *in primo cod.* Hom. Domni Bedæ IN VIGILIA PASCHÆ. *inc. in utroque:* Vigilias nobis hujus sacratissimæ noctis, *&c. ut in editis.*

Hæc homilia legebatur in Vigilia, *hoc est in Matutino officio* Paschæ. *Et tamen in primo cod. inseritur hoc loco Homilia S. Gregorii in die sancto Pascha legi solita. Idem observa de* Vigilia Pentecostes, *infrà.*

2. Hom. Ev. sec. Luc. Stetit JESUS in medio discip. suor. *in primo cod.* Hom. Domni Bedæ FERIA III. in Pascha. *inc. in utroque:* Gloriam suæ Resurrectionis Dominus & Redemptor noster, *&c. ut in editis.*

3. Hom. Ev. sec. Matth. Undecim discipuli. *in primo ms.* Hom. Domni B. FERIA VI. in Pascha. *inc. in utroque :* Evangelica lectio, Fratres car. quam modò audivimus, *&c. ut in editis.*

4. Hom. Ev. sec. Luc. Una Sabbati valde diluculo. *inc.* Aperta nobis est, Fratres, de Resurrectione Domini & Redemtoris nostri lectio recitata, *&c. deest in primo cod. & in editis.*

5. Hom. Ev. sec. Joh. Modicum & jam non videbitis me. *in primo apog.* Hom. Domni B. IN DOMINICA II post Octabas Paschæ. *inc. in utroque :* Læta Domini & Salvatoris nostri promissa, *&c. ut in editis.*

6. Hom. Ev. sec. Joh. Vado ad eum qui misit me. *in primo cod.* Hom. Domni B. TERTIA DOMINICA post S. Pascha. *inc. in utroq.* Sicut ex lectione evangelica, Fratres car. audivimus, *&c. ut in editis.*

7. Hom. Ev. sec. Joh. Si quid petieritis Patrem. *inc.* Potest movere infirmos auditores, *&c. deest in primo cod. exstat in editis.*

8. Hom. Ev. sec. Luc. Petite & dabitur vobis. *in primo cod.* Hom. Domni B. in Lætania majore. *inc. in utroque:* Dominus & Salvator noster ad cælestis regni gaudia, *&c. non exstat in editis.*

9. Hom. Ev. sec. Luc. Hæc sunt verba quæ locutus sum, dicenda in ASCENSA DOMINI. *inc.* Adscensurus in cælum Dominus, *&c. in utroque ms. alia in editis.*

10. Hom. Ev. sec. Joh. Cùm venerit Paraclitus, dicenda DOMINICA post Ascensa Domini. *inc.* Ex multis sancti Evangelii locis invenimus, *&c. in utroque & in editis. Hæc homilia citatur ab Amalario lib. 1 de offic. cap. 37, item lib. 2 cap. 1.*

11. Hom. Ev. sec. Joh. Si diligitis me, IN VIGILIA PENTECOSTEN. *inc.* Quia Spiritus-sancti hodie, Fratres cariss. celebramus adventum, *&c. in utroque ms. & in editis.*

12. Hom. Ev. sec. Joh. Erat homo ex Pharisæis. *in primo cod.* Hom. Domni B. in Octav. Pentecost. *inc. in utroq.* Sicut ex lectione S. Evangelii, Fratres cariss. audistis, *&c. exstat in editis ad diem Inventionis S. Crucis, & citatur in Epistola quam Hincmarus Remensis Archiepiscopus scripsit nomine Concilii Tusiacensis ad Rodulfum Bituricensem & Frotarium Burdigalensem Antistites.*

13. Hom. Ev. sec. Luc. Fuit in diebus Herodis, dicenda IN VIGILIA S. JOHANNIS. *inc.* Venturus in carne Dominus & Redemtor noster, *&c. in utroque ms. & in editis.*

14. Hom. Ev. sec. Luc. Elizabeth impletum est tempus, dicenda IN NATIVIT. S. JOHANNIS BAPT. *inc.* Præcursoris Domini Nativitas, *&c. in utroque cod. & in editis.*

15. Hom. Ev. sec. Joh. Dixit JESUS Simoni Petro, dicenda IN VIGILIA Apost. Petri & Pauli. *inc.* Virtutem nobis perfectæ dilectionis, *&c. in utroque mſ. & in editis.*

16. Hom. Ev. sec. Matth. Venit JESUS in partes Cæsareæ, dicenda in NATALE Apost. Petri & Pauli. *inc.* Lectio S. Evangelii quam modò Fratres audistis, tanto intentiùs cogitanda, *&c. in utroque mſ. & in editis.*

17. Hom. Ev. sec. Matth. Dixit Simon Petrus ad JESUM: Ecce nos reliq. omnia, dicenda IN NATALI S. BENEDICTI, *Biscopi scilicet. inc.* Audiens à Domino Petrus, *&c. ut in posteriori apog. & in editis. deest in primo mſ.*

18. Hom. Ev. sec. Matth. Accessit ad JESUM mater filiorum Zebed. IN NATALE S. JACOBI APOST. *addit primus codex* Jacobi fratris Domini. *inc. in utroq.* Dominus conditor ac Redemptor noster vulnera superbiæ nostræ, *&c. ut in editis.*

19. Hom. Ev. sec. Matth. Exiens JESUS de finibus Tyri. *inc.* Surdus ille & mutus quem mirabiliter curatum à Domino, *&c. ut in editis. deest in primo cod.*

20. Hom. Ev. sec. Matth. Audivit Herodes tetrarcha, *dicenda* IN DECOLLATIONE S. JOHANNIS BAPT. *inc.* Natalem, Fratres cariss. B. Johannis diem celebrantes, *&c. ut in editis. deest in primo cod.*

21. Hom. Ev. sec. Joh. Facta sunt encænia, dicenda IN DEDICATIONE ECCLESIÆ. *inc. in utroq.* Audivimus ex lectione evangelica, Fratres cariss. quia facta sunt encænia, *&c. ut in editis. In posteriori cod. hæc homilia sequenti postponitur, præponitur in priori.*

22. Hom. Ev. sec. Matth. Vidit JESUS hominem in teloneo, *dicenda* IN NATALE S. MATTHÆI Apost. *inc. in utroque:* Legimus Apostolo dicente, quia omnes peccaverunt, *&c. ut in editis.*

23. Hom. Ev. sec. Joh. Stabat Johannes & ex discipulis ejus duo, dicenda IN NATALE S. ANDREÆ Apost. *inc. in utroque:* Tanta ac talis est Scripturæ divinæ sublimitas, *&c. ut in editis pro Vigilia festi.*

24. Hom. Evang. sec. Joh. Voluit JESUS exire in Galilæam. *inc.* Audivimus ex lectione evangelica, Fratres cariss. benignam Redemtoris nostri gratiam, *&c. deest in primo cod. utpote lacero.*

Sic verò desinit codex posterior: Explicit Homeliarum liber secundus Bedæ Presbyteri, numero XXIV.

32. *Ex his intelligimus, homilias in* Dominicos dies post Trinitatem, *item in festos* S. Stephani Protomartyris, S. Scholasticæ, S. Mariæ Magdalenæ, Transfigurationis Domini, Adsumtionis B. Mariæ, S. Bartholomæi, Nativitatis B. Virginis, S. Michaëlis, S. Lucæ, Præsentationis B. MARIÆ, *& alias* de Communi Martyrum, *&c. aut subditicias esse, aut dubias, aut certè ex sinceris Bedæ commentariis in Marcum & Lucam expressas. Certè* Homilia de S. Scholastica *S. Bertario Abbati Casinensi tribuitur in Casinensi cod. mſ. &* sermo in festo omnium Sanctorum *legi solitus adscribitur HRabano Mauro in apographis nonnullis, nescio an bene. Illud movet, quòd Festum omnium Sanctorum institutum est à Gregorio Papa III, ut probant veterrima Usuardi exemplaria, & Menardus noster in librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 184. at sermo iste Bedæ stilum sapit. Denique sermo Bedæ adscriptus in versum Psalmi,* Dominus de cælo prospexit super filios hominum, *&c. haudquaquam ipsius Bedæ est, cùm in eo referatur testimonium petitum ex Vita Gregorii Magni, à Iohanne Diacono scripta post annos centum & quinquaginta à morte Bedæ Venerabilis.*

33. *Sunt qui Bedæ Expositiones in Pauli Epistolas ex libris S. Augustini excerptas cuidam Floro, Monacho (ut Trithemius putat) Trudoniano tribuendas existimant. Sic enim præfert egregium apographum Corbeiense, duobus voluminibus distinctum:* Expositiones epistolarum S. Pauli Apostoli ex libris S. Augustini Doctoris eximii à quodam Floro collectæ. *Et in fine:* Compositus est liber iste, *id est scriptus*, à Richero Subpriore & Johanne suo scriptore monoculo, anno quo restituta est Ecclesia S. Johannis Corbeiæ, & Turonis est secunda sedes Romanæ urbis (*Alexandro Papa III Turonis Sy-*


Ann. Chr. DCCXXXV. Maii XXVI. *nodum agente*) anno MCLXIV, Ludovico Rege Francorum, Theodorico Episcopo Ambianensi, Johanne Corbeïæ Abbate. *Verùm expositiones istæ, quæ duobus illis voluminibus continentur, eadem ipsa quæ in Bedæ operibus exstant, sunt verus ac genuinus Bedæ fetus, tum quia ipse in syllabo operum suorum meminit earum expositionum, tum quia alia reperitur commentatio*, Flori nomine *prædita, non tantùm ex Augustini, sed & aliorum Patrum operibus contexta, qualis penes Petrum Franciscum Chiffletium Soc.* Jesu *virum eruditissimum manu descripta habetur, ad eum modum quo Claudius Scottus, postea Taurinensis Episcopus, aliam in Pauli itidem Epistolas ex Augustini aliorúmque Patrum sententiis desloravit. Et tamen Ratbertus Monachus in lib. de casibus Monasterii S. Galli cap. 10 memorat* Collectanea Flori Presbyteri de voluminibus S. Augustini in Epistolam Pauli ad Romanos : *& paullo pòst* Collectanea Flori in Epist. ad Corinth. secundam & ad Hebræos : *Denique Lupus Abbas Ferrariensis* Collectaneum Bedæ in Apostolum ex operibus Augustini *laudat in epistola 76.*

34. *In editis Bedæ operibus desiderantur (ni fallor) genuina ejus opera quædam, nempe* Explanatio in Canticum Habacuc, *quæ in apographo nostro num. 275 hoc præfert exordium :* Canticum Prophetæ Habacuc quod tibi exponi petisti, dilectissima in Christo Soror, sacramenta dominicæ Passionis maximè pronuntiat. Unde ex consuetudine sanctæ & universalis Ecclesiæ sextâ sabbati, qua eadem Passio completa est, solet in laudibus matutinis per singulas hebdomadas sollemniter repeti, *&c. Item desideratur* Carmen de divino judicio ad Accam Episcopum, *editum à Simeone Dunelmensi Monacho in libro de gestis Regum Angl. qui Bèdæ etiam in ms. cod. Thuaneo adscribitur.* Epistola de sexta mundi ætate ad Plegwinam, *quæ unà cum* Historia Abbatum Monasteriorum Wiremuthensis & Girwensis *&* Epistola ad Egbertum Eboracensem Antistitem *à Vvaræo nuper vulgata est.* Sincerum Bedæ Martyrologium *in tomo 3 Martii Bollandiani recèns in lucem prodiit : in quo tamen an* Festum omnium Sanctorum *locum habere debeat, dubium est, cùm Beda quatuor tantùm annis vixerit post creationem Gregorii Papæ tertii, qui hujus sollemnitatis auctor est. Istius Martyrologii verba de S. Lupo Tricassino Episcopo adducit Herricus noni sæculi auctor in libro 1 de Mirac. S. Germani Episc. Autisiod. cap. 15. quædam etiam refert Amalarius libro 2 de divin. off. cap. 24. qui auctor fallitur in libro 4 capp. 39 & 41 in citando Bedæ libro de Vita S. Cuthberti. Ea enim verba quæ memorat, in neutra Bèdæ lucubratione de S. Cuthberto ; at in ea quam anonymus quidam Monachus Lindisfarnensis tribus libris in Martio Bollandiano editis adornavit, reperitur. In perantiquo & optimo apographo nostro num. 546, in quo Bedæ opus de computo habetur, leguntur* Versus Domni Bedæ ad componendum horologium, *hoc initio :*

Quos cursus solis jungant sua tempora menses,
Carmine nunc, lector, paucis adverte, docebo.

Verùm hi versus non Bedæ, sed Vvandalberto Diacono Prumiensi tribuendi sunt. In eodem cod. ms. exstant etiam plures scriptiones de Computo, *in his* Exceptio vel Expositio Computi Herici *Monachi, illustrando Bedæ commentario instituta, cujus Prologus sic se habet.* Cùm quibusdam Fratribus nostris adolescentulis quædam calculatoriæ artis rudimenta communi sermone explicare cœpissem, hujusce quoque non contemnendæ (ut multi arbitrantur) doctrinæ aliquid impertirem, quos in arte Grammatica, prout divina auxiliata est munificentia, aliquatenus introduxeram ; nescio quo accensi desiderio, instare vehementer cœperunt, quatenus ea quæ viva voce depromseram, multorum utilitati profutura qualitercumque scripto ederem.

ederem. Quibus obnixiùs renitens, id quod ostenderam superesse libros de hac eadem re .·. præcipuè Venerabilis viri Domini BEDÆ Presb. *&c.* *Sub finem exposit.onis Auctor scribere se indicat* anno DCCCCLXXX, Indict. VIII. *ut proinde alius sit ab Herrico Monacho Autissiodorensi, qui integro sæculo fuit superior. an verò Helpericus Cœnobii S. Galli Monachus, qui librum de Computo scripsit, testante Trithemio lib. 2 de Vir. illust. Ord. S. Bened. cap. 77. Lege* Carmen de Psalmo 122 *in tomo 6 antiq. lect. Canisii pag. 619, Bedæ Venerabili adscriptum, si tanti est.* ANN. CHR. DCC XXXV. MAIIXXVI.



VITA SANCTÆ FRIDESVVIDÆ

CIRCA AN. DCC XXXV. OCT. XIX.

VIRGINIS OXONIENSIS IN ANGLIA.

Ex ms. Legendario Fontanellensi, & Vuillelmo Malmesburiensi Monacho.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *QVOD deest Vita S.* FRIDESWIDÆ * *in ms. Legendario Fontanellensi, supplemus ex Vuillelmi Malmesburiensis Monachi libro 4 de Pontificibus Anglorum, ubi agit de Episcopis Lincolniensis Ecclesiæ, ad quam attinebat Oxonofordia seu Oxonium, urbs modò Vniversitate celebris, in qua Fridesvvida lucis usuram accepit.*

* S. Frevvisse.

2. *Fridesvvida pluribus in locis colitur, non tantùm in Anglia, sed & in Gallia & civitate Romana. In Gallia quidem sesqui-lapide à Tarvenna exstat vicus quidam,* Bomy *vulgò appellatus, in quo Fridesvvida patrona honoratur. Fontanellenses nostri eam etiam proprio quondam officio venerabantur. Romæ verò etiam Oratorium etiam nunc obtinere dicitur apud Malbrancum in libro 4 de Morinis capp. 61 & 62, & in Scholiis, qui propterea opinatur eam Romam aliquando profectam esse. In Chronologia Saxonica* Frithogita *quadam* Romam perrexisse *anno* DCC XXXVI *perhibetur. an Fridesvvida? Lege Monasticum Anglicanum pag. 173, Matthæum Parisium, Capgravium & Harpesfeldum.*

1. ANNO ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI, Regis omnium sæculorum septingentesimo septimo circiter vigesimo septimo, cùm in effera gente Anglorum, quæ Britannicam Insulam invaserat, verbum Dei effloruisset, fructúmque plurimum produxisset; subregulus quidam DIDANUS nomine, vir catholicus & omni morum honestate præstantissimus, civitatem quæ linguâ Saxonicâ Oxonefordia denominatur, incolatus sui frequentatione honestabat. Hic nutu divino uxorem moribus suis congruam FRIDEWISDAM* accepit, de qua morum magis quàm prædiorum heredem suscepit unicam videlicet filiam, quam fonte sacri baptismatis ablutam FRIDEWISDAM appellari præcepit.

Fridesvvida prænobilis,

* l. Safridam

2. Transacto quippe quinquennio in diligenti educatiône, litterarum studiis erudienda traditur sub matronæ cujusdam admodum religiosæ disciplina, cui nomen erat Algina. Felicis quidem posteritatis quoddam quasi felicissimum præsagium in ipso ejus disciplinæ primordio adeo enituit, ut perspicuum foret omnibus, quoniam mentem illius sanam sibi

piè educatur.

CIRCA AN. DCC XXXV. OCT. XIX.

habitaculum præelegerat Spiritus-sanctus. Nec adultam adhuc ætas eam proprio consignat viro, cùm jam mater ejus de medio decessisset. Altero igitur viro carens Virgo, solatio patri protegenda relinquitur, quem saluberrimis, quoad potuit, impellebat monitis, ne pigritaretur iturus hinc in brevi, quò processit tori socia, animæ suæ remedia quærere.

Christo virginitatem vovet.

3. At ille, ut adsolet, conjugis nuper amissæ dolore perculsus, & assiduis dilectissimæ filiæ precibus compulsus, Ecclesiam infra urbis ambitum construxit, & in honore sanctæ ac sempiternæ Trinitatis, sempérque Virginis Dei genitricis MARIÆ, omniúmque Sanctorum dicatam filiæ commendavit poscenti. Ipsa verò Ecclesiam ingressa, divinissimis se studiosissimè mancipabat operibus, suam Domino pudicitiam sedulis commendans precibus, pietatis viscera aperiebat petentibus, larga præbens manu quæ poscebant egentibus. Mundi etiam fertur postposuisse gloriam, sic ad supremam anhelasse patriam, ut jam propemodum carnis cerneretur deposuisse sarcinam, & immortalitatis tunicam induisse. Non enim corpus alebat escis, sed spiritum tantùm protrahebat. Pater verò beatæ virginis Fridewisdæ, hilaris admodum effectus tripudiabat, quia heredem quam terrenarum rerum putabat præstari superstitem, jam ad cælestia cernebat anhelantem.

Monacha efficitur cũ aliis duodecim.

4. Et quidem ut omnem spem corruptibilis posteritatis eam plenè postposuisse constaret, exegit à Patre Monachorum ut mereretur habitum suscipere. Hoc proposito filiæ Rex Didanus inæstimabiliter gavisus, accersiri jubet propriæ diœcesis Episcopum, filiæque carissimæ habitum dari Monacharum impetravit. Æmulatione profectò beatissimæ Virginis duodecim ferme nobilibus ortæ natalibus puellæ relictis omnibus secutæ sunt Dominum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus ejus juxta exemplum Deo dilectæ Fridewisdæ: & si ei æquari non potuerunt meritis, consortes tamen ejus fieri nitebantur participatione regni cælestis. Ex Regis ergo munificentia diversoria Religioni aptissima secus Ecclesiam construuntur, ubi dulciflua diebus ac noctibus Virginum mente consona cum voce psalmorum & hymnorum modulata resonabat suavitas.

5. Interim Rex ipse gravissima tactus febre decidit in lectum: atque ad extrema perductus, corporis Christi munitus viatico dormivit cum patribus suis, in senectute bona complens dies suos. Beata igitur Fridewisda utriusque parente destituta solatio, ad Patrem qui in cælis est ardentiùs anhelabat, & quibus poterat gressibus ad eum properabat. Protelabat enim jejunia, orationibus insistebat continuis, & præterea per diem centies, centiésque per noctem flexis genibus quem dilexerat anima illius exorabat.

Dæmonis ludificantis speciem agnoscit.

6. Sed quis in mundo prævalet esse bonus, cui non invideat qui singulariter est malignus? Omnes namque conatur dejicere, qui primum hominem à paradisi gaudiis potuit propellere. Et quia beatæ Virginis animum nullius stimulo suggestionis potuit evertere, ad dimicandum cominus corporeis oculis ejus corporalem speciem exhibuit: elatúsque in antiquæ vesaniæ suæ præsumtionem qua se Altissimo similem fore promittebat, Christum se esse mentitur, magnáque dæmonum constipatus catervâ, Angelorum lucis speciem mentientium, his Virginem aggreditur: Veni, dilecta mea, quia tempus est ut percipias immarcessibilem gloriæ coronam, quam promeruisti. Venĩ & ad pedum meorum provoluta vestigia, quem diu desiderasti adora. Apparere quidem tibi ob hoc volui, ut me ad quem tanta aviditate suspiras, in hac etiam vita mortali concupisceres, & me adorato ad perpetuæ vitæ commodum absque corporis incommodo prævaleres ingredi. Cui Virgo sancto edocta Spiritu, cujus instinctu humani generis hunc

Circa An. DCCXXXV. Oct. XIX.

fuisse deprehendit inimicum, ita infit: Quid, miserrime, quod nec habes, nec habere per superbiam vales, aliis promittere præsumis? quid tibi cum vita immortali, qui vivens mortuus es, & manens semper in interitum vergis? Sed & ego infelix & miserrima peccatrix interitus tui particeps fuissem, nisi Redemtoris mei Christi, quem tu te esse nefandissimè mentiris, misericordia prævenisset. Ipse enim spes mea à juventute mea. Hæc humillima Virginis verba superbus ille non sustinens spiritus, evanuit, & aërem ululatu horribili fœtoréque pestifero implevit. Beata quidem virgo Fridewisda in oratione perseverans persisténsque in vigiliis, æquo erat animo, & permansit intrepida.

Algari Regis nuptias illicitas respuit.

7. Commentor impietatis diabolus quamvis victus & confusus abscesserit, tamen contra beatam Virginem ab impugnationis suæ arte non quievit. Regem namque ALGARUM [a] satis semperque nefandum aggreditur, & virginis Fridewisdæ jam amore tactum impudicè inflammavit, & ut à sanctimoniali habitu dejiciat instanter suggerit. His suggestionum stimulis Rex furibundus connectatus quasi amens prosilit, nuntios accelerare præcipit, qui summa cum festinatione Fridewisdam adducant, & nolentem æquè ut volentem properare compellant. Nec mora nefandissimi Regis nefandi cursant nuntii, & emenso celeriter multarum terrarum spatio ante conspectum Fridewisdæ adsistentes, his eam aggrediuntur compellare sermonibus: Rex, inquiunt, Algarus ad te, ô Fridewisda, nos direxit, legationis siquidem tibi profuturæ causâ. te sibi tori sociam Rex vehementissimè affectat, & matrimoniali vinculo conjungere, & participem efficere regni. Quibus Virgo mitissimo ut erat semper animo, submissa humiliter voce: Si me, inquit, hominis connubio sociare disposuissem, nequaquam Regis Algari postulationi contradicere deberem. nunc quia Regi immortali Christo desponsata sum, nefandum sanè arbitror, ut eo contemto adsensum mortali præbeam moritura cum eo, & fructu immortalitatis despecto posteritatem mortalem cum detrimento integritatis quæram.

Ex WILLELMO *Malmesburiensi Monacho.*

Ejus persecutiones declinat.

8. SED ille cùm ad Virginis nuptias appulisset animum, precibus & blanditiis inaniter consumtis vi agere intendit. Quo Frideswida cognito, fugæ in silvam consuluit. Nec latibulum latere potuit amantem; nec cordis desidia obfuit, quin persequeretur fugitantem. Iterato ergo Virgo juvenis furore comperto, per occultos tramites Deo comitante Oxenfordiam ingressa est nocte intempesta. Illuc cùm mane curiosus amator devolasset, puella jam de fuga desperans, simulque præ lassitudine nusquam progredi potens, Dei tutelam sibi, persecutori pœnam imprecata est. Jamque ille cum comitibus portas subibat urbis, cùm cælesti plaga irruente, cæcitatem incurrit: intellectóque pertinaciæ delicto, & Fredeswidâ per nuntios exoratâ, eadem celeritate qua perdiderat lumen accepit. Hinc timor Regibus inolevit Angliæ, illius urbis ingressum & hospitium cavere: quòd feratur pestiferum esse singulis refugientibus, sui damno periculi, rei veritatem experiri. Ibi ergo femina virginei triumphi compos statuit Monasterium, & diebus suis Sponso vocante subivit fatum [b].

Regi devictus cæcato lumen reddit.

Moritur. [b]

[a] Algarus iste inter Britanniæ Reges ignotus. is forsan Regulus quidam fuit. Bonifacius Maguntinus Antistes & Martyr in epistola 19 ad Ethelbaldum Anglorum Regem meminit inter alios Osredi Regis, quem *spiritus luxuria fornicantem & per Monasteria Nonnarum sacratas virgines stuprantem agitavit.*

[b] In historia Johannis Tinemuthensis hæc leguntur: *Anno* DCCXXXV *Fridesvvida virgo hoc tempore obiit.* colitur die 19 Octobris. In Chronico Johannis Bromtonis memoratur *anno* MLXXX *Translatio S. Fridesvvida apud Oxoniam.*

BBbb ij

Circa An. DCCXXV. Oct. XIX.

9. Tempore verò Egelredi a, cùm Dani neci adjudicati in Monasterium illud confugissent, pariter cum domibus insatiabili ira Anglorum flammis absumti sunt. Sed mox Regis pœnitentiâ purgatum sacrarium, restitutum Monasterium, veteres terræ redditæ, recentes possessiones additæ. Nostro tempore, paucissimis ibi Clericis qui pro libito viverent residuis, datus ille locus à Rogero b Salesberiensi Episcopo, Guimundo excellentis litteraturæ & non aspernandæ religionis Canonico: qui non inoperosè commisso insudans muneri, multos ibi Canonicos regulariter victuros Deo exhibuit.

a Ethelredum seu Adelredum vocant, qui anno MIV Danos Angliam incolentes perimi jussit.

b Nempe anno MCXI, uti ex Chronicis Tinemuthensis Cœnobii legitur in Monastico Anglicano.



Ann. Chr. DCCXXXVII. April. XXV.

VITA SANCTI ERMINONIS EPISCOPI ET ABBATIS LAUBIENSIS IN BELGIO,

Auctore æquali Ansone ejusdem Cœnobii Abbate.

Ex ms. cod. Prioratûs S. Arnulfi Crispeiensis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ scriptores.

1. *LIBRUM de vita S.* Ermini * *seu* Erminonis *Abbatis ab* Anso, *aliis* Ansone *scriptum fuisse auctor est Fulcuinus in lib. de gest. Abbatum Laubiens. cap.* 9. Exstat libellus, *inquit*, vitæ S. Ursmari ad prædecessorem ejus Theodulfum Episcopum ab eo conscriptus; item & S. Ermini alius: in quibus quidem veritas historiæ quantum à simplicis eloquentiæ viro describi potuit, amplectenda est, *&c. Hunc librum scribebat Anso regnante Pippino Caroli Magni parente, ut patet ex his ipsius verbis num. 10.* Et ita demum cernimus nos sublimatum eum (Pippinum) in universo Regno Francorum, sicut sanctus Ermino prædixit fore fiendum. *Ansonis lucubrationem quam nunc primùm ex ms. cod. Prioratûs S. Arnulfi apud Crispeium in Valesia eruimus, interpolavit anonymus Monachus Laubiensis, quem ex apographo Compendiensis Abbatiæ excepimus. Interpolatorem omittimus præter versus nonnullos, quos in Notationes referre visum est.*

* S. Erme.

Erminus an Episcopus.

2. *Erminonem* Episcopum *fuisse, uti & ipsius antecessorem Ursmarum, disertè adfirmant Anso & Anonymus, quibus Baldericus in Chron. Camerac. lib. 2 cap. 38, aliique adstipulantur. Lege quæ de S. Ursmaro & de Cœnobio Laubiensi diximus suprà ad ann. 713.*

Prologus.

1. DUM Apostolorum præcepta exemplàque Patrum recitantur, & victoriæ Martyrum ac conluctationes Confessorum adversus spiritalia nequitiæ in cælestibus contra principes tenebrarum rectorésque leguntur; corda audientium compunguntur, atque ad amorem cælestis patriæ inflammantur aliquanti, sicut scriptum est: Melius per exempla quàm per prædicamenta gradiuntur. Et unusquisque audiens ad * meliora præcedentium Patrum opera quàm se vindicare cognoscat, humiliatur, atque ad eorum beatitudinem pervenire quantocius festi-

* f. dum meliora . . . quàm sua veridicè cognoscit.

Ann. Chr. DCCXXXVII. April. XXV.

nat. Ego verò hæc ita esse considerans, adjuvante Domino opto, si possim, breviter succinctus transcurrere, qualiter in hac luce beatus Ermino Episcopus bonorum memoriâ dignus versaverit.

Ermino Laudunensis fit Presbyter.

2. Igitur S. Ermino oriundus fuit in pago Laudonense non infimis parentibus[a], sed ex mediocri gente Francorum. Et quamvis nobilis esset progenie, nobilior tamen erat mente. Cùm autem litteras divinámque Scripturam pleniter didicisset, propter incomparabilem vitam & religionem devotissimam ad Presbyterii honorem sublimatus est, séque commendavit cuidam Pontifici nomine Madelgario[b].

Ursmaro familiaris,

3. Cúmque cotidie ad meliora proficeret sub præfato Pontifice, cœpit fama illius & bona conversatio longè latéque diffundi, ita ut sanctus Dei Ursmarus Episcopus atque Abbas de Monasterio, quod derivativè ex nomine fluvioli decurrentis per Monasterium in amnem qui propriè nuncupatur Sambra, vocatur Laubacis, hæc audiens vocaret sibi eum familiarissimum amicum, tactus corde spiritali affectu. Qui cernens illum in bonis versantem operibus, præcepit illi ut frequenter ad se conveniret gratiâ visendi. Ita crebrò agebat, & mores perfectos conversationémque sanctam velut apis prudentissima ab eo hauriebat.

Hailedaldo petente, Laubacum se recipit.

4. Factum est autem non multum post hos dies, ut homo magnus in palatio Pippini filius * Ansegisi, nomine Hailedaldus, iter ageret per territorium Laudonense. Cùm autem audisset prædictus Madelgarius Episcopus transitum tanti viri per suam diœcesim, studuit ei præparare prandium locupletissimum donáque multa valde. Cúmque pervenisset vir ille procerus ad domum Episcopi, audissétque quòd multa ei dona dare decrevisset, arcessivit eum ad se & ait illi: Rogo te, ne des mihi quidquam de tuis facultatibus in domo tua, nisi quod petam à te. At ille respondens dixit: Pete quodcumque volueris, & ego tibi gratanter tribuam. Tunc gaudens Hailedaldus de pollicitatione Episcopi dicit ei: Petitio mea nihil est aliud, quàm ut permittas unum de tuis Presbyteris, nomine Erminonem, ire ad Monasterium quod vocatur Laubacis[c], atque ibidem stabiliter permanere, ubi S. Ursmarus Pater Monachorum esse cernitur, ut illic cœptum opus ad finem felicem perducat. Audiens autem Madelgarius talem petitionem, quamvis molestè accipiens, tamen nec voluit renuere, nec potuit; sed ilico concessit dicens: Pergat quocumque volueris. Qui statim misit illum ad prædictum Monasterium S. Ursmari. qui recipiens eum hilariter in suo sancto Cœnobio, & secundùm morem[d] ibidem degentium fecit spondere observare Regulam, & obedientiam exhibere majoribus, caritatis dilectionem minoribus: quod ita postea implevit devotus.

* l. filii

Monachus profitetur.

Rectè se gerit.

5. Receptus sanè secundùm ordinem, in sancta se humilitate atque obedientia constrinxit, ut omnes pæne antecederet. Qui imitatus vitam S. Ursmari morésque, ad summum apicem Christianæ Religionis attigit. Do-

a Addit Interpolator: *Sicut conjici datur ex redditibus adhuc pro parte provenientibus nobis, ejus in eodem pago (ut dicitur) possessionis.* nimirum in vico qui nomen à Sancto accepit *S. Erme*, medio Corbiniacum opidum inter & celebre Templum Deiparæ Lætitiensis: quo in vico habetur Prioratus S. Erminonis, modò Remigianæ apud Remos Abbatiæ subjectus. Ermino *prædium suum Erclì* (fortean id priscum loci natalis nomen) *in usibus Fratrum expendisse* fertur apud Baldericum in Chron. lib. 2 cap. 38.

b Is est Madelgarius Lugduni Clavati seu Lauduni Episcopus, qui S. Anstrudem Abbatissam vexâsse dicitur in Vita ipsius Anstrudis Sæculo 2, ad ann. 688.

c Anonymus addit: *in cujus structura videor desudare.*

d Notanda hoc loco verba Interpolatoris: *more Conversorum receptus, monasticam mox est vitam professus.* ubi *Conversorum* nomine, non Fratres laïcos quos nunc vocamus, intelligit, sed homines jam adulta ætate è sæculo conversos, qui hac appellatione distinguebantur tum à pueris Monasterio oblatis Deóque consecratis, tum à Monachis laïcis, qui habitum religiosum, non tamen coronam clericalem seu monasticum gerebant. Lege Præfationem huic Sæculo præfixam.

ANN. CHR. DCCXXXVII APRIL. XXV.

minus enim tantam illi gratiam contulit, ut nullus esset qui non illum ex affectu diligeret. Nihil quidem arrogantia, nihil superbia de ejus moribus usurpabat: sed omnibus benivolus, in terra positus, cælestibus se habitu & moribus ostendebat.

Sufficitur S. Ursmaro,

6. Senescente verò S. Ursmaro graviterque infirmante, permiserunt spiritales filii sui ei licentiam deponendi se de culmine regiminis: qui depositus cœpit suadere eis, ut hoc ipsum jugum imponerent Erminoni Episcopo [a]. Protinus vox omnium Clericorum ac laicorum una efficitur, ita ut nullus in his omnibus inveniretur, qui non ejus electionem clamaret. Sublimatus quoque in fastigio regiminis, statim sic apparuit aptus & devotus officio, tamquam si quod noviter scanderat, jugiter præfuisset. Fuit itaque in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in caritate perfectus, in humanitate profusus, in doctrina præcipuus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus, in hospitalitate lætissimus, venerans in eis Christum verum hospitem; & sinceritatem mentis vultûs sui sinceritate monstrabat, & pietatem clementissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis. Quidquid ad salutem pertinere possit æternam, non minùs implebat beatissimi operis studio, quàm sermonis prædicatione docebat. Maximè ex omnibus enumeratis virtutibus orationi incumbebat, ita dumtaxat ut fere nullo tempore eum quis potuisset reperire, quo non oraret vel psalleret.

virtutibus clarus.

Caroli victoriam prædicit, b

7. Quem nonnulli ferunt habuisse spiritum prophetiæ, sicut narrare solet vir vitæ venerabilis Fladbertus nomine, discipulus illius, testis valde idoneus. porro quæ narro, eo referente cognovi [b]. Nam cùm RAGENFRIDUS committeret bellum adversus CAROLUM, eodem namque die priusquam pugnarent, vir Domini Ermino post matutinas laudes Fratribus quiescentibus ipse secundùm consuetudinem solus in Oratorio psallebat. Cúmque diu decantaret, sopor inruit in eum in tantum ut pæne stare non posset. Repugnante autem illo ac reluctante vox facta est ad eum, dicens: Caroli est victoria. At ille surgentibus Fratribus congregatísque in unum, narravit eis quod sibi dictum fuerat. Et ita postea probavit eventus: quia fugato Ragenfrido exercitúque illius vulnerato fere usque ad internecionem, Carolus universum Regnum Francorum redegit in suam potestatem, sicut dictum fuerat S. Erminoni Episcopo.

& Radbodi interitum.

8. Nec illud æstimo fore silendum quod dixit post indaginem sancti Spiritus, quando interiit vir gentilis nomine RADBODUS Princeps Frisianorum. Igitur cùm completa esset malitia præfati viri Radbodi, cœpit adunare turbas gentilium exercitúmque valde copiosum, cupiens inrumpere in Francorum terras, ut suam in eis ultionem exerceret. Hæc audientes Franci metuebant eum nimis, reminiscentes quòd olim ab eo graviter vulnerati terga vertissent. Tunc misertus Dominus servis suis, non permisit illum intrare in Regnum Francorum, sed percussit eum & mortuus est [c]. Contigit autem ut ipsa die sanctus Ermino equitaret de suo Monasterio ad villam quæ vocatur *Fleon.* circa horam fere diei nonam paullulum præfigit

a Immo Monacho, sed paullo pòst futuro Episcopo. Interpolator annos regiminis S. Ursmari describit his verbis: *Rexerat autem idem Monasterium Laubacense decem & septem annorum ferme tempore, Pippino seniore Francis imperante.* Et infra: *De cujus vita luculentissimè editus habetur apud nos libellus. Sed & à S. Ermino de ejus virtutibus exstant versus compositi ad summam elementorum per alphabetum distincti.*

b Interpolator etiam hæc verba sibi arrogavit. *quo referente,* inquit, *cognovimus ea qua nos quoque ipsi referimus.* Nec uspiam primarii Auctoris meminit. Adeo cavendum est ab istiusmodi Interpolatoribus, qui sæpe ætatem seu prudentes, seu imprudentes mentiuntur, dum primariorum Scriptorum verba exscribunt.

c Huc refert Interpolator id quod in Vita S. Vulframni de Radbodi baptismo omisso & morte insecuta dicitur.

gradum, & ait circumstantibus sibi comitibus: Verè dico vobis, quia cecidit modò terrena & sublimis altitudo. Illi qui cum eo erant notantes diem & sollicitè conquirentes, invenerunt quòd percussus ac mortuus esset vir præfatus eodem die eadémque hora, eo ipso momento, quo S. Erminoni fuerat revelatum. ANN. CHR. DCCXXXVII. APRIL. XXV.

9. Non multum, ut arbitror, post hoc tempus dùm Carolus iter ageret secus Monasterium S. Erminonis, fertur dixisse suis famulis: Eamus ad Monasterium Laubacis. Statímque perrexerunt coqui ac pistores cum reliquis ministris ad Monasterium dicentes: Carolus insequitur iter nostrum. Sanctus verò Ermino cantabat psalmos, orabátque in Oratorio quod sibimetipsi dedicaverat in honore S. MARIÆ sempérque virginis, & S. Joannis Evangelistæ & S. Andreæ. Cùm autem repleretur pæne omnis locus Monasterii de exercitu prædicti Principis, Præpositus Monasterii MARTINUS nomine, misit unum de Monachis ad prædictum Oratorium, ut suaderet Episcopo egredi ad eos ob adventum Caroli. Qui cùm introisset, ille decantabat hunc psalmum: *Deus judicium tuum Regi da & justitiam tuam filio Regis.* Tunc qui missus erat, dixit ei humiliter quod sibi fuerat imperatum. At ille respondens præcepit illi dicens: Egredere hinc. Quo egresso ipse nihilominus psallebat. Martinus autem misit alium, simile illi mandatum dans. Profectò sanctus Ermino & hunc jussit similiter egredi, ab oratione tamen non cessans. Denique Martinus jam felle commotus ingressus est ad eum cum furore & dixit: Mirabile est quod agis. cur non egrederis ad nos, & dices quid facere debemus, quoniam senior noster Carolus hîc quantocius festinat venire? At ille completa oratione hac, repletus spiritu prophetiæ dicit illi: Vade ad eos qui hîc advenerunt foras, & quodcumque habent necesse impertire illis, simúlque dic eis ut exeant post dominum suum: quia verè dico tibi, non est Carolus visurus hoc Monasterium in hoc anno. Qui parens imperio pii Patris, dedit eis omnia necessaria: ac sic sunt omnes à Monasterio regressi, & Carolus iter quod cœperat peregit, ut sermo S. Erminonis impleretur. quod Dominus illi oranti revelaverat in auriculam cordis ejus. Caroli adventū Laubias, remissum prævidet.

10. Iterum fore haud arbitror tacendum, quod Dominus dignatus est illi revelare de Pippino filio Caroli cùm nasceretur. Itaque nato puero contigit venisse à Carolo quemdam hominem ad Monasterium plurimè dictum, locutúmque fuisse cum homine Dei Erminone. Cúmque diu loquerentur, subjungens inquit: Natus est filius Caroli. At ille sollicitus de nomine pueri ait: Quomodo vocatur nomen ejus? Et ille: Pippinus, inquit, est nomen ejus. Regrediente autem eo sanctus Ermino ait suis familiaribus: Iste, inquam, puer habiturus est Regnum Francorum solidè, intantum ut nullus de progenie illius ante eum tam solidè tenuisse dignoscatur. Et ita demum cernimus nos sublimatum eum in universo Regno Francorum, sicut S. Ermino prædixit fore fiendum. Pippini ortum & fortunam exitus discit. NOTA.

11. Igitur alio tempore cùm esset idem vir Dei S. Ermino apud aliud Monasterium quod vocatum est *Elnon* [a], ubi corpus S. Amandi requiescit, distans à suo fere triginta millia; obiit quidam Monachus in suo Cœnobio WINEBERTUS nomine. Qui absens, ut dixi, protinus agnovit, statímque[*] Monachis ibidem consistentibus supplicavit, quatenus exsequias sui Monachi celebrarent, & sacras hostias Deo pro absolutione illius offerrent: qui ita gratanter cum gaudio fecerunt. Wineberti Monachi mortē absens videt. * Missas pro ejus absolutione petit.

a De Elnonensi Monasterio, S. Amandi nunc dicto, ad Scaldim, legesis quæ dicta sunt in Vita ipsius S. Amandi Sæculo 2 ad 679. quod Monasterium in alia Vita dicitur à Laubaco distare *quadraginta millibus.*

ANN. CHR. DCCXXXVII. APR. XXV.

Infractus in veri prædicatione, moritur anno 737.

12. Hoc quoque etiam operæ pretium est promere, quòd nulli umquam personæ potenti succubuit timendo vel adulando, ut minùs adnuntiaret aut subtraheret verbum prædicationis: sed auctoritas apostolica & prædicatio inflexibilis in eo permansit.

13. Ad postremum profectò discipulis suis perfectè instructis, traditámque * eis cibariam tritici mensuram, provectus ætate & plenus dierum, in senectute bona anno septingentesimo & tricesimo septimo ab Incarnatione Domini nostri JESU-CHRISTI, VII Kalend. Maïas perrexit ad Dominum, cui est honor & gloria & imperium & potestas per infinita sæcula sæculorum, Amen [a].

* traditáque, &c.

[a] Posthæc Interpolator addit: *Rexit autem jam dictum Monasterium Laubiense viginti quinque annorum ferme tempore. Sepultus est secus B. Vrsmarum in Oratorio sanctæ Dei genitricis* MARIÆ *in montis cacumine, relicto* THEODULFO *Episcopo successore. Obiit autem* VII *Kalend. Maïas, feria quinta ante hebdomadam Rogationum, anno dominicæ Incarnationis septingentesimo tricesimo septimo, principatus Caroli senioris vicesimo tertio, Indictione quinta.* Nihil de eo in antiquis Martyrologiis reperi. De ejus Reliquiis lege dicta in Actis S. Ursmari.

APPENDIX

De aliis Sanctis Laubiensibus sæculi VIII, ABELE, WLGISO, AMULWINO, THEODULFO, B. ANSONE & DODONE.

1. *PLURES alios Sanctos protulit sæculo octavo Monasterium Laubiense, de quibus pauca ex antiquitatis ruderibus nobis relicta proferenda sunt. Audiendus Fulcuinus sancti Ermini Abbatis laudes prosequens his verbis cap. 5.* Habuit etiam & cooperatores sive successores ejusdem loci gubernatores Coabbates, sanctum utique ABEL Scotum genere, & S. WLGISUM Episcopum, & domnum AMULGUINUM seu Amulwinum æquè Episcopum: qui utrum sibi vicissim successerint, an sancto Ermino spiritualibus occupato rebus locum in commune tractaverint, nihil certi reliquit antiquitas. Non tacuit tamen locum Lobiensem eos & tenuisse & gubernasse, sed & pro opportunitate temporum locum meliorasse. Rexit autem S. Erminus idem Monasterium sub præfato Principe Pippino tribus annis, & sub Carolo ejusdem Pippini filio similiter seniore & Duce viginti duobus annis: sicque expletis in regimine viginti quinque annis, participatus est gloriæ Magistri, decedens octavo Kalend. Maii. *Præferendus est anonymus dum ait, Erminonem annis tribus supra viginti Caroli principatu Abbatem egisse. siquidem Pippinus anno* DCCXIV *mortuus Carolo principatum reliquit. Ermino verò decessit anno* DCCXXXVII, *& quidem* VII, *non* VIII *Kalendas Maïas. At certior videtur Fulcuini auctoritas, qui* THEODUINUM *Abbatem Erminoni substituit, quàm Interpolatoris* THEODULFUM *præferentis. Iam ad alios Sanctos accedamus.*

Erminonis anni regiminis, successor.

2. De ABEL suprà nominato, *inquit Fulcuinus cap. 7,* tale quid comperimus. Remis nuper cùm fuissemus, & cum viro venerabili & illarum partium eruditissimo ADALBERONE Archiepiscopo confabularemur; inquirentibus nobis originem ejusdem urbis & in ea Episcoporum successiones, prolatis ejusdem civitatis Pontificalibus gestis, pro opportunitate temporis satisfecit. In quibus videlicet gestis inventum est, quòd in eadem civitate Abel quidam fuerit Episcopus, qui in ea plura vel adquisierit, vel ordinaverit: finis verò ejus quis fuerit, scriptor gestorum ejus aut nescivit, aut omnino tacere voluit. Nos collatis undecumque numeris, hunc eumdem

S. Abel Episcopus Remensis,

dem Abel & nostrum fuisse, & Scottum & Episcopum, facili ratione probavimus. Sed quia scriptori ejus incertus exstitit finis, longinquitas fortè fecit itineris, & viri religiosi voluntaria privatio, & amor patriæ cælestis. Dixit etiam Episcopus suprà nominatus prædecessorum suorum ductam usque ad se consuetudinem, ut inter Missarum sollemnia in ea speciali commemoratione defunctorum quæ supra diptycha dicitur, & in consecratione dominici corporis sollemniter agitur, cotidie in aurem Presbyteri recitante silenter Subdiacono, omnium ipsius sedis nomina scripto viritim recitentur Episcoporum: satisque mirari se, quòd in ea commemoratione iste non inveniatur. Quod, ut conjicimus, idcirco actum est, ut ipse vacanti sedi jam antea Episcopus jussus sit aliquantisper insidere, at pro amore Dei sponte catalogum illum repudiasse. Nam hæreticum illum in hoc non est credere, quòd hæreticis non resistere idem pæne sit quod favere. Et tot tantique viri tunc temporis non sinerent tale quid serpere: quin immo scriptis publicis sive ad præcavendam, sive ad confutandam hæresim libera insequerentur auctoritate, Domino terribiliter interminante: Maledictus, inquit, qui prohibuerit gladium suum à sanguine. Nec fieri potuit, ut eos quorum mente in cælis erat conversatio, Ursmarum dico & Erminum, nonnisi imitaturus expeteret, cùm ab ipsis recipi non potuerit nisi probatus, & ipse antea in castris dominicis fuerit exercitatus.

Ann. Chr. DCCXXXVII. Apr. XXV.

Nota.

Hierem. 48. 10.

3. *Adalbero à Fulcuino laudatus rexit Ecclesiam Remensem ab anno* DCCCC LXXII *ad* LXXXIX. *Gesta verò Pontificum Remensium ab eodem citata auctorem habent Frodoardum, qui in Historiæ libro 2 cap. 16 Abelem Archiepiscopis Remensibus adnumerat, idque probat tum ex Bonifacianis epistolis 143 & 144, tum ex epistola Hadriani Papæ ad Tilpinum. Sanè in S. Bonifacii Maguntini Antistitis epistola 19 ad Ethelbaldum Regem Merciorum*, Abel Coëpiscopus *cum aliis in salutatione nominatur. Pallium an acceperit meritò dubitaveris ex Zachariæ epistola, quæ inter Bonifacianas est 143, tametsi 144 scribi debuerat. In ea enim epistola Pontifex Romanus conqueritur, quòd Bonifacius qui primò tria Pallia pro totidem Archiepiscopis, Grimone, Abele & Hartberto postulaverat, pòst nonnisi unum pro Grimone petat. Electus est Abel in Archiepiscopum Remensem anno* DCCXLIII, *ut patet ex præcitatis Bonifacianis epistolis: quam dignitatem haud diu retinuit, expulsus nimirum à Milone pseudo-Antistite Trevirensi, & quidem ante annum* DCCXLVIII, *ut colligitur ex quadam Zachariæ Papæ epistola eo anno data, quæ* Reginfredo Rotomagensi Archiepiscopo, Deodato Belvacensi, *aliisque Remensis metropoleos provincialibus inscribitur, Abele prætermisso.* sed magis contra Deum ejectus est, & Remensis Ecclesia per multa tempora & per multos annos sine Episcopo fuit, & res Ecclesiæ de illo Episcopatu sunt ablatæ & per laïcos divisæ sunt, *maximè per Milonem istius sedis invasorem, de quo sic habet Trevirensis historia ms.* Post Lutwinum Milo filius ejus sacerdotali functus est officio apud Theberos & Remos. Primò quidem imitator patris, demum tyrannus effectus est, nihilque in eo de clericali honore vel vita, nisi sola tonsura enituit. Eo enim tempore bella graviora & intestina parricidialia in hac provincia orta sunt, quando Karolus tyrannus laïcis Episcopatus dedit, & Episcopos nullam habere potestatem permisit. Cum hoc Karolo Milo supradictus ad bellum est profectus, solâ jam tonsurâ Clericus, habitu & moribus irreligiosus: & post victoriam Episcopatibus Treberorum & Remorum ab eodem Karolo donatus est. Cujus infelici tempore his de Ecclesiis multa sunt ablata & res ab Episcopis divisæ, *&c. Et infrà:* Milo igitur tyrannus his ita peractis venationi inserviens, ab apro percussus moritur in villa quæ dicitur Iranc primo à Treberis miliario, ubi & sepultus est post XL annos suæ

an Pallium acceperit.

à Milone pulsus,

ANN. CHR DCCXXXVII. APR. XXV. Laubaci mortuus. Binchium ejus corpus translatum. tyrannicæ invasionis. *Interim Abelem à sede sua pulsum, in Laubacense Monasterium secessisse aiunt, ubi sanctissimè dies supremos absolverit* Nonis Augusti, *quo die ejus festus celebratur Binchii in Hannonia, ubi ejus corpus in Ecclesia collegiata adservatur. Quamquam Trithemius in lib. 3 de viris illust. Ord. S. Bened. cap. 298 ejus festum* nono Kalend. Octobris *recoli adfirmat. Ejus aliorúmque translationem Molanus ad Usuardum collocat* prid. Nonas April. *his verbis:* Translatio SS. Confessorum Wlgisi, Amulguini, Theodulfi, Abel, atque Hildulfi. *Hæc de Abele.*

Vulgisus Episcopus. 4. De S. WLGISO Episcopo, *ait Fulcuinus cap. 7*, nihil ad nos præter parum perlatum est. Invenimus tamen in nostris perantiquis Martyrologiis „ quòd dies natalitii ejus sic adnotatur: Prid. Nonas Februarii in Laubaco „ Monasterio depositio S. Wlgisi Episcopi. Sed & mausoleum in quo conditum jacet, in promtu est cernere. *Is mihi videtur esse* Wiligisus Præsul, *qui in Actis mss. S. Sarvatii Tungrorum Episcopi Trajectum* missus *à Carolo Principe dicitur*, ut si qua essent dilapsa in Templo S. Servatii restauraret, & super viri sancti sepulcrum erexisse ciborium, auro & gemmis instar speculi lucidissimum. *Corpus è tumulo levatum ante seculum* X, *postea Binchium cum aliis prædecessorum suorum Reliquiis translatum est* anno MCCCCIX, *die 20 Iunii. Subjungit Fulcuinus Theodulfum cap. 8 his verbis:*

Theodulfus Episcopus & Abbas. 5. Theoduino Abbati successit S. THEODULFUS Episcopus in provisione prædicti loci, partim sub Pippino præfato Principe, pòst facto Rege; novem verò annis sub Karlo Rege, pòst verò Imperatore, regens illum non segniter, augmentans non mediocriter. Sub ejus enim tempore multa Ecclesiæ nostræ prædia collata sunt, quæ describerentur, si non in promtu essent donationes & chartæ legatariæ, ipse brevitati non studerem. Obiit autem anno DCCLXXVI dominicæ Inc. die verò festivitatis S. Johannis Baptistæ. *Corpus Binchii adservatur.*


B. Anso Abbas. 6. Denique ANSO hunc sequitur in regimine, vir bonus & sanctus, Abbas tantùm non Episcopus, regens idem Cœnobium sub jam præfato domino Imperatore Karlo viginti quatuor annis. Erat autem idem Anso & pro capacitate ingenii sui litteris studens. Exstat libellus vitæ S. Ursmari ad prædecessorem ejus Theodulfum Episcopum ab eo conscriptus; item & S. Ermini alius, in quibus quidem veritas historiæ, quantum à simplicis eloquentiæ viro describi potuit, amplectenda est: de confusione autem verborum & dictorum non nostrum est judicare. quæ illis tanta inest, ut incertum sit, utrum ad insinuanda quæ noverat minùs, licet eruditè, quantum ad sæculares fuerit proclivis, an pro excellentia gestorum sponte parvipenderit regulas artis. Et sic sub præfato obiit Karolo, eo quo idem Imperator factus est anno, *id est anno* DCCC.

S. Dodo Abbas Vvaslerensis. 7. *His adjungendus, aut potiùs præmittendus erat S.* DODO *ex-Monacho Laubiensi Abbas Vvaslerensis, ex cujus Vita quæ longis verborum ambagibus descripta exstat in Bibliotheca Laubiensi, hæc pauca seligimus.* Hic in pago Laomacensi exstitit oriundus in villa quæ vocitatur Vallis, tempore quo Princeps Pippinus agebat in sceptris, *id est Majordomatum Francorum tenebat.* Super cujus ortu genitores illius gavisi plurimum, sanctum adierunt Abbatem ac Pontificem Ursmarum, deferentes secum quem genuerant infantulum, supplici flagitantes precatu, quò illum sacri baptismatis undâ purificaret, suisque sacris manibus ex salutifero susciperet lavacro, atque ut proprium filium in Domini educaret obsequio. Quorum precibus vir sanctissimus piè clementerque annuens, gratanter id peregit. *Posteaquam litteris & Religionis elementis imbutus est Dodo*, B. Ursmari animatus hortatu salutifero, omnem suæ possessionis hereditatem beato Principi Apostolo-

rum delegavit Petro, ad Monasterium quod ex nomine fluminis secus illud decurrentis vocatur Waslerus, quod prædictus Ursmarus prædicto filio suo concessit Dodoni. Ipse verò frequentiam devitans hominum ad se confluentium, cellulam sibi fecit exstrui non longè à suo Monasterio, in qua jejuniis & orationibus vacans die noctúque indefessè famulabatur Domino, cui complacere gestiebat. *Post miracula patrata*, venerabilis Christi famulus die Kalendarum Octobrium animam polorum reddidit astris, sepultúsque est in cella, quam sibimet ipse construxit. *Ejusdem meminit Fulcuinus in Chronici cap. 4.* Monasterium quoque dictum Waslare versus Teoraciæ * saltum in finibus Faniæ ædificavit S. Ursmarus, cui & Dodonem præfecit, virum admodum sanctum, utpote à se instructum. qui aliquantisper inibi demoratus eremum concupivit, exstructáque in eodem Faniæ saltu cellulâ, cum permissu pii Patris & licentia, vitâ vixit in ea theoricâ: ubi postea multis virtutibus clarus migravit ad Dominum. *Scriptor Vitæ S. Landelini & Baldericus in Chronici Camerac. lib. 2 cap. 33, Vvaslerensis Monasterii conditionem tribuunt S. Landelino, qui* eidem S. Dodonem bonæ memoriæ virum præfecerit. ANN. CHR. DCCXXXVII. APRIL. XXV. * Tierache

8. *Addit Fulcuinus:* Corpus ejus translatum est in Monasterium Waslare dictum, ubi nunc requiescit debita veneratione. *Rem ita describit Vitæ auctor.* Cùm Domino placeret innotescere hominibus, cujus meriti foret in cælo S. Dodo; pervenit ad aures Præsulis eximii DODILONIS Episcopi Cameracensis *principatu Caroli cognomento Simplicis*, quòd in quibusdam diœcesis suæ partibus margarita jaceret abscondita, corpus videlicet Dodonis, cujus celebre nomen multis prodentibus miraculis jam innotuerat apud circummanentes. Proinde cum suis Archidiaconibus cœterísque suæ sedis commanipularibus direxit propere ad cellam, in qua didicerat S. Dodonis membra pausare, senioréſque Sacerdotes qui Sanctum à loco illius cellulæ submoverent, atque ad Monasterium S. Petri haut procul situm cum honore congruo deferrent. Illi autem pii Patris obtemperantes monitis, absque ullius dilationis cunctatione illò perrexerunt, & quod illis jussum fuerat impleverunt. Perfundentes itaque lymphâ sacrosancti corporis artus, linteis candidis & optimis circumdederunt eos, & in Monasterio præfato honorificè collocaverunt. Per multa postmodum dierum curricula jacuerunt sancti viri pignora in prædicto B. Petri Oratorio, donec admonitus est per visionem vir fidelis Leutbertus ejusdem loci provisor, quatenus incunctanter ageret ut ab eodem locello amoverentur, & in eminentiori loco collocarentur. Qui cùm semel, bis térque fuisset admonitus, & dissimulasset; acrior ei contigit admonitio, videlicet corporis febricitatio. Quapropter cogente corporis dolore perrexit referre TRESUGUINO Decano. at ille citatim nuntiavit Episcopo Cameracensi FULBERTO, *qui sedit ab anno* DCCCCXXXIV *ad* LVI. Ille verò hæc audiens infit Tresuguino: Perge quantocius ad Monasterium prælibatum, & adscitis Presbyteris tuæ Decaniæ diligenter adimple negotium. qui festinus perrexit, & amoto sancti viri corpore de sarcophago, levaverunt illud secus altare Principis Apostolorum Petri. Cùm autem præfatus Leutbertus conaretur diruta Monasterii restruere, & sumtus deessent; adsumtis secum ejusdem Monasterii Clericis, sancti viri pignore in lecto gestatorio imposito, contiguas Monasterii villas lustrantes, ut in eis commorantes aliquantulum conferrent solamen ad restaurandum prædictum S. Petri Cœnobium, pervenerunt in pagum Porcinensem, ubi paullisper quieverunt in villa quæ vocatur Otcia, in quà mulier enervis sanata est. Eodem etiam tempore cùm res exegisset, ut præfati Monasterii Clerici corpus B. Dodonis per Translatio ejus per Dodilonē Episcopū. Translatio altera per Fulbertum. Delatio duplex.

Ann. Chr. DCCXXXVII. April. XXV. pagum Bracbantensem deferrent, & devenirent ad villam quæ vocatur Tongras; vir nomine Winigisus rapuit furtim unam ex capsis auro argentóque deforis decoratam: & domum redire volens, subitò divina vi cogente sic stetit solotenus, ac si plantæ pedum ejus fuissent terræ fixæ radicitus. Comperiens itaque divino nutu se ligatum, veniam pro crimine flagitans, indulgentiam lacrymis obtinuit. *Monasterium Vvasterense ad fluvium Vvasterum, nunc prorsus dirutum jacet; corpus verò S. Dodonis modò quiescit in Prioratu Monasterii Laubiensis, qui dicitur vulgatâ linguâ* Monstier en Faigne, *id est Monasterium in Fania. Auctor Molanus in libro de Sanctis Belgii ad diem 18 Octobris, quo S. Dodo colitur; tametsi obiit Kalendis Octobris. Hactenus de Sanctis Laubiensibus, qui pertinent ad sæculum octavum æræ Christianæ.*



Ann. Chr. DCCXXXVII. Octob. VI.

VITA SANCTI PARDULFI

ABBATIS WARACTENSIS IN LEMOVICIBUS,

Auctore anonymo ejus subæquali, ex num. 17.

Ex ms. cod. Chesniano & Bibliotheca Labbeana.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ scriptores.

1.  Anc *lucubrationem edidit anonymus quidam jussu* Berthimarii *Abbatis, forsitan Vvaractensis, quem suum ipsius* Patrem *appellat. Ætatem suam indicat num. 17, dum multos ait esse superstites, qui miraculum à S. Pardulfo tum vivente factum in Annario viderant. Auctorem hunc non spernendum quidem, at impolitum breviarunt anonymi duo, quorum unus legitur in ms. codice Compendiensi, alter in Lemovicensi Breviario ms. Vtriusque nonnullos versus in Notis retinuimus. Compendiensis scriptionis auctor forsan est* Ivo Prior Cluniacensis vir scholasticus, *qui Lemovicas* deveniens, à Monachis S. Martialis obnixè rogatus Vitam S. Pardulfi, quæ veraci fide quidem, sed inculto stilo conscripta erat, luculenter exarare studuit, hymnúmque de eodem piissimo Confessore composuit, ita incipiens: Fideles cuncti gaudeant. *Ita Gaufredus Prior Vosiensis in Chron. lib. 1 cap. 32, editus in tomo 2 Bibliotheca nova Labbeana.*

S. Pardulfi memoria. * S. Pardoux

2. S. Pardulfi* *memoriam reticent Vsuardus, Ado & alii ejusdem temporis Martyrologi; celebrat Gaufredus Prior Vosiensis his verbis:* Garactensis Ecclesia sarcophagum cum cineribus corporis almi tenet Pardulfi, quæ ad testimonium illius castissimæ vitæ feminam nullam admittit. Corpus verò ejus credunt & dicunt se habere in capsa supra altare apud Arnacum Monachi ibi habitantes, per antiquam nobilitatem Principum de Turribus illuc translatum. cujus corpus sanctum ad portam urbis Lemovicensis tamdiu immobile perstitit, donec cæcus adductus coram populo illuminatus fuit. Floruit tempore Stephani Papæ, (*immo Gregorii utriusque, secundi & tertii*) qui cœpit anno DCC LII. migravit autem sub Carolo Rege & Duce Aquitanorum Hunaldo. Hujus Sancti gesta præclara habentur, & ejus memoria recolitur prid. Nonas Octob. *Hactenus Gaufredus, qui hæc scribebat anno* MCLXXXIII, *ex quo Bernardus Guidonis ea transscripsit. In vetusto indice Ecclesiarum & Monasteriorum diœceseos Claromontensis memoratur lib. 2 §. 8* Ecclesia & altare S. Pardulfi. *addit Johannes Savaro:* cujus nomine plurimæ sunt inscriptæ Ecclesiæ, præsertim vici Cyriaci, Blansaci, Turris.·. cujus memoria celebris est in his regionibus, cujúsve

An duo sancti Pardulfi.

Reliquiæ Garacto coluntur. *Hîc observare convenit, S. Pardulfum Abbatem Lemovicensem non videri alium à S. Pardulfo, qui in pago Tolosano,* vico Pompeïaco, *Episcopi nomine colitur eodem die quo S. Pardulfus Abbas, nempe die sexta Octobris. En verba Martyrologii veteris, quod Odo noster è ms. cod. S. Savini de Levitania*

ante annos quadringentos exarato excepit, & Andreæ Saussaio communicavit. Die 6 Octob. Tolosano in vico qui dicitur Pompeïaco, natale S. Pardulfi Episcopi & Conf. *Hæc apud Saussaium in Appendice. in Supplemento verò Saussaius ipse:* Prid. Non. Octob. in diœcesi Lombariensi vico Pompeiaco S. Pardulfi egregii Confessoris, qui ibi magnis virtutibus fulsit. *Gaufredus jam dictus in Chron. lib. 1 cap. 73 arguit Monachos Cistercienses*, quòd Sanctorum nomina vel memorias auferrent indiscretè, adeo ut apud Dalonam Pontiniacenses de Collectario abraserint nomina SS. Valeriæ, Aredii, atque PARDULFI: quæ si alii, *inquit*, fecissent, pro sacrilegio reputaretur. ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI.

3. *Vvaractense seu Garactense Monasterium, cujus auctor Lantarius Comes, Abbas primus S. Pardulfus; situm erat ad fontem Vartampa* amnis, eo in loco ubi modò visitur opidum Guaractum, vulgò* Gueret, *Marchiæ superioris caput.* Varactense Monasterium. * la Gartempe

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. PLERIQUE dum priscorum Patrum antiqua laudantes gesta miraculorum, nova quæ nuper gesta sunt omittunt, quasi vinum vetustum cum suavitate vel charitate hauriunt, mustum nempe quasi turbulentum squamosum renuentes in haustu, & rudis* miraculis ruda* corda deserentes. Sed melius utrobique, ut opinor, utrumque commiscere in haustum, vinum scilicet & mustum, ut dulcia* musti foveat ac temperet austeritatem vini; similiter vini austeritas dulcedinem exacuat musti: videlicet ut qui uno manantur* fonte vitæ, uno de sapore satientur sitientes. Idcirco, mi Pater BERTHEMARIS[a], non minimas omnipotenti Opifici gratias agimus, quia hîc in Aquitania, superna inlustrante gratia, per sancti infusionem Spiritûs quamplures Philosophos & Rhetores reperis, qui Vitam vel gesta miraculorum S. PARDULFI Confessoris suo stilo emendare queant, & luculento sermone aures Fidelium liquidissimè inculcare: & me tantillum & modicum, & à nonnullis despicabilem vel ineloquentem & rusticum hoc poscis opus. Valde onustum mihi est, quia non est mihi facultas in perfectione, nisi Omnipotens inspiret, & emittat Spiritum-sanctum suum, Veritate dicente quæ ait: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Quapropter non audeo adgredi invalidus in sensu, tardus ad orandum, tam magni viri miracula, verborúmque & gestorum copiam ad meam humillimam hebitatem declinare. Profectò vereor, quod absit, de dulce facere amarum, & de amaro dulce. Sed illius oro clementiam, qui latices convertit in falernum, & brutis animalibus facultatem tribuit eloquendi, saltem rustico sermone hujus beati viri Pardulfi Vitam vel signa miraculorum ut valeo adgrediar prænotare Lectorem*.

* *f.* rudia miracula & rudia corda deserentes * dulcedo * manant

Matth. 10. 20.

* Lectori.

INCIPIT VITA.

2. IGITUR jam mundus pæne ad occasum crebrescentibus malis retro acta signa ruinæ suæ in sole & luna & in stellis vel pressuris gentium, pestilentiæ, fames, terræmotus ceterásque ruinas, quas Veritas refert, atque evangelica commemorat historia, & enumerare prolixum est; in occidentali plaga, partibus Aquitaniæ, in urbe Lemovicensium, ex vico cujus vocabulum Seredinnus[b], ortus puer ex agricolarum cultoribus Fideli- Pardulfus Lemovicensis,

a Lege *Berthemarie* aut *Berthemari.* an is qui principatu Caroli Magni præerat Cœnobio S. Petri apud Senonas? auctore Clario Monacho in Chronico ad ann. 804.

b Compendiensis Bibliothecæ codex ita incipit: *Beatus Pardulfus in territorio Lemovicensis urbis exstitit oriundus, ex vico cui vocabulum est Seredignus, parentibus agrorum cultoribus, ingenuis tamen. Qui dum puerilem duceret vitam, &c.* Lemovicensis verò Abbreviator: *B. Pardulfus in territorio Lemovicensi, vico nomine Sardeno, &c.* qui vicus est Marchiæ superioris, vernaculè *Sardene*, haud procul à Vvaracto, de quo suprà.

ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI.

bus genealogia, cui nomen PARDULFUS. qui dum puerili degeret vita, mitissimus ac modestus, cum summa reverentia præ ceteris adolescentulis videbatur.

Casu lumen amittit.

3. Quadam die dum esset cum aliis adolescentibus, & sub quadam arbore sederet, ut mos est in lusibus & jocis puerilium, tam pro calefactione quàm & spectaculo ruinæ arboris ignem ad concremandum in eadem arbore posuerunt. quo exusto, flante vento, inrigante imbri præfata arbor radicitus disrupta in terram volvens ruit: ita ut omnes parvuli qui illic aderant, fugam arriperent, nisi præfatus Dei puerulus Pardulfus signo crucis armatus remansit immobilis atque intrepidus. Casu adveniente ilico ex ramis unus arboris ipsius eum in capite sauciavit vulnere gravi, & ob hoc vulnus oculorum lumen amisit. Sed claritas veri luminis per infusionem sancti Spiritûs internos oculos inlustravit: cæcus corpore, & fulgens in opere; tentatus ad tempus, & non mortificatus; temporali adspectu privatus paullisper, & perpetuo bonorum operum lumine repletus: ita ut videntibus mundi claritatem dux esse prævaleret ad itineris patriæ cælestis introïtum absque quolibet offendiculo, ut non cum reprobis diceretur: *Si cæcus cæco ductum præbeat, uterque præcipitentur in barathrum.* Iste enim cæcus corpore, sed clarus opere, dum cum propriis parentibus degeret vitam[a], quidquid ab eis ex alimento vel operimento ab eorum manibus recipiebat, hoc suis manibus in abscondito erogabat, nisi paullulum in usum vitæ suæ erogabat. Cui mox tantam gratiam Dominus contulit, ut qui ad eum veniebant variis infirmitatibus languentes, vel si cuidam manum imponebat, vel oleo benedicto perungebat, aut aquam potantibus dabat, repentè ab eis omnes infirmitates febrium repellebantur. etiam & qui à dæmonibus vexabantur, protinus cùm ad eum perducti fuissent, à dæmonibus obsessis corporibus effugabat. Hæc sunt adolescentiæ suæ prima rudimenta, hic est ludus pueritiæ suæ.

Matth. 15. 14.

Miracula facit.

Vvaractensi Monasterio præficitur invitus.

4. Dum talia ceteráque similia superna gratia inlustrante clemens Opifex per eumdem virum Dei signorum miracula undique coruscant; sic unus ex nobilibus Senatorum LANTARIUS nomine, in eadem urbe Comitatûs officium nanctus, ditatus opibus pluribus, præ ceteris inclytus atque procerior in facultatibus vel etiam divitiis pollens. Decreverat namque ut propter sua nimia crimina, vel etiam adipiscenda æternæ vitæ præmia, in vicinæ urbis loco, qui vocatur Waractus, Monasterium in honore B. Petri Apostoli ædificare, conabatur & suis propriis ditare subsidiis, atque in cibos vel operimentum Monachorum & pauperum delegare. & missis speculatoribus suis tam ex vicinis & suburbanis locis quàm aut procul, vel ubique de qualibet provincia vel natione servos Dei aut Monachos invenirent, cum summa alacritate ad præfatum ovile congregantur, dicente Propheta: *Et de nationibus congregavit eos.* Sicque à quibusdam divulgatum est, quòd in præfato Seredinno famulus Dei Pardulfus timoratam atque religiosam ducebat vitam, & die noctéque sedulis atque prolixis vigiliis & orationibus pernoctans, hostiam vivam semetipsum Deo mactans. Mox prædictus Lantarius auditâ famâ ac divino accensus spiritu equum suum sternere jussit, & nullum alium ex pueris ad eum misit, nisi ipse concitus venit. Et facta oratione virum Dei ad se accersere præcepit.

Psal. 105. 47.

[a] Idem legitur in codice Compendiensi. Et tamen in Epitome Lemovicensi Pardulfus *habitaculum solitarium* construxisse dicitur his verbis: *Hinc gravis in utroque parente tristitia. sed qui humano more lugere debuisset, parentes consolatus est. Tunc habitaculum solitarium construens, orationibus & vigiliis & jejuniis assiduus erat. Data est ei etiam cum verbo prædicationis gratia curationum*, &c.

Repentè intuens vultum ejus clarissimum, pallenti facie cum macie decorata, eleganti adspectu, crinem pulcherrimum, decora cæsarie, rogare cœpit lenibus sermonibus demulcens ac blandiens suadendo, ut cum ipso ad suum Monasterium ad habitandum diverteret. Sed vir Dei renuens ejus petitionem, dicendo numquam se ex eodem loco egressurum usque ad finem vitæ suæ; supradictus Lantarius tam rogando quàm suadendo eum in equum suum elevare præcepit, & ad Monasterium suum virum Dei perducens augebat Christi caulas spolians synagogam, & duos puerulos præcipiens, ut ejus familiarissimi subjacerent servituti, & cum magna diligentia jussionem ejus observarent: & ubicumque ipse Lantarius per suum Comitatum vel in sua propria loca ambulabat, ipsum semper secum ambulare faciebat, & in sua camera, ubi suus proprius fiebat lectus, semper eminus virum Dei requiescere faciebat. Et cùm cuncta claustra Monasterii & omnis fabrica ipsius vel omnia loca habitabilia perfecta vel consummata fuissent, supradictus Lantarius per ostium cellulæ ipsius viro Dei tradidit ad regendum: & sicut jam superiùs præfati sumus de genealogia ejus atque propagine, ut ex agricolis gigneretur; ita & iste cordium custos vel cultor esse non desineret, serendo vel seminando assiduè pabulum verbi Dei, ut grex sibi commissus fiat frugi fecundus. Et prostratus sæpedictus Lantarius utroque genu in terram poscebat dicens, ut cùm ante tribunal Christi adveniret, suis suffragiis sublevaretur. Fuit autem ejus pænitentia ardua nimis.

ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI.

5. Postquam in prædicto Cœnobio habitare cœpit, ostium cellæ ipsius egressus non fuit, numquam à sole calefactus nisi per fenestram, numquam carnium neque volatilium esu usus est, numquam linteo indutus, neque balneo usus, nisi postquam infirmari cœpit, suadentibus Fratribus, rarissimè æstuabat ex calidis lapidibus. Et cùm introisset ubi est Warecus*, latenter ferrum deferens acutum, & cuncta membra sua minutissimè incidebat, ut semper vulneratus esset, & facta * vulnera vix de loco moveri potuisset, ut bene cum Propheta diceret: *Non est sanitas in carne mea à facie mea.* Comedebat semel in hebdomada, & hoc aridissimam escam. Quadragesimis namque temporibus omni corpore nudato à discipulo suo virgis cædi se præcipiebat. Nocte verò omni corpore prostrato in terram, extensis brachiis, tam æstate quàm hieme quamdiu potuisset in oratione jacebat. Surgente autem eo ab oratione paullulum requiescebat. quod verò restabat post nocturnas horas[a], ex lectionibus quod legendum audiebat memoriter recitabat. Post matutinas verò laudes responsoria vel antiphonas de sanctis Martyribus vel Confessoribus decantando meditabatur. A tertia autem hora usque ad sextam orationibus [b] utebatur; à sexta verò usque ad horam nonam silentium faciebat. Exeunte autem eo ad Nonam, pauperes vel infirmos qui ad eum veniebant, verbi Dei pane vitæque prædicatione satiabat.

Ibi rigidè vivit.

* *l.* Vvaractus

* factis vulneribus

Psal. 37. 4.

6. Dum quadam nocte paullulum obdormisset, Archangelum Michaëlem coram se in somnis adsistentem vidit, qui clara voce ad eum ait: Pardulfe vir Dei, surge velociter, & adscende per hunc gradum scalæ istius, dextera manu gressus dirige, sinistrâ autem noli præire, quia tenebræ magnæ sunt. Ecce Dominus Deus tuus quem diligis, stat ad summitatem scalæ, tenens coronam in manibus, quam in capite tuo ponere velit; & baculum quem tibi ad regendum populum suum dedit. Tunc famulus

Angeli Michaëlis visitatione honoratur.

a Præscriptum à S. Benedicto in Regulæ cap. 8, ut *quod restat post vigilias, à Fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inserviatur.* Huc alludit Auctor hoc loco.

b Compendiensis: *A tertia autem hora usque ad sextam per singula altaria orationibus insistebat.*

ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI.

Dei statim consurgens, & locum ubi pedes Angeli per visum adstare vidit deosculans, protinus se cum lacrymis in orationem dedit: & postea ad omnes ægrotantes qui ad eum veniebant, de ipsa terra ubi pedes Angeli adstare viderat, ad spargendum in domibus eorum dabat.

Ragnaricũ ob raptas boletos punitum sanat.

7. Sed cùm jam ejus vitam vel abstinentiam digessimus, de ejus virtutibus aliquid enarrare debemus. Quidam ex rusticis vulgaribus Gominus nomine, dum ligna ad usum ignis cæderet, ut adsolet, in vetusta arbore bolidos [a] quos vulgò lemigas vocant, adhærentes reperit: & cum eas collegisset, decrevit ut eas ad virum Dei Pardulfum deferret. Et dum concitus ad Monasterium ad virum Dei properaret, RAGNARICUM quemdam Consiliarium inlustris viri CHUNOALDI [b] Principis, necnon & Legatarium præcelsi Majoris-domus Francorum CAROLI in via obviavit, sciscitatus ab eo cui eas deferret lemigas. Tunc homo confitendo dixit, quòd ad virum Dei Pardulfum eas deferebat, qui nihil carnium nec volatilium edebat. Sed prædictus Ragnaricus temerario ordine easdem lemigas de manu hominis usurpavit, & puero suo præcepit, ut quando hora vescendi venerit, eas ad comedendum diligenter præpararet. Et cùm ante ipsum fuissent allatæ, priusquam ex eis in os posuisset, ita factum est, ut [c] nequam guttur ejus vel caput tumesceret. Sic unus ex pueris inquiens ait, quòd pro lemigis quas homo ad virum Dei deferebat, ex hoc malè pateretur. Tunc sæpedictus Ragnaricus equum suum quem sedere consueverat sternere præcepit, & per unum ex pueris suis ad famulum Dei Pardulfum direxit, & ita præcepit, ut prostratus suis pedibus deosculairetur, veniámque deprecaretur pro culpa, quam in eo commiserat ut relaxaretur, ac pro eo Dei misericordiam exoraret. Et cùm homo ante virum Dei advenisset, & cuncta retulisset, tunc vir Dei hilarissimo vultu, & quasi subridens dixit: » O fili, semper contraria sunt impiis præcepta » justitiæ. Nos autem etsi in magnis tribulationibus positi sumus, tamen à » Conditore nostro omnino non sumus despecti. vos autem quomodo debetis erogare propria, dum rapitis aliena? Et continuò nihil moras agens, Oratorium ingressus pro eo Domini misericordiam diutissimè oravit, & oleum benedictum & aquam manibus suis dedit. Et cùm homo ad eumdem Ragnaricum reversus fuisset, & oleo eum perunxisset, & aquam in os posuisset; cædem lemigæ unde ingressæ fuerant cum magno strepitu redierunt: & ita sanatus est homo. Rursúsque multis diebus crebrò ad virum Dei veniens, gratias agens, confitendo peccata sua, laudem dabat Deo.

Item claudum.

8. Aliud quoque fertur miraculum, quod per eum Dominus operatus est. Dum quadam die solus sine Fratribus resideret, claudus quidam Marcellus nomine, qui ab utero matris suæ calcaneos hærentes renibus*, nihil aliud nisi cum scamellis gradiebatur, ad eum veniens rogare cœpit, ut pro restauratione sui gressus Dominus exoraret. Tunc vir Dei respondens ait: O nate, ista virtus apud B. Petrum fuit, quando ad portam Templi claudum invenerat, & ab eo stipendia vivendi postulabat. Tunc beatissimus Petrus respondens ait: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine* JESU-CHRISTI *surge & ambula.* O quale miraculum, dum victum corporalem quæreret, stabilitatem pedum re-

Act. 3. 6.

[a] In codice Lemovicensi *volitos*, rectiùs in Compendiensi *boletos*, id fungi genus.

[b] Chunoaldus Hunoldúsve Dux Aquitaniæ præerat, in codice Compendiensi Rex dictus his verbis: *Regnaricum quemdam Consiliarium Regis Hunaldi, nec non & Legatarium quem, &c.*

[c] Compendiensis: ut *neque gutture, neque ore projicere posset. Qui intantum anxiabatur, ut facie ex toto corpore tumescente vix oculi ejus in capite starent.* Lemovicensis: *ut neque in os congesti (fortè congeri) neque guttur trajicere, neque extra os ejici potuerint, &c.*

cepit:

cepit. Nos autem, fili, inusitatum habemus miraculum istud. Nam recordati sumus, quia Dominus discipulis suis pollicitus est dicens: *Si habueritis fidem ut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Tu autem, fili, adquiesce consilio meo, & vade ad fontem meum quem ego construere rogavi, & nudatum corpus tuum ex ea aqua ablue, & deinceps ex aqua benedicta totum corpus tuum leni, & eadem nocte in Oratorio quod est in honore sancti ac beatissimi Silvani Martyris tota nocte vigila, & nos cum Fratribus pro restauratione gressuum tuorum Domini misericordiam exoremus *. Et cùm ita factum esset, & isdem claudus intempesta nocte vigilaret, paullulum gravatus à somno obdormivit: & mox vocem vehementem quam poterat emittens, & rursum se erigens ad craticulas, ubi Fratres ad psallendum se supponere soliti sunt, manibus amplexatus est. Tunc Presbyter custos cellulæ ejus, BLANDOLENUS nomine, evigilans, & aperto ostio Oratorii ingressus, diligenter inquirens quidnam sit, quomodo taliter obvenisset; sed prædictus Marcellus respondens dixit, quòd vir Dei Pardulfus eum per humeros suos manibus complexatus sit, & sursum elevasset. Tunc Presbyter prosternens se in orationem, cum lacrymis glorificans misericordiam Domini Salvatoris nostri, qui talia per servum suum operari dignatus est. Et ita sospes factus est, ut in crastinum relictis scamellis propriis gressibus ad virum Dei pervenit.

[Margin: ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI. — Matth. 17. 19. — * orabimus]

9. Godolaïcus * quidam faber ex Lemovica civitate arreptus à dæmonibus, vinctus catenis collo vel brachiis, cum duobus ductoribus unus qui præibat, & alius qui retrorsum traheret, quia quemcumque adprehendere potuisset, aut manibus trucidaret, aut dentibus laniaret; statim cùm ad hominem Dei fuisset adductus, multis conviciis vel increpationibus virum Dei exprobrans, dicens latronem, falsatorem, impostorem. Tunc vir Dei omnia patienter ferens, cibum & potum ei dare præcepit. Mox Oratorium ingressus pro eo Dominum exoravit, & per aliquantos dies secum fecit demorari: & ita sanum factum unde venerat remisit.

[Margin: Dæmoniacos liberat. — * al. Godò quidam laïcus.]

10. Alii quidam duo, Centullus nomine & Benedictus, dæmonibus repleti, ad eum perducti, qui suis orationibus similiter liberati sunt.

11. Domolinus nomine ex Wasconia, qui lumen oculorum amiserat & raucitate gutturis gravabatur, qui nisi ad aurem alicujus os suum propinquaret, nihil quod loqueretur intelligere quispiam potuisset; protinus ut ad eum perductus est, & lumen oculorum recepit, & linguæ loquendi restauratur officium.

[Margin: Cæcū ægrè loquentem curat.]

12. Et aliud non tacebo quod per eum Dominus ostendit. Paralyticus quidam, qui per quinquennium in porticu S. Martini Confessoris Turonis jacebat, qui nec manus ad os ducere potuit, nec in aliud latus declinare; vox ad eum in somnis commonuit dicens: Surge & citiùs propera Lemovicensem urbem, & virum Dei Pardulfum invenies, & per eum tibi Dominus tribuet sospitatem. Et cùm semel vel tertiò ei revelatum fuisset, uni ex Monachis [a] Monasterii ipsius omnia indicavit, & prædictus Monachus domno AUDELANDO * Abbati omnia retulit quæ per visum viderat. Venerabilis vir præfatus Abbas asellum ei dare præcepit, & duos famulos qui eum ad virum Dei perducerent. Et cùm ad eum pervenisset, signum crucis super eum imponens, & post paucos dies sanus effectus, unde venerat rediit.

[Margin: Sanat paralyticum. — a — * al. Aulando]

a Ergo Monachi tum erant in Turonica Ecclesia S. Martini, (quod aliàs non semel probavimus) & quidem Abbate Audelando seu Autlando, Caroli Martelli principatu.

ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI.

a Saracenos aditu Monasterii orãdo prohibet.

13. Alio namque tempore cùm Ismaëlitarum gens Pictavensem [a] urbem fuissent ingressi, & præcelsus Major-domus CAROLUS cum cunctis Francorum ad debellandum eos venisset, & devicto prœlio hostem prosternens, spolia capiens, captivos revocavit. Sic quamplures ex eadem gente Ismaëlitarum fugam arripuerunt; & unde revertebantur, quemcumque hominem Christianum inveniebant, & ubicumque Monasteria aut loca sancta obviassent, igni concremabant. Ita divulgatum est, quòd ad Monasterium viri Dei Pardulfi pervenirent. Et cùm hæc famulus Dei audiret, dicebat Fratribus: Filii, si venerint ad januas Monasterii, cibum & potum eis præbete, quia de itinere fatigati sunt. Quid putas qua caritate esset ignitus, qui paganis bellatoribus epulas præparare nitebatur? Tunc Fratres prædicti Monasterii qui eum undique adsistebant vel ministrabant, plaustrum præparatum & opertum velis adduxerunt, ut eum ad eremi loca perducerent, ut à gente nefandissima non periclitaretur. Sed dum vir Dei armatus Spiritu-sancto nullatenus consentiret petitioni eorum, dicens numquam se ex eodem loco esse egressurum usque ad finem vitæ; omnes tunc Fratres qui illic aderant fugati sunt, nisi vir Dei. hic solus remansit intrepidus, & unus famulus ceteris deterior, Eufrasius nomine, occultatus remansit, ut ejus finem videre potuisset. Et cùm jam ad portam Monasterii eminus adpropinquarent, prædictus Eufrasius ad virum Dei occurrens dicebat: Pater, ne desinas ab oratione, quia januas Monasterii imminent. Tunc vir Deï non suæ mortis discrimen metuens, sed Cœnobii suí caulæ sollicitudinem gerens, continuò in orationem prostratus Dominum exoravit dicens: Contere eos, Domine, & dissipa gentem bella gerentem, & non sinas hodie januas istius Monasterii ingredi. Repentè omnes in unum cuneum conjuncti, cæcitate conclusi, suis linguis conloquentes diutissimè steterunt, & viam qua profecturi erant perrexerunt: & famulus Dei permansit ovans atque intrepidus.

Aquam pro infirmis sacrat. b

14. Et aliud [b] non tacebo miraculum, quod per eum Dominus operatus est. Sobolenus quidam nomine ex Arvernico territorio ad eum veniens, de ejus aqua ampullam plenam signo crucis roboratam detulit, ut eam pro salute sua suorúmque omnium domesticorum vel ægrotantium secum semper haberet, quam supra lectulum suum ubi quiescebat pependit. Quadam verò die ægrotantes ad eum venientes rogare eum cœperunt, ut pro caritatis gratia ex eadem aqua ad potandum vel ad liniendum paullulum pro reparatione corporis daret: sed præfatus homo renuens petitionem eorum nihil eis donavit. Altera verò die ad stratum suum veniens, os ampullæ in pariete pendentem reperit, & ampullam cum aqua perclusam in stratu suo reperit; & qui ægrotantibus dare neglexit, ad suum opus ex ipsa aqua nihil habere potuit. Et continuò pavens, cum magna reverentia vel timore ampullam cum aqua ad virum Dei refert, veniam poscens, ut culpam quam admiserat relaxaret.

Equo restituit oculos.

15. ARNULFUS quidam juvenis inlustris viri CHUNALDI Principis annonam cuidam viduæ tollens ante caballum suum posuit ad comedendum. At illa proclamans dicebat, quòd ancilla viri Dei Pardulfi esset, & nihil alimenti anni præsentis ampliùs haberet. Tunc idem Arnulfus nihil verens, ejus annonam indiscretè abstulit, & ante equum suum posuit. Et cùm ille foras domum ipsius fuisset egressus, oculi caballi ipsius egressi à capite in fronte ipsius suspensi pendebant. Sed & ipse Arnulfus reversus

a In Vita breviori legitur *Cadurcensem*, utrumque verum. quamquam Saracenos Carolus apud Pictavos celebri clade prostravit anno DCCXXXII.

b Istud miraculum omittitur in epitome Compendiensi.

invenit annonam intactam ante equum suum, & oculos prominentes à capite suspensos. Cum magna reverentia vel pavore eumdem caballum exutum oculis ad virum Dei pertrahens, & confitendo peccata sua, omnia famulo Dei retulit quæ gesta erant. Sed beatus vir Dei Pardulfus Fratribus qui cum eo aderant præcepit, ut oculos caballi unde egressi fuerant remitterent, & ejus aquam benedictam desuper linirent, & eos cum ligaminibus adstringerent. Crastina die pristinum lumen oculorum restituit, & prædicto viro cui fuerat sanum reddidit, & culpam quam in eum deliquerat remisit. ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI.

16. LIFRAMNUS quidam Præpositus prædicti Monasterii decrevit, ut in Basilica B. Albini Confessoris, ubi postea corpus sancti viri Pardulfi jacet humatum, gradus faceret: & mensuratum * locum Basilicæ ipsius, cum carpentariis in silvam perrexit, & factum solium plaustro impositum ad Monasterium perduxerunt: & iterum mensuratum, pedem & dimidium mensurâ hominis breviorem invenerunt. Tunc Præpositus multùm scandalizans & iracundiæ furore succensus, eisdem carpentariis disciplinam [a] corporis imponi jussit. Tunc unus ex ipsis pavore perterritus, ad virum Dei fugitans & flexis poplitibus ad pedes ejus provolvens. Et cùm ei gestum indicasset rei, eumdem Præpositum coram se advenire præcepit dicens: Fili, noli irasci, neque iram perficias, quia ira mater virtutum non est; & nihil mali geras in his pauperculis, sed exspecta hac nocte. crastina autem die, aut alium in silva præcidere faciam, aut ipsum diligenter supponere. Post hæc verba, crastina die diluculo iterum mensurantes, invenerunt similiter pedem & dimidium longius. Quod lignum præcisum, quod abbreviatum fuit, hodie ob testimonium in eadem Basilica adpenderunt. quem & multi ex eodem ligno à typo quartano vexati, vel dentium dolorem habentes sani efficiuntur.

Trabé breviorem precibus auget. * mensurato, &c.

17. AUNARIUS quidam vir, qui dentium dolorem graviter patiebatur, ad eum veniens & locum doloris ejus manibus contingens & salivam ex ore suo spuens, præcepit ut digitum suum intingueret, & loca dentium doloris liniret. Sed prædictus Aunarius superbiâ tumidus, fastidioso more de palma sua latenter jacit [b]. & cùm per portam ipsius Monasterii progrederetur, caballus ejus in terram cadendo ruit, eúmque præcipitavit, & coxam illius minutissimè fregit, & aliorum manibus ad hospitium deportatus, prope annum ægrotavit, & vix ad sanitatem pervenit. Hujus autem fertur miraculum, quod per eum divina operata est clementia: & multi supersunt qui ipsum viderunt miraculum.

Quidam ejus consilium spernens, graviter se habet.

18. Homo quidam ex territorio Biturico * Leodulfus nomine ad virum Dei veniens poposcit, ut filium suum ad baptismum fontis susciperet: & famulus Dei nihil denegans, hoc quod ab eo petiit adquievit. Elevatóque infante ab eo de fonte, albis indutum deosculans, & genitori suo ad nutriendum commendavit, & genitor ejus infantem ad propriam detulit domum. Genitrix namque ejus cum magno gaudio ad lactandum suscepit, & in agitario, quod vulgò berciolum [c] vocant, pannis constrictum imposuit, & extensa manu agitare nitebatur, & eum movere nullatenus prævaluit. Undique conspiciens vel scrutans, si quidpiam oppositum aut impedimentum haberet, sed cùm nihil repperit, manum ad se retrahens,

En ætas Auctoris. Filiolum è fonte suscipit. * al. Turonico

[a] En disciplinæ vocabulum pro corporis flagellatione usurpatum. quod tamen aliter exprimitur in codice Compendiensi: *cœpit carpentario vehementer minari. Tunc unus*, &c.

[b] Malè hunc locum reddit Lemovicensis. *Dum vir Dei digitos imponit dentibus, & salivâ illinit, manum S. Pardulfi momordit Aunarius.* Compendiensis cum antiquiori anonymo consentit.

[c] Compendiensi *barciolam.* hinc Gallica vox *berceau.*

ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI.

ſtupere demens & pavidè cogitare cœpit quidnam eſſet. Mox mirum in modum divino atque ſuperno nutu quaſi ad manum hominis coactus, per ſe agitari cœpit berciolus. Tunc prædicta genitrix ejus vocat virum ſuum, & hoc indicat ei, undique manentibus hoc oſtendit miraculum. veniunt & vident glorificantes Deum. Quamdiu autem fuit infans in albis, numquam à manu hominis fuit agitatus niſi ex ſuperno motu; & poſt paucos dies infans animam quam receperat reddidit, & poſtea genitor ejus præfatum berciolum, quod honeſto ſermone Philoſophi cunabulum vocant, pro memoria ſalutis in domo ſua pependit. Et cùm moderno tempore Francorum cohortes prædictam depopulâſſent urbem, & cunctorum domos igni cremaſſent [a]; hanc domum in qua erat cunabulum appenſum nullatenus cremare potuerunt, nec quidpiam eam vel parum exurere valuerunt.

Dominica die moritur.

19. Beatus igitur Pardulfus cùm jam ferme octoginta ætatis ſuæ degeret annos, ea tempeſtate qua præcelſus atque inluſter Major-domus CAROLUS regeret Franciam; inluſter quoque vir CHUNOLDUS regeret Aquitaniam per permiſſum Caroli; præfatus vir caniciei candore ſplendidus, vultu angelico à bono opere, nullo onere fatigatus, nulla gravitudine piger, nulla ætate ſerus, nulla cæcitate offenſus, Dominum poſcens ut ejus finem remunerari juberet; mox dolore membrorum adtactus ad lectum rediit, ſeptémque dierum carnis afflictionem ferens, adveniente autem Dominica [b] die defectum corporis vicina morte imminente adſignans, ſe paullulum obdormivit. Et cùm à ſomno evigilâſſet, ait ad Fratres qui undique adſiſtebant miniſtrantes ei: Cujus tubam vociferantem ad portam Monaſterii hac hora audivi? At illi cogitantes quòd mente loquendi caruiſſet, reſpondentes dixerunt: O Pater ſancte, quid inſanè loqueris, quia numquam te verba fruſtra loqui audivimus. At ille reſpondens ait: O nati, ego non inſanio, ſed illam tubam quam inluſter vir EUDO ad ſignificandum prœlium tubari conſuevit, vociferantem audivi. Patenter intelligendum eſt, quòd chorus Angelorum ejus ſuſcepit animam, atque æthera penetraſſe non dubium eſt, dicente beato Paulo: *Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo.* (1. Theſſ. 4. 16.)

A ſuis deſideratus.

20. Preſbyter quidam SCOPILIUS * (* al. Scubilius) nomine in domo altera caligas ejus quas ipſe operatus fuerat, pedibus ejus impoſuit, & deſuper cum lacrymis vel lamentis duriſſimè flebat. Tunc vir Dei ait: Fili, quis eſt qui caligas meas contigit, vel pedibus ſuis impoſuit? Fratres requirentes eas, in alia domo invenerunt præfatum Preſbyterum deſuper lamentantem. Et turbæ Monaſterii illius veſpertinis peractis circa lectulum ejus flentes ſteterunt, dicentes: Heu grex relicte, quis nos queat à vipereis morſibus abſtrahere? quis nos de ſævientibus luporum dentibus liberare relicto Paſtore? cur nos, Pater bone, derelinquis? vel ubi quæremus tuam angelicam doctrinam? quale reſponſum demus pro te? & quem reſpiciemus in loco Baſilicæ, ubi ſtare conſueveras? quis eſt, qui ſine te lugeat monita tua, vel quale reddemus reſponſum infirmis, quando te ad requirendum venerint? At ille vix ut potuit loqui conſolans eos divinis ſermonibus: Viriliter agite, inquit, & confortetur cor veſtrum, & exſpectate Dominum & inluminamini, & facies veſtræ non confundentur: & nihil vobis deerit, ſi timueritis Dominum, & Dominus non privabit bonis

[a] Id contigit anno DCCXLI, paullo poſt mortem Caroli Martelli, ut in Chronici Fredegariani continuatione legitur cap. III.

[b] Hinc colligitur, S. Pardulfum obiiſſe anno DCCXXXVII. ſiquidem obiit die dominica, prid. Nonas Octobris, altero anno quàm Hunoldus Eudoni patri exſtincto ſucceſſerat. Sepultus eſt vir ſanctus in Eccleſia S. Albini, ſuprà num. 16.

omnes ambulantes in innocentia; ut meritò audiatis desiderabilem vocem Domini: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Cùm hæc loqueretur, sancta illa anima carne soluta est. Eadem verò hora THEODORUS * ejus discipulus vocem psallentium in cælo audivit, & concitus ad virum Dei pervenit, & invenit eum jam defunctum. Væ nobis miseris! quis umquam talem videat? aut quis de eo conloquens siccos habere poterit oculos?

ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI. *Matth.* 25. 34. * *al.* Theodenus

21. Postquam corpus ejus fuit humatum, rabidus quidam Berthericus ad sepulcrum ejus sanus effectus, unde venerat remeavit.

APPENDIX.

De Translatione Reliquiarum S. Pardulfi in Monasterium Arnacum.

1. INTER *Garactenses & Arnacenses incolas de corpore S. Pardulfi lis vetus est.* Anno gratiæ MCCLXII * *teste Gaufredo Priore Vosiensi in lib. 1 cap. 62, quum in urbe Lemovicis dedicanda erat S. Valeriæ Ecclesia, istuc delatum est* gestatorium S. Valerici cum argenteo S. Pardulfi de Garacto. Reliquias Virginis juxta morem foris muros excepimus in cappis, *inquit Gaufredus, tum Monachus Cœnobii S. Martialis*, S. Valerici ad Monasterii portam occidentalem. Sed quia Garactenses jactabant se B. Pardulfum habere, noluit Abbas sive conventus eos ex ordine recipere, ne in scrupulum Principibus de Turribus veniret, qui eumdem Patrem Arnaco intulerunt.

* *Sic legendum, non* XII.

2. *Hanc corporis S. Pardulfi Translationem in Arnacum Monasterium describit idem Auctor in Chron. lib. 1 cap. 2 & seqq. in hunc modum.* Dulcissimi Patris Pardulfi corpus longè post ejus transitum de Cœnobio Garactensi delatum est in Monasterio Sarlatensi, & juxta corpus S. Sacerdotis Lemovicensis Episcopi honestè collocatum est. Illic multarum signis virtutum populorum turbas invitans, Monachis tunc ibidem religiosis nauseam ingerebat. Quapropter Abbatem à Pontifice separantes, in Ecclesiam S. Johannis extra Monasterium transtulerunt. dehinc subtractâ signorum frequentiâ Pardulfum Sacerdoti parem divina pietas dicitur ostendisse. *Et cap. 3.* Eo tempore, *nempe principatu Rotberti Francorum Regis*, GUIDO de Turribus, qui cognominatus est Niger, inter Principes Lemovicini climatis probitatis titulo clarebat. Erat illi uxor non dispar natalibus, Engalcias nomine, filia Principis Malamortensis * castri, quæ S. Geraldi Aureliacensis ex nepte proneptis exstitisse narratur. Hi enim Ecclesiam de Arnaco, quæ olim fuit in honore S. Petri, parva quidem, sed parochialis, in melius ampliare studebat. Hunc adjuvit Sarlatensis Presbyter quidam, & de corpore S. Pardulfi transferendo sese ministrum Deo auctore fore spopondit. Qui Sarlato * rediens, Sancti Reliquias de loculo transfert in loculum. deinde noctu properat ire. ne verò per diem res cognosceretur, asinum stravit, & (ut rusticè loquar) superposuit bastas *, in quarum una lipsanum Sancti posuit, in alia Gauzbertum puerum suum recondidit, quæ omnia linteo cooperuit. Obviantibus verò dicebat, in mercato Saliniacensis * castri quod agitur quintâ feriâ, panem ferre ac referre. Sicque devenit ad Vizeræ * litus. *Addit cap. 4.* Die notata venit ad fluvium inclytus heros *Guido*, militum turmam secum armatam promtè conducens. Quid multa? Suscipitur à Principe thesaurus pretiosior auro, ipsaque die in villa *de Perpesac*, non hospites, sed domini hospitati sunt. Postera die, hoc est XIX Kalend. Januarii, Arnaco devenerunt, & in Ecclesia sua novus hospes possessor perpetuus effectus est. Tunc facta sollemni donatione contulit Cœnobium Abbatibus S. Martialis: & Hugoni & Gaufredo donum istud postea Lemovicensis Pontifex Jordanus approbavit, & Benedictus Papa confirmavit, *&c.* Jordanus cognomento *de Laron* Lemovicensis Episcopus, *is est qui* antequam abiret Hierosolymis, consecravit Monasterium de Arnaco, in quo quiescit corpus almi Pardulfi, in honore sanctissimæ Trinitatis Idibus Julii anno dominicæ Inc. MXXVIII, *ut idem auctor scribit cap. 9. Idem* Monasterium *seu Ecclesiam* de Arnaco Petrus Lemovicensis Episcopus dedicavit XV Kalend. Decemb. in honorem S. Trinitatis sanctique Pardulfi, *cap. 29.*


NOTA.
* *Malemort*
* Sarlatum
* *id est* canistra, incolis *bastes*
* *Salagnac*
* *le Vezere*

3. *Gaufredus in Chron. lib. 1. cap. 74, premittit se de* sacrosancto mysterio corpo-

ANN. CHR. DCCXXXVII. OCTOB. VI.

ris Christi *actarum in libro Miraculorum S. Pardulfi, quem librum necdum videre licuit. Meminit idem auctor cap. 27 delationis corporis S. Pardulfi anno Domini* M XCIV *facta in urbem Lemovicas ob luem ingruentem.* Tunc Dominus omnipotens, *inquit*, B. Pardulfum præclaris decoravit miraculis, cujus corpus illic de Arnaco maximo cum honore fuerat deportatum.

4. *Postmodum relatum est Sancti corpus in Cœnobium Arnacum*, Arnac, *in cujus Ecclesia hactenus adservatur. Istud Monasterium redactum est in Prioratum Monachorum cœtu destitutum: de quorum restitutione cogitant prænobiles domini de Pompedorio, qui in S. Pardulfi Ecclesia sepulturæ locum habent. Arnacum opidulum situm est in Lemovicibus uno lapide à castro Pompedorio*, Pompadour, *inter Vosiensem Abbatiam & Tutelam urbem.*



CIRCA AN. DCC XXXVIII. JUNII XXI.

VITA SANCTI LEUTFREDI

ABBATIS MADRIACENSIS IN NEUSTRIA,

Auctore Monacho anonymo, qui sæculo IX vixit.

Ex editione Iacobi Brulii & variis mss.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ scriptores. * S. Leufroy



1. **V**I S. LEUTFREDI * *Abbatis gesta illustravit Monachus anonymus, partim* ex antiquariis monumentis, partim ex relatione majorum comperta *in ordinem retulit. Is vivebat paullo post Elevationem (ut vocant) S. Leutfredi, quæ anno* DCCCLI *facta dicitur, certè ante Translationem corporis ejus in urbem Parisiacam, uti ex libro miraculorum intelligimus.*

S. Leutfredi memoria.

2. *S. Leutfredum commendat sincerum Vsuardi Martyrologium his verbis:* XI Kalend. Julii, in pago Madriacensi S. Leutfredi Conf. qui in monumentum eximiæ sanctitatis orationibus suis fontem produxisse fertur de terra. *Eumdem laudant Fridegodus & alii in actis S. Audoëni Episcopi Rotomagensis. Madriacensis pagus*, de Madrie, *is est, cui Nebelongus Comes, ejúsque filius Theodebertus præfuisse dicuntur, Ebroïcas inter & Vernonem opidum diffusus.*

Monasterium. * l'Eure * Evreux

3. *Leutfredus jussu Ansberti Audoëni successoris è pago Rotomagensi in natale solum regressus, Monasterium ædificavit ad amnem Acturam * Auturámve in pago Madriacensi, altero miliari ab urbe Ebroïca*: cujus fundamenta circiter annum* DCXC *posuisse videtur, ut postea expendemus. Istuc in ædem sacram, pro more illius temporis Monasteriorum, diu feminis negatus ingressus. Id probat præcipuè liber Miraculorum cap. 4. Monachis per Nortmannos fugatis Monasterium* Madriacense, *aliis* Crucis S. Audoëni *seu* Heltonis, (*sic primitus vocabatur, nunc verò* Crucis S. Leutfredi) *per Carolum cognomento Simplicem unitum est Cœnobio S. Germani à Pratis, quò Monachi Leutfrediani unà cum Patroni sui aliorúmque Reliquiis confugerant. Testes hujus rei sunt litteræ Caroli Regis, datæ* Compendio Palatio II Id. Martii, Indict. VI, regnante Carolo Rege glorioso, redintegrante XXI, largiore verò hereditate indepta VI, *id est anno* DCCCXVIII. *quibus litteris ad petitionem* Rotberti Marchionis Abbatis Monasterii S. Vincentii seu S. Germani, *necnon* Heriberti Comitis *Veromandensis &* Abbonis Episcopi *Parisiaci*, subjicit Abbatiam quæ nuncupatur Crux S. Audoëni, S. Germano ejúsque Monachis, præter partem ipsius Abbatiæ quam concedit Nortmannis Sequanensibus, videlicet Rolloni suísque Comitibus pro tutela Regni. *Idque facit tum* pro veneratione sanctorum cinerum Audoëni Archiepiscopi, necnon beatorum Confessorum Leutfredi fratrísque ejus Agofredi, quatinus abhinc & deinceps prædictorum membra Sanctorum ab eisdem Cœnobitis reverenter susciperentur, cultúque divino secus beatos artus Germani collocarentur: *tum* pro anniversario dilectissimæ ejus conjugis Friderunæ, *necnon* die unctionis ipsius Caroli celebrandis

v. Kalend. Februarii sollemnitate S. Agnetis. *Rebus compositis restituta est Abbatia Monachis Leutfredianis eo pacto, ut reportatis aliis, sancti Leutfredi Reliquiæ penes Monachos Germanenses remanerent.* CIRCA AN. DCC XXXVIII. JUNII XXI.

4. *Floruêre in Cœnobio Madriacensi B.* AGOFREDUS *S. Leutfredi frater, cujus tamen nulla in his Actis mentio; S.* BARSANORIUS *Abbas cultus Idib. Septemb. &* GUITMUNDUS *Aversana urbis in Italia Episcopus, scriptis suis contra Brengarium editis clarus. Sunt qui S.* Thuriavum *Dolensem Episcopum, &* GUIDONEM *Aretinum illic vixisse existiment. Huc argumentis opus. Certè S. Thuriavi Acta id silent; vereórque ne Guidonem pro Guitmundo usurpaverit Trithemius hujus sententiæ auctor. Superest etiamnunc prædictum Cœnobium,* Crux S. Leufredi *nuncupatum, cui præfuit hactenus Abbas Regularis.* Viri pii & illustres.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. SCRIPTUM legimus in libro ecclesiastico: *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua, &c.* Igitur opera magni Dei pronuntiantes, proponamus vobis virum reverentissimum B. LEUTFREDUM, in quo Spiritus-sanctus mundam sibi sedem præparavit, & de ipso loqui instituamus: cujus etsi facta prosequi non sumus idonei, auxilio tamen omnipotentis Dei & tanti viri meritis fulti, quæ ex antiquariis monumentis partímque relatione majorum nobis comperta sunt, enarranda suscepimus.

INCIPIT VITA.

2. BEatus vir LEUTFREDUS intra Gallias pago Ebroïcensi exortus est, sanguinis nobilitate conspicuus, parentibus Christianissimis natus. Hic in adolescentia sua cùm in vana mundi hujus gloria excrescere posset, totam militiam suam Domino vero Regi devovit, magis cupiens pauper nudus Christum sequi, quàm divitiis sæculi vestitus ad tempus sicut flos feni florere. Mox ergo adhuc puerulus divino spiritu tactus æstuabat, animo assiduè parentes deprecans, ut accessum posset habere ad aliquem locum, ubi exercitia litterarum in scholis invenirentur. Ad hæc cùm pater nullo modo adsentiret, & unici filii diceret se non posse absentiam sustinere; puer ille devotus Deo occasionem invenit, qua id quod desiderabat perficeret. Petivit namque à patre, ut liceret sibi cognatos & affines suos visitare qui in castro Ebroïcensi morabantur: cúmque visionis mutuæ & allocutionis eis impendisset officium, continuò ad propria reverteretur. Leutfredus Ebroïcensis litteras amat.

3. Postquam itaque obtinuit quod poscebat, ad suburbanum præfatæ civitatis tetendit, ubi venerandus Confessor Christi Taurinus [a] Præsul quondam ejusdem loci requiescit: veniénsque ad locum, æditūum domûs Dei allocutus, voluntatis suæ intentionem reseravit. At ille libenter eum audiens unanimo affectu tractavit: & quia mente sincerus & corpore pulcher esset, fraterna dilectione ei ministrare curavit. Ut autem magistrum reperit qui sibi operam in litterarum eruditione impenderet, cum documento linguæ morum probitate cœpit alios anteire. In Ecclesia S. Taurini studiis vacat.

4. Interea cùm ibidem diutius moraretur, parentes quos reliquerat absentiam ejus graviter ferentes, & in exteris regionibus ad aliquam eremi vastitatem profugisse credentes, mox cœperunt circuire loca diversa, A parentibus frustra repetitur.

[a] Nunc eo loci visitur præclarum Ordinis S. P. Benedicti Monasterium, Congregationi S. Mauri subjectum, de cujus origine non constat. Sanè Monachos istic extitisse ante Normannorum adventum, constat ex Vvillelmo Gemeticensi, qui in lib. 7 cap. 22, *Monasteria S. Taurini, S. Leutfredi,* &c. inter antiquiora provinciæ computat.

CIRCA AN. DCC XXXVIII. JUNII XXI. si forsitan eum alicubi reperire possent: & cùm dies & noctes in quærendo eò agerent, in memorato loco inventus est. Cúmque ei vehementiùs instarent, ut parentum dolorem reversione sua relevare debuisset, evangelica voce respondit: *Nemo*, inquit, *mittens manum suam in aratrum & adspiciens retro, aptus est regno Dei.* Nam postquam me Dominus meus JESUS-CHRISTUS ad sibi serviendum adsumere dignatus est, indecens omnino est, si ab ejus nunc militia ad carnis & sanguinis transeam amicitias, præsertim cùm ipse dicat: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*; &, *Si quis venit ad me, & non odit patrem aut matrem aut uxorem aut filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Luc. 9.

Matth. 10.

Luc. 14.

Condatũ, dein Carnutum petit.

5. Tali ac tanto pondere verborum victi parentes cùm resistere non possent, in proposito suo eum manere passi sunt: illísque abscedentibus cœpto operi magis ac magis insistere cœpit, quousque omnibus sodalibus transscensis magistrum quoque suum æquiparare videretur. Cúmque omnia epotâsset in quibus idonei doctores erant, quos in eodem vico invenerat, ad alium vicum cui Condatus* vocabulum est festinus migravit. Sed cùm nec ibi virum inveniret qui sibi faceret satis ad omnia quæ quærebat, quamcitissimè loco recessit, & ad urbem Carnotensem quæ in vicino erat convolavit, ubi diversorum studiorum doctrinam abundare cognoverat. Quo cùm pervenisset, juvante se Christi gratia ita ad plenum eruditus est, ut omnes eum cùm attenderent discipulum, mirarentur factum esse magistrum: miróque modo industria sapientiæ & conversationis sancta simplicitas in eo refulgebat, ut cum verborum studio & litterarum affluentia bonorum operum incrementa consurgerent. Unde factum est, ut & ipse vir Dei experiretur quod ceteri sancti Patres ab inimicis religionis suæ perpessi sunt. Etenim quanto ipse ampliùs flumine gratiæ Spiritus-sancti debriabatur, tanto malivolorum sociorum invidentia contra illum acrior erumpebat. Et hoc de versutia antiqui hostis miseris hominibus accidit, ut alter alterius felicitate torqueatur. De quo scriptum est: *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitatur autem illum qui est ex parte ejus.*

* Condé

Invidos patitur.

Sap. 2.

In solum natale reversus, pueros litteras docet.

6. Porro vir Dei cùm contra se venena antiqui hostis & invidiam hominum grassari conspiceret, velociter inde digressus ad propriam possessionem remeavit. Cùm autem fama reversionis ejus ad vicinos ejus pervenisset, cognoscentes in eo divinarum litterarum sapientiam coruscare, filios suos ab eo edocendos offerebant. Quos ille & litterarum peritiâ imbuebat, & religionis modestiâ informabat. Denique dum spiritualibus studiis occuparetur, inter cetera semper memor verborum Domini quibus in judicio Fideles alloquitur dicens: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*; necessaria indigentibus viduis ac pupillis & orphanis procurabat, & in domum suam introducens, ciborum satietate reficiebat, & prout poterat abscessuris viaticum tribuebat. In eodem loco possessionis suæ Oratorium statuit, quod etiam Reliquiis diversorum Sanctorum exornavit, ubi nullus introitus, neque accessus feminis dabatur. Sanè quamvis adhuc in laïco habitu detineretur, opus tamen veri Monachi assiduè Domino persolvebat, pernox in vigiliis, in oratione perseverans, in jejuniis promtus, in eleemosynis largus.

Matth. 25.

Oratorium construit feminis inaccessum.

Parentibus cõvivio exceptis, clã aufugit.

7. Posthæc majora ac perfectiora semper animo perquirens, cœpit intra semetipsum cælestis oraculi verba revolvere quibus dicitur: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Quapropter dignum duxit ut omnibus mundanæ dignitatis affectibus funditus

Matth. 19.

Circa An. DCCXXXVIII. Junii XXI.

ditus despectis monasticum subitò convolaret ad habitum. Nec in longum devotionis suæ distulit propositum. Legerat quippe dixisse Sapientiam: *Fili, ne differas converti de die in diem.* Quadam igitur die cùm honestioribus cibis præter solitum convivium instruxisset, patrem & matrem, propinquos quoque in domum suam vocavit, & abundantiâ cibi ac potûs refecit, xenia insuper eis largitus est. Cúmque vespertina hora adesset, & illi in epulis lætarentur, servus Domini in corde decantans, secretum aliquod secum meditabatur, dixítque eis: Audite, carissimi parentes & noti & amici, & quicumque pauperculam domum nostram introire dignati estis; jam nox imminet, dignamini hîc hac nocte requiescere, & mane ad vestra singuli revertemini. ego verò adjuvante me Domino meo Jesu-Christo quod desidero festinus implere curabo. Hoc autem ad quid dixerit, omnibus incognitum fuit. Cúmque illi sopore gravi depressi essent, ipse concupitum iter arripiens, parentibus relictis & quæ in mundo tenere videbatur, inter profundæ noctis tenebras veram lucem, id est Christum ducem habere meruit. cui iter facienti pauper quidam nudus obviàm venit, at ille pallio quo erat amictus eum protinus vestivit. Inde paullulum progrediens alterum pauperem obviàm habuit nudum, quem similiter vestimentis suis circumtexit, memor propheticæ monitionis: *Cùm videris*, inquit, *nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.*

Eccles. 5.

Vestes dat pauperibus.

Esa. 58.

8. Pervenítque ad Monasteriolum quod vocatur vulgò Varenna [a]: cúmque caritate se illic habitantes aliquantum temporis detinere vellent, nullo modo adquievit, quia feminarum habitaculum illud erat. Egressus itaque petivit locum qui dicitur Calliacus [b], ubi Dei hominem Bertrannum invenit, cujus in rebus divinis indefessa mentis agilitas ferebatur. qui dum sermonem invicem de spiritualibus agerent, visum est eis ut adspectibus hominum se subducerent, & quasi catena colligati intra claustra domûs usque in finem in hymnis & precibus permanerent. Sed vir Domini Bertrannus relictis omnibus quæ habuit, peregre profectus est: devotus verò miles Domini Leutfredus in cœpto persistens, ibidem se velut in specu retrusit. Ibi die noctúque orationibus & vigiliis intentus fonte lacrymarum ora suffusus, pietati Omnipotentis seipsum commendabat, ut ipse in quo sperabat, intentionem & opus suum usque in finem feliciter dirigeret.

Varennam Monasteriolũ adit. a

b Calliaco se recludit

9. Evoluto autem tempore cùm jam dispensatio divina per eum plures lucrandos decerneret, auditâ famâ beati Sidonii, vir Dei Leutfredus Rotomagensem urbem protinus advenit, ubi [c] prædictus homo Dei Sidonius, Hiberniâ Brittanniæ insulâ ortus, virtutum splendore venerabilis habebatur. Postquam autem venerabilis vir Dei Leutfredus vera esse comprobavit quæ fama ad eum detulerat, homini Dei artiùs se conjunxit, & per ordinem voluntatis suæ patefecit arcanum: satísque ab eo in regulari tramite ac monastica conversatione edoctus, habitu corpus immutatus accepit signum capitis, quo milites Christi à populari cœtu discernuntur: & sub ipso Patre voto seipse constrinxit omnem obedientiæ disciplinam ser-

A Sidonio Abbate vestem monasticam accipit. c

a An vicus prope Galionis castrum, dictus *Nostre Dame de la Garenne?*

b Exstat prope Abbatiam S. Leutfredi vicus dictus Calliacus, *Cailly*, quem hoc loco intelligendum putant. Est & Calliacus Decanatûs sedes in pago Caletensi ad amnem cognominem: qui vicus non longè distabat à Monasterio S. Sidonii, quò postea Leutfredus concessit.

c Nimirum quarto miliari Gallico ab urbe Rotomago in Caletensi, vulgò *le païs de Caux*, ubi S. Sidonius ex-Monacho Gemeticensi Abbas Monasterium erexerat, nunc redactum in Prioratum & vicum, vulgò *S. Saëns* appellatum, subjectum Abbatiæ Fontanellensi. S. Sidonius laudatur in Actis SS. Filiberti & Aicadri Abbatum Sæculo 2, ac in Vita S. Audoëni Rotomagensis Episcopi, quicum Romam profectus fuisse dicitur. S. Sidonii Reliquiæ in percelebri Monasterio Fiscamnensi adservantur.

Circa An. DCCXXXVIII Junii xxi.

I. Reg. 15.

vaturum, sciens scriptum: *Obedire magis placet Deo quàm victima, & auscultare magis quàm offerre adipem pacificorum.* Et Samuël ad Saül ait: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere.*

Ansberti consilio repetit natale solum.

10. In diebus illis domnus Ansbertus in Rotomagensi urbe Pontificatum gerebat. hic frequenter egregium virum Sidonium & S. Leutfredum ad familiare colloquium invitans, de adquirendis Deo animabus cum eis tractabat. Factum est interea ut hortatu Præsulis & B. Sidonii ad natale solum vir Domini reverteretur, ut in patria sua homines in via erroris ambulantes ad lumen veritatis reduceret, cui rei ipse magis quàm alius sufficiens esset. Egressúsque urbem Spiritu-sancto duce devenit in fines Madriacensis pagi, ad locum virtutibus quidem insignem, nullis tamen habitaculis adornatum. Dudum namque cùm vir Domini Audoënus Rotomagensium Antistes Spiritu-sancto repletus, diversas provincias peragrans, verbum Dei disseminare non cessaret, jámque gravi senio confectus equitare non valeret, usus est vehiculo, in quo jacentem eum duo muli vehebant. Quodam igitur tempore cùm sic incederet, accidit ut transiret per vallem illustrem juxta fluvium Acturam*, ubi via erat ab occasu in orientem, porro alia via ducebatur à meridie in septemtrionem. Dúmque super ipsum locum, ubi viæ in similitudinem crucis jungebantur, vehiculum sancti viri pervenisset, ilico terrore divino animalia substiterunt, nec à loco moveri potuerunt. Tunc vir Domini non absque mysterio rem tantam fieri sentiens, familiare cum Domino secretum iniit. & ecce respiciens cælum, vidit signum crucis miro fulgore radians: statímque animadvertit vir Deo plenus resplendente cælo ad terram, & terra ad cælum, quòd locus ille futuris temporibus crucifixi Domini Jesu-Christi veros cultores habiturus esset, qui crucis mortificationem & in corde & in corpore suo evidenter gestaturi essent. Tali igitur visione gloriosus Domini Pontifex lætificatus, jussit sibi adferri lignum unde signum vivificæ crucis effigiare posset. Sed cùm minister non inveniret, à rustico quodam in eodem loco terram exarante partem stimuli pretio comparavit, de qua vexillum crucis figuravit, & cespite congesto desuper illud composuit, Sanctorúmque Reliquias ibidem colligavit. Quo facto iter quod cœperat prosecutus est, ipsóque itinere perductus est ad prædium quod vocatur Clipiacus*, in quo finem vitæ accepit, & ad aulam regni cælestis translatus vitam æternam inde adeptus est. Locus autem supradictus crebris miraculis resplendebat, ita ut adventantium illuc miserorum multitudo pristinæ sanitati restitueretur, quin etiam continuis noctibus nubes splendidissima super locum ipsum videbatur, pertingens à cælo usque ad terram. Vicinis ergo in circuitu commanentibus tantæ rei novitate stupefactis, quidam eorum casulam horrei sui super pignora Sanctorum quæ præfati sumus stabilire curavit. Hunc denique locum vir Dei Leutfredus post aliquos annos decessionis S. Audoëni Episcopi invisere tentavit, visóque loco, amœnitate ejus, eoquòd esset aquarum nemorúmque & vinearum fertilitate jocundus, miraculorum quoque prodigiis quæ ibi fiebant plurimùm lætificatus, domum sacram Domino Deo construere acceleravit, in honore scilicet vivificæ crucis, & sanctorum Apostolorum ac præcipuè Confessoris Christi Audoëni Pontificis, atque in eo loco altare statuit, ubi crux semitarum apparuerat. Sed & post modicum tempus congruentibus habitaculis eamdem cellam cinxit, atque Monachorum conversatione nobilitavit. Siquidem ex diversis partibus ad eum confluebant, qui possessiones agrorum suorum vendentes, pretia ante pedes ejus

In loco ubi S. Audoënus crucem defixerat,

* al. Aucturam, l'Evre

* Chipilly prope Parisios,

Oratorium crucis cum Monasterio ædificat.

secundùm morem primitivæ Ecclesiæ deferebant, ut distribueretur omnibus prout cuique opus erat. Alii autem de facultatibus suis eumdem locum ditare certabant, ut de redditibus rerum suarum per futura tempora servi Dei inibi habitantes necessaria acciperent. Dici non potest, quanta celeritate Dominus locum suum exaltaverit, ita ut in brevi spatio multi pompa sæculari abdicata conversi sint ad Dominum. CIRCA AN. DCC XXXVIII. JUNII XXI.

11. Per idem tempus Pontificatum Ebroïcensis Ecclesiæ DESIDERIUS[a] agebat, à qua non longè [b] locus ipse distabat. Qui cùm opinionem viri Dei audisset, & quia plures ab ipso veritatis lumine accensi vitam apostolicam sequerentur; zelo invidiæ superatus, quòd quasi in diœcesi sua talia gerere præsumsisset, quadam die conscenso equo, adsumtis officialibus suis ad Cellam viri Dei ire perrexit. Ventum est ad locum, & subitò virum Dei injuriâ verborum exacerbavit. Sed cùm ad hæc patronus noster immobilis perduraret, & patientiam fortiter conservaret; magis ac magis Episcopus exagitatus furore imperat suis, ut eum in equum levarent, cùm ipse vir Domini apud se jam decrevisset ne umquam equum adscenderet. Cúmque pariter ambularent, & eum Episcopus ad civitatem perducere conaretur, ut ibi in eum quæcumque vellet liberiùs exerceret; necdum miliarium à Cella hominis Dei compleverant, cùm subitò equus cui vir Dei sedebat, in terram concidit, & diruta sunt omnia viscera ejus. Mirantibus cunctis Episcopus nimio terrore consternatus est, atque levitatem suam admodum reprehendit, quòd virum Dei lædere præsumserit: sicque ad genua ejus provolutus indulgentiam postulavit. Cui vir Domini memor dominicæ orationis placidè omnem injuriam remisit. Pontifex autem cum summa veneratione & obsequio eum ad Cellam suam redire fecit: ubi postea divino adjutorio comitatus, per multa curricula annorum & verbo fidei claruit, & miraculis coruscavit.

A loci Episcopo exagitatus, tandem in honore habetur.

12. Denique die quadam unus Monachorum nomine GISLEHARDUS tantâ antiqui hostis malitiâ percussus est, ut subitò animam exhalare se crederet, currénsque ad hominem Dei voce lacrymabili aiebat, dicens: Succurre, Pater, succurre, quia modò ab hac luce discessurus sum. At vir Dei ad familiaria arma recurrens, hortatus est suos ut precibus obnixè instarent, ut verus & æternus Pastor JESUS unam ovem sibi creditam à jugo diaboli eripere dignaretur. Cúmque surrexisset ab oratione, benedixit ei dans præceptum ut jejuniis devotus esset, memor verbi Domini quod ad discipulos ait. Nam interrogantibus eis quare ipsi non potuissent à puero immundum spiritum ejicere, respondit: *Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione & jejunio.* Post hæc tradidit ei baculum quem ipse manibus gestabat, & dixit ei: Constans esto, fili, non morieris modò; viriliter age, & in operibus bonis meditare jugiter. Et sanatus est Frater ille, nec ulterius tale aliquid passus est.

Monachũ infirmum sanat.

Matth. 17.

13. Alio itidem tempore noctu flamma ignis cùm casu validissimè per omnia Monasterii habitacula cremando pervolaret, repentè vir Dei manus ad cælum levavit, Omnipotentem invocans ut ipse flammarum vires constringeret, qui fornacem Nabuchodonosor nihil valere fecit, ut tres pueri liberarentur illæsi. Deinde oratione completa tanto imperio impetum ignis coërcuit, ut nihil ulterius contingere posset; sed tota violentia ventorum in unum conglobata, quasi per inundationem imbrium in semet-

Incendium restinguit.

a Desiderius Ebroïcensis Episcopus, Aquilini successor, ejus qui Concilio Rotomagensi sub Ansberto subscripsit anno DCLXXXIX.

b Nempe altero miliari Gallico, ut initio observatum, medio itinere inter Ebroïcas urbem & castrum Gallionis, famosam ædem Archiepiscoporum Rotomagensium ad Sequanam.

CIRCA AN. DCC XXXVIII. JUNII XXI. ipso emarcuit, ubi evidens misericordia Dei & intercessio sancti viri apparuit. Nam cùm domus hæreret domui, omnia citissimè velut in uno momento deperissent, si non servi sui precibus vel meritis Dominus placaretur.

Homo ipsi infestus cælitus punitur. 14. Alio quoque tempore antiquus hostis quemdam hominem instigavit, ut contra virum Dei iniquè ageret, & de rebus cellulæ ipsius diminutionem facere tentaret. Pro qua re vir Domini zelo domûs Dei permotus ad judicem festinavit. Cúmque sanctus Domini famulus querelam suam exponeret, homo ille turpibus sermonibus ei cœpit exprobrare, atque falsidicum appellare. Cui vir Domini concitato spiritu ait: Deus ipse judicet inter me & te, & in hoc apparebit quis nostrûm justitiam impugnet, si modò dentes ejus radicitus omnes ab ore ceciderint, & sit hoc signum per omnem illius progeniem. Vix verba complevit, & pondus condignæ ultionis ipsum & semen ejus percussit, ita ut omnes de progenie ejus nati hac maledictione deturpati sint usque in hodiernum diem.

Item injuria mulier. * al. Auctura 15. Aliud simile miraculum gessit spiritus Domini per eum. Nam cùm quondam in Actura * fluvio in piscando laboraret, decontra respexit eum quædam mulier, & quasi subsannans in corde suo dixit: Verè calvus ille omnem hunc fluvium piscando exhauriens evacuabit, nec quidquam post se aliis capiendum relinquet. Sic autem illa hoc ipsum intra labia se murmurâsse putavit, ut nullo modo ad aures viri Dei pertingeret. Sed quia rumor verborum ad virum Dei pervenerit, ipsa experta est, ut postmodum claruit. Denique vir Deo plenus familiariter conversus ad eam dixit: O mulier, quid invides, aut cur molesta es super bono communi quod mihi cum ceteris hominibus commune est? fiat tibi retro & omni semini tuo quod mihi à fronte accidisse vides: & sicut frons ista capillis nudata est, ita tuum caput & seminis tui retro decalvetur. Quæ verba viri Dei mox impleta sunt, sicut usque hodie rei veritas testatur. Nec mirum quia omnipotens Deus nec ea quæ à fidelibus famulis suis vel leviter proferuntur, otiosa patitur & vacua præterire.

Ad S. Martinum pergens, fontem virgâ elicit vir sanctus. * le Vendosmois * al. Solniacum, f. Solomme 16. Alio quoque tempore cùm orandi gratiâ urbem Turonicam peteret, limina S. Martini visitare cupiens, transibat per pagum Vindocinensem*. Cúmque jam vesperi ingressus esset villam quamdam Sollemniacum * nomine, & fatigatus ex itinere aquam ad bibendum postulâsset, respondit hospes: O homo Dei, penuriâ aquæ patria nostra laborat, non est nobis puteus, non est fons. His auditis vir Dei, ait ad Fratres qui se comitabantur: Perennem fontem, Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM, Fratres, deprecemur, ut de venis terræ hujus fontem indeficientem manare faciat. Ilico ab oriente surgens, virgâ quam manu tenebat decies terram percussit, & continuò fons vivus effluxit, qui permanet usque hodie: omnísque populus gavisus est in mirabilibus, quibus per servum suum Dominus penuriam eorum relevare dignatus est. Ipse autem iter quod cœperat prosecutus est. Cúmque Sanctorum loca circuisset, peractis omnibus ad Monasterium proprium repedavit.

A Carolo Martello benignè excipitur. 17. Præterea cùm optimè in Cœnobio suo turba Monachorum in lege Dei floreret, & grandi fervore ad supernam patriam anhelaret; pro quibusdam negotiis evenit ut reverentissimus Patronus noster nobilissimum Principem CAROLUM Majorem-domus adiret, qui eo tempore quo DAGOBERTUS Rex CHILDEBERTI gloriosissimi Regis filius Regnum Francorum tenebat, curam reipublicæ nobiliter administrabat. A quo honorificè susceptus est & humanè tractatus, & quæcumque suggessit consecutus est. Nam & pro merito sanctitatis ejusdem Princeps familiarissimè

eo usus est, & gavisus occasionem se invenisse, de animæ suæ salute cum eo diutius tractavit. Jamque cùm reverteretur ad propria, devenit ad Castrum Laudunense * quod Clavatum vocatur. Post quem præfatus Princeps festinanter direxit qui cum ad se celerrimè reduceret. Nam filius ejus GRIFO [a] gravissimis febribus torquebatur, qui mortem vicinam adesse credebant. Propter quod Princeps multis precibus virum Dei flagitabat, ut ei sanitatem pristinam orationibus reformaret. Cúmque ille negare non posset quod paterna devotione extorquebat, jussit ut à ministris sibi offerretur. Igitur manibus ministrorum puer ad eum delatus, noctem illam cum eo fuit. Cùm autem aquam sanctificasset, & membra pueri ex ea superfunderet signo crucis eum muniens, in divinis laudibus & officiis noctem illam exegit. Inter quæ cœpit puer melius habere, & humorem febrium per os effundere. In crastinum Sacerdos Dei Missarum sollemnia celebrans, puero corporis dominici Sacramentum tradidit. Post hæc optimè convaluit puer, & sibi salutem se reportare gavisus est & patri gaudium. Porro vir venerabilis postquam innotuit populis cujus esset meriti, reversus est in sua. Venerabantur hunc Principes, diligebant manus plebeïæ, atque ad imitandum eum non solùm sui, sed etiam externi de aliis Monasteriis properabant.

Circa An. DCC XXXVIII. Junii XXI.

* Laon urbs Episc.

Grifonem ejus filium sanat.

18. Quodam verò tempore cùm à reclamationibus rerum ecclesiasticarum quas apud judices sæculares deposuerat, reverteretur, hospitium cujusdam propinqui sui ingressus est: ubi cùm fervente sole muscarum insolentiam pateretur, & minister jam lassaretur non prævalens abigere muscas, vir Domini manus conserens super oculos Deum exoravit, ut requiescerent jam membra hac fatigatione lassata. Tunc subitò omnis illa inquietudo muscarum cessavit, nec vltra visa est musca in eadem domo.

Muscas abigit orando.

19. Dæmonum quoque phantasmata potenter evanescere faciebat. Aliquando namque cùm intempesta nocte aliqui è Fratribus ardentioris desiderii ante tempus vigiliarum surrexissent ut secretiùs orationi vacarent, adest immundus spiritus sedens in loco ubi vir Dei sedere consueverat, adsumta ejus effigie. nec mirum cùm ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Cúmque à transeuntibus adoraretur, quia æstimabant secundùm morem virum Dei illic consedisse; unus eorum non oblitus, ubi virum Dei dimisisset, citiùs venit ad eum dicens: Similis tibi, ô Pater, homo sedet in Basilica ubi sedere consuêsti, & illudit modò Fratribus qui per errorem illi reverentiam exhibent. Audiens hæc vir Deo dilectus, præstigium diaboli mox recognovit, & eadem hora surgens, ostia & fenestras Ecclesiæ vexillo sanctæ crucis depinxit, ac impetum in eum fecit, & flagellis vexare cœpit. Ille verò per diversa fugiens non inveniebat aditum quà exiret. Tandem verò unum invenit locum ubi vir Dei signum crucis non direxerat, foramen scilicet cameræ ubi funis dependebat, per quem signum per horas canonicas pulsabatur: & velociter funiculo illi innixus, fastigium Templi conscendit: sed illo adscendente chorda post eum quasi ab igne combusta est. Adhuc autem lædere se posse sanctum virum arbitratus, signum illud à Templo asportavit non longè à Monasterio, & in defosso terræ aggere abscondit. Quod postea vir Domini relevari fecit. non enim latebat eum ubi repositum esset. Cognoscentes equidem immundi spiritus dolos suos & phantasmatum figmenta coram eo nil valere, cesserunt loco meritorum ejus sanctitate fugati. Hanc namque potestatem Dominus Apostolis suis ac omnibus Fidelibus suis tribuit, qui ei

Diaboli figmenta ludit.

[a] Grippo ex Sonichilde Caroli Martelli filius, à patre Neustriæ, Austriæ, Burgundiæque parte donatus, fratres suos Carolomannum & Pippinum adversarios habuit.

Circa An. DCCXXXVIII. Junii XXI. inconcussa fide & perfecto corde deserviunt: *Ecce*, ait, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.*

Luc. 10.

Arrepticiã liberat.

20. Denique etiam per idem tempus puella quædam Guntarii Comitis maligno spiritu infestabatur, intantum ut & linguæ officium amitteret. Cúmque in præsentiam viri Dei deducta fuisset, ille aquâ benedictâ eam adspersit, & crucis sanctificatione signavit: deinde digitos suos in os mulieris componens exspuensque in faciem ejus, in nomine Domini Jesu-Christi immundum ab ea spiritum expulit, & continuò solutum est vinculum linguæ ejus, & ad imperium viri Dei mox loqui cœpit rectè. Sic itaque facta est mulier sana ex illa hora.

Ferrum è manubrio in flumen elapsum miraculo extrahit.

21. Alio itidem tempore cùm ipse venerabilis Pater cum Fratribus in labore manuum occupatus esset, quadam die cùm juxta ripam fluminis Acturæ quæ ipsi Monasterio à plaga meridiana adjacet, dumos & spinas toto adnisu subruerent, cuidam Fratri excussum de manubrio ferrum à manu cecidit, & in interiora fluminis demersum est. Illud autem ferramentum vocant rustici bidubium, quod à quibusdam falcastrum vocatur, eoquòd in falcis similitudine curvum sit. Cùm autem ad notitiam viri Dei hoc pervenisset, ipse ad fluvium accessit, & cœpit perquirere ab operantibus locum ubi ferramentum illud cecidisset. Et agnoscens stetit decontra, & baculum quem manu tenebat in flumen porrexit, statímque sicut piscis ad hamum, sic ferrum illud natavit, & baculo illi inhæsit: quod vir Dei reddidit operario suo, cohortans eum lenibus verbis ut disceret fidem habere in Deum, per quem talia fieri cerneret. Ipse namque in Evangelio ad fidem nos exhortans ait: *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Tollere & mittere in mare, & statim obediet.* Verè venerabilem virum istum dixerim, qui etiam gratia & merito Prophetarum exuberavit.

idem de S. Bened. lib. 2. Dial. cap. 6.

Matth. 17.

Agrũ Dominicâ excultũ reddit sterilẽ.

Nota.

22. Sed & illud adjiciendum est, quod famulus Domini æmulatione Christianæ religionis stimulatus gessit in vicino Monasterii sui loco. Nam prope Monasterium erat locus, ubi armentorum custodia habebatur, unde & boves ad excolendam terram producebantur. Contigit denique aliquando ut ab agricolis die sabbati secundùm consuetudinem legis suæ in cultura terræ debitum servitium persolveretur. Sed cùm ad terminum suum eo die non potuissent pervenire, quia jam sol ad occasum festinabat; bubulci memorati loci pretio ab eis accepto contra usum Christianitatis in crastinum, id est Dominica ausi sunt terram exarare, volentes perficere quod illi imperfectum reliquerant. Illis verò in hac laborantibus adfuit vir Domini veniens à Cœnobio suo post completa tanti diei sacramentorum sollemnia, vidensque tantum facinus, graviter ingemuit & ait: Heu, miseri, quid hoc fecistis? quare tam grande nefas tentastis? Et conversus ad Dominum cum lacrymis imprecatus est dicens: Fiat terra ista, Domine, sterilis, & nullus fructus ex ea perveniat in æternum. Quod ita factum oculis comprobamus, ita ut usque hodie locus ille plenus sit sentibus, infructuosis arbusculis, neque nucem, neque fructum aliquem utilem proferentibus. Aliquamdiu ergo cellâ parvâ juxta Basilicam usus est; ubi cùm appropinquare jam cerneret finem vitæ suæ, diebus & noctibus, in jejuniis, in vigiliis & orationibus Domino indefessè vacabat.

Degit in cella privata.

Monachũ proprietatis reum, sepulturâ sacrâ privat.

23. Interea contigit unum ex Monachis à sæculo migrare. Cúmque Fratres qui corpus ejus tractabant, inter vestimenta ejus tres nummos absconditos reperissent, continuò Patri reverentissimo retulerunt. At ille vehementer ad hoc infremuit, & eum à societate Fratrum excommuni-

candum esse decrevit, dixítque Fratribus: Ite & ejicite eum in aliquem locum seorsum, & non in cimiterium Fratrum, & accipientes nummos projicite super eum clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditione. Qui abeuntes omnia sicut jusserat exsecuti sunt. Factum est autem post circulum ferme quadraginta dierum cùm deprecaretur vir Dei faciem Domini, & se in lacrymis & vigiliis & jejuniis nimiis pro noxa Fratris illius affligeret; revelatione didicit absolutum [a] esse Fratrem, & ad preces ejus indulgentiam peccati collatam. statímque convocatis Fratribus ait: Fratres, tempus est ut misereamur Fratris, quem judicio excommunicationis extra sortem vestram fieri censuimus. Dominus Deus noster precibus vestris placatus veniam ei contulit: ideóque & vos communicantes ei, corpus ejus ad polyandrum vestrum revocate. Sícque factum est. O quantum possunt qui omnipotenti Deo fideliter famulantur! Ecce enim cùm hîc adhuc corpore commorentur, animas defunctorum in alia regione & ligare possunt & absolvere. Certè videmus quia jam hîc ex parte incipiunt sancti viri quod eis Dominus in futuro promittit: *Vos*, inquit, *qui dereliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione sedebitis & vos super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israël.* per duodecim qui sessuri sunt omnem plenitudinem Sanctorum judicantium volens intelligi, sicut per duodecim tribus Israël omnes qui judicandi sunt. Vir namque sanctus in sententia divina animam Fratris cùm voluit ligavit, & cùm voluit absolvit. Sancti namque viri severissimâ sententiâ peccatores feriunt, ut post iram divinæ animadversionis frenare possint. Quasi enim ad votum Sanctorum suorum & irascitur Dominus, & parcit. Ait namque ad Moysen: *Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos.* Sed Moyses postquam iram Domini multis precibus à populo removit, mox conversus ipse cultor in eis exstitit, & peccata eorum maleficos occidendo purgavit, & ita Dominum placare studuit.

CIRCA AN. DCCXXXVIII. JUNII XXI.

Pôst absolutum loco sacro sepelit.

Matth. 9.

Exod. 32.

24. Longum est enarrare per singula quantam gloriam Dominus beatissimo Sacerdoti suo contulerit. Nam & tempus mihi deficiet, si velim omnia gesta illius comprehendere, licèt plurima sint quæ homines ipse latere voluit. Unum est quod obliti sumus, & necessarium duximus illud commemorare, quod inter cetera pietatis opera gessit. Prævidens enim tempora erga religionem refrigeranda, xenodochium Monasterii sui ad suscipiendos pauperes rebus sufficientibus ad hujusmodi eleemosynam ditavit: & ut hoc opus misericordiæ semper inviolatum permaneat, testamentò corroborare studuit.

Xenodochium erigit.

25. Postquam igitur per multa curricula annorum cœtum Monachorum diutina pace rexit, quos ipse Domino & exemplis & monitis salutaribus adquisivit, appropiavit tempus vocationis suæ de sæculo. Cúmque jam omnipotens Deus fidelem militem suum vellet à labore quiescere, & bravio supernæ remunerationis cursum ejus remunerare decrevisset; plenus ipse Spiritu-sancto mox febre correptus est, & deficientibus cotidie membris congregari fecit omnes Fratres quos in Christo ipse genuerat, & allocutus est eos sanctis sermonibus. Deinde misit ciborum benedictionem in loca Sanctorum, & in vicino & procul, petens ut religiosorum virorum intercessionibus apud Sanctorum Memorias indulgentia sibi & deli-

Febre correptus obit.

[a] Suspecta omnino historia. nisi forsan dicamus Monachum illum in proprietatis culpa dum adhuc viveret deprehensum, excommunicatum à Leutfredo fuisse, & profanæ sepulturæ addictum: sicque increpitum & facti pœnitentem vitâ excessisse, & adhibitis Sancti precibus veniam meruisse. Quale olim Justo Gregorii Magni Monacho ob tres aureos nummos inscio Patre servatos accidisse legimus in lib. 4. Dial. cap. 55.

Circa An. DCC XXXVIII. Junii XXI.

ctorum remissio obtineretur. His ita expletis reversi sunt ad eum qui missi fuerant: & exspectantibus omnibus diem ultimum vitæ ejus, ipse vir Dei in hymnis & laudibus Dei non patiebatur quiescere, sed noctem illam ultimam totam in vigiliis & laudibus Dei duxit, & psalterium ex integro cum aliis decantavit. Matutinorum igitur synaxi cum Fratribus peracta, exitum suum sacramentorum perceptione munivit, & inter verba orationis valedicens Fratribus ultimum diem clausit, complevítque dies suos in senectute bona senex & plenus dierum: & quod semper desideravit & forti certamine quæsivit, inter sanctorum spirituum agmina susceptus, de perpetua visione Conditoris sui sine fine lætatur. Sepultus verò est in Ecclesia quam ipse in honore beati Pauli fundaverat *. Indéque nostris temporibus translatus est à JOHANNE venerabili Episcopo Dolensis Ecclesiæ & Abbate loci ipsius in seniorem Basilicam, quæ ædificata est in honorem vivificæ crucis & S. Audoëni præcipui Confessoris Christi. Militavit autem vir Domini Leutfredus bonam militiam sub Principibus Francorum CHILDEBERTO, DAGOBERTO, & CHILPERICO junioribus scilicet Regibus: quo tempore GRIMOALDUS & CAROLUS senior per successiones Majores-domus palatii curam Regni administrabant. Præfuit huic Monasterio per annos circiter quadraginta octo, & requievit in pace XI Kalendarum Juliarum [a]. cujus patrociniis nos apud omnipotentem Deum ac Dominum nostrum credimus adjuvari, ut in sæculi transeuntis excursu rectè & piè conversemur, & pòst coheredes illius in retributione justorum exsistere mereamur.

* Hucusque codex Compend.

a Anno circà DCC XXXVIII. Quippe jussu Ansberti Rotomagensis Antistitis à Monasterio S. Sidonii reversus in pagum Madriacensem, ibi Cœnobium suum ædificavit anno fere DC XC. siquidem Ansbertus S. Audoëno successit anno DC LXXXV. uti suo loco probavimus. Cùm ergo Leutfredus Cœnobio à se constructo præfuerit per annos XLVIII, testante etiam Orderico Vitali lib. 4, ad annum DCC XXXVIII pervenisse dicendus est.

INCIPIUNT MIRACULA QUÆDAM ad sepulcrum beati Leutfredi patrata.

EXPLICUIMUS ea quæ de vita & actibus beati viri Leutfredi Dominus donavit posse describere: nunc dicamus paucis quæ post excessum ejus virtutum insignia ad Memoriam * illius omnipotentia sanctæ Trinitatis operari dignata est. Nam ad cineres ipsius, si petentium fides adsit integra, cæci illuminantur, surdi auditum recipiunt, claudi gressum, obsessi à dæmonio liberantur, superbi quoque qui servos Dei ante Memoriam ejus die noctúque excubantes infestatione tyrannidis suæ opprimere non metuunt, terribili ultione feriuntur.

* id est tumulum

Caput I. Abbatis œconomus Sancto ejúsque Monachis injurius cælitus punitur.

IN diebus igitur magni & gloriosissimi Principis CAROLI, HUNBALDUS Abba non parvæ ad sæculum dignitatis, ipsi Monasterio præerat. Hic quemdam ex domesticis suis nomine Batericum eidem loco præfecerat, ut ejus curâ res ipsius Ecclesiæ administrarentur, & alimenta ibidem Deo famulantibus secundùm ritum institutionis monasticæ præberentur. Qui cœpit in eos ferus & austerus apparere. Accidit autem ut adveniente die, quo sollemniter transitus sancti Confessoris Christi Leutfredi Abbatis erat excolendus, cùm nihil præter solitum ad usus servorum Dei lautioribus cibis præpararet, OFFA Decanus memorati loci ad eumdem œconomum

nomum accederet, & ut mitiùs cum eis ageret, gratiâ tantæ festivitatis persuaderet. Ille autem, ut nomen sancti viri Leutfredi audivit, blasphemavit: & superbiæ spiritu tumidus, sprevit dicens: Leutfredum nominas? quis est ille Leutfredus? sic & subulcus patris mei vocatur. sed scito, quia pro ejus memoria, nullus vobis apparatus à me exhibebitur. Postera autem die surgens venatum abiit, & cervam albi coloris insecutus, cùm post eam nimium fatigaretur, nequivit comprehendere. Monachi verò litaniis & precibus Dominum totis viribus in commune deprecabantur, ut super eos tandem clementer intenderet, & indignaretur super tantis blasphemiis nomini suo irrogatis. Et ecce cùm sederet ad mensam cum uxore & necessariis amicis, inter cetera allatus est piscis, & ait: Omnino ex isto non manducabunt Clerici * Leutfredi. Cui subitò apparuit quidam Monachus ex eadem congregatione, nomine HERCUS dudum vitâ perfunctus, habens baculum in manu sua. Ait autem Batericus: Video Hercum baculum tenentem, & contra me venientem. certè ut video in malum meum festinat. Cúmque uxor ejus & omnes qui aderant stupefacti essent, utpote qui nihil tale viderent; ille adfirmabat sic se habere. Sed is qui videbatur terribiliter in eum impetum faciens, baculo eum in pectore percussit. Qui statim exsiliens, mensam projecit in terram, & sanguinem ore & naribus excreans concidit: & ilico mandavit ad Monasterium omnia necessaria de suo Fratribus honestissimè præparari. Ipse autem illius vulneris dolore ingravescente, post modicum humanis rebus excessit.

CIRCA AN. DCCXXXVIII. JUNII XXI.

* id est Monachi

II. Cæcus lumē recipit.

Nuper quoque quidam pæne viginti annorum cæcus ad Memoriam viri Dei accessit: ubi die tertio post festivitatem S. Leutfredi, misericordiam Domini & auxilium intercessionis ejusdem viri Dei præstolabatur. Factumque est, ut Fratribus vespertinâ horâ in precibus incumbentibus, & prædicto cæco in Ecclesia perstante, columba (sicut ipse asserebat) à parte altaris veniens, in oculos cæci insiliret. Et continuò cæcus voce magna exclamavit dicens: Adjuva me, sancte Leutfrede. Ad hanc vocem venerunt quidam è Fratribus ad eum, & viderunt ab oculis ejus guttas sanguinis defluere, & invenerunt eum veraciter visum recepisse. Et postulans sibi potum dari, bibit & confortatus est, & sanus factus abiit.

III. Item cæca. NOTA.

Alia item femina cæca juxta Monasterium adveniens, cùm cognovisset nullum aditum feminis illuc ingrediendi patere, misit candelam ad Memoriam viri Dei per quemdam hominem. Cúmque accenderetur candela ante sepulcrum sancti viri, femina illa statim lumen recepit. Dæmoniaci quoque catenati & loris adstricti, sæpe ad eumdem locum adducti, virtute & meritis sancti viri pristinæ sanitati restituti sunt.

IV. Epilogus.

Plurima omisimus, quæ etiam recenti tempore ad Memoriam ejus facta referuntur: timentes ne fortè cùm religiosorum virorum paremus voluntati, legentibus fastidium gigneremus. Sed respiciat omnipotens Deus devotionem servorum suorum & obedientiam nostram: & ad ejus nos societatem (de cujus meritis etsi imperito sermone, sed devoto disputamus) pervenire faciat: ubi est gloria omnibus Sanctis ejus per infinita sæcula sæculorum, Amen.

APPENDIX

De S. Leutfredi Translationibus & Reliquiis.

I. VARIAS *S. Leutfredi Translationes ac Reliquiarum ejus partitiones memorat Jacobus Brolius. Prima est elevatio S. Leutfredi, dum sacrum ejus corpus è tumu-*

CIRCA AN. DCC XXXVIII. JUNII XXI. *lo levatum est à* GUNBERTO *Ebroïcensi Episcopo, adsistente* JOHANNE ABBATE *ejusdem Monasterii & Episcopo Dolensi, cujus epitaphium Baldricus Dolensis æquè Antistes versibus cecinit. Id factum ait Brolius* anno Dominicæ Inc. DCCCLI, Caroli Calvi anno XII, die 22 Junii: *qua de elevatione agit anonymus in fine Vitæ suprà.*

2. *Grassante Nortmannorum furore corpus S. Leutfredi unà cum cineribus S. Audoëni Rotomagensis & Reliquiis S. Thuriavi Dolensis Pontificum & S. Agofredi, Luteciam Parisiorum translatum est, & repositum in S. Vincentii seu S. Germani Pratensi Monasterio, cui tum Abbatia S. Leutfredi à Nortmannis expilata & eversa, per Carolum Regem cognomento Simplicem unita est. Rebus serenatis Monachi Leutfrediani Cœnobium suum repetunt, reportantes Reliquias suas præter corpora S. Leutfredi & S. Thuriavi, quæ in Pratensi Monasterio relicta sunt. Crediderim Reliquias sancti Leutfredi aliorúmque primò quidem intra muros Lutetiæ Parisiorum in Ecclesia quæ nunc sancti Leutfredi appellatur; deinde pace facta in Monasterio Pratensi fuisse repositas.*

3. *Anno* MCCXXII, GALTERO *Pratensi Abbate, corpus sancti Leutfredi ex vetere in novam thecam ex ligno laminis argenteis tecto confectam per Guidonem Carcasonensem Episcopum est illatum: túmque Abbati Leutfrediano præsenti radius alterius brachii sancti Leutfredi cum aliquot aliis particulis concessus est, ac in Cœnobium Leutfredianum relatus, consignatâ hujusce rei memoriâ in Martyrologio ejusdem loci his verbis:* VI Idus Junii Relatio Reliquiarum sanctissimi Leutfredi & Abb. à Parisius civitate in Cœnobium illud, quod idem vir præclarissimus in honore S. Crucis fundaverat. Facta est autem hæc relatio regnante LUDOVICO juniore (*immo Ludovico VIII*) Rege Francorum, tempore RODULFI Ebroïcensis Episcopi, anno ab Incarnatione Domini MCCXXII.

4. *Plures aliæ sacrarum Reliquiarum distractiones leguntur apud Brolium, præcipuè vicanis Surisnarum non semel factæ: qui locus altero miliari distans à civitate Parisiaca, vulgò* Surefnes *dictus ad Sequanam, Patronum habet S. Leutfredum, cui etiam Oratorium quoddam in ipsa urbe dedicatum est. Carolus cognomento simplex petente* ROTBERTO *Abbate Monachis Pratensibus concessit* villam in pago Parisiacensi Surisnas nuncupatam, *aliáque prædia*, quatenus singulis annis iiii Idus Febr. anniversarium conjugis Fuderunæ celebrent & suum quando contigerit, & sollemnitatem S. Agnetis. Datum II Id. Maii, Indict. VI, anno XXVI regni, redintegrante XXI, largiore hereditate indepta VI, Compendio palatio, *id est anno* DCCCCXVIII.



ANN. CHR. DCC XXXVIII. FEBR. XX.

VITA SANCTI EUCHERII
EPISCOPI AURELIANENSIS,

Auctore anonymo ejus æquali.

Ex Surio, Bollando, & mss. codice Conchensi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ scriptores. 1.  UCHERIUS *ex-Monacho Gemeticensi Episcopus Aurelianensis, scriptorem Vitæ sortitus est anonymum sui temporis æqualem, ut patet ex prologo & initio scriptionis. Eam primus edidit Surius; Henschenius iterum ad mss. codices exactam Notis & observationibus eruditis illustravit; nos iterum hic recudimus, prout in apographo Cœnobii nostri Conchensis in Neustria exhibetur, excepto tamen prologo planè insulso, cujus hæc dumtaxat verba notanda sunt:* Quod præsenti tempore apud veraces coævósque nostros didicimus, ad au-

ANN. CHR. DCC XXXVIII. FEBR. XX.

gendam Fidelium gloriam & ad corrigendam iniquorum pravitatem de sancti viri meritis scribere negligere non pigeamus. *Nam cetera quidem magis avocant à Vita lectione, quàm ad eam faciant viam.*

Eucherii memoria.

2. Eucherius Martyrologiis Usuardi, Vvandalberti & Adonis inscriptus non est. quod mirum est excidisse Vvandalberto Monacho Cœnobii Prumiensis, quod non longè aberat à Trudoniano, in quo sepultus Eucherius. Eum iisdem fere verbis celebrant HRabanus & Notkerus IX Kalend. Martii. *sic enim HRabanus:* Depositio Eucherii Episcopi & Confessoris. *At pridie ejus diei colitur in Kalendario Trudoniano, Martyrologio Romano & aliis, quibus potiùs standum videtur. Patres Synodi Carisiacensis, anno* DCCCLVIII *habita, Eucherium* sanctum *appellant in epistola synodica ad Ludovicum Germaniæ Regem cap. 7, uti etiam Hincmarus, Adrevaldus & alii seculi* IX *scriptores.*

Exsilii causa.

3. Quæ Carolo fuerit causa relegandi Eucherii, antiqui disertè non exprimunt. satis tamen innuunt exsilium Eucherio irrogatum fuisse, quòd Carolo Principi res ecclesiasticas in urgentes belli usus rapienti restiterit. Hinc vulgatum illud Eucherii visum de Caroli Martelli damnatione ob direptas Ecclesiæ facultates: de quo alii aliter sentiunt. Hîc paucis quæstio explicanda.

Caroli Martelli damnatio an Eucherio revelata.

4. Aiunt siquidem Patres Synodi Carisiacensis modò citatæ, S. Eucherium Aurelianensium Episcopum, *in Monasterio S. Trudonis detentum, in oratione raptum vidisse Caroli animam* in inferno inferiore torqueri: *eique causam interroganti* ab Angelo ductore *fuisse responsum, id Carolo accidisse, propterea quòd* res Sanctorum abstulisset, divisisset *alienis. Tum Eucherium sibi ipsi redditum, S. Bonifacio & Fulrado Abbati Dionysiano rem retulisse: cujus experimentum facturi, simul ad sepulcrum Caroli in Monasterio Dionysiano tumulati adierint: apertóque sepulcro,* subitò *ex eo* exisse draconem, & totum illud sepulcrum interius inventum esse denigratum, ac si fuisset exustum. Nos autem, *inquiunt,* illos vidimus, qui usque ad nostram ætatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, & nobis viva voce veraciter sunt testati quæ audierunt atque viderunt. Quod cognoscens filius ejus Pippinus, Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum S. Bonifacio Legatus apostolicæ sedis Gregorius nomine. Nam & Synodum ipsam habemus, & quantumcumque de rebus ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, Ecclesiis reddere procuravit. Et quoniam omnes res Ecclesiis à quibus ablatæ erant restituere propter concertationem, quam cum Vvaifario Aquitanorum Principe habebat, non prævaluit; precarias fieri ab Episcopis exinde petiit, *&c. Suffragatur huic relationi Hincmarus in libro de Vita S. Remigii, immo is videtur auctor esse epistolæ ad Ludovicum missæ à Synodo Carisiacensi, uti haud obscurè significat Frodoardus in lib. 3 Hist. Rem. cap. 20, ubi Hincmarus* Ludovico Regi Germaniæ nonnulla scripsisse *dicitur,* item aliam de pervasione Regni fraterni cum ceteris Regni Episcopis scripsisse epistolam, episcopali moderatione plenam. *Hincmaro subscribunt Adrevaldus in libro de Mirac. S. Benedicti cap. 14, Frodoardus in lib. 2 cap. 12, & alii sequiores. His addunt aliqui testimonium duplex, unum ex Vita S. Eucherii, alterum ex epistola quadam S. Bonifacii Episcopi Maguntini ad Ethelbaldum Regem Merciorum. Verùm hæc relatio tametsi ab Surio in Vita S. Eucherii recitata est, non reperitur in tribus mss. codicibus, quibus usus est Henschenius, neque in nostro Conchensi: nec ab ullo antiquo hujusce narrationis adsertore profertur inde auctoritas. Interpolamentum etiam in Bonifaciana epistola causatur Henschenius, monens locum illum qui de Caroli* ægrotantis longa torsione & verenda morte *agit, non exstare in editione Serariana, quæ ad mss. codices tres exacta est. Et tamen reperitur versus ille, uti & Ceolredi & Osredi Regum casus, tum in exemplari veterrimo saxonicè exarato, quo usus est Spelmannus ad vulganda Acta Concilii Cloveshoviensis; tum in eo quod exscripsit Vvillelmus Malmesburiensis Monachus in lib. 2 de Regibus Anglorum cap. 4, tum in Romano apud Baronium. Verùm locus iste Caroli damnationem disertè non exprimit.*

5. Ad auctoritatem epistolæ ad Ludovicum missæ multa respondent Baronius & Henschenius. Baronius quidem ad annum 741 opponit, superadditum esse caput illud de Caroli damnatione. Ludovicum Augustum in epistola ad Hilduinum testari, Carolum S. Dionysio commendasse corpus suum; eúmque laudari à Bonifacio apud Othlonum. denique mortuum esse post decem annos ab obitu S. Eucherii. Henschenius ad hæc, Hincmarum ignorescire nequivisse (uti ipse in epistola dicit) à testibus oculatis: cùm ante annos CXVII, *quàm celebraretur synodus Carisiacensis, Carolus è vivis abiisset. Liptinense Concilium non à Pippino, (id quod res est) sed à Carolomanno convocatum, in quo nulla mentio damnationis Caroli aut restitutionis à Pippino facta. His adde id quod legitur in brevi Chronico Dionysiano tomo 2 Spicilegii, de translatione* Caroli Martelli Regis, *id est*

ANN. CHR. DCC XXXVIII. FEBR. XX.

sarcophagi & reliquiarum ejus, in hac verba: Anno MCCLXIV translati sunt Reges in dextro choro, scilicet Ludovicus Rex filius Dagoberti, Carolus Martellus Rex, *&c. Quod si inane ac fuliginosum dumtaxat cenotaphium repertum esset, id non omissurus fuisset (ut puto) Chronographus ille. Lege Notas Sirmondi ad Capitulare 23 Caroli Calvi.*

6. Ceterùm obitus S. Eucherii rectiùs anno DCC XXXVIII *collocatur, quàm anno* DCC XXXI *apud Baronium, aut anno* DCC XLIII *apud Henschenium. Nimirum Carolus ex Aquitanico prælio adversus Saracenos victor pedem referens anno* DCC XXXII, *Aurelianis abduxit Eucherium, eúmque Coloniam primùm, ac deinde Sarchinium relegavit: ubi vir sanctus post annos sex mortuus est. Nam alia Caroli victoria contra Saracenos contigit anno* DCC XXXVII, *non in Aquitania, sed in Provincia & in Septimania, quæ necdum Aquitaniæ nomine continebatur. id enim nominis ad Septimaniam longè pòst traduxerunt Aimoinus & alii quidam. Certè si post Caroli victoriam alteram Eucherius exsulasset, biennio supervixisset Carolo: nec in exsilio, (ut quidem de Carolomanni ac Pippini pietate credere par est) sed urbi suæ restitutus obiisset. Si enim Pippinus Carolomannúsve Concilium Liptinense convocasse dicitur in epistola Synodi Carisiacensis, quò res à patre Carolo Ecclesiis ablatas restitueret: quanto magis pronum est credere, eum de restituendo Antistite piissimo cogitaturum fuisse?*

Eucherius nobilis Aurelianensis, ab Angelo prædicitur.

1. FUIT vir vitæ venerabilis & Deo dignus EUCHERIUS nomine, ex parentibus ortus juxta sæculi dignitatem nobilibus, &, ut credimus, Deo acceptis, qui talem in sæculo genuerunt prolem; sicut superiùs fati sumus, à veracissimis viris seu ab germanis suis, quæ in Cœnobio sanctarum Monacharum sito [a] juxta urbem Aurelianorum normâ sanctitatis præcellunt, fatentibus didicimus, humanis auribus inseramus. Nocte quadam ipsius Sancti genitrix, dum de Ecclesia matutinis hymnis transactis ad domum rediisset, proprium cubiculum ingressa, in stratu suo declinata, mox soporata est, cernens secus thorum suum virum adstantem nivei candoris vestibus indutum, caput canitie splendidum, oculis instar gemmarum splendentium coruscantem, atque sibi dicentem: Ave, Deo dilecta, benedictum in utero tuo ferens puerum; & scias eum in hac urbe à Deo futurum electum Antistitem. Cui venerabilis mulier: Obsecro te, inquit, ut largiaris benedictionem tuam ex ore tuo super me, priusquam discedas à me. intueor enim vultum tuum veluti angelicum. Ait illi Angelus: Rectè quidem cernis, ego enim Angelus Dei sum missus ab eo, ut benedicam prolem quæ est in utero tuo. Sed quia admonenti ambiguitatem non opposuisti, sed mox à Deo credidisti missum, benedicam te & semen tuum ortum ex hac die. At illa expergefacta immensas sanctæ Trinitati laudes conferebat; atque viro suo tantæ revelationis gaudia per ordinem pandit. Ille verò hæc audiens timore cum gaudio suffultus, in gratiarum actione rei exspectabat eventus.

ab Anseberto Episcopo baptizatur.

2. Quo orto, atque secundùm tempus competenter accrescente, propter honorem divinæ revelationis, quam priùs ab Angelo didicerat, Episcopo cuidam nomine ANSEBERTO, qui tunc temporis Augustodunensi urbe sanctitatis officio gratiâ fungebatur, regenerandum Domino sacris fontibus obtulit. At ille cum gratulatione accipiens regeneravit, atque propriis manibus de sacra unda suscepit, septiformi spiritu imbuit: eúmque cum honore, ut dignum fuit, maximo remeare ad genitores permisit.

3. Cùm igitur completi anni fuissent septem, litteratun Domino provi-

[a] An in Monasterio puellari S. Petri, de quo Glaber Rodulfus in historiæ lib. 2 cap. 5. *Constat in eadem urbe* Aureliana *Monasterium in honorem Apostolorum Principis antiquitus constitutum, in quo primitus collegium Sanctimonialium virginum omnipotenti Deo deservisse dignoscitur, quod etiam exinde cognomento Puellare dicitur* Etsi enim locus nunc muris urbis inclusus sit, tamen forsan aliquando extra urbem fuit, uti & vicinum S. Anniani templum.

dente studiis traditus, omnibus sibi prioribus præponebatur; & velut fontis ingluvies momento replens amnem, ita hunc gloriosissimum virum omnis scientia scripturarum, quidquid legendo vel audiendo didicerat, perpetualiter infundebat. Cùm enim cuncta canonum dogmata inserta perscrutatus fuisset, manibúsque suis attigisset Paulum Apostolum, ubi ait, *Præterit enim figura hujus mundi;* & alibi, *Sapientia mundalis apud Deum stultitia reputabitur;* relinquens militiæ sæcularis cingulum, continuavit se ad cæli cultores, & in Monasterio quodam vocabulo Gemmetico sub regulari ovili se subdidit famulandum.

ANN. CHR. DCC XXXVIII. FEBR. XX.

Litteris imbutus fit Monachus Gemetici.

I. Cor. 7. 31. & 3. 19.

4. Eo tempore SOAVARICUM ejus patruum, qui Aurelianensis Ecclesiæ pontificalis honoris cathedrâ populum regebat, contigit ex hac luce migrasse. Tum verò omnis plebs Aurelianorum à Senatu accersita Domino annuente ad CAROLUM inclytum sæculi Principem Francorum legatos [a] cum munere atque humili prece mittunt. Ipsi verò cum velocitate ejus præsentiæ prolati, pedibúsque ipsius advoluti lacrymabilem proferunt sermocinationem, dicentes: Domine Princeps inclyte, suggestioni familiæ tuæ plebis Aurelianorum quæsumus adspectum minacem ne aperias, sed libenter adimpleas postulata. Dominus atque Pastor noster servus tuus Soavaricus vocante Domino de hoc mundo animam noscitur amisisse. obsecramus tuæ pietatis clementiam, ut nepotem ejus Eucherium famulis tuis plebi Aurelianorum Pontificem jubeas adnecti. Ille verò postulationem eorum benigniter suscipiens, providente Domino ratum præstitit, quod ab eo humiliter postulabant: & ex aula sua Procerum fidelem direxit, ut beatum virum de quo loquimur, ex Cœnobio quo se locaverat advocaret; & si non spontaneum, invitum tamen ad urbem jam dictam duceret, atque Pontificem ordinari faceret.

Soavarico patruo succedit in sedem Aurelianensem.

5. Quo comperto vir beatus mæstus ac mærens flere cœpit coram Fratribus omnibus, dicens: Ovem vestram, dilectissimi Fratres, cur permittitis laqueis implicari sæculi? an amando mundum & ejus concupiscentias diligendo, faucibus diaboli obvolutus, palmam de qua sollicitus eram, forsitan amittam? Tunc illi Fratres omnes ad hanc vocem præ gaudio cum mærore flere cœperunt. ex gaudio, eoquòd ex eorum ovibus super gregem suum Dominus Pastorem providisset: ex mærore, eoquòd ejus absentiæ adquiescere omnimodis formidabant. Erat quippe carus & acceptus notis omnibus. Egressus verò ex Cœnobio, benedicente Abbate omnibúsque Fratribus prosperitatem ipsius Domino supplicantibus, atque utrisque pariter clamantibus, & ad urbem præfatam usque cum velocitate pervenientibus, tunc Episcopis vicinarum civitatum arcersitis, omnis plebs urbana ad ejus ordinationem convenit cum cereis, crucibus, choris psallentium, & variis vestimentis induti: & in cathedram ipsius urbis Deo dignissimum Eucherium constituunt Præsulem gaudentes, immo ac super omnia gratulantes, quòd tantum talémque Pastorem sibi à Domino concessum cernerent. maximáque exsultatione suffulti, unusquisque jocundatus rediit ad sua.

Invitus è Monasterio raptus.

a Si explorata esset res, Eucherii electionem à Carolo approbatam esse; ejus exsilium, quod pontificatûs anno sexto-decimo contigit, non post primam Caroli de Saracenis victoriam anno DCCXXXII, sed post secundam anno DCCXXXVII reponi forsitan deberet. nam Carolus post Textriciacam pugnam anno DCCXVII solâ Austriâ, post Suessionicam etiam Neustriâ & Burgundiâ potitus est anno insequente. At proclive fuit huic Auctori pro Chilperico Rege aut Ragenfredo Majore-domus hoc loco scribere Carolum, qui principatum iniit paullo post Eucherii ordinationem. Quamquam etiam dici potest, Eucherii electionem Carolo probatam esse anno DCCXVII, quum post pugnam Textriciacam *Parisius civitatem properavit*, uti legitur in continuatione Fredegarii.

ANN. CHR. DCCXXXVIII. FEBR. XX.

Episcopalia munia rectè obit.

6. Susceptam igitur sarcinam onus sibi deputavit, non honorem. Cœpit dehinc Ecclesias excolere, Clerum diligere, plebem prædicatione sua corrigere, Cœnobia circumquaque constructa frequenter circuire, atque in eis commorantes omni caritate& fraternitate diligere. Tanto erga eum omnis Clerus & populus amore tenebatur, ut ei omnia suadentes in suæ obsequium se subderent servitutis. Erat etenim mente tranquillus, vultu serenus, adspectu amabilis, corpore decorus, corde strenuus.

Invidiam passus apud Carolum,

7. Crescebat undique fama ejus longè lateque per orbem. Erat nempe carus omnibus, atque in cunctis actibus acceptus. Et cùm opinio ejus sanctitatis passim vulgaretur; inimicus humani generis invidens ejus gloriæ atque sanctitati, fefellit quosdam cordis sui veneno mortifero, quatinus invidia circumfusi suggererent CAROLO Principi, ut beatum virum cujus suprà meminimus, cum omni propinquitate ejus exsilio deputaret; honoresque eorum quosdam propriis usibus adnecteret, quosdam verò suis satellitibus cumularet. Carolus verò suggerentibus hæc adfatur ita: Nostis gentem hanc ferocissimam atque belligeram ac locupletatam vehementer. quocirca perficere nequaquam absque ambiguitate valemus. Interea gens nefanda Ismaëlitarum ex propriis cubiculis egressa ad depopulandam provinciam Aquitaniam ingressa, imminenti periculo sui exercitûs cunctam vastans supellectilem, civitates vel castella nititur expugnare. Audiens hæc Carolus Princeps, collectis gentibus Burgundionum Francorúmque, obviàm illis cum magno pergit exercitu, illósque cum suo vastans exercitu, obtentáque victoriâ, cum magnis ad propria est reversus spoliis [a]. Cùm autem ad civitatem advenisset Aurelianis, Ligeris alveum transiens, prandia parata relinquens, & ad urbem Parisius tendens, beatum Eucherium post se ire præcepit. At ille sciens adversùm se insidias præparatas, nequaquam renuit, non Principis tamen, sed Dei implens præcepta, præceps spontaneus ad lapsum periculi se * ingessit, subjiciens se, sicut beatus Petrus ait Apostolus, humanæ creaturæ propter Deum; sive Regi velut imperanti; sive præfectis tamquam ab eo positis ad ulciscendam pravitatem impiorum, ut canatur laus bonorum.

* Boll. non se

1. Petr. 2. 13.

agitur in exsilium Coloniam, [b]

8. Anno sexto-decimo ejus episcopatûs ordinationis Aurelianis egrediens, Parisius ordinante Principe præteriens, Vernum [b] quoque fiscum publicæ ditionis ilico convolavit: vulgatúsque celebrè Principis auribus, compertóque sanctum adesse Sacerdotem, satellitibus suis eum capere præcepit, eúmque in exsilium cum reliquis propinquis ad urbem Coloniam perducere fecit. Ipse verò ad augmentum virtutum cumulandum reddebat gratias sanctæ subditus Trinitati: tantáque Sacerdotum & Cleri vel populi circa se benignitate utebatur, ut ex omnibus opibus eorum quidquid gloriosus Christi sacer agere volebat, satietatem cordibus suis funditus minimè reperiret. Quod cùm ageretur, Carolum Principem latere non valuit, qui metu perterritus ne silenter cum ipsis clientia addita Alpinam munitatem convolaret; clam tutiori eum loco vocabulo Hasbanio ROTBERTO Duci tradidit custodiendum. Quo ille cum gratulatione maxima suscepto, dedit ei Dominus gratiam coram eo, velut beato Joseph priscis temporibus dederat coram Pharaone: traditáque manui illius cuncta propria supellectile, ut quod oculis placeret ejus, tam indigentibus

tum in Monasterium S. Trudonis.

[a] Id contigit anno DCCXXXII, uti nos docent Hepidannus, Annalésque Mettenses: *& quidem in mense Octobri die Sabbato*, ex veterrimis Annalibus Francorum secundo loco editis apud Chesnium in tomo 2. Lege adnotata superiùs ad annum 732, ubi de Porcario Abbate.

[b] Pippinus Rex anno DCCLV Concilium Episcoporum convocavit *in Verno palatio*. ubi etiam Caroli Calvi Capitulare tertium editum est Vernonem opidum ad Sequanam infra Mantolam nonnulli interpretantur.

quàm & in Cœnobiis commorantibus facultas ei suppeteretur tribuendi; sanctus vir postulavit ab eo, ut in Ecclesia beati Confessoris Trudonis [a] pro se & pro fidelibus ipsius facultatem deprecandi tribueret. Quo obtento sacer inclytus die noctuque Dominum non destitit suffragari, ut cum Electis suis, quorum officium culminis est imitatus, in aulæ suæ arce coævus persisteret. — Ann. Chr. DCCXXXVIII. Febr. XX.

9. Sexto igitur exsilii sui anno, glorioso excessu luminis claritate perfusus, corpore integræ conversationis intactus, carnis vinculis absolutus emigrans ex hoc mundo, victor intravit in cælum; ibíque à Christo Domino pro laboribus vel bonis operibus diadema accepit gemmis fulgentibus variatum, continuatis floribus immarcessibile in caput regale. Sepultus est autem in Ecclesia beati Confessoris Trudonis, & cum magno decore (ut dignum est) ab omnibus tumulatus. Lingua non suppetit mutuata sermocinatione evolvere, quæ post ejus obitum miracula gesta sunt. sed exigua quæ didici à narrantibus silere minimè audebo. — ubi mortuus sepelitur.

10. Mulier quædam quam ipse Sanctus de gentilitatis errore per suam abstraxerat admonitionem, ejúsque puerum de sacris susceperat fontibus, ad tumulum ejus devota accurrit: luménque ibi ferens, quod vulgus cereum nuncupat, ex libra una conditum posuit, atque accendit. Sícque factum est, ut per dies tres continuatim & noctes incensus, & instinctus persisteret. die verò tertio custos Ecclesiæ liquentia sumens ceræ, continuavit in unum. Tunc mirum in modum cœpit cera momento augeri, ita ut similem quod priùs pensatum cereum condidit reperiret. — Cerei triduo ardentis cera imminuta.

11. Præterea Sanctimonialis quam ipse Sanctus familiariter pro vitæ suæ castimonia dilexerat, secundùm possibilitatem suam ad caput ipsius Sancti lumina[illegible]e quoddam, quod incolæ quidem candelam vocant, prolixitatem humani continentem statûs applicavit, atque accensum reliquit. Vespere autem transacto, custodes ipsius Ecclesiæ, ut mos est, foribus obseratis incensam ibidem reliquerunt. Ad declarandum ergo beati viri meritum, cùm tempesta nocte omnes sopore quiescerent, super tumulum ipsius beati, qui pallio proprio erat indutus, cecidit, atque usque ad summitatem concremata est. At custodes expergefacti, cernentes quidem cinerem super pallium, stupore & admiratione attoniti formidabant, ne naufragatum aliquid ibi invenirent: excussóque cinere scrutantes, ita ipsum pallium illæsum repererunt, ut nullius vestigium maculæ ibi conspicerent. — Pallium tumuli ab igne intactum.

12. Nuper etenim miraculum, quod extremum à narrantibus innotuit, nequaquam arbitror silendum. Quidam ex famulis Sancti, quem ipse Christi Sacerdos ab exordio indolis aluerat, à quodam Dei famulo vas vitreum mutuavit, ipsúmque oleo repletum ad caput sanctissimi viri pependit sublime atque accendit. Cœpit paullatim liquor guttatim succrescere, & in pavimento rivulus dilabi. At custos Cœnobii intuens almitatem tanti miraculi, retulit congregationi. illi conciti Basilicam ingressi, adspectóque miraculo gaudio suffulti, certi de meritis Sancti, vas subter ponentes Dei suscepere donum. Tandem diebus obvolutis exiguis ita inundanter manavit, ut lampades septem impletæ undique ardentes, nihilo minùs eminutæ sint. Ex ipso enim sanctitatis liquore quicumque infirmus ex devotione per manus Sacerdotum ungitur, statim recipit sanitatem, quacumque detineatur infirmitate. Hoc miraculum nemo ambigat hodie usque degere. — Oleum sacrũ è lampade fluit.

13. Post anniversarium verò diem obitûs ejus, cùm vigiliæ vel matutini hymni à Clero omni celebrati peractíque fuissent, & Abbas ipsius Mona- — Anniversario ejus die pisces abũde suppeditati.

[a] De S. Trudone ejúsque Monasterio actum in nostro Sæculo 2 ad annum 698.

Ann. Chr. DCCXXXVIII. Febr. XX.

sterii cœpisset anxiè pro cibis populi constringi, vel Cleri qui ad sollemnia celebranda chori fluxerant Sancti, egressus unus ex Clericis qui fuerat Sancti familiaris vivi, ad fluvium cujus est vocabulum Cisindria, qui secus ipsum Monasterium manat, annuente Domino tantam piscium multitudinem in eo natare conspexit, qualem se nemo mortalium aliquando vidisse meminit. Accurrit itaque citissimè, & renuntiat Abbati Fratribúsque quod sibi concessum fuerat videre. Itur, retia jaciuntur, tantáque piscium multitudo in momento capitur, ut non solùm Clerus, sed etiam populus universus qui ad ejus convenerant sollemnitatem, abundanter sufficientérque satiati gratias pro ejus merito sanctæ referrent subditi Trinitati.

14. Dehinc prolixum est tendere historiam, quales quantásque virtutes per ejus interventum ibidem Dominus operari dignatus est. Nam cæci multi receperunt visum, claudi plurimi gressu recepto adepti sunt sanitatem, dæmones quoque sine numero fugati: augentur undique dona plurima, præstantur donante Domino petentibus vota congrua. Unde quæso clementiam ipsius, ut mihi infimo atque pigro, indigno quamvis aliquantulùm servulo, qui plurima ab illo audita abdicavi, sed exigua inserere miracula non præterivi, apud Dominum patrocinari in omnibus non desistat, ipso auxiliante, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

APPENDIX

De S. Eucherii Monasterio, Reliquiis, & cultu.


1. EUCHERII *memoria ita celebris jam olim fuit in Hasbania pago Leodicensis diœceseos, ut Monasterio Sarchinio unà cum S. Trudone primario ejus institutore nomen dederit. Rodulfus quippe Abbas, unus ex Scriptoribus Chronici Trudoniani, hac usus est Præfatione:* Rodulfus gratiâ Dei, sanctorúmque Trudonis & Eucherii, Abbas eorum Cœnobii, omnibus posteris meis, *&c. Is ad scribendas res Monasterii sui primus manum admovisse videtur, tametsi alius postea supplementum præposuit eorum quæ ab Rodulfo prætermissa fuerant. Rodulfi lucubrationem tomo 7 Spicilegii editam continuarunt anonymi duo, ut docet Henschenius.*

2. *Multa de S. Eucherii Reliquiis observavit Henschenius ex prima parte Chronici quæ Rodulfo præponitur. Primò enim Cœnobitæ Trudoniani* anno DCCCLXXX Leodiensem Episcopum Franconem invitant, qui sanctum pignus pretiosorum corporum Trudonis & Eucherii ab imo elevavit, & in loco eminenti reverenter collocavit. *Deinde* anno sequente DCCCLXXXI, quia fama laborabat Nortmannos infestaturos fore Lotharingiam, corpora SS. Trudonis & Eucherii à loco eminentiori, in quo pridem reposita fuerant, intra subterraneam cryptam seu voltam, quæ retro altare ipsius B. Trudonis ad hoc nuper constructa fuit, supinata & occultata sunt. ubi multis annis latuerunt usque ad tempora Wirici Abbatis, sub quo per Rodulfum Leodiensem Episcopum sollemniter iteratò translata fuerunt. *Nimirum postea quàm Guntramnus anno* MXLV, *& Lanzo Abbates anno* MLXXXV *corpora sancta frustra perquisierunt; tandem* anno Domini MCLXIX Wiricus destructâ capellâ quam exusto ante aliquot annos Monasterio super sepulcra sanctorum Trudonis & Eucherii construxerat, novi operis fundamenta positurus terram altiùs fodi præcepit. *Retro altare in volta corpora sancta inventa, ac postmodum per Rodulfum Episcopum sollemniter translata ipso die primæ translationis, anno* MCLXIX, *ac demum post altare capellæ voltæ inclusa.*

3. *De festis diebus S. Eucherii ita Carolus Saussey us. S. Eucherius in prædicto S. Trudonis Cœnobio quotannis celebratur die 20 Februarii, qua rebus excessit humanis; die 20 Maii qua corpus ejus elevatum est; die item 11 Augusti, qua idem corpus cum corpore S. Trudonis translatum est anno* DCCCLXXXI. *qua de utraque translatione habetur sermo Theoderici Abbatis S. Trudonis apud Surium. Hæc Sausseyus in Annal. Aurel. qui os nobile S. Eucherii à Leonardo Betten Abbate Trudoniano acceptum in Ecclesiam Aurelianensem detulit anno* MDCVI. *Reliquias ceteras hactenus retinet prædictum Cœnobium.*



VITA



VITA SANCTI VVILLIBRORDI

ANN. CHR. DCC XXXIX. Nov. VII.

EPISCOPI TRAJECTENSIS AD RHENUM,

Scripta duobus libris ab ALBINO FLACCO seu ALCWINO, Caroli Magni principatu.

Ex mss. codd. Compendiensi & Uticensi, ac libris editis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. SANCTUS WILLIBRORDUS *seu* Wilibrordus, Willebrordúsve, *patriâ linguâ Anglo-Saxonicâ* Wilbrord * *appellatus, præcipuos Vitæ actuúmque suorum habuit præcones, venerabilem* BEDAM *in lib. 5 hist. capp. 11 & 12*; ALCWINUM *Abbatem ac Levitam, popularem suum*; THEOFRIDUM *Abbatem Esternacensem, qui anno* MCX *decessit: ut missos faciamus* JOHANNEM de Beka *&* WILLELMUM Hedam *Canonicos Ecclesiæ Trajectinæ, qui in Chronicis suis S. Vuillibrordi elogium texuerunt: ac* JOHANNEM GEERBRANDUM *Carmelitam in Chronico Hollandiæ & Trajectensium Episcoporum. Nos unum hîc exhibemus* Alcwinum, *qui duobus libris, prosaïco altero, altero metrico, res gestas S. Pontificis complexus est: cum quo Bedæ narrationem, ubi res postulaverit, conferemus, relaturi aliquot fragmenta Theofridi Abbatis Esternacensis, qui Alcvvinum fusiori stilo prosaïcè ac metricè reddidit. Altfridus Episcopus in Vita S. Lindgeri laudat* libellum de vitâ S. Willibrordi. Vitæ scriptores. * al. Vuilbrod

2. *S. Vuillibrordi memoria celebris est in sacris Fastis Vvandalberti, Usuardi, HRabani, Adonis & aliorum; non tamen Bedæ, quia Beda superstes fuit Vuillibrordus. Hos inter Martyrologos illud discriminis est, quòd Vvandalbertus, Usuardus, & Ado, quos sequuntur Martyrologia Romanum & Benedictinum, necnon Kalendaria ecclesiastica, S. Vuillibrordi natalem diem* VII Idus Novembres; *HRabanus verò cum Alcvvino in his Actis* VIII Idus *easdem consignant. Sic enim Alcvvinus scribit lib. 1 cap. 23.* Die sexto mensis Novembris, id est octavo Idus, ex hac peregrinatione ad perpetuam migravit patriam. *Nec opponas libros editos in quibus legitur,* die sexto mensis Novemb. id est VII Idus. *Nostram enim lectionem esse retinendam persuadent tum libri mss. tum Alcvvinus ipse in lib. 2 seu in Vita metrica cap. 24.* Memoria in fastis sacris variè.

:·.·:·. mensis jamjámque Novembris
Idibus octenis cæli migravit ad aulam.

Ubi pro septenis *ab interpolatore quoquam substitutum fuisse* octenis, *metri leges dicere non sinunt. Alcvvino hac in parte certiori suffragatur HRabanus his verbis:* VIII Idus Novemb. depositio WILBRORDI Episcopi de gente Anglorum, viri sanctissimi & miraculorum gratiâ insignissimi, qui à Sergio Papa Romæ ordinatus, in Germaniam ad prædicandum verbum Dei est destinatus, ibidémque quievit in pace. *Ubi* Germaniæ *nomine intelligit Fresiam, quam Cornelius Tacitus in libro de morib. Germanorum attribuit Germaniæ: tametsi jam tempore Vuillibrordi ad Francorum Imperium adjuncti erant Fresones seu Frisii, transrhenanus populus ad Amasium, Oceano Batavísque finitimi, quibus tum parebat* Trajectum Batavorum *seu* Trejectum inferius ad Rhenum, *vulgò* Utrech; *distinguendum à* Trajecto *Tungrorum, quod* Trajectum superius ad Mosam, *vernaculè* Mastrich *appellatur.*

3. *Venerabilis Beda in lib. 5 historiæ cap. 11, Vuillibrordo apostolicæ expeditionis socios tribuit* duodecim, undecim *Alcvvinus: quos inter pseudo-Marcellinus in libro de Vita S Suidberti perperam enumerat* Accam, Wigbertum, Willibaldum, & Winibaldum, *forsan etiam* duos Ewaldos, *quos Beda loco citato seorsim à duodecim Vuillibrordi sociis in has partes accessisse adfirmat. Hos inter socios admittendi videntur* Socii prædicationis.

ANN. CHR. DCC XXXIX. Nov. VII. Gesta præclara.

SUIDBERTUS *certò*, ADALBERTUS *Egmundæ patronus*, WERENFRIDUS, *aliorum nomina mihi incomperta.*

4. *Quantum debeant Vuillibrordo Septemtrionales populi, inprimis verò Frisii, explicari non potest. Is quippe tentatam à multis, Archiepiscopo Coloniensi, Ecgberto, & Vuigberto, Fresonum conversionem feliciter adortus, perfecit absolvitque. cujus operam eximiè laudat S. Bonifacius Episcopus Maguntinus in epistola 97 ad Stephanum Papam in hunc modum.* Tempore SERGII apostolicæ sedis Pontificis venit ad limina sanctorum Apostolorum Presbyter quidam miræ abstinentiæ & sanctitatis, generis Saxonum, nomine WILLIBROD & alio nomine CLEMENS vocatus, quem præfatus Papa Episcopum ordinavit, & ad prædicandam paganam gentem Fresonum transmisit in litoribus Oceani occidui. Qui per L annos prædicans, præfatam gentem Fresonum maxima ex parte convertit ad Fidem Christi, fana & delubra destruxit, & Ecclesias construxit, & sedem episcopalem & Ecclesiam in honore S. Salvatoris constituens in loco & castello quod dicitur Trajectum: & in illa sede & Ecclesia S. Salvatoris quam construxit, prædicans usque ad debilem senectutem permansit, & sibi Coëpiscopum ad ministerium implendum substituit, & finitis longævæ vitæ diebus in pace migravit ad Dominum. Princeps autem Francorum CAROLOMANNUS commendavit mihi sedem illam ad constituendum Episcopum: quod & feci. Nunc autem Coloniensis Episcopus illam sedem præfati Episcopi Clementis à Sergio Papa ordinati sibi usurpat, & ad se pertinere dicit, propter fundamenta cujusdam destructæ à paganis Ecclesiolæ *, quam Willibrordus dirutam usque ad solum in castello Trajecto reperit, & in honore S. Martini consecravit. Et refert, quia ab antiquo Rege Francorum DAGOBERTO castellum Trajectum cum destructa Ecclesia ad Coloniensem Ecclesiam donatum in ea conditione fuisset, ut Episcopus Coloniensis gentem Fresorum ad Fidem Christi converteret, & eorum prædicator esset: quod & ipse non fecit. Non prædicavit, non convertit Fresios ad Fidem Christi: sed pagana mansit gens Fresorum, usquequo venerandus Pontifex Romanæ sedis Sergius supradictum servum Dei Willibrordum Episcopum ad prædicandum supradictæ genti transmisit, qui illam gentem (ut præfatus sum) ad Fidem Christi convertit. Et modò vult Coloniensis Episcopus sedem supradicti Willibrordi prædicatoris sibi contrahere, ut non sit episcopalis sedes subjecta Romano Pontifici, prædicans gentem Fresorum. Cui respondebam, ut credidi, quòd majus & potius fieri debeat præceptum apostolicæ sedis & ordinatio Sergii Papæ, & legatio venerandi prædicatoris Willibrordi, ut & fiat sedes episcopalis subjecta Romano Pontifici, prædicans gentem Fresorum, quia magna pars illorum adhuc pagana est, quàm destructæ Ecclesiæ fundamenta diruta & à paganis conculcata, & per negligentiam Episcoporum derelicta.

* *hæc S. Thomæ sacra erat.*

5. *Ex his quæ fuse de industria retulimus, observare licet,* primò *S. Vuillibrordum sedis Trajectensis auctorem ac primum Episcopum esse.* Secundò *Coloniensem Episcopum,* HILGERUM *scilicet, Ecclesiæ Trajectensi incubasse, ut eam sibi vindicaret. Quin Zacharias Papa in animo habuit, ut Coloniensem Ecclesiam in Metropolim erigeret. Qua de re exstat ejus epistola ad Bonifacium, quæ inter Bonifacianas est 138.* De civitate illa quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, juxta petitionem Francorum per nostræ auctoritatis præceptum nomini tuo metropolim confirmavimus, & tuæ sanctitati direximus pro futuris temporibus ejusdem metropolitanæ Ecclesiæ stabilitatem. *Quod tamen effectu caruit. Siquidem Zacharias ipse mutato consilio Ecclesiam Maguntinam jussit esse Metropolitanam, eique Trajectum subjecit his verbis:* Ecclesia Moguntina perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens sub se has civitates, id est Tungras, Coloniam, Wormatiam, Spiraciam & Trectis. *Demum Paulus IV rogante Philippo II Rege Catholico, anno* MDLX *Trajecti Archiepiscopum instituit.* Tertiò *ex S. Bonifacii epistola observandum est, episcopalem Trajecti Ecclesiam primitus non S. Martino, ut modò, sed S. Salvatori fuisse dicatam: quod etiam ex Vita S. Lindgeri constat. Quamquam aliquanto pòst Ecclesia episcopalis donata est nomine S. Martini: id quod pontificia & regia diplomata apud Johannem à Leidis & Vuillelmum Hedam relata confirmant. Ex quibus etiam discimus, Monachos simul & Canonicos in eadem Ecclesia saltem à Caroli Magni principatu exstitisse, si tamen Canonicorum nomen non fuit intrusum. quod de Monachis dici non potest: cùm ab eo fere tempore diplomata illa fuerint in manibus Canonicorum, qui Monachis accessisse, aut potiùs successisse videntur. Nam Carolus Princeps seu Martellus in diplomate relato apud Johannem à Leidis in Chronici Belgici libro I cap. 19. quædam prædia donat ad Monasterium,* quod

est infra muros Trajecto castro constructum, ubi apostolicus vir dominus & in Christo Pater Willibrordus Archiepiscopus sanctæ conversationis COENOBITALI ORDINE præesse videtur. *Quæ postrema verba solis Monachis aptari possunt. Denique in indice Fratrum conscriptorum Monasterii S. Galli apud Goldastum, inseruntur* nomina Fratrum S. Martini in Trajecto, *in his* Pernoldus Episcopus, *aliis* Bernoldus *&* Bernolfus *dictus, anno* M L I V *mortuus. quo proinde tempore jam Ecclesia Trajectensis B. Martino sacrata erat, immo longè ante id tempus, & forsan ab initio S. Salvatori & S. Martino.* ANN. CHR. DCC XXXIX. Nov. VII. Monastica professio.

6. *S. Vvillibrordus Monachis plurimum usus est Monachus ipse, & quidem Benedictinus. In HRipensi quippe Monasterio Regula S. Benedicti recepta est anno* DC LXIV, *ut in Observationibus praviis ad Vitam S. Cuthberti Sæculo 2 probavimus: quo tempore S. Vvillibrordus istic institutus est. Cùm enim anno* DCC XXXIX *supremum diem egerit annos natus unum & octoginta; ejus nativitas contigit anno* DC LXIII, *nec ante annos septem insecutos traditus est Monachis HRipensibus, quibuscum pueritiam & adolescentiam exegit.*

7. *Quoniam verò non semel his in Actis Frisiorum recurret mentio, juvat eorum sedes pro tempore varias paucis describere. Frisii seu Frisiones, Germaniæ inferioris antiquissima gens, primis æra Christianæ sæculis Vidro * & Amasio * fluminibus Oceanóque contenti, interjectos lacus incolebant supra Busactores seu Vvestphalos, uti ex Ptolemæo & Tacito discimus. Hi sive à finitimis Saxonibus agitati, sive dominandi libidine in Bataviam effusi, plurimi in Bataviæ parte consederunt, & Trajectum Batavorum, castrum Dorestate, aliáque loca occuparunt: quæ loca proinde citeriori Frisiæ à Beda, Alcvvino, Vvillibaldo, aliisque medii ævi Auctoribus attribuuntur. Frisios in* Majores & Minores *distinguit Tacitus, sequiores historici in* Orientales & Occidentales, *seu in* Ostfrisios & Westfrisios, *aliàs in* Ostrachiam & Westrichiam. *Sed horum alia quondam, atque nunc, ratio ac sedes. Nam Frisios Orientales ab Occidentalibus Burdo * amnis, civitate Leovarda & Dockomo opido insignis, modò verò Amasius fluvius dirimit ac separat: ita tamen ut Frisiæ nomen præcipuè nunc maneat penes solos Occidentales, qui inter Flevum lacum (quem accolæ mare Australe appellant) & Amisium flumen colunt. Frisionum conversionem ad Fidem Christianam tentavit S.* ELIGIUS *teste B. Audoëno in lib. 2 Vitæ cap. 3, ac post eum S.* WILFRIDUS *Eboracensis Episcopus,* EGBERTUS *&* WIGBERTUS *Britannici Presbyteri. Verùm tota hujusce facti gloria SS. Vvillibrordo ac Bonifacio eorúmque sociis tribuenda est. Lege Vitam S. Bonifacii Archiepiscopi Maguntini, in qua de antiquis Orientalium & Occidentalium Frisiorum limitibus agitur.* Frisiorum sedes. * Regge * de Eem * Burdât

PROLOGUS IN VITAM S. WILLEBRORDI, cognomento CLEMENTIS, primi Fresionum Episcopi.

DOMINO *eximio venerabili atque laudabili* BEORNREDO [a] *Archiepiscopo humilis Levita* ALCUINUS *salutem.* Delatis ad nos vestræ Excellentiæ litteris, in quibus vestrum agnoscens in Domino studium & diuturnam in lege ejus meditationem, magno me gaudio affectum esse fateor: sed tamen longè imparem me petitioni vestræ consideravi, utpote nullo prærogativo munere eloquentiæ suffultum ad implendum quod jussisti: ac nisi me caritas urgeret quæ nulli negare solet, non auderem ultra meæ parvitatis vires negotium attingere. Tamen vestris orationibus divina donante gratia & sanctissimo Patre WILLEBRORDO intercedente, cujus me Vitam, mores & miracula scribere pio studio rogâsti, tuis parui, Pater sancte, præceptis, & duos digessi libellos, Vitam duobus libris scribit Auctor,

a BERNERADO aliis. Hunc in Indice Abbatum Efternacensium tertio loco, post Vvillibrordum scilicet & Albertum numerant Johannes Bertelius ejusdem loci Abbas & Gabriel Bucelinus, eúmque Senonensium Archiepiscopum fuisse adserunt. Fuerit proinde is ipse, qui à Sancta-Marthanis vocatur BERARDUS, & anno DCC XCV dicitur decessisse, tametsi Beornredi obitum anno DCC XCVI Bertelius reponit. Alcuinus in fine capitis sequentis eum *generis posteritate*, id est sanguinis cognatione Vvillibrordi heredem appellat, quem & S. Vvillehadi consanguineum dicunt Bertelius & Bucelinus.

ANN. CHR. DCC XXXIX. NOV. VII.

unum prosaïco sermone gradientem, qui publicè à Fratribus in Ecclesia (si dignum tuæ videatur sapientiæ) legi potuisset; alterum Pierio pede currentem, qui in secreto cubili inter scholasticos tuos tantummodo ruminari debuisset. Uterque tamen propter occupationes diurnas furtivis noctium lucubratiunculis dictatus est, & eo magis vestræ indigent defensionis, quo minùs ab auctore proprio expoliti sunt. Meum verò fuit præcipientis non spernere auctoritatem, tuum est defendere obedientis imperitiam. Unam quoque priori libello superaddidi Homeliam, quæ utinam digna esset à tuo venerando ore populo prædicari. Item secundo adjeci sermonem elegiaco carmine de viro venerabili WILGISO, patre scilicet sanctissimi Pontificis Willebrordi, cujus corpus requiescit in cellula quadam maritima[a], cui ego indignus licèt legitima Deo donante successione præsideo. Sed & omnia quæ vel prosa gradiente, vel versu currente dictavi, tuæ Sanctitatis spectant judicium, utrum digna memoriæ, an pumice radenda feroci sint, nec nisi tuo roborata examine procedant in publicum.

cum homilia duplici.

a *Cellam maritimam*, de qua hîc Alcvvinus, Sancta-Marthani interpretantur *Cellam S. Iudoci*. in Morinis ad Oceanum positam: quod etiam in Observationibus præviis ad Vitam S. Judoci diximus. At re maturiùs expensa aliter visum est. Quippe Cella maritima in qua sepultus est Vvilgisus, *in promontoriis mari Oceano & Humbri fluvio* proximis, & quidem *in provincia Northumbrana* sita dicitur cap. I sequenti. Ergo in Eboracensi Ducatu hodierno: longè proinde à freto Gallici Oceani. Non tamen negaverim, Alcvvinum Cellæ S. Judoci itidem maritimæ præfuisse, cùm manifestum sit ea de re Lupi Ferrariensis Abbatis testimonium in epistola II. at hoc loco non exprimi Cellam Judocensem constat tum ex dictis, tum ex elegia Alcvvini de S. Vvilgiso, qui in Cella maritima B. Mariæ sacra humatus fuisse perhibetur. Porro Cella S. Judoci, non B. Mariæ, sed sanctis Apostolis Petro & Paulo dicata erat.

INCIPIUNT CAPITULA.

CAPUT I. DE WILGISO *patre S. Vvillebrordi.*

II. *De somno & interpretatione ejus quod mater S. Vvillebrordi se vidisse narrabat.*

III. *Quòd parentes puerum Vvillebrordum Fratribus HRipensibus tradiderunt ad erudiendum.*

IV. *Quòd devotus adolescens eruditionis causâ Hiberniam contendit.*

V. *Quòd idem vir Dei de Hibernia ob evangelicæ prædicationis devotionem navigavit Germaniam.*

VI. *Quòd Pippinus Dux virum Dei Romam direxit, ut Archiepiscopus ordinaretur.*

VII. *Quòd beato apostolico Sergio Papæ in visione ostenditur, ut virum Dei susciperet honorificè.*

VIII. *Qualem fructum rediens à Roma pius Prædicator in Evangelio Christi fecisset.*

IX. *Quòd B. Vvillebrordus Episcopus in Fresia & in Dania tentabat prædicare.*

X. *Qualia fecisset in Fresia, rediturus iterum ad Christianos.*

XI. *Quomodo minas Radbodi Regis parvipendisset.*

XII. *Quòd vir Dei revertens ad Pippinum Ducem, verbum Dei cum instantia prædicârit.*

XIII. *Quòd Pippinus Dux diem obiit, & Karolo filio suo Regni sceptra reliquit, qui Fresiâ subjectâ illi S. Vvillebrordum dedit prædicatorem.*

XIV. *Qualiter idolum quoddam confringens, & à ministro ejusdem gladio percussus, non tamen vulneratus est.*

XV. *Quòd quidam convicia viro Dei faciens, repentina morte periit.*

XVI. *Quomodo aquam in arido loco precibus produxisset.*

XVII. *Qualiter* XII *pauperes de flascone sua pasceret.*

XVIII. *Quòd post benedictionem viri Dei vinum in tonna cresceret.*

XIX. *Ubi quadraginta viri benedicente Patre de quatuor flasconibus biberunt usque ad satietatem.*

INCIPIT VITA S. WILLEBRORDI primi Fresionum Episcopi, cujus festivitas est VIII Idus Novembris.

FUIT in Britannia insula, provinciâ Northanhumbranâ, quidam paterfamilias genere Saxo & nomine WILGILS, religiosam in Christo cum conjuge & omni domo sua (sicut pòst signis patefactum est) vitam agens. Nam relicto habitu sæculari monachicam elegit conversationem, ac non multo pòst crescente in eo fervore spiritualis vitæ, artiore animi studio solitariæ seipsum mancipavit districtioni in promontoriis, quæ mari Oceano & Humbri cinguntur flumine. Ibi etiam multo tempore in quodam parvo Oratorio S. Andreæ Apostoli Christi nomine dedicato in jejuniis & orationibus & vigiliis Deo serviens, ita ut etiam miraculorum signis clareret, & nomen ejus celebre factum est, nec confluentes cessabat ad se turbas suavissima verbi Dei admonitione cohortari. Sed & illius gentis Regi & Optimatibus venerabilis effectus est in tantum, ut ei aliquas terrarum possessiunculas illis promontoriis adjacentes ad ædificandam Deo Ecclesiam dono perpetuo contulerint, in qua pius Pater modicam quidem, sed honestam Deo servientium adunavit congregationem, in qua post multiplices sancti laboris agones à Deo coronatus corpore quiescit; & posteri ejus usque hodie ex sanctitatis ejus traditione possident. Quorum ego meritis & ordine extremus eamdem Cellam per successiones legitimas suscepi gubernandam, qui hanc historiam sanctissimi Patris & summi Doctoris Willebrordi te jubente, beatissime Pontifex BEORNREDE*, conscripsi: qui tanto Patri & summi Sacerdotii dignitate, & generis posteritate, & sanctorum locorum observatione, quæ ab eo in Dei honorem constructa esse noscuntur, secundùm datam tibi à Domino gratiam heres dignissimus exstitisti. CAPUT. I.

* al. Bernerade

Et ut ejusdem sancti Patris Willebrordi altiùs nativitatis originem & mox in utero matris divinæ electionis repetam præsagia, revertar unde egressus sum. Nam sicut præcursor sanctissimus Domini nostri JESU-CHRISTI B. Johannes Baptista ex utero matris sanctificatus Deo, religiosis parentibus, ut evangelica narrat historia, Christum ceu solem præcedens lucifer multis in salutem profuturus natus est; ita & sanctus Willebrordus in plurimarum gentium salutem religiosis parentibus natus esse dinoscitur. Nam vir venerabilis Wilgils, de quo nobis paullo antè II.

ANN. CHR. DCC XXXIX. Nov. VII. sermo fuit, ad hoc tantùm Deo prædestinante matrimonio junctus est, ut talis ad profectum multorum populorum ex eo ederetur proles. Igitur uxor ejus, mater scilicet B. Willebrordi patris, intempesta noctis quiete cælesti in somnis vidit oroma*. Visum est ei quasi novam in cælo videret lunam, crescente illa usquedum plena videbatur esse. Quam diligentiùs intuens, repentino cursu lapsa ruit in os ejus: quâ devoratâ ejus intima splendore perfusa sunt. Evigilans verò timore perterrita, cuidam hoc religioso Presbytero retulit somnium: illóque interrogante si ea nocte qua visio facta est, more solito jungeretur viro, acceptáque ab ea hujus rei confessione, respondit ita: Luna quam vidisti ex modico in magnum crevisse, filius est quem ea nocte concepisti, qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet: & quocumque perrexerit, comitante superni luminis splendore, plenum suæ perfectionis ostendens globum, coruscantéque rumoris ejus candore & morum pulcritudine, multorum in se alliciet adspectum. Hujus ergo somnii interpretationem rerum veritas subsecuta est.

*id est visionem

III. Factum est autem post circulum dierum peperit mulier filium, sacróque Baptismatis fonte regenerato imposuit ei mater nomen WILBRORD. Et statim ablactatum infantulum tradidit pater HRipensis [a] Ecclesiæ Fratribus religiosis, studiis & sacris litteris erudiendum, ut fragilior ætas validioribus invalesceret disciplinis, ubi nil videret nisi honesta, nil audiret nisi sancta. Quem divina mox gratia ab ineunte pueritia & sensu proficere, & moribus pollere quantum ad tales congruit annos concessit, ita ut nostris temporibus novum Samuël nasci putares, de quo dictum est: *Puer autem Samuël proficiebat atque crescebat, & placebat tam Deo quàm hominibus.* (1. Reg. 2.) Ibique in prædicto Monasterio multis profuturus puer Clericatûs accepit tonsuram, & pia professione Monachum se fecit esse, & inter ceteros ejusdem sanctissimi Monasterii adolescentes enutritus; sed nulli alacritate minor, nulli humilitatis officio secundus, nulli lectionis studio inferior: sed sic cotidie bonæ indolis puer proficiebat, ut teneros pueritiæ annos morum gravitate transscenderet: factúsque est grandævus sensu, qui corpusculo fuit modicus & fragilis.

IV. Igitur in sacris eruditionibus & in omni sobrietate morúmque honestate beatissimo usque ad vicesimum ætatis suæ annum adolescente proficiente, artioris vitæ ardore succensus est, & peregrinationis amore instigatus. Et quia in Hibernia scholasticam eruditionem viguisse audivit, etiam & quorumdam sanctorum virorum, fama narrante, conversatione incitatus, & præcipuè beatissimi Patris & Episcopi ECBERTI [b], qui cognomento Sanctus vocabatur, necnon & WICBERTI venerabilis viri & Sacerdotis Dei, quorum uterque ob cælestis patriæ amorem, domo, patria, cognatione derelicta Hiberniam secessit, ibíque dulcissimos supernæ contemplationis fructus sæculo nudus, Deo plenus solitaria cotidie hauriebat conversatione. Horum beatus adolescens cupiens æmulari religionem, cum convenientia sui Abbatis & Fratrum in Hiberniam veloci cursu contendit: prædictorúmque Patrum se familiaritati conjungens, quatinus ceu prudentissima apis ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores, & in sui pectoris alveario dulcissimos virtutum favos construeret; ibíque duodecim annis inter eximios simul piæ religionis & sacræ lectionis magistros futurus multorum populorum prædicator

a HRipense Monasterium ab Alcfrido Northanhumbrorum Rege fuisse conditum inter Urum fluvium ac limitem Septemtrionalis & Occidentalis Ducatûs Eboracensis & *Skell* fluvio-lum, dictum est Sæculo 2 in Vita S. Cuthberti ad cap. 7.

b Egbertus hic non fuit Episcopus, uti in ejus Elogio diximus ad ann. 729.

erudiebatur, donec occurreret in virum perfectum & in ætatem plenitudinis Christi. ANN. CHR. DCC XXXIX Nov. VII

V. Tricesimo tertio itaque ætatis suæ anno major egregio viro fidei flamma crescebat in pectore, ita ut parum ei videretur sibi soli tantummodo in Religionis sanctitate sudâsse, si non & aliis quoque in prædicationis veritate prodesset. Audiens itaque in borealibus mundi partibus messem quidem multam esse, sed operarios paucos; ut somnii Deo dispensante impleretur veritas, quod mater olim de eo se vidisse testabatur; suæ conscius voluntatis, licèt adhuc divinæ dispensationis ignarus, illas in partes navigare cogitavit, & clarissima evangelicæ prædicationis luce torpentes longa infidelitate populos, si Dei esset voluntas, illustrare. Adsumtísque secum undecim [a] Fratribus, eo fidei fervore armatis quo & ipse, navim conscendit, quorum aliqui postea ob evangelicæ prædicationis instantiam martyrio coronati sunt, aliqui verò Episcopatûs ordinem accipientes post sanctæ prædicationis labores in pace quieverunt.

VI. Igitur vir Dei cum sociis suis (sicut prædiximus) Fresiam tamdiu navigavit, donec prospero cursu in ipsa ostia Rheni fluminis vela deposuit, ibíque optata telluris statione refocillati sunt, & mox ad castellum Trajectum, quod in ipsa ejusdem fluminis situm est ripa, pervenerunt: in quo etiam post aliquod tempus Deo donante & verbo Fidei crescente idem S. Willebrordus sedem Episcopatûs sui habuit. Sed quia eadem gens Fresonum in quo idem ædificatum est castellum, cum Rege suo RADBODO paganis adhuc ritibus sordebat, visum est viro Dei contendere Franciam ac Ducem illorum adire PIPPINUM, triumphis clarum, strenuum ac moribus clarum probúmque: qui eum cum omni honore suscipiens, sed nolens tanto doctore se vel suam privare gentem, loca ei opportuna intra terminos Regni sui prævidens, quo potuisset idololatriæ spinas exstirpare, & purissima verbi Dei semina per mundi novalia abundantiùs spargere, ut impleret illud propheticum præceptum: *Novate vobis novalia, & nolite serere super spinas.* (Osee 10.) Cúmque studiosissimè vir Dei per loca singula discurrendo optatum evangelizandi opus exercuisset, & semina vitæ supernæ gratiæ rore rigante longè latéque in agris multorum cordium ad ejus prædicationem uberrimè pullulâssent; congaudens prædictus Francorum Dux ejus sanctissima devotione & verbi Dei clarissima multiplicatione, majoris profectûs occasione prudenti cogitabat consilio eum Romam mittere, ut à domno Apostolico SERGIO viro sanctissimo tunc temporis in summi Sacerdotii honorem ordinaretur; quatinus apostolica benedictione & jussione suscepta, majori ab eo missus fiducia roboratus in opus Evangelii reverteretur, juxta illud Apostoli: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* (Rom. 10.) Quod cùm viro Dei persuadere tentaret, renuit primùm, nec se tantæ auctoritatis dignum honore esse referebat: enumeratísque apostolicæ sanctionis præceptis, longè se inferiorem huic virtutum catalogo adserebat, quem egre-

[a] Beda in lib. 5 cap. 11 duo refert à narratione Alcvvini paullulum diffidentia: nempe Vvillibrordum in Fresiam à S. Egberto missum esse, & quidem *cum sociis numero duodecim.* Vvillibrordi adventum in Fresiam anno DCXC reponunt Johannes de Beka in Chronico alisque omnes: id quod confirmatur hoc modo. Vvillibrordus anno ætatis *tricesimo-tertio* (ut habet Alcvvinus) iter in Fresiam suscepit. Obtentâ à Pippino prædicandi licentiâ Romam primò perrexit teste Beda in lib. 5 cap. 12, indéque in Galliam reversus est eodem anno, quo Suidbertus à S. Vvilfrido Episcopus ordinatus est. Suidberti ordinatio facta est tum cùm Berctvvaldus Cantiæ designatus Episcopus, *trans mare ordinandus ierat.* Porro Berctvvaldum *electum anno dominicæ Inc.* DCXCII, *anno sequente tertio die Kalendarum Iuliarum* ordinatum esse, idem Bedâ lib. 5 cap. 9 auctor est. Ergo anno DCXCII Romam profectus est Vvillibrordus *primis temporibus adventûs eorum in Fresiam*, id est anno uno aut altero post eorum adventum, ut loquendi modus Bedæ satis indicat.

Ann. Chr. DCC XXXIX. Nov. VII. 1. Tim. 3. gius Christi Prædicator filium suum Timotheum erudiens oportere Episcopum habere censuit. Dux verò contrà religiosè suasit quod vir Dei verecundè negavit. Tandem omnium unanimitate victus, & (quod majus est) Dei dispensatione coactus consensit, magis volens plurimorum humiliter obedire consilio, quàm suam pertinaciter defendere voluntatem. Et sic cum honorifica legatione & muneribus Apostolico condignis Romam [a] directus est.

VII. Sed die quarto priusquam illò veniret, beatissimus in somnis Apostolicus angelica responsione admonitus est, ut illum cum summo honore suscepisset, & quòd multarum animarum esset illuminator futurus, à Deóque electus, & ad hoc venisset ut summi ab eo Sacerdotii honorem suscepisset, nihilque ei negandum esse quidquid petisset. Qua factus Apostolicus admonitione certus, cum gaudio & summo eum suscepit honore: & ut in eo fidei agnovit fervorem, religionis devotionem, sapientiæ plenitudinem; die competenti populo adveniente, advocatis venerabilibus in societate ministerii Sacerdotibus, publicè in Ecclesia beatissimi Petri Principis Apostolorum cum magna cum dignitate more apostolico ordinavit Archiepiscopum, ac ordinato [b] nomen ei imposuit CLEMENS, suísque vestimentis sacerdotalibus induit, eum & sancto, quasi superhumerali Aaron, Pallio dignitatis & indumento confirmavit gloriæ, & quodcumque voluit & petivit, aut in patrociniis Sanctorum, aut in rebus ecclesiasticis, cum tota mentis alacritate tradidit illi, firmatúmque benedictione, donis ditatum cum salutaribus præceptis iterum eum in opus Evangelii remisit.

VIII. Acceptáque apostolicæ auctoritatis benedictione, cum majori fiducia devotus verbi prædicator ad præfatum Francorum Ducem regressus est, qui eum cum summa honoris magnificentia receptum cum suæ potestatis jussione in opus Evangelii direxit, maximè autem in borealibus Regni sui partibus, quo eatenus ob raritatem Doctorum vel duritiam habitatorum, Fidei flamma minùs relucebat. Eo vir Dei instantiùs illis in regionibus semina vitæ sparserat [c], quo plus necessarium antiquæ ignorantiæ famem perspexerat depellere. Qualem divina gratia adjuvante in locis illis fructum fecisset *, testes sunt usque hodie populi per civitates, vicos & castella, quos ad veritatis agnitionem & ad unius omnipotentis Dei cultum pia admonitione perduxerat: testes quoque Ecclesiæ, quas per loca singula construxerat, testésque Deo famulantium congregationes, quas aliquibus congregavit in locis.

* fecerit

IX. Tentavit quoque idem vir Dei ultra Francorum Regni fines cælestis vitæ flumina derivare. Nam tunc temporis Regem Fresonum RADBODUM

[a] Venerabilis Beda in lib. 5 cap. 12; duo S. Vvillibrordi Romana itinera distinguit. *Primis*, inquit, *temporibus adventûs eorum in Fresiam, mox ut comperit Vvilbrordus datam sibi à Principe Pippino licentiam ibidem prædicandi, acceleravit venire Romam, cujus sedi apostolicæ tunc* SERGIUS *Papa præerat, ut cum ejus licentia & benedictione desideratum evangelizandi gentibus opus iniret, simul & Reliquias acciperet* Ecclesiarum dedicationi adhibendas. Eo reverso, *postquam per annos aliquot in Fresia qui advenerant docuerunt, misit Pippinus, favente omnium consensu, virum venerabilem Vvilbrordum Romam, cujus adhuc Pontificatum Sergius habebat, postulans ut eidem Fresonum genti Archiepiscopus ordinaretur. Quod ita ut petierat impletum est anno ab Inc. Domini* DC XCVI. *Ordinatus est autem in Ecclesia S. Martyris Cæciliæ die natalis ejus, imposito sibi à Papa memorato nomine* CLEMENTIS, *ac mox remissus ad Sedem Episcopatus sui, id est post dies quatuordecim, ex quo in urbem venerat.* Et tamen Alcvvinus Vvillibrordum in Ecclesia S. Petri sacratum dicit.

[b] Auctor libri de Vitis Pontificum, Anastasii nomine vulgatus, etiam hujus ordinationis meminit præter Bedam, qui eam in natali S. Cæciliæ factam fuisse in ædibus ejusdem Sanctæ adfirmat, ut suprà notatum.

[c] Familiare est Alcvvino præteritis plusquam perfectis uti loco perfectorum. Hinc in Vita metrica S. Vvillibrordi cap. 5, *compleverat* pro *complevit*, & cap. 17, *biberat, fuerat*; cap. 18, *dederat*; cap. 20, *porrexerat*, pro secundis præteritis usurpat.

cum

ANN. CHR. DCC XXXIX. Nov. VII.

cum sua gente paganum non timuit adire; & quocumque perrexerat, verbum Dei cum omni fiducia loquebatur. Sed præfatus Fresonum Rex virum Dei humilitatis gratiâ benignè suscipiens, nullis tamen vitæ fomentis saxeum ejus cor emollire potuit: & dum apud eum non posse fructificare agnovit [a], ad ferocissimos Danorum populos iter evangelizandi convertit. Ibi tum (ut fertur) regnabat UNGENDUS [b], homo omni fera crudelior & omni lapide durior, qui tamen jubente Deo veritatis præconem honorificè tractabat. Qui dum obduratum moribus & idololatriæ deditum & nullam vitæ melioris spem habentem offendit, acceptis tunc triginta ejusdem patriæ pueris ad electos à Deo populos Regni Francorum revertere festinavit. Sed in eo ipso itinere catechizatos eosdem pueros fonte salubri abluit, ne aliquid propter pericula longioris viæ, vel ex insidiis ferocissimorum illius terræ habitatorum damnum pateretur in illis; volens antiqui hostis prævenire insidias, & Domini sacramentis animas munire adquisitas.

X. Cùm ergo pius verbi Dei prædicator iter agebat, pervenit in confinio Fresonum & Danorum ad quamdam insulam, quæ à quodam deo suo FOSITE ab accolis terræ *Fositesland* [c] appellatur, quia in ea ejusdem dei fana fuere constructa. Qui locus à paganis in tanta veneratione habebatur, ut nil in ea vel animalium ibi pascentium, vel aliarum quarumlibet rerum gentilium quisquam tangere audebat, nec etiam à fonte qui ibi ebulliebat aquam haurire nisi tacens præsumebat. Quò cùm vir Dei tempestate jactatus est, mansit ibidem aliquot dies, quousque sepositis tempestatibus opportunum navigandi tempus adveniret. Sed parvipendens stultam loci illius religionem vel ferocissimum Regis animum, qui violatores sacrorum illius atrocissima morte damnare solebat; tres homines in eo fonte cum invocatione sanctæ Trinitatis baptizavit. Sed & animalia in ea terra pascentia in cibaria suis mactare præcepit. Quod pagani intuentes arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci morte perire. Quos cùm nil mali cernebant pati, stupore perterriti, Regi tamen Radbodo quod viderant factum retulerunt.

XI. Qui nimio furore succensus, in Sacerdotem Dei vivi suorum injurias deorum ulcisci cogitabat, & per tres dies semper tribus vicibus sortes suo more [d] mittebat, & numquam damnatorum sors, Deo vero defendente suos, super servum Dei aut aliquem ex suis cadere potuit; nec nisi unus [e] tantùm ex sociis sorte monstratus martyrio coronatus est. Vocatur vir sanctus ad Regem & multùm ab eo est increpatus, quare sua sacra violasset, & injuriam deo suo fecisset. cui præco veritatis constanti animo

a Compendiensis codex hoc loco ista inserit: *Erat enim tunc in ejus comitatu venerabilis vitâ & nomine dignus* VVLFRAMNUS, *qui venerat à Senonum civitate Pontifex eodem desiderii fervens amore, scilicet ut aliquas Domino lucraret animas.* Lege Vitam S. Vvlframni ad ann. 720.

b Ericus Daniæ Rex in historia gentis Danorum à se conscripta non meminit istius Regis Ungendi seu Ongendi, quem nonnulli Angaudeonem appellant. Ericus siquidem ante Regem Godefrithum qui cum Carolo Magno bellum gessit, numerat Snionem, Biorn, Haraldum & Grom Godefrithi patrem.

c De istius insulæ situ non consentiunt Auctores. præferenda Adami Bremensis Ecclesiæ Canonici sententia in lib. 4 historiæ, qui Fositeslandiam eamdem esse ait cum *Farria insula, quæ in ostio fluminis Albiæ longo recessu latet*, aliàs *Heiligeland* appellata. *Hanc in Vita S. Vvillebrordi*, inquit, *Fosetisland appellari didicimus, quæ sita est in confinio Danorum & Fresonum.* Eadem insula ab Archiepiscopo habitabilis facta dicitur, & Monasterio Heiloënsi illustrata. In Vita S. Liudgeri Altfridus meminit fontis S. Vvillibrordi in Fositeslandia; *ex quo nemo nisi tacens haurire aquam præsumebat.*

d More scilicet antiquis Germanis familiari, qui auctore Tacito in libro de Morib. Germanorum *auspicia sortésque, ut qui maximè, observabant. Sortium*, inquit, *consuetudo simplex. Virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputant, eósque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuitu spargunt*, &c. A Radbodo mansit apud Belgas nomen *Rabout*, ad hominem nequam significandum.

e Pseudo-Marcellino non tuta fides, qui Vvigbertum hoc loco designat. Vvigbertus enim ab antiquis nuspiam Martyr appellatur: nec in Frisiam iterum transiisse videtur is qui post S. Egbertum Frisiorum conversionem tentaverat. Lege Acta S. Vvigberti ad ann. 747.

Ann. Ch. DCCXXXIX. Nov. VII.

respondit: Non est Deus quem colis, sed diabolus qui te pessimo errore seduxit, ô Rex. Non enim est Deus nisi unus, qui creavit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: quem qui vera fide colit, vitam habebit sempiternam. Cujus ego servus hodie tibi testificor, ut ab antiqui erroris vanitate quem coluerunt patres tui, tandem aliquando resipiscas, & credens in unum Deum omnipotentem & vitæ fonte baptizatus abluas omnia peccata tua, & projecta omni iniquitate & injustitia deinceps novus homo vivas in omni sobrietate & justitia & sanctitate. hoc faciens cum Deo & Sanctis ejus vitam possidebis sempiternam. Si verò me contemnis viam salutis tibi ostendentem, scito certissimè quòd æterna supplicia & infernales flammas tu cum diabolo cui obtemperas sustinebis. Ad hæc Rex miratus respondit: Video te minas nostras non timuisse, & verba tua esse sicut & opera. Et quamvis noluisset veritatis prædicatori credere, tamen ad Pippinum Regem Francorum cum honore remisit eum.

XII. Qui in ejus lætatus adventu, rogavit eum destinato verbi Dei operi insistere, eradicatísque idololatriæ spinis verba Dei per loca singula instanter serere. Quod etiam pius prædicator haud segniter implere satagebat, circuiens omnes illius terræ regiones, per urbes, vicos, castella, ubi priùs evangelizabat, exhortans omnes, quatinus bono animi proposito in veræ Fidei permanerent firmitate. Et dum per dies singulos numerus crescebat Fidelium, & major credentium turba ad verbi Dei agnitionem confluebat, cœperunt plurimi fidei fervore incitati patrimonia sua Dei viro offerre [a]. Quibus ille acceptis mox jussit Ecclesias in eis ædificare, statuítque per eas singulas Presbyteros & verbi Dei sibi cooperatores: quatinus novus Dei populus haberet, quo se diebus festivis congregaret, vel salutares audiret admonitiones, vel à quibus sacri Baptismatis munera acciperet, & Christianæ Religionis regulas edisceret: & ita vir Dei magis, magísque de die in diem divina donante gratia proficiebat.

XIII. Contigit autem PIPPINUM Ducem Francorum diem obire, & filium ejus CAROLUM Regno patris potiri: qui multas gentes sceptris adjecit Francorum, inter quas etiam cum triumphi gloria Fresiam devicto Radbodo paterno superaddidit Imperio. In qua tunc gente S. Willebrordus positus est prædicator, sedíque episcopali in Trajecto [b] castello delegatus est. Qui majore evangelizandi occasione accepta, nuper gladio adquisitam gentem sacro Baptismate abluere conatus est. nec quidquam in ea vetusti erroris tenebrarum & ignorantiæ latere sinebat, sed totam evangelica luce sine ulla dilatione perfundebat, ita ut in eo populo propheticum illud impleretur testimonium: *Et erit in loco ubi dicebatur, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis.* (Osee 1.) Plurima quoque divina virtus per servum suum fecit miracula, licèt omni miraculorum operationi & signorum ostensioni ministerium evangelicæ prædicationis præferendum sit; ta-

[a] In Actis S. Liudgeri ab Altfrido scriptis dicitur Vvrssingus Liudgeri pater fuisse *adjutor S. Vvillibrordi cum filiis & propinquis suis in quibuscumque potuerat.*

[b] Bedæ potiùs accedimus, qui Vvillibrordum Episcopum Trajecto præfectum à Pippino fuisse adfirmat his verbis lib. 5 cap. 12. *Donavit ei Pippinus locum cathedræ principalis in castello suo illustri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Vviltaburg, id est oppidum Vviltorum; linguâ autem Gallicâ Trajectum vocatur. in quo ædificatâ Ecclesiâ, &c.* de qua suprà. Certè Pippinus Radbodo Duce superato Fresiam sibi subjecit, quam Carolus ipsius filius iterum rebellantem perdomuit. Ex hoc Bedæ testimonio constat, Vviltos Slavorum populos aliquando insedisse Trajectum: quod *castellum* vocatur etiam ab Alcuino aliisque pro more illius temporis Auctorum, qui opida munita, castra & castella; urbes verò insigniores, maximè episcopales, urbes & civitates appellitabant. Cujus rei obvia sunt exempla apud Gregorium Turonicum Episcopum ceterósque ejusdem ævi scriptores. Denique quod *castellum* dicit Alcuinus in Vita prosaïca, in Vita metrica *urbem* nuncupat cap. 11. Id ut adnotarem, fecit quorumdam recentiorum lapsus in hunc locum. Certè S. Liudgerus in Vita S. Gregorii Abbatis Trajectensis infrà, *Trajectum antiquam civitatem* appellat.

men quæ gesta narrantur, ad gloriam donantis Dei non tacenda esse censeo, sed magis stilo alliganda ne pereant in posteris sæculis, quæ priscis temporibus acta esse noscuntur. ANN. CHR. DCC XXXIX. NOV. VII.

Quodam igitur tempore dum vir Dei iter evangelizandi more solito egisset, pervenit ad quamdam insulam Oceani Walacrum [a] nomine, in qua antiqui erroris idolum remansit: ad quod statuto tempore omnis congregabatur, populus illud colens summa veneratione. Quod cùm vir Dei nimio zelo fervens confringere niteretur, ac nomen delere de sub cælo, præsente ejusdem custode: ille nimio furore succensus quasi dei sui injuriam vindicaret, in impetu animi gladio Sacerdotis Dei percussit caput. Sed Deo defendente servum suum, nullam ex ictu ferientis læsuram incurrit. Socii verò illius hoc videntes, pessimam præsumtionem impii hominis morte vindicare concurrerunt. At ille à viro Dei pio animo de manibus eorum liberatus est reus ac dimissus. Qui tamen eodem die dæmoniaco spiritu arreptus est, & tertia die infeliciter miseram vitam finivit. Et quia vir Dei juxta præceptum Domini suas injurias ulcisci noluit, citiùs tamen vindicatus est, sicut ille præscius futurorum ait de injuriis quæ in Sanctos Dei impii agere non metuunt: *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* XIV. [a] Deut. 32.

Alio quoque tempore iter beato viro faciente ad quamdam suæ ditionis cellulam, quæ ex nomine præterfluentis aquæ SUESTRA [b] dicitur: sed propter compendium longioris viæ per segetes cujusdam divitis angustam subintravit semitam. Quod earumdem custos segetum cernens, nimio inflatus furore virum Dei blasphemare cœpit. Quem convicia viro Dei inferentem socii qui cum eo erant vindicare voluerunt. Quos prohibuit vir Dei nolens suâ causâ quemquam perire, qui salutem gestiebat omnium: & dum insanientis animum nullo modo lenire potuit, dans locum iræ ejus, viâ quâ venit reversus est. Sed die postera idem infelix qui viro Dei convicia facere non abhorruit, repentina morte periit. XV. [b]

Cùm vir Deo plenus propter evangelicæ prædicationis instantiam loca circuibat maritima, in eisdem aquæ dulcis penuriam patiebatur. Quod cùm cernebat suos commilitones propter ardorem sitis graviter sustinere, vocato uno ex illis, præcepit ei intra tentorium suum fossam aperire parvam, ubi secretò fixis genibus orabat Deum, qui populo suo in desertis aquam produxit de petra, eadem misericordiâ servis suis de arenosa aquam produceret terra. Qui mox exauditus est, & subitò fons dulcissimi saporis fossam [c] implebat. Quod sui cernentes, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui Sanctum suum magnificavit, & eum exaudire dignatus est: bibebántque usque ad satietatem, secumque ad prædestinati itineris necessitatem quantum sufficere videbatur portare curabant. XVI. [c]

Iterum sanctus Dei Sacerdos in quodam loco iter agens, vidit mendicantes inopes duodecim, postulantes sibi aliquid à prætereuntibus solatii dari. Quos, ut fuit mitissimus, benigno adspexit animo, uníque ex suis XVII.

[a] Vvalacra seu Vvalacria ex quinque Zelandiæ insulis una, Basilicam habuit nobilem Esternacensi Monasterio subjectam, Vvestcapellam nomine, inquit Brovverus in Annalium Trevirensium libro 12. cujus loci incolæ à Roberto Frisio armis impetiti, sumtâ Eucharistiâ muniti, Vvillibrordi reliquiis vexillo alligatis Flandros stravere. duo hostium vexilla Esternacum missa. Ita ille.

[b] Suestra in pago Mosano à præterfluente rivo cognominata, nunc nobilium Canonicarum celebre collegium est.

[c] *Eadem cisterna*, inquit Johannes Beka in Chronico, *nunc in territorio de Heyligelo patenter ostenditur, quæ ab inquilinis illic inhabitantibus moderno tempore* PUTEUS S. Vvillebrordi *dicitur*. an fons S. Vvillibrordi, de quo Altfridus in Vita S. Liudgeri suprà ad cap. 10.

ANN. CHR. DCC XXXIX. NOV. VII. mandavit specialem suam flasconem sumere, ac pauperibus miscere [a] Christi: ex qua illi omnes duodecim usquè ad satietatem bibebant: & mirum in modum illis abeuntibus ex optimo vino flasco, de qua tantum bibebant tanti homines, à ministro ita plena inventa est ut antè. Hoc comperto benedicebant omnes Dominum JESUM dicentes: Verè impletum est in nobis quod in Evangelio Christus dixit, *Date & dabitur vobis.*

XVIII. Venit quoque vir Dei ad suum gratiâ visitandi Monasterium, & post orationes & salutationes fraternas & admonitiones pacificas circuiens singula Fratrum habitacula, si quid in illis emendandum fuisset pius pastor explorare voluit. Tunc accidit ut intraret in cellarium, in quo modicum vini in uno reperit dolio: in quo suum benedictionis gratiâ cum oratione immisit baculum, & exivit. Sed eadem nocte in eodem vasculo vinum crescere [b] cœpit, ita ut superfunderet vasis marginem. Hoc Cellerarius cernens, insperatâ abundantiâ obstupefactus est, nec celare audebat quod divinâ misericordiâ per servi sui benedictionem geri cognoscebat. Facto crastino cucurrit, ad pedes sancti Patris se prosternens confitebatur quod vidit. qui more solito Deo gratias agens, memórque dominicæ jussionis discipulis suis præcipientis, ne cui transfigurationis gloriam ante diem resurrectionis suæ dicerent; præcepit eidem Cellerario, ne cui miraculum quod cernebat, ante diem obitûs sui diceret.

XIX. Sed & aliud Christus JESUS huic simile per ejus benedictionem operatus est miraculum. Perveniens servus Dei cum sociis ad domum cujusdam amici sui, paullisper cupiebat in domo dilecti longi laborem itineris refectione allevare. Sed patremfamilias nil vini habuisse cùm comperit, quatuor modicas flascones, quas tantùm ad itineris solatium secum socii ferebant, jussit adferri, eásque in ejus nomine benedixit, qui in Cana Galileæ aquas in vini saporem mutavit: & mirum in modum post benedictionis gratiam quasi quadraginta viri ex illis usque ad satietatem bibebant, & cum magna gratiarum actione lætis sibi invicem animis dicebant: Verè Dominus JESUS hic implevit quod in Evangelio promisit dicens: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet.* Iohan. 14.

XX. Perrexit idem sanctus prædicator quodam tempore more solito ob evangelizandi gratiam cum festinatione Fresiam, & propter laborem viæ in pratis cujusdam divitis paullulum lassos refocillare voluit equos. Quos dives cernens, superbiæ spiritu equos cædere cœpit, & à pascuis abigere. Quem vir Dei placidissimis alloquitur verbis ita dicens: Desine nobis, frater, injuriam facere. non enim propter læsionem tui, sed propter necessitatem nostri ad horam in his quiescere voluimus pascuis. Instat nobis opus Dei peragendum, cujus tu quoque mercedem habere poteris, si nos, quantum ad te pertinet, benigno adjuveris animo, memor illius Domini JESU dulcissimæ promissionis: *Qui vos recipit, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Matth. 10. Sed magis mente pacifica nobiscum quasi amicus teipsum reficiens aliquantulum bibe, nobísque cœpto itinere pergentibus tu à Deo benedictus revertere in domum tuam. Ille igitur in malitia pertinax

[a] *Miscère* prò *fundere* seu præbere potum etiam usurpavit Alcvvinus in lib. capp. 17. 19 & 20, ubi etiam *flasconem*, uti & hîc, feminino genere sumit. Eadem vox *miscere* in eadem significatione reperitur tum apud Gregorium Turonensem Episcopum in libro 2 de mirac. S. Martini cap. 22, tum in epistola Theodemari Abbatis Casinensis ad Carolum Magnum non semel. Et in quibusdam Capitulis Caroli Magni de diversis rebus, præcipitur, *ut Episcopi vel Abbates non vadant per casam miscendo*, tomo 2 Conc. Gall. apud Sirmondum pag. 157. Denique Petrus Damiani initio Opusc 1. *Licèt ex una prodeat tunna quod miscetur, magis tamen delectat manus vernacula qua præbetur.*

[b] Istud miraculum factum dicitur in gratiam SS. Harlindis & Reinulæ, quum eas inviserunt sancti Vvillibrordus & Bonifacius. Verùm Alcvvino potior fides, quàm Auctori incerto, qui Acta istarum Sanctarum litteris mandavit, infrà ad ann. 745.

nolens pacificis viri Dei adquiescere verbis, sed convicia ingeminans, opprobria jaculans: Tu me, inquit, hortaris bibere, & pacem tecum inire! scito certissimè quòd tecum bibere pro nihilo habeo. Rapiénsque ex ore ejus hoc verbum vir Dei: Si non vis bibere mecum, non bibe. Et statim paratis sociis perrexit viam suam. Ille quoque contumax domum suam festinabat adire, sed totus subitò siti ardebat, cupiens ardentem stomachum vino refrigerare. sed os quod viro Dei convicia ingessit, vini potionem recipere noluit, pœnam in se ipso necessariè sustinuit. Vocati sunt medici qui sitim sedarent, qui facultatem ægroto bibendi præstarent. anhelabant viscera, sed non erat qui guttam vini fervescenti pulmoni posset infundere. Serò tandem pænitentiâ ductus, in semetipsum reversus est. Agnoscebat sanctum Willebrordum esse quem offendit, illiúsque anhelante spiritu optabat reditum. qui sequenti anno eâdem viâ reversus est. Præcognitóque adventu ejus obvius ei homo ægrotus pervenit culpam confitens suam, & quam patiebatur pœnam aperiens, & pro amore Christi se solvi deprecans. Quem vir Dei misericordiâ motus absolvit, dedítque cum benedictione de suo bibere calice. qui mox absolutus bibebat, & sanus in suam reversus est domum.

XXI. Est in Treveris civitate Monasterium puellarum [a], quod temporibus B. Willebrordi pestis acerrima invasit: cujus acerbitate multæ ex ancillis Dei mortuæ sunt, quædam longo infirmitatis dolore jacentes in lectulo, ceteræ verò nimio terrore turbatæ, quasi præsentem mortem metuentes. Et quia prope est prædictæ civitati sancti viri Monasterium quod appellatur ESTERNACUM [b], in quo usque hodie ille requiescit corpore, & ejus posteri ex legitima Patris traditione & piissimorum pietate Regum tenere noscuntur; antedicti verò Monasterii feminæ audientes sanctum virum venire illuc, statim miserunt legationem, postulantes eum non tardare venire. Qui B. Petri principis Apostolorum mitissimo doctus exemplo, de Joppe ob viduarum Christi petitionem venientis Lyddam ut sanctam suscitaret Tabitham; sic festinus vir Dei audito desiderio ancillarum Christi non piguit venire ad illas. Et veniens mox in eodem Monasterio, Missâ pro infirmis celebratâ, aquam benedixit qua domus illarum adspergi jussit, ac ægrotantibus potandum transmisit. quæ citò donante divina misericordia convaluere, nec ulla in eo Monasterio prædicta peste exinde moriebatur.

XXII. Contigit cuidam patrifamilias & domui suæ dira dæmoniacæ illusionis tentatio, ita ut apertè malignus in ejus domo spiritus ex horrore & maleficiis habitare agnosceretur. Nam subitò cibos vel vestimenta vel alia domui necessaria rapere solebat, & in ignem mittebat: immo parvulum inter amplexus parentum pausantem illis dormientibus tulit, & in ignem projecit. Sed vagitu infantis parentes suscitati, vix parvulum de incendio eruerunt, & multa atrocia eadem familia à nefando spiritu perpessa est: nec à quolibet Presbyterorum depelli potuit, donec vir Dei Willebrordus à patrefamilias postulatus aquam illis benedictam direxit, præcipiens omnem domus illiûs supellectilem foras ferre, & aquâ illâ adspergi,

a An Monasterium Horreënse Ord. S. Benedicti, cui præfuit S. Modesta in libro de miraculis S. Gertrudis Abbatissæ Nivialensis memorata, quam Modestam Gabriel Bucelinus perperam S. Vuillibrordi sororem dicit? id quod ex Gertrudis & Vuillibrordi ætate satis revincitur. an Monasterium Palatiolum, cujus tum Abbatissa erat S. Addula, de qua superiùs egimus? Brovverus hunc locum de Horreënsi interpretatur in Annal. Trevir. lib. 7. Clemens, id est Vuillibrordus translationi Reliquiarum S. Maximini Episcopi per S. Hildulfum factæ interfuisse dicitur.

b Alii codices mss. habent *Asternaco*, *Esternacúmve*: recentiores *Esternacum* scribunt, de quo infrà post Vitam metricam.

ANN. CHR. DCC XXXIX. NOV. VII. prævidens in ſpiritu domum flammis conſumendam eſſe. Quibus geſtis vacuam domum à loco lectuli ignis invaſit & conſumſit. Alterâ verò eo in loco cum ſanctificatione aquæ benedictæ ædificatâ, nil exinde priſtinæ tentationis paſſi ſunt in ea: ſed cum omni tranquillitate & quiete degentes, & Deo gratias agentes, qui illos per ſuum ſervum redimere dignatus eſt.

XXIII. Idem quoque vir Deo amabilis ſpiritu prophetico prædixerat, quæ pôſt rerum eventus vera probavit. Baptizavit igitur PIPPINUM filium fortiſſimi Ducis Francorum CAROLI, patrem hujus nobiliſſimi KAROLI, qui modò cum triumphis maximis glorioſè regit Imperium. De quo Pippino patre ejus vir Dei præſaga voce tale coram diſcipulis ſuis prædixit vaticinium: Scitote quòd iſte infans ſublimis erit valde & glorioſus, & omnium præcedentium Francorum Ducibus major. Hujus itaque vaticinii veritas pôſt noſtris eſt probata temporibus, nec opus eſt adſequi teſtimoniis, quod totius Regni agnoſcit auctoritas. Scit namque omnis populus, quibus nobiliſſimus victor celebratur triumphis, vel quantum termini noſtri dilatavit imperium, vel quàm devotè Chriſtianam in Regno ſuo propagavit Religionem, vel quid pro defenſione ſanctæ Dei Eccleſiæ apud extraneas exercuit gentes: quæ omnia meliùs oculis probari, quàm verbis explicari queunt.

XXIV. Fuit enim iſte vir ſanctus omni dignitate præclarus, ſtaturâ decens, vultu honorabilis, facie venuſtus, corde lætus, conſilio ſapiens, ore jocundus, moribus compoſitus, in omni opere Dei ſtrenuus. Cujus verò patientiæ, eſſet ex ejus antedictis geſtis oſtenditur: vel quantam habuiſſet induſtriam Evangelium Chriſti prædicare, vel qualiter illum in opere prædicandi divina adjuvaret gratia, non neceſſe eſt noſtro proſequi ſtilo, quod totius populi teſtimonio comprobatur. Ejus verò ſecreta converſatio in vigiliis & orationibus, in jejuniis & pſalmodiis, & vitæ ſanctitate & ſignorum oſtenſione, intelligi datur. Caritatem ſcilicet aſſiduus labor oſtendit, quem cotidie pro Chriſti nomine ſuſtinuit. Iſte verò vir ſanctus omnibus diebus vitæ ſuæ in divino proficiens opere, Deo amabilis & omni populo placabilis temporibus Karoli antiqui, fortiſſimi Francorum Ducis, ſenex & plenus in omni perfectione dierum [a] appoſitus eſt ad patres ſuos, multiplicem ſui laboris fructum accepturus à Deo. Hominem exuit cum ſæculo, ut cælum poſſideret, Chriſtum ſine fine viſurus in æterna gloria, in cujus dilectione quamdiu nobiſcum vixerat laborare non ceſſabat. Die ſexto menſis Novembris, id eſt octavo Idus ex hac peregrinatione ad perpetuam migravit patriam, & ſepultus in Monaſterio Eſternaco, quod ipſe Deo (ut præfati ſumus) conſtruxerat. Ibi uſque hodie divina operante miſericordia ſigna & ſanitates ad ſancti viri & Sacerdotis Reliquias fieri non ceſſant, ex quibus aliqua de eo huic noſtræ hiſtoriæ ſubjicienda eſſe ratum exiſtimavimus in laudem & gloriam Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui hæc per ſervi ſui patrocinia ſæpiùs operari dignatus eſt.

XXV. Conditum eſt autem venerabile ejus corpus in ſarcophago marmoreo, quod primùm toto * Dei famuli corpori quaſi dimidium brevius inventum eſt, Fratribúſque ob hoc valde contriſtatis & conſilio ſuſpenſis quid agerent, & ſæpiùs tractantibus ubi aptum ſancto corpori inveniſſent locel-

* toti

[a] Nempe annos octoginta & unum prætergreſſus, teſte Alcvvino, qui in lib. 2 cap. 24 S. Vvillebrordum *bis octena luſtra & ter-quater menſes* compleviſſe adfirmat. De die natali in Obſervationibus præviis; de anno hîc agendum. Vvillibrordum per annos quinquaginta in Freſia prædicationi operam dediſſe, certum eſt ex S. Bonifacii epiſtola ſuperiùs relata. Eumdem triceſimo-tertio ætatis anno Chriſti DCXC in Freſiam trajeciſſe, jam probatum. Anno proinde DCC XXXIX ejus obitus collocandus eſt, ut optimè ſtatuit Theofridus Abbas Eſternacenſis, cui Bertelius & Miræus ſubſcribunt.

lum. Sed miro modo divina donante pietate inventum subitò sarcophagum tanto viri Dei corpore longius, quanto brevius antè apparuit: & in eo viri Dei corpus cum hymnis, psalmodiis & omni honore condientes, sepelierunt illud in Ecclesia præfati Monasterii, quod ille summus Dei Sacerdos in honorem sanctæ Trinitatis ædificavit & dedicavit. Sed & miri odoris fragrantia omnium perfuderat nares, ut perspicuè intelligeretur ad exsequias sancti viri angelicum venisse ministerium. ANN. CHR. DCCXXXIX. Nov. VII.

Sed & cuidam religioso sancti viri discipulo longiùs posito in oratione vigilanti obitus illius revelatus est. Nam vidisse se testabatur animam sanctissimi sui Patris cum magna luminis claritate, cum consona canentium laude ab angelicis exercitibus ad cælorum regna portari. Multi quoque Fratrum testati sunt crebrò se super lectulum ejus, in quo beatam animam suo Creatori reddidit, mirabile vidisse lumen, & suavissimam odoris dulcissimi sensisse fragrantiam, ut omnibus his signis crederetur, cælestes locum frequentare cives, in quo Sancti anima migravit ad Christum. XXVI.

Per unctionem olei quoque, quod supra corpus sancti viri lucere solebat, multi infirmi Deo donante & fide illorum cooperante curati sunt. Pænitentibus quoque sæpius ad eamdem Ecclesiam venientibus circulis ferreis more solito circumdatis, ruptis circulis ferreis subitò eorum vincula resoluta sunt: cujus rei in Ecclesia adhuc circuli pendentes testes sunt. XXVII.

Quædam verò mulier paralytica pluribus annis cruciata doloribus in tantum grassante eadem infirmitate cotidiana, ut omni officio membrorum destituta alieno uteretur ministerio, in solo tantummodo pectusculo vix anhelans spiritus suspiria fessa retraxit. Hæc à propinquis ad Ecclesiam ubi Sanctus Dei requiescit ferebatur prope locellum Reliquiarum ejus: positáque in eodem loco, fusis lacrymis deprecata est, ut per intercessionem sui sancti famuli divina ei suffragaretur clementia. Quæ à Domino Deo exaudita, móxque ab omni infirmitate liberata, sospes cum gaudio gratias Deo agens, propriis pedibus, quæ priùs ab alienis portabatur, cucurrit ad domum. XXVIII.

Fuit autem quidam adolescens infirmus ad corpus beati viri manibus deductus amicorum, qui totis intremuit membris. nec enim per se caput levare potuit, sed quasi collo non esset fixum, huc atque illuc cadens volvebatur. Nam aliquoties ita exanimis factus est, ut omnino mortuus videretur. Quem, ut prædiximus, sui prope corpus sancti viri posuerunt. Sed Dei misericordia donante, omnibus qui aderant cernentibus, ita subitò sanus effectus est, ut nihil in eo pristinæ infirmitatis vel doloris antiqui ultrà remanserit. XXIX.

Quidam autem officio Diaconus & non merito, in Ecclesia sancti viri crucem auream, quam vir sanctus secum in itinere portare solebat, cum aliis donariis Ecclesiæ infelicissimo non horruit rapere furto. Turbatísque de hac re Fratribus, utpote factorem impii sceleris ignorantes, tunc precibus sancti viri confidentes illud tam nefarium opus & scelus occultari non posse; fraterna tamen pietate hominem ad pænitentiam revocare nitentes, non perdere cupientes. Ille verò qui hoc crimen commiserat, obdurato corde salutem suam contemsit sicut impius, dicente Salomone: *Cùm in profundum malorum venerit, contemnit.* Cogitavit infelix latere posse, quod clam absque oculis aliorum se fecisse sciebat: sed Dei oculum, cui omnia aperta sunt, latere non potuit, qui servorum suorum injurias sæpius vindicare non tardat. Nam miser ille qui hoc perpetrare crimen non abhorruit, subitò misera morte arreptus interiit, & in ipso vitæ exitu aliquibus Fratrum reatus sui crimen ostendit, & ubi abscondisset quod furto ra- XXX. Prov. 18. 3.

Ann. Chr. dccxxxix Nov. vii. puit indicavit. Videtis, Fratres, quàm terribili damnatur judicio, qui Sancti Dei Ecclesiam furto violasse non timuit. Idcirco obsecro, ut castam in hac domo habeatis conversationem: quatinus divina clementia per sancti Clementis viri apostolici preces in omni petitione honesta vos exaudire dignetur, sicut antè diximus illum exaudire preces infirmantium in eadem hac Ecclesia, eósque cum diu desiderata sanitate domum redire concessit. Nec scilicet dubitandum est, quòd veluti visibiliter corporeas illorum dignatus est sanare infirmitates, sic occultas animarum nostrarum ægrotationes, intercedente pro nobis Sancto suo, qui hîc [a] corporaliter requiescit, & quem spiritualiter præsentem esse credimus, cotidie exaudire non cessat, si firma fide & confessione verâ cum lacrymis effundimus in loco isto ante conspectum pietatis illius corda nostra: quia divina clementia præstabilis est ad ignoscendum, si nos tardi non erimus ad deprecandum, cujus laus & honor in sempiterna sæcula, Amen.

XXXI. Restat igitur de B. Wilgiso, qui fuit hujus Sancti (ut antè diximus) pater, ut à quo hujus historiæ primum incipit capitulum, novissimum de eo finiatur. Redit igitur annus ejusdem beati Wilgisi sanctæ migrationis dies, in qua pius Abba Alcbertus [b], successor Archiepiscopi venerandi, post sacra Missarum sollemnia & honorem Deo debitum, cum Fratribus epulari & gaudere adgressus est. Sed in eo Monasterio nil plus vini inventum est quàm duæ tantummodo flascones, quarum una prandii horâ epotata est, altera in horam cenæ reservata. Igitur post vespertinam melodiam pro reverentia illius diei Fratres Refectorium reversi sunt, & post sacras lectiones præfatus Abbas Fratres allocutus est: Decet nos, ô venerandi Fratres, cum gaudio spirituali venerabilium Patrum nostrorum festivos celebrare dies, & aliquanto relaxiùs solito rigore nostris indulgere corporibus, non luxuriæ causâ, sed caritatis. Nequaquam vobis celassem, si aliquid plus habuissem in Monasterio, quàm hanc solam flasconem, quæ nobis horâ prandii restabat. Potens est tamen Deus per preces Sanctorum suorum hanc eamdem nobis abundare facere, illos honorificare & nos lætificare, & ostendere nobis licèt indignis suæ pietatis miracula, qui per benedictionem quondam Willebrordi Patris nostri ex quatuor flasconibus quadraginta viros satiare dignatus est. tantùm cum gratulatione in spe bibamus quod habemus. Primò & secundò de eadem flascone omnes biberunt Fratres, & inventa est à ministro ita plena ut fuerat ante. Hoc audito Abbas cum Fratribus gratias Deo agere satagebat, biberúntque congratulantes divinæ clementiæ illa nocte cum sobrietate & lætitia quantum voluerunt. O felix Pater qui talem generavit filium, qui tali herede à Deo dignus habebatur, in quo benedictio illa impletur quæ in Deuteronomio legitur:

Deut. 18. *Benedictus tu, & benedictus fructus ventris tui.*

[a] Diceres Alcuvinum in Monasterio Esternacensi tum vixisse quasi domesticum. At hæc similiáque verba scribit nomine Monachorum Esternacensium, qui ea in divinis officiis recitaturi erant: quo modo in Vita S. Richarii Abbatis Centulensis eum fuisse locutum observavimus Sæculo præcedenti. Lege Alcuvini homiliam infrà.

[b] Alcbertus aliis, recentioribus Albertus, S. Vuillibrordi in regimine Cœnobii Esternacensis successor, ad quem exstat Pippini Regis diploma apud Brouverum in Annalium Trevirensium libro 7, pro Ecclesia quæ in Crovia sita est.

INCIPIT SERMO IN NATALI EJUSDEM, convenienti populo recitandus.

Ecclesiæ singulæ suos Patronos festiviùs celebrant.

I. LICET per totius orbis Ecclesias conveniat omni populo Christiano Sanctorum festa celebrare, victorias laudare, vitam imitari, & quia in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, in omni

omni terra consona cunctorum viventium voce laudandi sunt; tamen locis in singulis propter familiaritatem cohabitationis cujuslibet illorum, & propter præsentiam sanctarum Reliquiarum, quæ in solatium illis vel illis condonatæ sunt habitatoribus, speciali quadam veneratione apud cives suos familiariùs honorantur. Igitur Roma urbs, orbis caput, beatorum Apostolorum Petri & Pauli specialiùs quodammodo gloriosissimis lætatur triumphis. Unde ad eamdem & gentes & populi cum devoto pectoris officio cotidie concurrunt, ut majori quique apud beatos Apostolos fidei compunctione, vel sua defleant crimina, vel cælestis vitæ abundantiori spe sibi aditum aperiri deposcant. Mediolana olim civitas imperialis S. AMBROSIO gaudet defensore. Alpes Acunumiæ [a] Sanctorum Thebæorum feliciùs sanguine, quàm nivali proceritate exaltantur. Beatiùs fecunda Pictavia B. HILARII pontificiis Reliquiis exsultat, quàm venditionum & emtionum altercatione, in quibus sæpe versatur iniquitas. Quid te, Turonica civitas, loquar? muris quidem parvula & despectibilis, sed S. MARTINI patrociniis magna & laudabilis, quis propter te adierit te? nonne propter illius certissima suffragia turbæ ad te confluunt Christianorum? Omnia Parisiacæ civitatis suburbana, S. DIONYSII [b] vel S. GERMANI magnificis jocundantur auxiliis, & festivos illorum dies majori populorum celebrant frequentia. Tota Campania cum populis suis propter REMIGIUM venerabilem prædicatorem ad Remensem festinat urbem, apud eam quasi præsenti patrono sua vota ferentes. Sic divina clementia toti consuluit mundo, dans singulis provinciis vel populis, quo speciali gauderent patrono. | ANN. CHR. DCCXXXIX. Nov. VII.

2. Nobis verò sanctissimi Willebrordi non infima perdonavit auxilia, sed præclara & gloriosa contulit suffragia. Gaudeamus, dilectissimi Fratres, in Domino, & spirituali jocunditate lætemur, qui nobis talem vitæ perdonavit doctorem, justitiæ præceptorem, unanimitatis nostræ auctorem, qui nos in hoc sacratissimum ovile congregavit, & pietatis magisterio erudivit. Gaudeat & nobiscum omnis populus, qui ad natalitia sanctissimi Patris hodie concurrit, & vigiliis apostolici viri piâ devotione interesse studuit, & in præsentia Domini nostri JESU-CHRISTI & sanctorum Angelorum & beatissimi Pontificis stare satagebant. Nullus, obsecro, dubitet in fide, nec de veniæ largitione hæsitet, nec de piæ petitionis fructu & effectu, qui nobis talem concessit patronum. Illius nos precibus concedit exaudiri, quia quantò fiducialiùs deprecamur, tanto citiùs exaudiemur. Fide enim omnia impetrantur, sicuti hujus viri sanctissimi, cujus hodie festivum celebramus diem, certissima ante oculos habemus exempla, qui mox ab infantia sua per fidem Deo placere contendit. Nam patriam, cognationem & amicos fervente fide pro amore Dei dereliquit, terrena contemsit, ut cælestia adquireret. Idcirco magnum laboris sui fructum invenit, & multas populorum turbas ad Christum convertit, & plurimos paganorum ab erroris iniquitate avertit, & divina cooperante gratia filios iræ, filios fecit esse misericordiæ. Inferna conclusit, cælum aperuit, plurimas peragravit gentes, ut omnes in viam veritatis adduceret. nec sibi ipsi pepercit, populos adivit feroces, si fortè purpureas martyrii coronas inveniret. Quem Deus ob multorum servavit salutem, quatinus majori prædicationis gloria

a Legendum *Acaunica* seu *Agaunica*, id est Penninæ Alpes, proximæ Sedunis, in quibus Agaunum monasterium, Martyrum Thebæorum Reliquiis decoratum. In mss. cod. Uticensi legitur *Alpes Agaunia*.

b Hunc locum notavit Hadrianus Valesius in disceptatione de Basilicis cap. 8 adversus Johannem Launoïum, qui Basilicam S. Dionysii tumulo illustrem intra muros urbis Parisiacæ primitus conditam fuisse adfirmabat.

Ann. Chr. DCC XXXIX. Nov. VII. honoraretur, quàm si solus martyrio coronaretur. In pace quievit, quia in spe laboravit. Vitam invenit æternam, quia temporalem reliquit; nobis ablatus, Angelis sociatus.

3. O beatissime Christi sacerdos, ne nos derelinquas laborantes in terris, sed precibus tuis de cælis adjuvare non cesses. Vita tua apud homines semper probata fuit pro Deo: sint preces tuæ apud Deum semper intentæ pro hominibus. Meditatio tua fuit in lege Domini die ac nocte: ideo sicut palma floruisti in domo Domini. Sicut cedrus Libani multiplicasti filios tuos, qui ad te tota mentis intentione clamant: tu illos pia intercessione adjuvare digneris. Sentiamus tuum nobis clementissimè adesse auxilium, qui tuis devotissimè instamus officiis. O felix anima, quæ sæculi labores dereliquisti, & cælestem cum multiplicis sudoris tui fructu requiem intrasti: talenta tibi commissa multiplicasti, præmia promissa accepisti. In pauca fidelis fuisti in terris, supra multa constitutus gloriaris in cælis. Gaudia Domini Dei tui, quæ semper optasti, semper habere cœpisti. Te continuis, ô Pater, prosequimur laudibus, tu nobis assiduis auxiliare precibus. Credimus te in præsentia Domini Dei tui omnia posse impetrare quæ poscis, dum tanta potuisti in præsentia nostra per ejus gratiam efficere miracula. Tu modò civis Angelorum, tu socius Sanctorum. tu lætus cum illis canticum novum cantabis: Sicut audivimus, ita & vidimus: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæculum sæculi laudabunt te: &, Videbitur Deus deorum in Sion. Cujus beata visio plena est felicitas, sicut ipsa Veritas in Evangelio testatur dicens: *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* (Iohan. 14.) In cujus dulcissima dilectione iste Sanctus vixit in mundo, ideo in ejus adspectu lætatur in cælo.

4. Videte, Fratres carissimi, quanta gloria est Deum sequi. Iste pro amore Christi patriam contemsit, peregrinationem elegit, divitias sæculi parvipendebat, paupertatem voluntariè amavit. Et cognovimus qualem honorem postea habuit inter homines, sed melior est gloria quam æternaliter possidet inter Angelos. Hujus sanctissimi doctoris nos exempla de ignaviæ torpore suscitent, ut quod in illo prædicamus, impleamus in nobis. agones illius laboris laudamus, vias nostras in vestigia ejus corrigamus: quatinus qui sanctitatis ejus sequimur exempla, beatitudinis sortiamur & præmia, per eum qui illum coronavit, & nos adjuvabit, Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat in gloria sempiterna, Amen.

Explicit liber primus, prosaïco gradiens sermone, de Vita ac virtutibus obitúque S. Vuillebrordi Archiepiscopi.

INCIPIT LIBER SECUNDUS, quem Alcuinus metro studens *composuit.

* *Ex ms. cod. Uticensis Monast. & tomo 6 Canisii.*

INCIPIUNT CAPITULA.

Caput I. Quòd *B. Vuillibrordus de Britannia vel Hibernia Franciam venisset.*

II. *Qualiter idem vir Dei in ope prædicanti profecisset.*

INCIPIT PRÆFATIO.

ECCE tuis parui votis, venerande Sacerdos,
 Cor quia de vero fervet amore mihi.
Pontificis magni Wilbrordi & Præsulis almi
 Percurrens titulis inclyta gesta citis.
Sit licèt inferior, strepitans cum murmure rauco,
 Illius egregiis sermo meus meritis:

ANN. CHR. DCC XXXIX. NOV. VII.

Protulit ad Templum Christi, Wilbrorde Sacerdos,
Nostra fides vestrum parva minuta tamen.
Quæ rogo suscipias clementer mente benigna,
Criminibúsque meis posce precor veniam.
Non sunt digna tuis meritis mea munera, Præsul,
Qui regnas summi dives in arce poli:
Nî pius in Templo Deus æra minuta ferentem
Laudâsset viduam, quæ sua tota dedit.
Æra minuta duo diversi ponderis ista,
Sancte Pater, supplex in tua templa fero.
Sed prius hæc retinet planis nummisma figuris,
Posterius sed jam pierium rutilat.
Sunt qui in lege sacra pilos pellésque capratum
Ad pia tecta Dei ferre jubentur onus.
Non tamen hos sperni jussit lex sancta Tonantis,
Sed gratè accipere mens pia quæ tulerit.
Sic non magniloquas quæris, Pater optime, grates *,
Sed vero calidum pectus amore meum.

* al. gazas

INCIPIT NARRATIO.

CAPUT I.

VENERAT occiduis quidam de finibus orbis
Vir virtute potens, divino plenus amore;
Ore sagax, & mente vigil, & fervidus actu,
Ad te temporibus PIPPINI, Francia felix,
Quem tibi jam genuit fecunda Britannia mater,
Doctáque nutrivit studiis sed Hibernia sacris,
Nomine Wilbrordus, meritis vivacibus almus.
Qui peregrina petens Domini deductus amore,
Semina perpetuæ cupiens cælestia vitæ
Spargere, quæ rarus fuerat priùs accola verbi.
Quem mox Pippinus Francorum Rector honestus
Suscipit, atque illum sitientia rura rigare
Per loca mandavit jam singula rore superno,
Auxiliísque Dei famulum firmavit honestis.

II. Ille Deo plenus, lumen de lumine Christo,
Jam quascumque piis peragravit gressibus urbes,
Vel castella, casas, vel compita; semper ubique
Sparsit evangelicæ radios per pectora lucis,
Multorum donec Fidei pia flamma reluxit,
Et nox cæca procul illo decessit ab orbe.
Quotidiéque ruunt idolorum fana profana,
Et populi Christus resonabat in ore fidelis.

III. Crescere Pippinus dum viderat inclytus auctor
Ecclesiam Christi, fidei & venerabile donum;
Congaudens nimiùm tali doctore salutis,
Ac meliùs ratus, citiùs se mittere Romam
Præcipuum fidei præconem, quatinus illum
Pastor apostolicus firmaret in ordine primo,
Esset ut Ecclesiæ Præsul, summúsque Sacerdos.

IV. Pontificalis apex Petri dignissimus heres
Sanctus apostolicam tenuit tunc SERGIUS aulam,

ANN. CHR. DCC XXXIX. Nov. VII.

Vir bonus & prudens, nulli pietate secundus.
Ante diem quartam facta est cui visio nocte,
Quàm vir venisset Romam præclarus ad illum,
Angelus è cælo veniens prædixerat illi:
Ecce Deo carus properat hanc hospes ad urbem,
A Duce Francorum missus cum munere largo.
Hunc tu mente pia saltem tractare memento,
Et mox Pontificem summo sacrabis honore.
A te quæ cupiet, capiat quoque dona Sacerdos.
Iste Deo sociat populorum millia multa.
Angelus his dictis cæli remeavit ad aulam.
Annuit angelicis monitis mox Papa beatus, V.
Atque Dei famulum tractavit mente benigna:
Ut fuerat jussus, compleverat omnia promtus,
Pontificémque illum magno sacravit honore,
Nomine CLEMENTEM patrio jussitque vocari,
Et quæcumque petit Sanctus sibi, tradidit illi,
Plurima Sanctorum præstans ei dona piorum.
His actis Domini famulus remeavit ad orbem VI.
Francorum, veniens firmatus munere summo.
Et totus gaudens populus tunc accipit illum,
Flumina melliflua cupiens haurire salutis:
Quæ Pater egregius cunctis impenderat ultro,
Rore rigans supero cunctorum pectora Christi.
Et quòcumque pius veniebat fortè Sacerdos,
Auxiliante Deo fructus carpebat amœnos.
Catholicæ Fidei donec impleverat urbes
Agnitione Dei, villas, atque oppida, rura.
Nec his contentus Francorum finibus, ultrà VII.
Spargere sed tentans divini semina verbi,
Gentibus antiquo captis errore Fresonum
Vel Danis, multùm populo per sæcla feroci,
Quas tunc haud potuit (Reges quia fortè scelestos
Illæ habuêre quidem) ad Fidei convertere donum.
Sed Deus omnipotens animas donaverat illi VIII.
Gentibus ex ipsis aliquas, & mira peregit
Pérque suum servum quædam. qui in pace reversus
Ad populum Domini spectans regionibus istis,
Janua perpetuæ Christo pandente salutis,
Dum esset aperta piis monitis, sed semper ubique
Firmabat cunctos; PIPPINUS tempora vitæ
Præsentis complens, KAROLO sua Regna relinquit.
Qui mox nobiliter regales rexit habenas, IX.
Amplificans fines, gentes superando triumphis
Externas etiam bello, vicítque Fresones,
Et ferrata super illos carpenta subegit,
De manibus tulerat horum quoque frena tributi.
Tunc vir evangelicus remeans Wilbrordus, & illis X.
Verba ferens vitæ, sacro & Baptismate tinxit.
Quos Fidei donis primo sacer imbuit almis,
Et lux orta fuit residenti mortis in vmbra.
Jámque diu populo verus sol Christus ubique

ANN. CHR. DCXXXIX. NOV. VII.

Eluxit, subitò tenebris cedentibus atris.
XI. Tunc data Pontifici est Trajecto sedes in urbe,
Et gens tota simul Fresonum subditur illi,
Disceret ut magno Fidei documenta magistro.
Mox constructa Deo viguerunt templa perenni.
Per loca sunt positi & Doctores multa fideles,
Qui regerent populum, vitæ qui verba docerent,
Qui Baptisma darent, cæli qui pane cibarent:
Ne plebs esuriens à se jejuna rediret,
Sed cunctis Christus potus, cibus esset abundans.
XII. Hoc opus hîc fuerat præclaro Præsule semper,
Plurima quod ferret animarum lucra Tonanti,
Ut Domino ad servos remeanti occurreret ultro
Multiplicata ferens manibus utrisque talenta.
Circuit idcirco vigili tutamine mandras *,
Nominibus meritis ut Christi augeret ovile.
Et quòcumque pius perrexit præco salutis,
Gratia Celsithroni semper prævenit euntem,
Effectum tribuens factis verbísque docentis.
XIII. Plurima pérque suum fecit miracula servum,
Quæ nunc non libuit versu percurrere cuncta:
Sed strictim quædam properanti tangere plectro,
Et gestis titulos paucis præfigere musis,
Ad prosámque meum lectorem mittere primam.
Illic inveniet jam pleniùs omnia gesta,
Pontificis magni studium, documenta magistri,
Progeniem, vitam, mores, mentémque benignam,
Devotúmque Deo semper cor omnibus horis,
Legibus in sacris meditans noctésque diésque.
IV. Ecce Deo carus Præsul jam tempore quodam
Tentabat per se quoddam confringere fanum.
Hoc cernens idŏli [a] custos, succensus in ira,
Pontificísque caput gladio percussit acuto.
Sed vir præcipuus nec sensit nec leve vulnus.
Quem voluere sui comites occidere statim:
Hunc tamen eripuit mitis de morte Sacerdos.
Qui luit arreptus miseras mox denuo pœnas,
Postque dies ternas vitam finivit amaram.
Sícque suos Sanctos Christus ulciscitur ultro.
XV. Egit iter quondam venerandus fortè viator,
Qua se per segetes propior jam semita duxit
Cum sociis etiam, tenuit quas dives avarus.
Cui segetum custos callem prohibere volebat,
Plurima conclamans Sancto convicia verbis,
Necnon augebat factis opprobria diris.

* id est Monasteria

[a] Duplex peccatum uno verbo hîc peccat Alcuinus. nam duæ syllabæ priores vocis εἴδωλον produci debent. Quamquam Prudentius correptâ secundâ dixit īdŏla, uti & Vvalafridus Strabus in carmine de Hilduino Archicapellano. Huc spectat observatio Josephi Scaligeri in lib. 2 Ausonii cap. 21. *Habebant*, inquit, *peculiare Latini Poëtæ, ut non solùm Græcas declinationes in Græcis negligerent, sed & quantitatem ita everterent, ut accentu illam tantùm metirentur*. Sit ergo id semel in his versibus notatum. Aliàs sane plura castigatione digna occurrunt, si omnia velis ad severioris prosodiæ leges revocare. Denique quòd cap. 31 *Ecclésiam* secundâ correptâ dicit, id facit quod ceteri Poëtæ mediæ latinitatis. at quòd cap. 27 primam breviat in *ĕgroti*: id etiam Abbo post eum commisit non semel in libro 2 de obsidione Parisiaca.

Qui divertit iter, quà se via publica monstrat. ANN. CHR. DCC XXXIX. NOV. VII.
Mox perit infelix elusor luce secunda,
Tam quia non timuit servo maledicere Christi.
Dum divina pius cælestis semina vitæ XVI.
Spargere per multas properaverat accola terras,
Pervenit quæ nil steriles nisi gignit arenas,
Infecunda soli species prope litora ponti,
Quâ nec dulcis aquæ inventa est sitientibus unda.
Vir cupiens sanctus sociis succurrere fessis,
Jusserat ut facerent intra tentoria fossam.
Quo facto, Præsul solum se clauserat intus,
Et genibus fixis lacrymas fundebat amaras
Ante Deum, dulcem quo mox meruêre sed undam.
Produxit subitò fontem priùs arida tellus,
De quo potabant socii, secúmque ferebant,
Indiguit quantum steriles via cœpta per agros.
Occurrêre Dei famulo ter fortè quaterni XVII.
Panniculis miseri vestiti & panis egeni.
Quos pius ut vidit, motus pietate Sacerdos;
Ferte meam, dixit, flasconem, ferte, ministri,
Et miscete viris illam. benedictio Christi
Sufficere in totos faciat largissima credo.
Turba bibebat ovans quantum sibi quisque volebat,
Flasco tamen fuerat meliori plena falerno.
Venerat ad quamdam Cellam venerabilis hospes. XVIII.
Omnibus Ecclesiæ rebus jam rite peractis,
Fratribus & solito mandata more salute,
Omnia perspiciens sacræ sedilia cellæ.
Ingrediens etiam sociis cellaria paucis,
In qua sola parum vini vix tunna tenebat,
Quam Christi famulus baculo benedixit honesto,
Quem manibus semper Sanctus portare solebat.
Nocte sequente merum, sed mox (mirabile dictu!)
Solus in æde manens servator crescere vidit,
Donec mellifluo completa est nectare tunna.
Hoc lætus retulit venerando Patre silenter.
Cui pius Antistes dederat præcepta tacendi
Usque diem mortis, nolens sibi quærere laudem.
Vir fuit in populo largus pro gentibus hospes, XIX.
Sæpius hospitium cujus intrare solebat
Egregius Præsul, partes dum venit in illas.
Ecce die quadam veniens, nil præscius ejus
Vir fuit adventûs. quapropter pocula vini
Non habuit caro veniente repentè magistro.
Hoc Pater agnoscens, jussit sibi ferre quaternas
Per loca quas pueri secum portare solebant
Flascones pariter modicas, benedixit & inquit:
Nunc miscete quidem nobis, benedictio Christi
Augebit vinum, credo, pietate benigna.
Sic fuit & factum, jam bis simul ecce viceni
Namque fuêre viri convivæ vina bibentes.
Sufficit his Christi per donum potio cunctis.

ANN. CHR. DCCXXXIX. Nov. VII.

XX. Lassus iter Domini famulus faciebat amatum,
Imbribus æthereis cupiens sata lata rigare.
Prata pius Præsul cujusdam divitis intrat,
Cum sociis modicum lassis requiescere tempus.
Cædere cœpit equos virgis & abigere pratis.
Quem pius alloquitur blando sermone Sacerdos:
Desine, quæso, tuis nos nunc depellere pratis,
Sed magis ad nostras epulas conviva venito,
Et bibe nobiscum, simus quoque semper amici.
Respondit dives furiosa mente superbus:
Nolo tuas epulas, tecum potare recuso.
Mox rapuit Præsul verbum de voce loquentis:
Si potare negas mecum modò, non bibe, quæso.
His dictis Domini famulus perrexerat ultro,
Atque domum dives propriam repedavit iniquus.
Quem sitis inflammat nimio fervore repentè,
Qui miscere furens famulos sibi vina rogabat,
Accipiens calicem, sed nil sorbere valebat.
Ardebat sitiens stomachus, sed pocula Bacchi
Respuit, & totus flammis ardebat anhelis.
Nec valuit quisquam medicus relevare laborem,
Donec ipse miser culpam cognovit iniquam,
Atque Dei famuli ex dicto tormenta luisset.
Optabat reditum quapropter Præsulis almi.
Venerat ipse senex, alter dum venerat annus.
Cui miser occurrit, pœnam confessus amaram,
Cui pius indulsit quidquid commiserat in se,
Atque manu propria potum porrexerat ipse.
Qui mox sanatus, fastidia longa relinquens,
Accipiens calicem pleno se proluit ore.

XXI. Est antiqua, potens, muris & turribus ampla
Urbs Treveris, necnon sacris circumdata Cellis,
In quibus unatim populorum turba piorum
Laudibus invigilant Domini noctúque diéque.
Has inter fuerat sacrarum Cella Sororum,
Quas subitò nimiùm quassavit pestis acerba,
Ex vita hac rapuit per quam mors ultima multas,
Semineces quædam longo jacuêre dolore.
Terror mortis erat nimius sed & omnibus idem.
Spes fuit in famulo Christi, vocatus & ille
Cum lacrymis citiùs fessis succurrere rebus.
At pius ille Pater complevit vota Sororum
Adveniens, illas jam nec spes alma fefellit:
Sed precibus Sancti mox pestis acerba recessit,
Et Domino laudem reddunt pro sospite vita.

XXII. Tecta domûs patris cujusdam tempore multo
Sæpius incursu vexantur dæmonis atri,
Spiritus & variis dirus terroribus illam
Torquebat, vano nec jam phantasmate tantùm,
Sed nocuit multùm manifestis publicè gestis,
Multoties manibus raptas vestésque, cibósque
Injiciens flammis, infantem nocte jacentem

Ample-

Amplexus inter tulerat vis dira parentum, ANN. CHR. DCC XXXIX. NOV. VII.
Visus in ardentem plorantem mittere pyram,
Sed vix ereptus manibus de morte suorum.
Hanc pestem nullus potuit sanare Sacerdos,
Donec ipse Dei famulus à patre rogatus,
Hanc precibus pestem sanctis purgavit, & illi
Nomine sub Christi benedictam miserat undam.
Præscius & rerum Præsul prædixerat illi,
Quòd domus illa vetus flammis ab hoste fuisset
Consumenda priùs: ne te, rogo, terreat ignis,
Construis optatæ meliùs tibi tecta salutis;
Quæ munire citò benedicto fonte memento.
Pòst donante Deo serpentis peste carebis,
Et tua tota domus tecum gaudebit amata.
Omnia mox Patris complentur in ordine dicta,
Exhinc nulla domum tetigit tentatio talis,
Sed bene securus mansit habitator in illa.
Iste Dei Sanctus prædixerat antè futura, XXIII.
Quæ pòst eventus rerum modò vera probabat.
Namque Ducis KARLI PIPPINUM nomine natum,
Ut pater optavit, sacro Baptismate tinxit,
De quo discipulis prædixit talia vates:
Omnibus iste aliis fuerit sublimior infans
Francorum Ducibus, quos sæcula longa tulerunt.
Hic reget imperium felix feliciter istud,
Dilatans fines magnis hinc inde triumphis.
Non opus est nostris illud monstrare camœnis,
Quod toto veris celebratur in orbe loquelis.
Vir fuit iste Dei, patiens, moderatus, honestus; XXIV.
Moribus egregius, & in omni strenuus actu;
Corde pius, humili mitis, rigidúsque superbo;
Solator miseris, & inops sibi, dives egenis.
Qui postquam vitæ meritis perfectus in annis
Bis octena pius complevit lustra Sacerdos
Ter quater & menses, mensis jam jámque Novembris.
Idibus octenis cæli migravit ad aulam,
Cœtibus angelicis junctus, cælestibus hymnis
Conlaudans Christum semper sine fine beatus.
Quem Fratres studio curarunt condere sancto XXV.
Psalmodiis, hymnis, magno cum laudis honore.
Sarcophagum brevius fuerat sed corpore Patris,
In quo tunc Fratres studuerunt condere corpus.
Effecti nimiùm tristes (mirabile dictu!)
Ecce repentè lapis se protelare locelli
Cœpit, & ad formam se aptavit corporis almi.
Inter & exsequias miri fragrantia odoris XXVI.
Ambrosio Ecclesiam perfundit nectare totam,
Perspicuè angelicam monstrans venisse catervam,
Ad Patris officium lætis concentibus almi.
Iste Pater sanctus, Pastor, Patriarcha, Sacerdos XXVII.
In propria pausat felix Afternaco Cella,
In laudem Domini quam jam construxerat ipse,

ANN. CHR. DCC XXXIX. Nov. VII.

Hæc ubi pensabat prædictus corde Sacerdos,
Conjicit ex rebus visa superna novis.
Respondit tandem mulieri talia vates,
Inspirante Deo famine veridico:
Tu, mulier, lunam vidisti crescere parvam,
Et tota impleri cornua luce nova.
Illa nocte viro forsan commixta fuisti,
Quæ generas toto lumen in orbe novum.
Parvulus ex utero, mulier, tibi nascitur infans,
Qui meritis magnus crescit honorificis.
Iste erit eximius Doctor Præsulque futurus,
Splendescet nostro lucifer orbe novus.
Et quos cæca priùs populos caligo tenebat,
Irradiat summi luce poli supera.
Omnia vatidici complentur in ordine dicta,
Et rerum eventus somnia vera probat.
Nascitur atque puer matri, & Baptismate loto
Imposuit WILBRORD nomen habere pater.
Cujus vita, fides, mores, doctrina, camœnis
Olim quippe fuit prætitulatus eis.
Mox pater egregius linquens mala gaudia mundi,
Et servire Deo mente manu cupiens:
Cælestem rapiens tota dulcedine vitam,
Et se Cœnobio tradidit ipse sacro.
Fratribus adjunctus vixit sine crimine Frater,
Jam patiens, humilis, promtus in omne bonum.
Post hæc mente sacer famulus majora secutus,
Theoricam cupiens solus adire viam:
Incipit undisoni inter promontoria ponti,
Qua loca reperiens congrua corde suo:
In quibus ætherios possit decerpere flores,
Et mundi curis liber abesse malis.
Totius hic solus transegit tempora vitæ,
Nocte die magnis proficiens meritis.
Plurima perpessus serpentis bella nefandi,
Qui solet in Sanctos arma movere sua.
Sed Deus omnipotens Sanctos qui jure triumphat,
Concessit famulo clara tropæa suo:
Efficit & quædam miserantis gratia Christi
Per famulum verè signa stupenda suum.
Nec decuit modio abscondi tam clara lucerna,
Nec talamos subter subjicienda fuit.
Sed ponenda magis super vestigia tecti,
Spargeret ut lucem altiùs illa piam.
Quæ tamen haud libuit currenti tangere plectro,
Inclyta vel musis signa aperire meis.
Sufficit hoc tantùm vitam cognoscere patris,
Quæ placet Altithrono semper ubique magis.
Vita Dei famuli multis exempla salutis
Præbuit, & testis pectoris omnis erat.
Huic famulo Christi Reges famulantur, & illum
Per patriam populus totus amore colit.

ANN. CHR. DCC XXXIX. Nov. VII.

Vir fuit iste Dei, patiens, moderatus, honestus,
Moribus egregius, mitis & ore pius.
Plurima qui postquam perfecto dona labore
Commeruit, Christo perficiente sibi:
Mox meritis, annis, tota & pietate repletus,
Tranquilla tandem in pace quievit ovans.
Spiritus ætheriam lætus migravit ad aulam,
Gaudia cum Sanctis jam sine fine tenens.
Corpus in Ecclesia curârunt condere Fratres,
Quæ constructa maris stat propè litoribus:
Atque sacrata Dei Genitrix clarissima Christi
Nomine fulgescit virgo MARIA tuo.
In quo te nostris bene credimus esse futuram
Auxilio precibus, semper honore potens.
Tu mundi vitam, totis tu gaudia sæclis,
Tu Regem cæli, tu Dominum atque Deum
Ventris in hospitio genuisti virgo perennis:
Tu nobis precibus auxiliare tuis.
Carmiger * indoctus cecinit hos ALCHUINE * versus,
Cui rogo quisque legas, dic: Miserere Deus.

* al. Armiger
* al. Alcone

Explicit liber 2 Alcuini sophistæ, de vita B. Vuillibrordi Episcopi.

APPENDIX

De S. Willibrordi Monasterio, cultu, & translatione.

1. VVILLIBRORDUS *quem locum vivens factis decoravit, eumdem mortuus sepulturâ & miraculis suis illustravit.* Esternacense * *dico Monasterium, aliis* Alternacense, *sequioribus* Epternacense *dictum: cujus ipse auctor & ornamentum fuit. Est autem Esternacum insigne Ordinis S. Benedicti Cœnobium, opido nobilitatum, haud procul ab urbe Augusta Trevirorum, ad flumen Suram* * *in villa quondam regia pagi Bedensis situm, in hodierno Ducatu Luxemburgensi: cujus Cœnobii historiam Johannes Bertelius ejusdem loci Abbas brevi compendio exaravit. Theofridus Abbas itidem Esternacensis in libro de vita S. Vuillibrordi de istius Monasterii primordiis agit in hunc modum.* Dux excellentissimæ generositatis PIPPINUS cum BLITRUDE contorali sua æquè generosis orta natalibus, tertio Idus Maii, anno duodecimo Childeberti gloriosissimi Regis, dedit beato Willibrordo Epternacensis fisci medietatem integram, à Theodardo egregii Ducis Theotharii filio sibi traditam. IRMINA verò Dagoberti Regis (*nimirum secundi, ut putant*) filia, hereditario jure possessam cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis cum villa montis sitam in pago Tulbiacensi * in Kalendis Decembris addidit partem alteram. Idem munificus Princeps sub chirographi conscriptione anno IV Regis Dagoberti, VI Nonas Martii tradidit illi villam in pago Mosariorum sitam, & à præterfluentis fluvii nomine Sueftram nuncupatam, & egregiæ Blitrudis sagaci industria ab ingenuis viris pecuniæ impendiis comparatam. Et quia utriusque loci situs tam sapienti architecto visus est amœnus, & cœnobialis vitæ studiis apprime aptus & dignus; in utroque jactis fundamentis exædificavit Cœnobium, & in montibus Israël, in pascuis uberrimis pascendum aggregavit gregem dominicum. *Monasterium Suestrense conversum est in nobilium Canonicarum collegium, ut superiùs observatum in Vita prosaïca caput 14. Abbatia verò Esternacensis, postquam ab anno* DCCC LVI *ad annum fere* MLX *Canonicos passa est, in pristinum Ordinis monastici statum per Sigfridum & Ravengerium reformata hactenus perseverat, eique adjuncta parochialis sanctorum Petri & Pauli Ecclesia, quam Vuillibrordus ipse consecrasse dicitur. Eo in Cœnobio vixere sancti* ADALBERTUS *Egmundæ patronus, &* WILLEHADUS *Bremensis Episcopus, quorum gesta hoc in Saculo referemus.*

* Esternach
* Soure
* de Zulpich *diœc. Coloniensis*

2. *Istic sepulturæ locum elegit Vuillibrordus, facto in id testamento* anno VI Theoderici Regis: *cujus testamenti excerptum, nescio an genuinum, refert Miræus in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 15 his aliisque verbis.* Ego in Dei nomine Clemens Willibrordus Episco-

ANN. CHR. DCC XXXIX. NOV. VII.

pus dono ad Monasterium Epternacum, quod est constructum super fluvio Sura in pago Bedensi in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, & sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, & sancti Johannis Baptistæ vel ceterorum Sanctorum, ubi ego ipse Clemens Willibrordus custos vel gubernator præesse videor, & si Deo placet, corpus meum ibidem requiescere debet, *&c. Ibi S. Vvillibrordi corpus in hunc usque diem adservatur, & præcipua religione à circumpositis incolis honoratur, eò à viginti aut triginta miliaribus, ut Bertelius testatur, devotionis ergo confluentibus, maximè in feriis Pentecostes. Johannes Iperius in Chronico Bertiniano cap. 43 parte 7 meminit parochialis Ecclesia S. Vvillibrordi apud Gravelingas in Flandria. Idem Sanctus colitur etiam præcipuè in Fositeslandia, & pridem in Vvalacria insula ex dictis. Brovverus in Annal. Trevirens. lib. 7 ait, in æde Martyrum, quæ sub mœnibus ferè Trevirorum ad Mosellæ ripam nunc à Benedictinis incolitur, haberi altare, quod Vvillibrordus in honore Domini Salvatoris consecravit, supra quod in itinere Missarum oblationes Deo offerre consueverat. Embricæ verò in Clivia, in Basilica S. Martini ostendi capsam Reliquiarum, quas S. Vvillibrordus à Papa Sergio accepit. In hac verò capsa corpus Domini nostri à Vvillibrordo consecratum adservari sub cruciculâ, quæ insistit loculamento, cui hostia sacra imponi solet.*


3. *Ad hæc etiam colitur S. Vvillibrordi translatio* XIV *Kalend. Novemb. cujus historiam ita describit Theofridus Abbas Esternacensis.* Anno progeniti verbi M XXXI, à transitu ejusdem gloriosi Patris CCXCII, Oratorii caduci fabricâ instauratâ, HUMBERTO Abbati totique congregationi sedit sententia, ut XIV Kalendas Novembris, invitato præclaro POPPONE sanctæ Trevericæ sedis Archipræsule, & defensore HENRICO glorioso Duce Bajoariæ, inter dedicationis sollemnia ejus ossa transferrentur in locum, ubi hodie cum reverentia & honore debito recondita visuntur. Delecti sunt ad tam pretiosum inquirendum & effodiendum thesaurum Cœnobitæ celebres & in sanctæ conversationis proposito nobiles. qui dum obseratis Ecclesiæ janiis pavimentum conarentur infringere, unus ex eis THIETMARUS nomine, oblitus nocturno se delusum phantasmate, bipennem libraturus, brachia quasi divinitus colligata sensit. Quare attonitus & anxius animo, ab HUBERTO Præposito in secretioris loci adytum deductus, monitúsque paternè ut puræ confessionis se gemitibus expurgaret, si cujus criminis sibi conscius esset. Ille verò hæsitans cùm nihil ab se novi admissum invenisset, jussus est ad lavatorium divertere, & sarabara * sua diligenter inspicere. Quod cùm fecisset, & polluta vestimenta deprehendisset, subeunte animum pœnitentia sacro labori se reddidit. Egesta autem humo & effractis duabus cryptis, in tertia sacratissimum repererunt sarcophagum & sericum desuper pallium, quod (mirum dictu!) per tot sæcula non modò incorruptum, verùm etiam pulcrum & integerrimum usque in id temporis ad Basilicæ Dei suspenditur ornatum, incorruptæ vitæ ac meritorum tanti Pontificis evidens testimonium. Accessit inde Humbertus Abbas pro Reliquiis distribuendis *: & elevato paullisper operculo videre meruit dilectissimum dominum suum jacentem illæsâ cucullâ & cilicio, & pæne toto corpore integro, tantisque fragrante odoribus, ac si delibutum esset unguentis omnibus, & atomatâ de carne mortua ebullirent pro vermibus. Idem inseruit manum, nec sine summa formidine unam quoque de costis sancti viri extraxit. Cùmque omni diligentia obserato & elevato sarcophago sacræ celebrarentur excubiæ, quidam ex Cœnobitis FRITHELO nomine, qui nobili ortus prosapia, deposito cingulo terrenæ militiæ, oblatis ante se duobus filiis indolis egregiæ, suavi se jugo subdidit servitutis dominicæ, supervenit tota debilitatus membrorum compagine, utpote intestinis ejus prolapsis & dependentibus in secessus confinio & margine; intimæ orationis prostratus obtulit hostiam, & exsurgens nescius impegit in tumbam: & absque ulla mora ex collisione salurifera visceribus in sedem revocatis pristinam sanitatem adeptus est. *Hæc Theofridus, qui de eodem Frithelone agens lib. 4 carminum, quibus S. Vvillibrordi vitam complexus est,*

id est vestimenta

*f. detegendis.

Clarus militiâ dum militis induit arma
Sed vexilla ferens cùm sterneret acriùs hostes,
Lapsus equo jacuit, prolapsáque viscera luxit.

Ad hæc tempora, inquit Brovverus, ex cujus libro 11 ista decerpsi, revocanda sunt quæ de altero FRITHELONE *Esternacensis Monasterii Advocato Theofridus scripsit. Is Bedensi pago latè rerum potitus, cùm S. Vvillibrordi fortunas per se suósque fœdè divexasset, ausus denique est Namurcensem Comitem Adelbertum bello lacessere. Sed prima congressione fusus, fugâ se proripuit suorum maximo detrimento. Inde Bedensis pagus direptus, Frithelo à gregario milite confossus. Bertramus gener ejus & ipse in Sanctum injurius miseram vitam exegit. A Vvillibrordo ad ejus socium ac discipulum Adalbertum veniamus.*



DE S. ADALBERTO DIACONO, B. WILLIBRORDI SOCIO, Egmundæ Patrono.

CIRCA AN. DCC XL. JUNII XXV.

1. Ujus *sancti* ADALBERTI *Vitam aut potiùs elogium locis fere communibus instructum edidit anonymus quidam Monachus Medelocensis rogatu* EGBERTI *Trevirorum Antistitis, qui isti Ecclesiæ præfuit ab anno* DCCCC LXXVIII *ad* XCIII. *Anonymi scriptionem mutato stilo contractóque edidit Surius; integram ac genuinam accepimus ex ms. codice Carthusiæ Coloniensis operâ & beneficio nostrorum, qui ad S. Pantaleonis degunt, sodalium & amicorum Bernardi Moërsii Theologiæ Professoris, & Antonii Erkelensii. Eam tamen ne demus integram, retrahit locorum ejusmodi communium tædiosa & otiosa commemoratio, aut certè rerum aliunde notarum repetitio. Ne tamen lectorem omnino jejunum dimittamus, en index capitulorum, qualis in exemplari ms. reperitur.* Vitæ cur omissa.

I. Quomodo S. Egbertus Northumbrorum Episcopus Dei respectu patriam deserens in Hiberniam migraverit, illóque S. Adalbertus eum secutus fuit cum plurimis.

II. Quomodo S. Egbertus ad lucrandos Germaniæ populos ire cælitus sit inhibitus, & pro se sanctos Willibrordum & Adalbertum destinavit.

III. Quomodo S. Willibrordus cum sociis ad Frisiam à Pippino sit directus.

IV. Quomodo S. Adalbertus omnium perfectioni virtutum studuerit.

V. Quomodo S. Adalbertus Eggoni promisit se tunc à patria reversurum, cùm pomi grana ab igne revirescerent.

VI. Quomodo in reversione S. Adalberti combusta pomi grana fructificaverint.

VII. Quomodo consummatus in virtutibus Adalbertus ex hac vita migraverit.

VIII. De eo quòd Oratorium S. Adalberti à servis Dei numquam sit derelictum.

IX. Quomodo mulier Escwar per S. Adalberti merita partum invenit.

X. De eo quòd in sancti viri Oratorio brevior primò trabes, longior ceteris pòst eminebat.

XI. Quomodo rusticus ex caseo furato punitus sit & liberatus.

Ab hoc capite Surius reliqua contraxit in compendium, quæ Auctoris verbis reddere statuimus, utpote quæ historicis rebus nonnihil conducunt, parúmque abfuerunt ab Auctoris ætate. Priora qui volet, adeat Surium ad diem 25 Junii. Legendus etiam Johannes Gerbrandus à Leidis in Chronici Belgici libro 2 capite 41, ubi agit de sancto Adalberto, quem Athalbertum *vocat. Is mihi videtur* ALDBERCHT Diaconus, *cujus mentio in Trecea cujusdam epistola ad Lullum Episcopum Maguntinum, quæ epistola inter Bonifacianas est ordine 79, in hæc verba.* Ego quoque minimus Ecclesiæ servus supplici per Dominum deprecatione rogito, ut me cum mea familia, Domino Deo cuncta dispensante ac rite regente, inter ceteros fideles vestros amicos in commune benigne suscipiatis, qui proprio dicor nomine Aldbercht Diaconatûs officio fungens licèt indignus: ut sancti gradûs ministerium olim acceptum vestris saluberrimis intercessionibus meliorando de die in diem proficiam. *Non adsentior Nicolao Serario, qui* Aldberchtum *hunc eumdem putat cum* Trecea *epistolæ auctore. Porro si Adalbertus noster idem est cum isto, Bonifacio Lulli decessori supervixit. Eum in Esternacensi Cœnobio Monachum vixisse aiunt.*

CAPUT XII. *Qualiter arenosæ congestionis mons ab Oratorio ejus sit dimotus.*

ALIO quoque tempore res miranda satis evenit. Ex marinæ siquidem tempestatis eruptione continua, sicut his cognitum est qui maris vel viderunt vel inhabitant contigua, plurima litoris arenarum subvehitur copia: quæ perurgente vi ventorum tantis cumulatur acervis, ut montibus videatur altissimis coæquari. Hujuscemodi denique

CIRCA AN. DCCXL. JUNII XXV.

perfusio nimis proxima, sancti viri quodam tempore consedit Oratorio. Quò dum fortè RORICUS barbarorum Rex appulisset, cunctis sibimet obsequentibus indixit, ut ocius ab ædificio sacro montem arenosum dimoverent. Quod cùm mane sequenti fuisset universis implere placitum; invenerunt præfatum arenæ montem per sanctissimi Adalberti merita, quantum jactus lapidis emitti potest, longiùs esse secretum, clarescente supernæ bonitatis affluentia, quæ quantum apud se dilectus suus valeat, etiam vitæ incredulo manifesta præbuit indicia.

XIII. *Quomodo S. Adalbertus cuidam feminæ Deo sacratæ in somnis apparuit, ut ejus corpus de tumulo levaretur monuit.*

APPARUIT amabilis Christi confessor Adalbertus in somnis cuidam Sanctimoniali WILFSIT [a] nomen habenti, denuntians ut pretiosissima sui corporis ossa, quæ more ceterorum profundiùs sub humo recondita tenebant, eminentiùs elevata cunctis in conspectu locarent; scilicet ad devotionem Fidelium efficaciùs incitandam & meritorum ejus interventionem præsentialiùs obtinendam. Et ne fidem quivis forsitan ambiguitatis offendisset scrupulus, trinis feminam præfatam dignatus est certificare visionibus. Quæ ne stringeretur inobedientiæ reatu, THEODORICO primo Comiti, qui locum eumdem, sicuti nunc posteri ejus retinent, proprietatis jure possidebat, haud segnis intimatrix per somnum sibi revelata suggerere properabat. Ille verò, sicuti semper in illis quæ Religionis sunt promtus & officiosus exstitit operator, ita in exsequendis his quæ Sanctimonialis retulerat velox fuit exsecutor. Paratis ergo quæcumque fuerant tali operi congrua, sanctæ levari fecit pignora.

XIV. *Quomodo salubris fons sub sarcophago viri Dei repertus fuerit, & quòd miracula in sancti corporis deportatione claruerint.*

TUNC subtus sarcophagum repertus est fons mira limpiditate perspicuus, qui usque in hodiernum diem ad recuperandam sanitatem inclusa spe multis exstat idoneus. Apertóque locello, pallium quo Sancti corpus velabatur, ut requiescentis vivacitas apprehenderetur, ab omni corruptione putredinis immune conspiciebat.

XV. *Quomodo Theodoricus Comes ligneum construxit Oratorium, & illuc sanctum deduci fecit thesaurum.*

PRÆDICTUS verò Comes in loco, qui *Hallen* nuncupatur, ex ligni materia construxit Oratorium: constitutáque die qua Fidelium unanimis devotio convenire potuisset, illuc sanctum deduci fecit thesaurum. In quo venerabili deportationis officio quot sanitatis impotes reformarentur, non parvo colligi potest numero. præcipuè denique cæcis redditum lucis decus alludebat: & quoscumque gressus debilitas enervabat, redigesta

a *Vulsit* appellat Johannes Gerbrandus in Chronici lib. 6 cap. 14. qui cap. 13 *de fundatione Monasterii lignei Sanctimonialium in Egmunda* hæc habet: *Cùm autem præclarissimus* THEODORICUS *Comes Hollandiæ jam in provecta ætate multis virtutibus fulgeret; ex magno devotionis affectu ligneum construxit in Egmunda Monasterium, qui locus antiquitus dicebatur Hallem.. in quo quidem Monasterio idem Comes Sanctimoniales Ordinis S. Benedicti primitus instituit, quibus de suis facultatibus vitæ munera copiosè tradidit.* Theodoricus iste æqualis erat Caroli Francorum Regis cognomento Simplicis.

membro-

membrorum compages erigebat. O divinæ pietatis fontem, inæstimabilibus miserationum vivis semper inundantem! En Confessor sanctissimus, cujus anima vera beatitudinis securitate nullius indiga fuit, ut relicti corporis artus erigantur altiùs, loculis honorent nitidioribus, adhortari videtur. Num in cælesti conspicuitate posito nec inest delectabilitas, cui carnaliter versanti cuncta terræ viluit speciositas? Procul absit à piis mentibus hæc crudelitas. Sed qui in hac constitutus peregrinatione caritatis viscera numquam dehabuit; jam manens in patria compassionis & misericordiæ reminisci non desinit. Vult ergo reliquias sui sancti corporis manifestiùs tractari, ut respicientium corda compunctionis accensa stimulo faciliùs ad impetrandam Divinitatis opem mereantur aptari. Vult magnificentiori frequentia celebrari, ut magis ac magis in memoria futuræ gloriæ bonorum desideria valeant dilatari. Nunc sequentia videamus.

CIRCA AN. DCCXL. JUNII XXV.

XVI. *Quomodo Sigifridus sit punitus, & post pænitentiam liberatus.*

CERTATIM autem laborantibus in præfati constructione Oratorii, Sigifridus quidam nomine fervorem sociorum imitari dedignatus, omni membrorum mobilitate & officio est destitutus. Qui postquam salubri pænitentia motus in cognitionem sui pervenit, recepto sine mora vigore, totius corporis contractione caruit.

XVII. *Quàm mirabili studio Comes Theodericus à fluvii periculo sit liberatus.*

ACCIDIT quoque brumali tempore dum cuncta fuissent aspero frigore constricta, supra nominatum Comitem Theodericum vehiculo residentem trahi super cujusdam profundissimi lacus terga glaciali rigore contecta. Verùm sicut hujuscemodi sæpe constat periculosa meatio jam fere media contingentibus, dum glaciei tenuitas non æquipararet ponderis impressionem, letiferam sui minitabatur rupta voraginem. Unde cunctis tremore fugatis, Comes relictus est solus. Qui cùm humanum penitus deesse videret auxilium, ad expertum crebriùs B. Adalberti totis suspiriis confugit patrocinium, per cujus interventum celerem meruit impetrationis obtentum. Nam, quod mirum est dictu, ubi fundus vix credibilis habetur, summotenus pendentem lympha sorbere non valuit: cinguli tantùm usque finitima lambere præsumsit. Sic nempe tam ipse liberatus exivit periculum, quàm cuncta quæ vehiculo imposita ferebantur sunt liberata.

XVIII. *Quomodo junior* THEODORICUS *construxit lapideam basilicam, removens Sanctimonialium vitam, & instituens monachicam.*

NEC sunt memoriæ subtrahenda, quæ temporibus THEODORICI junioris, prædicti videlicet Comitis filii, nos ipsi vidimus declarata miracula. Is enim paternæ devotionis ferventissimus æmulator, in honore sancti Confessoris Christi Adalberti lapideam basilicam non sine magna construxit difficultate. quippe cùm tellus hæc arenosa tenuis exilitate, nimiùm sit egena lapidum & calcis opportunitate. Pignus quoque sancti corporis inclusum sarcophago eleganti fabricæ decoravit artificio: & ne quid ei in præmio futuræ beatitudinis deesset perfectæ remunerationis, cultores monasticæ observantiæ inibi Deo vacare constituit: quibus etiam ad quotidianum victum de reditibus suis sufficientiam præbuit. Nam patris

Circa An. DCCXL. Junii XXV. ejus institutione Sanctimonialium priùs ibi vita florebat: sed ob imminentem sæpius Fresonicæ feritatis molestiam, ad observantiam propositi sui facultas eis minimè suppeditabat.

XIX. *Quomodo Theodorici junioris filius* Egbertus *nomine, Trevirensis post Archiepiscopus, febrem per B. Adalberti merita effugit.*

Hic itaque tam eximiæ liberalitatis Comes genuit filium Egbertum nomine, quem divini timoris intuitu Clericatûs fecit delegari sorte. Qui dum jam in adulta ætate Subdiaconatûs ministerio fungeretur, quodam anno sequente die Palmarum valida vi febrium est invasus: cujus acerbitate usque ad festivitatem sancti viri, quæ est septimo Kalendas Julii, graviter est vexatus. Cùm verò sacræ festivitati fiduciâ meritorum piissimi Confessoris cum ceteris interesse decerneret; ita penitus ab omni adversa valetudine est absolutus, quasi numquam ab ea fuisset pulsatus: & lætus ob tantæ pestis evasionem, ad Missarum sollemnia ministerii sui obsecutus est devotionem. Hic denique est Egbertus, qui pòst Archipræsulatûs à Deo sortitus infulam, tam vivacissimo religionis ardore, quàm moderatissimæ libramine discretionis Trevirensem rexit Ecclesiam.

XX. *De restitutione visûs* Erlindæ.

Fuit eidem Comiti filia carissima nomine Erlinda, quæ diu unius oculi est usu frustrata. Sed quomodo tantum Confessorem non sentiret sibi placabilem, quem patris sui sedulitas tot munificentiis fecit debitorem? Recepit ergo visum, plus gaudens ex restitutionis beneficio, quàm si numquam naturali careret officio.

XXI. *De Vvolmari Presbyteri illuminatione.*

Fuit item de gente Anglorum Presbyter quidam nomine Wolmarus, qui per viginti annorum revolutionem nullam potuit penitus habere visûs hilaritatem. Unde multis Sanctorum locis peragratis, Romam quoque pervenit, ut ademtæ lucis receptu potiretur. Verùm superna pietas, quæ per apostolicum meritum crebris & multifariis est modis patefacta, hujus viri sanitatem ad declaranda sancti Adalberti distulit patrocinia. Nempe dum Romana reverteretur ab urbe, attrahente fama curationis multorum, Egmundam studuit adire: veniénsque saluberrimi fontis ad locum, quem suprà memoravimus sub sancti corporis locello repertum; postquam oculos suos trino liquoris lavacro refovit, serenissimo lumine donatus abscessit.

XXII. *De plurima languidorum reformatione, & quòd adversus dæmones maximam vim beati viri merita habent.*

Moderno quoque tempore plurimi cæcorum, claudorum, aliísque ægritudinum varietatibus debilitati, per efficacissima S. Adalberti merita ad integram vegetationem sunt reformati. quorum nomina sive numerum colligere supersedimus, ne per verbosam stili vagationem legentibus forsitan quamlibet ingeramus fastiditatem. Sed hoc certissimæ fidei commendandum, quòd cùm locus hic sit fecundus incomparabili languentium medicatione, præcipuè tamen gaudeat dæmoniacorum libera-

tione. Nam quisque huc venerit hujuscemodi captivatus amentia, integerrimæ redemtionis gloriabitur obtinentiâ. Nam cur non declinent dæmones potentiam Confessoris cum Christo triumphantis, cujus ineluctabile certamen experti sunt in carne militantis?

XXIII. *De* Ruoschini *Comitis filio curato.*

Exstitit etiam Comes urbanus quidam, Ruosckin habens vocabulum: cujus mansionis haud procul à beati viri Monasterio constabat habitaculum. Hic divino præmonitus instinctu, filium suum illuc divinis obsequiis mancipandum atque regularibus institutis devoverat imbuendum. Postea verò dum tam supernæ adspirationis immemor, quàm propriæ sponsionis exstitit prævaricator; puer in immensam decidens invaletudinem, à cunctis irremediabilis habebatur, donec ad altare sancti viri regulari oblatione traditus absolveretur: evidenter insinuans, paternæ defraudationis perfidiam languoris sui fuisse causam. Felix nimirum, cujus momentanea ægritudo tam paternæ temeritatis correctio, quàm sempiternæ suæ salutis fiebat occasio.

XXIV. *De infante curato qui sugere non potuit.*

Mulierem quamdam non longè ab eximii patris Cœnobio degentem puerum parere contigit, qui per viginti dies alimentum lactis penitus abhorrens, ubera materna contemtui habuit. Mirabile forsitan & incredibile habeatur, si non latè veridicorum relatione testium comprobatur. Parentes ergo considerantes humanum consilium tali non esse proficuum periculo, eumdem puerum beati Adalberti offerentes altari, ipsius sanandum commendaverunt patrocinio. Mox autem puer naturali vigoratus robore, ad sugendum cœpit avidiùs gestire. Quis non in hoc mirabilem divinæ dispensationis attendat ordinem? Subtrahitur ergo parvulo huic naturalis affectio nutrimenti, ut & tanti Confessoris in curando patescat excellentia, & eidem parvulo sublimioris propositi provideatur observantia. In hoc perpendi potest divinæ dispositionis proventionem numquam à boni vacare prædestinatione, sed semper in lucrandarum animarum versari provisione.

XXV. *De eo quòd pallium quo Sancti corpus dudum velabatur, post exustionem Oratorii incombustum sit repertum.*

Oratorium quoque celeberrimi Patris minus justâ custodum vigilantiâ conservatum, bis incendii deprædatione est devastatum. Sed qui non dormitans neque dormiens conservat Israël, sic negligentium punivit injuriam, ut meritorum Sancti inibi requiescentis declararet eminentiam. Nam cunctis illic depositis flammarum violentiâ favillatenus crematis, solum pallium quod sacratissimum corpus velare meruit, remansit expers hujus exustionis. Nullus ergo tam stolidæ mentis hebetetur vesaniâ, ut Sancti hujus præjudicare velit potentiæ, quòd adscriptum sibi templum ab igne non servaverit immune. Deus enim qui in Sanctis suis est mirabilis operator, humilium & in præceptis suis ambulantium propitiabilis est exauditor: negligentiâ & pigritiâ marcidis misericordissimæ suæ patientiæ monita ingerit; superbis autem & in perversitatis calle durantibus sententiam justissimæ vindicationis inscribit. Hic denique in combustione rerum

Circa An. DCCXL. Junii XXV. templi hujus incautos expergefecit: in conservatione verò pallii devotis & sancta suffragia quærentibus spem impetrationis providere decrevit.

XXVI. *De quodam fratricida ligato, & per merita S. Adalberti liberato.*

NOSTRIS quoque temporibus ad declaranda sancti viri illustria virtutum insignia divinitus ostensum miraculum edere pergam: ut tanto devotiùs in ejus venerationis debitum Christiani recalescat animus populis, quanto largiflua signorum efficacia crebriùs eum prospexit cælesti glorificari benedictione. Transmarinis namque in partibus quidam infinitâ pollens divitiarum opulentiâ, inflammante sæva rapacitatis cupiditate, nepotum suorum rura, quæ eis hereditario jure ex paterna successione contigerant, injusta pervasione in suos moliebatur redigere usus. Quem cùm tam per affines & amicos quàm consanguinitate propinquos, ut nefandos compesceret conatus, multifariis precarentur oraminibus, dicentes non decere eum aliena concupiscere, utpote qui suis esset sufficiens; ille nihil dignum ratione respondit: sed spretis amicorum adhortationibus, quid malitiæ mente diu tractaverit, sceleratissimi prodit exhibitione operis, & injustè possessa suos jussit exercere colonos. Interim juvenum feroces animi vehementiùs concitabantur in iram: & nefanda quæ tantis lacessiti injuriis cogitare compellebantur, verbis promere pertinaciùs non verebantur. scilicet quælibet se malle subire discrimina, quàm fundis carere paternis. Inde suscitantur iræ, rixæ, dissensiones. adulantur partibus militares manus: postremò sævo exemplo patricidale exoritur bellum, producunt ex utraque parte acies bellatorum. Tunc germani fratres conspirata manu parem acceptis contumeliis vicem rependere promti, patruum suum dira passum vulnera solo prosternunt, mortique (quod nefas est dicere) tradunt. At post spatium temporis nolens Deus perpetuò perire peccantes, immisit eis pænitudinem tanti criminis. Mox sine dilatione Episcopum ad cujus diœcesin pertinebant adeunt, séque peccasse, se reos esse lacrymosis proclamant vocibus: & vulnus admissi facinoris congruo mederi antidoto, toto cordis precabantur oratu, ita ut ferro quo reatum perpetraverant, eos juberet tamdiu constringi, quousque qui solet gratuitâ suâ
Nota. gratiâ dimittere peccata, suo eos judicio decrevisset absolvere. Itaque Pontifex non abnuit, videlicet ne impunito crimine tanto eorum animæ inexstinguibili perpetuæ pœnæ postmodum cruciarentur incendio. Unde cùm boni consilii compotes efficerentur, (nam alter eorum brachium sibi vinxerat facto loro ex gladii capulo; alter verò ipso gladio quasi fascia pectorali se constrinxerat) circuibant plurima Sanctorum loca, ut eorum suffragiis quandoque veniam obtinerent criminum, quorum votis sciebant citissimè annuere Dominum. Tunc pari devotionis studio Nivialense properant ad Cœnobium, ubi mirâ signorum gratiâ sacra effulget virgo GERTRUDIS: ut & ipsi experirentur beneficio, quantum Dei famulæ conveniret honorare meritum. Ubi cùm aliquantisper effuso lacrymarum imbre orationi incumberent, beatæ Virginis ob meritum unus à Domino solutionem vinculi meruit, unde non modico repleti sunt adstantes gaudio. Alius verò dum enixiùs divinum sibi adfore precaretur auxilium, hoc à Domino meruit percipere responsum, ut omni festinatione properaret ad limina sacræ aulæ Levitæ Christi Adalberti: ibique se sciret solvi vinculo, quo suo se obligaverat voto. Cœpit itaque ignotum sibi perquirere locum, angelico dicto in somnis sibi Egmunda nominatum: nec cuiquam palam fecit quid illuc quærere vellet, sed tantùm quòd orationis causâ animi

haberet eum invisere. Et sicut desideria cælitus inspirata divinâ semper ad effectum perducuntur gratiâ; licèt difficili gressu, tamen diu desideratum pervenit ad locum: ibíque perendinatis aliquibus diebus, spe indubitanti præstolatur olim promissæ sibi à Deo solutionis donum. Et dum aliquando, sicut semper consueverat, ad horam divini Officii adsisteret vultui divino imaginis Domini nostri JESU-CHRISTI; subitò illa ferrea sine manibus disrumpitur armilla. ut palam daretur intelligi hæc S. Adalbertum suis promeruisse meritis, quia in suo corpore crucis stigmata portare non erubuit. Mox admiratio crevit populi, hymnidica Monachorum gratulatur caterva: & quia talem meruerunt habere Pastorem, in commune bonorum largitorem collaudant Dominum. CIRCA AN. DCCXL. JUN. XXV.

Hæc de vita & virtutibus opinatissimi Confessoris Christi Adalberti Medelocensis [a] Cœnobii excudêre cucullarii, jubente serenissimo ejusdem Monasterii domino suprà nominato, videlicet summo Præsule EGBERTO; qui rerum honestarum & ad divinum cultum proficientium sollertissimus & indefessus eminet procurator. Cuicumque igitur libellus hic in manus venerit, non hebetis ingenii crassitudinem, non incultæ rusticitatis attendat absonitatem: nec arguat eos temeritatis, qui imbecillitatem virium non trutinarunt ad immensitatem ponderis. quia majori se subjicit periculo, qui inobedientiæ noxam non pertimescit, quàm qui propriæ possibilitatis modum obauditionis intuitu pensare negligit, *&c.*

[a] Medelocense Monasterium Ordinis S. Benedicti, aliis Mediolacense appellatum, in diœcesi Coloniensi hactenus superest, ex quo multi Episcopi ad istius Ecclesiæ regimen adsumti sunt, uti aliàs dicemus.

ALIA MIRACULA MODERNO TEMPORE FACTA, ab Egmondensi Monacho anonymo scripta sæculo XII.

CAPUT I. *De irruptione marina à Monasterio Sancti divinitus prohibita.*

TEMPORIBUS FLORENTII Crassi piissimi octavi Comitis Hollandensis, cujus erga Sanctum Domini ejúsque Congregationem multa devotio prosperos sibi vitæ præsentis successus & spem de futuro bonam obtinuerat; Dominus cui specialiter suppetit cùm voluerit posse, per merita dilecti sui, suæ potentiæ tale dignatus est indicium demonstrare. Palus quædam ex irruptione maris proveniens, cujus adhuc indicia magna supersunt, claustro Egmundensi contigua fuit. quæ plerumque hiemali tempore, tum pluviali tempestate, tum navis impetu convalescens adeo intumuit, ut vix à claustri ambitu coërceri potuerit. Hæc hieme quadam solito ampliùs inundavit, in tantum ut his qui in proxima villa, scilicet *Castriken*, morabantur, non levem jacturam, non facile periculum agrorum invasione & domorum minaretur. Erant autem eo temporis pagi ipsius habitatores tam nobilitate generis, quàm rerum copiâ fortuna sibi arridente præpollentes: quæ utraque res iræ, rixæ, contentionis, insolentiæ, & multorum malorum fomes erat in eis & irritamentum. Tumido ergo spiritu, manu armata, ore ad injurias præparato Egmundam venerunt, aggerem ejusdem aquis oppositum (quod absque claustri læsione & gravi dispendio fieri non poterat) effringere proponentes: ut dum undæ per alios meatus decurrerent, ipsi damni minus sustinerent. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Hæc

CIRCA AN. DCC XL. JUN. XXV. itaque sunt nuntiata Abbati loci ipsius STEPHANO: qui pastoris officium, in quantum decrepitus & jam jussu Imperatoris de præsidio & statione vitæ præsentis migraturus poterat, strenuè satis exercebat. Cujus ut compendio mores adnotemus, fructibus senectutis jucundè fruebatur, memoriâ scilicet & copiâ bonorum pio labore antea paratorum. Nam & strenuitatis suæ, & laboris in studiis laboralibus exercitati argumenta non debilia posteris reliquit, libros scilicet, quos claustro Egmundensi & numerosè & accuratè describi fecit. His ergo auditis venerandus senex contremuit, & obstipo * capite defigens lumine terras, infra cordis secretarium quid ageret, quò se verteret consilium quæsivit. Et cùm in senibus sapientia rerum præteritarum cognitio, futurarum cautela sit; quod viribus minùs poterat, consilii manu egregiè supplevit. Misit enim ad eos qui in Sancti injuriam temerario ausu processerant cum scrinio quodam aureo unum de Fratribus suis ADALARDUM nomine, qui & ipse postmodum eidem regiminis in honore successit: ut vel Sanctorum præsentiâ conterriti, vel ipsius Fratris (cùm esset cognatus eorum qui in ipsis potentiores erant) precibus emolliti, à temere incœpta sanctissimi Confessoris Adalberti absisterent injuria. Verùm hi mente obstinata, nec verbo Domini penetrabili, contumelias pro reverentia, pro precibus maledicta, minas pro exhortatione reddiderunt; & impetu facto nullum timoris Dei respectum habentes, aggerem aquis oppositum infregerunt. Sed (mirum dictu!) mox ut scrinium sanctarum Reliquiarum cum sancti Patris Adalberti commemoratione Frater memoratus aquis imposuisset, aëre in tempestatem commutato grando & nix de cælo corruerunt, aquæ in seipsas conversæ sunt: nec in partem multo decliviorem effluere præsumserunt, sua voce imprudentium ignorantiam confundentes, & meritum Sancti cujus possessioni pepercerunt prædicantes. Cujus miraculi novitate inimici omnes in stuporem conversi, confusi & reveriti in sua redierunt. Sed cùm scriptum sit: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis;* superbiæ radicem vitiosis semel innatam medullis nec eradicavit de cælo miraculum, nec commutare potuit mutata vis naturalis elementorum.

* id est tecto

Sap. 1. 4.

II. *De his qui Sancto injuriosi fuerunt, terribili pœna multatis.*

ALIO item tempore cùm prædictus ADALARDUS Abbatis officio fungeretur, supradictæ paludis tanta facta est inundatio, ut jam jámque litore non contenta suo, claustro item periculum minaretur. Habito igitur Abbas loci cum suis consilio, id potissimùm invenit quod ipsa rei necessitas imperavit, scilicet ut aggerem ejusdem aquis oppositum, quia alibi non liceret, in propria Monasterii possessione longiusculè à claustro effringeret. Adsumtis itaque secum paucis Fratribus & quibusdam Ecclesiæ ministerialibus, ad locum Monasterio vicinum, quem Arenam appellant, processit; dispendio minori periculum majus per aquæ ipsius deductionem moderaturus. Adsumsit nihilominus secum Reliquiarum beati Adalberti venerabile scrinium, ne quid forsitan adversitatis obviaret, ne quod impedimentum inferre præsumeret temeraria turba virorum de *Kastriken*, qui tumida semper cervice, cornu minaci Sancto Domini contrarii fuerunt, donec divinitus compesciti sunt. Nec inanis timor ejus, nec falsa suspicio fuit. Vix enim negotio ad quod processerant peracto, quales suprà memoravimus ore, corde, manu, ad maledicta, ad inimicitias, ad injurias armati, cum gladiis, lanceis & fustibus adfuerunt ad vim

faciendam pervicaces: quia & multitudine & malitia superiores fuerunt. Quo viso Abbas cum suis, qui pacificus & imbellis venerat, stat corde gelato attonitus, riguêre comæ: & quia nec verbo exhortationis, nec ullis suorum viribus huic belluinæ feritati resistere potuit, cum Reliquiis sanctis festinanter rediens, per fugam cæcum illorum impetum declinavit. Sed quia velocibus equis insederant, fugientes occupaverunt, extremos quosque & ad fugam tardiores injuriis vel cædibus afficientes. Erant autem in parte hostili fratres germani sex, formâ, viribus, divitiis omnes fere comparochianos suos præcellentes; acris animi, subdoli, audaces; cædibus, rapinis, discordiæ vacantes, divina & humana promiscua habentes. Horum tres, Arnoldus videlicet, Wlbrandus, & Eilgerus, cum duobus consobrinis suis Sicke & Garbrando, in injuriam Sancti procaciores fuerunt, verbis, gestu opprobria & minas jacientes, adeo ut (quod dictu nefas est) armis suis in sanctissimam thecam impegerint, spumanti ore rabiem cordis evomentes. Quorum idcirco nomina & ausus temerarios non tacemus, ut pœnam illorum, qua crudeli & horribili animadversione multati sunt, obsidem vindictæ, timoris exemplum, argumentum cautelæ inimicis Ecclesiæ nostræ & cunctis adversus eam testamentum disponentibus proponamus. Nec immeritò in eos ultio divina processit. Cùm enim Ozæ Arcam Domini tangentis indiscreta devotio morte punita sit; injuria Sancti qui verè virtutum arca fuit, habens in se tabulas testamenti & virgam disciplinæ cum manna mansuetudinis, non potuit vel debuit inulta dimitti. Fratrum ergo crudelissimus, Arnoldus scilicet, ad ostensionem iræ Dei, in loco eodem quo Sancto injuriosus exstiterat, qui Arena nuncupatur, non multo pòst à fratre suo juniore letales ictus gladii in pectore & cerebro sedibus rationis, ratione abutens accepit: treménsque toto corpore versúsque in furiam, digna ultione animam emisit. Percussor autem, qui & ipse in Sanctum Domini reus exstiterat, mentis incurrens alienationem & inaniam cerebri passus, de divite potenti, nobili, ad tantam miseriam devolutus est, ut aliquot annis per domos mendicans stipem publicam petierit, donec tandem vermibus consumtus in dimidio dierum suorum vitam finivit. Tertius autem fratrum Wlbrandus proprium incurrens gladium seipsum occidit, terribilis exempli relinquens vestigia, quia nemo impune adversus Dominum & Sanctos ejus consurgit. Sicke verò consobrinus eorum infra dimidium annum ob injuriam sancti Confessoris (nam & venabulo scrinium ejus impetisse dicitur) miserabili morte rebus humanis excessit. Garbrandus autem, cùm esset agillimus omnium de *Castriken*, ad omne opus bellicum strenuus; pede, manu ad agendum, ad discurrendum facilis; tantam membrorum omnium invaletudinem & contractionem incurrit, ut numquam in vita sua non modò equum conscendere, sed nec umquam incedere nisi sustentaculis inter brachia aptatis potuisset. Præterea, quemadmodum nobis qui eum sanum & invalidum cognoverunt contestantur; temeritas ejus & effrenata jactantia & injuria in sanctum Domini Confessorem ad hanc illum miseriarum & calamitatis extremitatem perduxit, ut perosus fratribus & cognatis, civibus, & omnibus amicis & necessariis suis, in quodam vilissimo tugurio nullius solatiatus contubernio mansitaret, miseram, degenerem exigens vitam: cui nec fundus hereditarius, qui sibi inutiliter abundabat, nec fratrum suorum affectus, nec ulla fortuna subveniebat. Igitur succedentibus miseriis, nec Domino miserante, nec quoquam hominum auxilii manum porrigente, solitudine destitutus, consumtus inediâ, hominum perditissimus hominem exuit; exemplo commonens, quòd pulvis &

CIRCA AN. DCC XL. JUN. XXV.

CIRCA AN. DCC XL. JUN. XXV. cinis inaniter erigitur, stultè superbit. O ineffabilem judiciorum Dei abyssum, cujus justitiæ specialiter competit injurias ulcisci Sanctorum suorum! ô admirabilem & pium Domini Confessorem, qui acriùs semper & sollicitiùs ad suorum invigilat salutem! quàm effera rabies iniquorum ad perniciem! Alii autem hujuscemodi dissensionis auctores, quidam morte, quidam mentis alienatione vel alia gravi pœna multati sunt: de quorum misériis scribere supersedemus, tum ne lectori fastidio simus, tum quia ad alias beati Patris nostri mirabiles operationes festinamus. Hoc tantùm dicere sufficiat, quòd parochia hæc tota ab illo tempore & deinceps sic humiliata est & in pulvere sedit, ut numquam ulteriùs cervicem adversus Sanctum Domini temeraria præsumtione erexerit: sed secundùm illud propheticum, quæ primò fuerat mollis & tenera, nunc adeo vilis facta est, ut ipsa discooperto humero tollat molam, & molat farinam. Humiliavit enim eos qui est ante sæcula, & adhuc manus ejus extenta. Dominus enim omnipotens, pro quo pugnat orbis terrarum contra insensatos, hinc aquis terram eorum impugnat, illinc arenis maris submergit & devastat: & suffragium Sancti in opportunitatibus nunc humiliter deposcunt, erga quem insipienter quondam tumuerunt.

III. *De monocula illuminata.*

CONTIGIT eadem tempestate miraculum, quod ex relatione cujusdam senioris nostri viri religiosissimi cognovimus: cujus auctoritati non credere, cùm vita ejus auctoritas & laus Dei sit, nefas putamus. Gens Fresonica, quæ ex vicino nobis commoratur, famâ virtutum beati Confessoris Adalberti attrahente, pace temporum invitante, rerum copiis adhuc suffragantibus, perpetui moris habebat cum multa frequentatione & oblationibus ad ejus festivitatem annuatim convenire. Venit ergo cum ceteris mulier quædam Fresonica, tum paupertatis necessitudine despecta & humilis, tum unius oculi privatione deformis. Sed cùm alii forensibus negotiis intenti avaritiæ consulerent, pars jocis vanísque discursibus & curiositati operam daret; hæc à templo Domini non recessit, sed fidei & precum suarum quadrantem in gazophilacium divinæ pietatis mediante beato Adalberto misit. Nec distulit exauditionem benignus JESUS, cui pauperis viduæ donativum in tantum complacuit, ut convocatis discipulis illud commendans dixerit: *Amen dico vobis, quoniam hæc vidua paupercula plus misit omnibus qui miserunt in gazophilacium.* Dum ergo Evangelium legeretur, *Videte, vigilate & orate;* orante Sancto qui utriusque hominis oculis veraciter viderat, prudenter vigilaverat; pauperculæ mulieris oculus diutina cæcitate soporatus, ad contemplandam lucis hujus jucunditatem evigilavit.

Matth. 12. 43. id. 13. 33.

IV. *De Presbytero illuminato, & plurimis per S. Adalbertum curatis.*

ITEM annua festivitate beati Adalberti Confessoris piissimi sese repræsentante, venit cum ceteris Presbyter quidam, præter itineris laborem, (nam de Hierusalem se venisse testabatur) senii, paupertatis, cæcitatis incommodo fatigatus. cujus illuminationem, cùm plurima Sanctorum loca curationis gratiâ circuierit, Dominus nimirum distulit, ut notum faceret populis & gentibus, quantum valeat apud se dilectus suus. Dum ergo Missarum sollemnia celebrarentur, ab itineris sui ductore baculo sustentante ad feretrum Sancti, quo plurimi oblationum gratiâ catervatim accedebant,

debant, perductus est. Et dum devotioni cordis precibúsque lacrymosis indulget, tanta prurigo oculorum invasit eum, ut non modò digitis & pugnis hos defricaret, sed etiam ad lapides pavimenti contunderet; & vasa luminis visu vacua, sordibus plena, gratiâ replenda, cruentando, expurgando, apto lumini præpararet. Nec mora oculorum lumen recepit, non sine admiratione multorum rei eventum desideranter præstolantium. Hilaris ergo & Dominum benedicens absque ductore est egressus: baculo tamen non propter luminis indigentiam, sed propter senilis ætatis & præteriti laboris defectionem sustentatus. Contestantur nobis præterea Fratres nostri maturioris ætatis, quorum religiosa conversatio, amor Ordinis, affectus ad Deum, veri testimonii argumentum est; tanta se vidisse sæpenumero, sed præcipuè in die natali Sancti in curationibus diversarum necessitatum facta miracula, ut & scribendi excedant modum & numeri æstimationem. Nostrâ quoque memoriâ cùm adhuc celebris populorum concursus mira fide, plena devotione ad festivitatem Sancti conveniret, frequenter vidimus, ut diversis impediti infirmitatum necessitatibus seu dæmonibus obsessi, templum gemitibus, clamoribus, manuum contusionibus implerent: adeo ut Fratres psalmodiis seu lectionibus divinis vacantes, tumultus eorum impediret, vulneraret compassio, dolor afficeret. Hæc autem præcipuè in Præcursoris Domini sollemnitate, quæ proximè festivitatem Sancti præcedit, fiebant: cujus precibus gloriosis beatus Adalbertus suas adjungens, apud benignum JESUM obtinuit; ut plurimi eorum sopitis incommodis, qui tristes advenerant, sani & consolati redirent. CIRCA AN. DCC XL. JUN. XXV.

V. *Quomodo quorumdam consilio vetus templum destructum sit.*

PETRONILLA relicta uxor FLORENTII Crassi Comitis, tres habens filios pusillos, THEODORICUM, FLORENTIUM, SIMONEM, Comitatum strenuè regebat. Sed quia muliebris sexus facilis est ad circumveniendum, circumventa est à quibusdam potentibus familiaribus suis, ut capellanum suum, nomine ASSELINUM, à Fratribus Egmundensibus in Monachum suscipi impetraret: ut illo statim Abbate constituto, ipsa de substantia Ecclesiæ suo commodo & voluntati liberiùs consuleret. Effectum igitur habuit suggestio perversorum: & homo simplicis naturæ, & ignarus penitus monachici Ordinis, nomine tantùm Abbas est constitutus. Ceterùm res Ecclesiæ in potestatem devenerant manus alienæ: & erat videre miseriam, filiis penuriam patientibus, extraneis de nostra oppressione gloriantibus. Præterea respectu magis avaritiæ quàm timoris Domini suggesserunt Comitissæ, ut destrueretur vetus templum, quasi indecens & nimis angustum. Factum est: & tres constituti sunt laïci Prælati Ecclesiæ, lupi magis quàm pastores, scilicet FOLPERTUS Albus, EYLGERUS & STEPHANUS. Qui occasionem nacti clandestinæ prædationis, sub specie consulendi prædam de nostro peculio exercebant: domúmque Dei paullatim exhaurientes, hominésque Ecclesiæ suæ ditioni subjicientes, domos suas pecuniis impleverunt. Filii eorum & filiæ, cognati & affines, per dotem nostræ possessionis nubebant & nubebantur: & sic paullo pòst res magnæ ad magnam exiguitatem devenerunt. Et quia quæ non conveniebant fecerunt, convenienti malitiæ eorum pœnâ multati sunt, pro Ecclesia sua illo dimicante qui ait: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Omnes siquidem inopinata morte in dimidio dierum suorum in uno anno, non in domibus vel in villis suis mortui sunt, & po- *Zach. 2. 8.*

CIRCA AN. DCCXL. JUN. XXV.

ſteris terroris exemplum reliquerunt, quia qui deſtruit templum Dei, diſſipabit illum Deus. Non enim erat ſemen electum Domini, quod manus Domini ab initio præparavit ad deſtruendum, ad ædificandum & plantandum in nomine Domini: ut per hoc non ſolùm templi & clauſtri & omnium officinarum ejus ruina innovaretur; ſed magis morum, Ordinis, Religionis & Fratrum miſerabilis & magnus defectus, favente Domino & ſancto Adalberto conſurgeret & melioraretur.

VI. *Quomodo meritis S. Adalberti locus Egmundenſis in meliorem ſtatum redintegratus ſit.*

CUM animarum de vitiis ad virtutes converſio multo propenſioris miraculi quàm cæcorum illuminatio ſit; non ab re videtur miraculis ſancti Confeſſoris inſerere, qualiter poſt obitum FLORENTII Craſſi Comitis, cujus ſuprà meminimus, locus Egmundenſis omni fere humano auxilio deſtitutus, conſilio filiorum ſæculi, qui filiis lucis prudentiores in generatione ſua ſunt, fere peſſumdatus, fere ad extremam miſeriam humiliatus; in priſtinum ſtatum, immo multo meliorem meritis ejuſdem Patroni noſtri, Domini gratiâ ſit reſtitutus. Cùm ergo placuiſſet gratiæ divinæ viſitare locum Egmundenſem, inſpiravit Epiſcopo ANDREÆ & Comitiſſæ Hollandiæ PETRONILLÆ mittere legatos cum litteris ad Abbatem Gandenſem ARNOLDUM pro Monacho, qui idoneus eſſet animas regere, exteriora diſponere, & lapſa promovere. Qui conſilio cum ſuis habito, Præpoſitum curtis eorum, quæ dicitur *Lens*, WALTERUM, quem frequenter probum & utilem probaverat, miſit: quem Epiſcopus Andreas in vigilia Nativitatis ſanctæ Mariæ Abbatem ordinavit. Qui veniens Egmundam & defectum in omnibus reperiens, quid ageret, quò ſe verteret, niſi ad Deum & ſancti Adalberti patrocinium, ignoravit. Sed proceſſu temporis Dei gratiâ in qua multum ſperabat, proſperum in omnibus ſucceſſum habuit, & omnia bene & ordinatè tam exteriora quàm interiora componi cœperunt. Cujus ſtudium quale fuerit, præter cetera teſte eſt templum & omnes ejus officinæ.

VII. *De artifice & ruſtico à mortis periculis liberatis.*

CUM veteris templi deſtructio fieret, novíque jam ædificatio immineret; futurorum præſcius omnipotens Dominus utrumque negotium ſuæ voluntatis eſſe miraculis atteſtantibus oſtendit: de quibus pauca pro tempore dicemus. Malum quamdam magnitudinis non parvæ ferro raſtratam manus artificum aptaverat, ut lignis hinc inde infixis à multis impelli ad muri deſtructionem vice arietis potuiſſet. Cujus extremam partem unus artificum dirigebat, ut malo per directum procedente nullus impulſus in incertum, nullus in vanum iret. Inter agendum igitur accidit, ut præponderans pars roſtrata partem alteram in ſublime ſuſtolleret, & artificem rectorem ſuum mento comprehenſum in ariete ſuſpenſum detineret. Sed ne quid periculi vel gravioris incommodi (quod facile in tali eventu fuerat) ſuſtineret; in adjutorium ejus potentiæ & miſericordiæ Pater per merita ſancti Confeſſoris Adalberti feſtinè intendit: & arborem quam multa manus hominum frangere non potuiſſet, potenti brachio ſuo confringens, leniter hominem & ſine ulla læſione depoſuit. Cujus miraculi ſtupenda novitas omnes in admirationem & laudem Domini convertit, omnes ad glorificationem & ſervitium Sancti devotiores effecit.

VIII. *Item simile.*

ITEM dum Frater quidam Monachus, GERARDUS nomine, in dejectione ejusdem veteris ædificii laboraret, lignum quoddam non modicæ quantitatis incautè dejecit, quod capiti cujusdam rustici inferiùs stantis illisum est. Sed cùm & loci altitudo, & impetus mittentis, & ligni vastitas fracturam penitus cerebri illius minarentur, in summa tantùm cute sanguis exivit. Ceterùm homo sanus & incolumis apparens, præsentiæ Domini & laudis ejus, qua in Sanctis suis est mirabilis, fomes & materia modica non fuit.

IX. *De eo quòd facta inundatione supra thecam Sancti pluvia non cecidit.*

CUM veteri templo destructo novi structura magis magísque in dies venerabili WALTERO Abbate, de quo præfati sumus, annitente, & gratia Domini conatum ejus adjuvante adscenderet; per merita beati Patris Adalberti stupendum contigit miraculum, quo & præsentia divini favoris magis attendi, & Fidelium devotio ad dilectionem Sancti & imitationem copiosiùs posset animari. Tugurium quoddam ante structuram novæ ædificationis stabat, quo Fratres ad persolvenda divini Officii munia die noctúque conveniebant: in quo & altare ad celebranda mysteria aptatum, & scrinium beati Patris nostri, prout tempus & rei necessitas condecebat, convenienter secus altare locatum fuerat, tabulam quamdam depictam habens super se, quæ illud obumbrans à pulvere vel qualibet injuria posset defendere. Dum ergo pro more in eadem domuncula Fratres nocturnis insisterent vigiliis, & cæli magna serenitas fuisset; derepente Dominus miraculum ostensurus eamdem aëris tranquillitatem in tempestatum horrorem convertit, & tantus imbrium descendit impetus, ut in stuporem omnes & metum converteret. Erat autem eo tempore tectum ipsius tugurii detectum & ad modum ulnæ unius cælo patens eodem loco, quo tabula suberat & scrinium beati Confessoris Adalberti. Sed cùm tanta inundatio facta fuisset, ut inter muros novos aqua decurrente vix possent Fratres discalceati de domuncula ad claustrum redire; mirum dictu, super tabulam qua scrinium Sancti tegebatur, nec gutta quidem ejusdem inundationis decidisse reperta est: quæ si naturali cursu usa, nec divinitus compescita fuisset, non modò tabulam, sed & totum domunculæ pavimentum invasisset. Fratres ergo stupentes miraculo, grates Patri luminum à quo omne donum perfectum descendit persolverunt, gaudentes se talem habere Patronum in terris, quem sic contestantur miraculorum insignia placuisse Patri qui est in cælis.

X. *De servo ex eminenti loco cadente, nec quidquam læso.*

EADEM tempestate cùm (ut prædiximus) favor cælestis corda & manus omnium in domo Domini laborantium exerceret, totius malitiæ commentor & invidiæ caput diabolus gratiæ Domini favorem, glorificationem Sancti, sui ejectionem ægerrimè ferens, artibus quibus poterat manus eorum exarmare, impedire fervorem, alacritatem in contrarium commutare satagebat. Famulus ergo quidam Isbrandus nomine, cui ministerium hujus officii deputatum fuerat, ut cæmentariorum voluntati ad quæ opus habebant deserviret; cùm arbores & ligna, quibus ad structu-

Circa An. DCCXL. Junii XXV. ram descendebatur, esset connexurus, incautè agens cum arbore cecidit de tam eminenti loco, ut haud dubium confractus & mortuus æstimaretur. Is autem vertiginem tantùm momentaneam passus, incolumis surrexit: tantóque ad serviendum devotior, quanto majori gratia conservatus fuerat, ad negotium quod inchoaverat ministerii sui rediit, voce actúque Dominum glorificans, & Sancti meritum effecti miraculi clamore contestans.

XI. *Quomodo machina lignorum corruens cum artificibus, non eos læserit.*

CUM unus ex quatuor arcubus qui chorum ambiunt concludendus esset; tota machina lignorum quibus ad structuram adscendebatur, quibúsque constiterant operariorum pedes, ex improviso cum ingenti fragore corruit. Sed velox auxilium Domini qui qua vult occasione suos conservat, per patrocinium sancti Patris nostri Adalberti omnes incolumes ipsis quibus acciderat, cunctísque qui viderunt vel audierunt admirantibus conservavit. Sed quia identitas satietatis mater est, & prolixa relatio similium fastidium generat lectoris, tædio consulentes de hujusmodi casibus vel extremis periculis & liberatione illorum qui hæc inciderint scribere prætermittimus, quæ mirabili & copioso effectu per Sanctum suum, sive in destructione veteris templi, sive in reparatione novi operatus est Dominus.

XII. *De dedicatione templi ejusdem.*

Anno 1143. ANNO Domini MCXLIII, Nonis Octobris dedicatum est templum in Egmunda [a] à domino HARTBERTO Trajectensi Episcopo, præsente THEODORICO nono Comite & uxore ejus SOPHIA, & congregato populo infinitæ multitudinis, tanta præparatione necessariorum à domino WALTERO Abbate provisa, ut qui præsentes fuerunt, numquam tali dedicationi se adfuisse hodiéque testantur. Auræ etiam derepente superveniens jucunda serenitas festivitati arrisit, cùm per sex hebdomadas antè pluvialis aura fuerit. Hujus eventus, immo miraculi dominus Hartbertus Episcopus in sermone, quem locutus est ad populum, mentionem fecit: & dicebat se mirari, quòd tantæ & tot Reliquiæ maximorum sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum continerentur in extremo margine mundi. Cùm autem Sanctorum Reliquiæ reconderentur à domino Episcopo altaribus, FRITHERICUS pius & religiosus Monachus, in quærendis, videndis, tractandis, dividendis & exportandis Reliquiis studiosissimus omnium fuit. quem Dominus evestigio completa dedicatione castigans castigavit, & tam in corpore quàm in sensu citò utrumque sanaturus flagellavit. Adscendente enim ad cerebrum infirmitatis humore, à semetipso in tantum alienatus est, ut nec verba ejus, nec gestus convenirent consuetudini & personæ ipsius. Post aliquot dies cùm Frater ille infirmitatis immensitate, & congregatio tota orando & vigilando super eo laboraret; signatus est cruce, quam EGBERTUS Trevirensis Archiepiscopus Egmundensi contulit Ecclesiæ: cujus virtutis effectum sæpenumero experti sunt & narrare solent Fratres ejusdem Ecclesiæ, & laïci quamplures ad eam pertinentes. Hac igitur cruce signato confestim Dominus reddidit lætitiam salutaris sui, & sensu integro devotis eam incliniis salutavit, nec multo pòst ab ægritudine mentis

[a] Nunc quo loco sit Ecclesia Egmondensis Monasterii ad Oceanum Germanicum, sciunt omnes, qui profligatæ in Hollandia Religionis catholicæ statum norunt.

& corporis convaluit. Creditum est autem à multis, hanc eum plagam ex hoc incurrisse, quòd tam audacter & minus cautè Sanctorum Reliquias tractaverit: ut discat homo, & putredo & vermis, talibus se non præcipitanter ingerere, sed cum tremore & summa reverentia tractare divina. CIRCA AN. DCCXL. JUNII XXV.

ALIA ITEM MIRACULA.

XIII. ANNO Domini MCCXCVI, circa festum B. Bartholomæi Apostoli, FLORENTIUS Dei patientiâ Abbas Ecclesiæ beati Adalberti in Egmunda, legationis munere fungens Angliam profectus est. Et cùm pervenisset ad locum, in quo corpus seu Reliquiæ sancti Eadmundi Regis quondam Anglorum & Martyris sacra reconduntur veneratione; cupiens ejus genealogiam actáque ac beati Adalberti fratrum carnalium non ignorare, ibidem porrecto sibi libro inter cetera reperit in Chronica Regum Angliæ, quòd idem B. Adalbertus XXXVII annis & VII mensibus Regnum [a] Anglorum, antequam dictus Eadmundus frater ejus idem regnum est adeptus, sub multo præpotens tenebat honore. Qui quidem fratres unicam utroque parente sororem nomine BRICTIVAM habebant: quæ apud *Franckenvoerde* est sepulta. Pater verò eorum habebat nomen ALCMONDUS: & traxerant originem de veterum Saxonum nobili prosapia.

XIV. Sanctissimi Adalberti patroni nostri virtutum gratia olim variis miraculorum prodigiis enodata, nostris etiam temporibus non modico, verùm mirabili & magno ostenditur, quòd in laudem Dei totâ simul patriâ propalatur. Temporibus namque WILHELMI Regis Romanorum necnon Comitis Hollandiæ, mulier quædam, una de novercarum numero, privignum suum, mariti videlicet filium, tam insatiabili odio prosequitur, ut ejus per ipsam interitus tam rebus quàm consiliis postuletur. Dicto interea juvene comedente & novercæ machinationes ignorante, sitienti potus tribuitur, cum quo etiam venenorum commixtio deglutitur. Quibus susceptis idem juvenis secundùm majora tempora magis intumuit, prægnans apparuit, nec aliquod remedium vel per artem vel per Physicam adinvenit. Postquam itaque dictus juvenis miserabili corpore ad senectutis ætatem pervenisset, & ejus mors quotidie plus quàm vita amicis etiam propriis placuisset; quidam fortè divinitus inspirati illi student consulere, ut votum peregrinationis ad sancti Adalberti Ecclesiæ limina velit promittere, & ibi Christi gratiam implorare. Is itaque horum instantiâ Egmundam veniens, & tam cum Monachis quàm cum illis quos adduxerat amicis ante Reliquias S. Adalberti orationi procumbens, erectus sitire dicitur, à quo etiam lympha plus quàm aliquis liquor postulatur. Unde divinæ pietatis intuitu ad minorem sancti Adalberti basilicam ducitur, quo sibi de fonte vel puteo liquor amabilis præsentatur. quo hausto secundò vel tertiò, dictus tumor incipit quodammodo deficere, & quemdam partûs exitum vomitu præparare. Quod cùm adstantibus cernitur, haustus haustui sociatur: nec mora vir iste mortuo similis incipit vomere, & de ore suo bufones plurimos præsentare. Post cujus actum potus additur: quo suscepto turba vilior procreatur. Cùm autem similiter & tertiò ageret, & omnem quasi maledictionis progeniem maximo dolore emitteret, tot videlicet bufones, qui magna pelvi non poterant recipi, & vix ab aliquo numerari; ipse dolore quasi deficere cernitur, & mortis faciem ostentare. Post


a Fabula. Neque enim S. Eadmundi Regis & Martyris decessor dictus est Adalbertus, sed Adelstanus ejus frater: neque si ita dictus fuisset, quidquam habere potuit commune cum S. Adalberto Levita, qui ducentis annis superior fuit Eadmundo.


CIRCA AN. DCCXL. JUNII XXV. cujus horam prima parens, mater videlicet omnium, quia integra exire non poterat; Dei misericordia in quatuor partes dividitur, quarum vicissim singulæ vomitu præsentantur. Quo facto magis horrendum horum, scilicet cubile vel tabernaculum sequitur: quo emisso sæpedictus famulus Gerardus Ever habens agnomen, post præsentis passionis recuperationem sanus efficitur: tantum etiam postea vivens, donec plenam habens ætatem, naturalis quasi ictu funeris declinatur. Verùm sæpedicti Christi misericordiâ & beatissimi Adalberti gratiâ curati filios novimus & nepotes.

XV. Ne autem B. Adalbertus solùm per præterita, & non in præsenti credatur per Deum facere miracula; notandum est quòd tempore Wilhelmi Comitis Hollandiæ decimi octavi, quidam Clericus opidi de *Harlem* notarius, variis infirmitatum languoribus subjicitur: inter quos præcipuè cruris solatium ejúsque officium denegatur. Cùm autem præfatus multo tempore sic deficeret, nec aliquis amicorum ejus recuperatione vel remedio spem haberet; uxor raro modo præ ceteris sibi fidelissima cœpit quamplurimum hujus languoris tædio affici, & supra modum ut decuit contristari. Quæ videns humanum consilium marito deficere, statuit corde puro divinum necnon Sanctorum auxilium implorare. Quorum numero sanctissimus Christi Confessor Adalbertus præ ceteris affectuosiùs tangitur: cui etiam peregrinationis devotio & oblationum munera pro dicti remedio promittuntur. Hac itaque tali proposito persistente & sanctissimi limina visitare disponente, sæpedictus Clericus dictæ videlicet maritus cœpit reviviscere, & sanitati pristinæ congaudere. Quo visu facta sibi socia lino & calciis denudata, S. Adalberto studet applaudere, ejúsque Cœnobium visitare. In qua veraciter dignum relatione perpenditur, quòd cùm sæpedicta mulier talis esset corporis hujúsque complexionis, ut ad matricem Ecclesiam vix quarta parte stadii ab ejus mansione distantem absque magnis suspiriis variisque sufflationibus hactenus non procederet, sed quasi hydropica crocitaret; ipsa tamen, ut verissimè retulit, hac via, trium utique leucarum, non læditur: sed hæc per eam peregrinatio quasi transitu levissimo Christi gloriâ ejúsque Sancti gratiâ adimpletur.

XVI. Anno MCCCXXXII, dum apud Egmundam quædam mulier in die translationis B. Adalberti ibidem patroni, quæ est XVII Kalendas Julii, more consueto caseum faciens, manuúmque comprehensionibus coagulum glutinans, liquorem effundere nititur, ubi seri color modicus, verùm sanguinis dimidium sextarii reperitur. In quo strages multorum prænosticari poterunt: nos autem petimus Deum cum patrono nostro eisdem miraculis venerari.

XVII. Quædam de *Limmen* vidua oculorum beneficio privata, ad S. Adalberti capsam ducitur, ubi remissis ductoribus, sola flens & ejulans incurvatur. Cujus clamor à Monachis percipitur: quorum uno quæritur, à quo cur plangeret sciscitatur. Quæ confusis lacrymosisque suspiriis respondere studuit, & breviter perhibere: Domine mi, ego cæca & miserrima hunc locum petii, sperans Sanctorum munere & hujus patroni præcipuè sublevari. nec horum loca deseram, nisi visu recepto spretis ductoribus domum quæram. Monacho itaque recedente viduáque in suis precibus perdurante, mirum valde cernitur, in quo consueta S. Adalberti pietas commendatur: quoniam mulier quæ multis annis visu privata exstitit, fatum quoque locum tristis ducatu petiit; læta & gaudens ad propria, propriis videlicet ducta luminibus remeavit. Cujus miraculo pium omnes benedicimus Dominum ejúsque piissimum Confessorem. Verùm si Patroni nostri similia, prout contingunt quotidie, scripto tradamus; non solùm fauces legentium, sed & aures docentium prolixitate nimia confundemus.





VITA SANCTI EBBONIS EPISCOPI SENONENSIS IN GALLIA,

CIRCA AN. DCC XLII. AUG. XXVI.

Auctore anonymo, quem sæculo x vixisse conjectura est.

Ex ms. cod. Abbatiæ S. Petri apud Senonas.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. ISTIUS *vitæ scriptorem post Nortmannorum procellas vixisse colligimus ex num. 6, ubi scripta de S.* EBBONIS *rebus gestis* grassante paganorum vesania flammis abolita *fuisse queritur. quo paganorum nomine Nortmanni designari videntur. Ebbonis meminerunt Odorannus & Clarius Monachi in Chronicis, item Ordericus Vitalis initio libri 7, ubi agit de Senonicæ urbis obsidione soluta per Ebbonem, quem* Ebobam *appellat; Hugo denique Monachus Antisiodorensis, & Gaufridus de Collone Cœnobita Senonici Monasterii S. Petri. Horum Auctorum testimoniis antiquius nihil invenio de sancto Ebbone: nisi quòd Chronici Fontanellensis scriptor, Ludovici Pii æqualis, testatur capite 7 Ebbonem cum aliis interfuisse* conventui Tulpiaco castro, anno tertio regnante Theoderico juniore Rege, XIV Kalend. Aug. *quo in conventu Benignus Abbas Fontanellensis* villam *quamdam* contra Bertarium comitem evindicavit. *Nam de Ebbone silent Usuardi, Wandalberti, HRabani, Adonis & Notkeri sincera Martyrologia.* Auctores qui de S. Ebbone scripsere.

2. *Monasterium S. Petri, in quo Monachum induit Ebbo, situm in villa seu vico qui dicebatur* Vivus, *in suburbio Senonensi, condidit* THEODECHILDIS *seu* THECHILDIS *Regina, locupletarunt* BASOLUS *Arvernorum Comes, & ipse* S. EBBO *cum sororibus duabus. Hæc paucis explicanda.*

3. *Cœnobii primordia describit Clarius loci Monachus ineunte sæculo* XII *in hunc modum:* Anno D III Chlodoveus baptizatur . . . Fuit quoque præfato Regi filia nomine Techilda, quæ baptizata vovit Deo virginitatem & tenuit, septuaginta quinque annis vivens. Quæ adhuc vivente patre, adjuvantibus matre & fratribus, cœpit ædificare ad orientalem plagam urbis Senonicæ Cœnobium in honore Apostolorum Petri & Pauli, *& quidem* in vico qui Vivus dicitur, *inquit Gaufridus de Collone,* ibidémque Monachos constituit qui Deo deservirent vivendo sub Abbatis imperio *postea* secundùm normam Luxoviensis Monasterii. *Huic* Privilegium libertatis concessit S. Emmo Senonum Archiepiscopus temporibus Chlotarii Regis & Baltechildis matris ejus, *ut scribunt Odorannus & Clarius. quo tempore* florebat in eodem Cœnobio vir venerabilis Aigilenus Abbas in sancta religione fervens: & Cœnobium illud singulare in his regionibus erat sanctitate & religione. *Ita Clarius. Et locus iste sanctorum Præsulum Senonensium conditorium fuit.* Monasterii initia.

4. *Theodechildem Monasterii auctorem, alii Chlodovei Magni, alii Theoderici ejus nothi filiam; alii virginem, alii nuptam dicunt. Illud certum, duas id nominis feminas eodem tempore vixisse: unam regia stirpis, aliam opilionis filiam, Chariberti Francorum Regis concubinam, de qua Gregorius Turonensis Episcopus in hist. lib. 4 cap. 26. Venantius Fortunatus duobus in locis agit de* Theodechilda Regina, *nempe in lib. 4 cap. 25 scribit* epitaphium Theodechildæ Reginæ; *& in lib. 6 cap. 5 carmen habet* ad Theudechildem Reginam. *Utrubique eamdem signari existimat Hadrianus Valesius in libro 7 rerum Franc. censétque eam fuisse Theodorici primi filiam, Hermigisclo Varnorum Regi nuptam, eam scilicet quam Suavegotta Regina filiam vocat Frodoardus in historia lib. 2 cap. 1. Carolus Cointius econtrario ad annum 564 opinatur, duas à Fortunato signari Theodechildas, unam Chlodovei, alteram Theodorici filiam: ea ductus ratione, quòd Theodechildis, cujus epitaphium scripsit Fortunatus, si Theodorici ex Suavegotta conjuge fuisset filia, dicenda foret supervixisse Gregorio Turonico Episcopo, cui tamen Fortunatus* Theodechildis condítrix.

CIRCA AN. DCC XLII. AUG. XXVI. *carmina sua nuncupavit. Mihi sanè una eadémque utrubique videtur. eadem enim utrubique elogia. Et quidem eam Theoderico natam fuisse illud satis probat, quòd* Nunninus Arvernorum Tribunus Theudechildæ Reginæ tributa reddidisse *dicitur à Gregorio in lib. de gloria Conf. cap. 41. siquidem Theodorico ac postea ejus filio Theodeberto Austrasiorum Regibus Arverni tum parebant. Nec alia sine dubio fuit Theodechildis Cœnobii S. Petri conditrix, quæ Basolum Arvernorum Comitem, ob defectionem in vincula conjectum à patre, in suum ipsius Asceterium excepisse fertur. Totidem enim annos, id est septuaginta quinque ætatis tribuit ei Clarius cum aliis, quot Fortunatus Theodechilde Reginæ in epitaphio, in quo* Templorum Domini cultrix *appellatur. In alio carmine Fortunatus haud obscurè meminisse videtur Basilicæ S. Petri.*

Ecclesiæ sacræ te dispensante novantur.
Ipsa domum Christi condis, & ille tuam.

Porro epitaphium Theodechildis à Fortunato scriptum longè aliud est ab eo quod hactenus in S. Petri Basilica Senonica legitur: tametsi Clarius istud æquè à Fortunato scriptum esse credidit. Ita enim habet agens de Archembaldo Archiepiscopo, Cœnobii sui direptore. Quadam autem die duxit illum *Archembaldum* quidam Canonicus S. Stephani, Candacher nomine, ad sepulcrum domnæ Theodechildis Reginæ, dicens illi: Lege epitaphium hoc, quod edidit S. Fortunatus Episcopus. Cœpit autem Archembaldus legere sic:

Hunc Regina locum Monachis construxit ab imo
Thechildis, rebus nobilitando suis.

Addo cetera ex lapide, qui hactenus ad sinistrum latus altaris visitur, litteris Gothicis insculptis.

Cujus nunc licèt hoc corpus claudatur in antro,
Spiritus astrigero vivit in axe Deo.
Implorans rectis Pastoribus Euge beatum.
Det rapientibus hinc heu mala digna Deus.

Quippe sancta Theodechildis, *ait Gaufridus de Collone,* sepulta fuit in Monasterio S. Petri Vivi Senonensis, ad sinistrum latus majoris altaris, quod à Deo & Angelis dignoscitur consecratum. Dies anniversarii memoriæ ejus ducitur in vigilia Apostolorum Petri & Pauli. Postea verò domnus Gaufridus Abbas, *ab anno* M CC XI *ad* M CC LXXXI, qui novum opus Monasterii construi fecit, sacrum corpus dictæ sanctæ Virginis transtulit in locum in quo est: & honorificè caput ipsius Reginæ in argento ad modum cujusdam faciei fabricato voluit conservari.

Basolus locupletator. 5. *De Basolo Comite sive Duce Arvernorum ita scribit Urbanus* Reversey *in mss. Annalib. Ecclesiæ Senonicæ.* Anno D X Chlodoveus debellatis multis Principibus Basolum Ducem Aquitaniæ in carcerem Senonicum misit: quem virgo Theodechildis precibus à patre obtinuit, ut eum in Monasterium B. Petri Vivi efficeret Monachum tonsuratum. quod & fecit. Tunc ipse Dux Monasterio B. Petri vicum Mauriacum in Arvernia devotionis gratiâ sponte & propria voluntate delegavit. Obiit 17 Februarii, & in Oratorio B. Bartholomæi, quod nunc est B. Mariæ Virginis & B. Andreæ Apostoli, sepelitur: super cujus sepulcrum hoc epigramma positum fuit.

Consulis hîc artus recubant, Arvernia tellus,
Magnifici Basoli, quem dedit esse suis.
Dux Aquitanensis felix quod rura beavit,
Pacis in augmento consolidans populos.
Francorum Regem Chlodoveum corpore vincens,
Abdicat esse suum hunc proprium dominum.
A tribus & variis tandem Rex quem proditoris
Constrictum tenuit carceris in tenebris.
Regia sed meritis proles Regina Thehildis
Ereptum precibus constituit Monachum.
Pagus Aquitaniæ vel quantum Arvernia (tellus)
Hujus habebat opes, contulit hic Monachis.

Ista referre non veniret in mentem, nisi sub Ecclesiæ ruinis jam pæne sepulta esset Basoli memoria. neque enim ea omni ex parte vera esse existimo: rectiúsque Theodoricus pro Chlodoveo restituendus videtur. Clarius in Chronico mentionem facit loci qui dicitur Mauriacus, quem Theodèchildis & Basolus Comes Arverniæ ob amorem Dei ad stipendia Monachorum reliquerant: *ubi Hieremias Senonensis Antistes* Cellam *construxisse dicitur. Basoli corpus jacet intra murum ad septemtrionalem partem majoris aræ.*

6. Ad

6. *Ad hæc, sorores S. Ebbonis Cœnobio S. Petri multa concessisse memorantur ab eodem Auctore.* In diebus *quippe sancti Ebbonis* donna INGOARA Deo sacrata, soror S. Ebbonis, fecit testamentum de hereditate sua B. Petro, quæ conjacet in pago Tornodorensi, donno Chrodolino tunc Abbate. Defuncto autem Chrodolino, successit ei Viraibodus: cujus in tempore alia soror B. Ebbonis LEOTERIA, & Mummia similiter Deo sacrata, dederunt cunctam hereditatem suam B. Petro, vivente adhuc & confirmante beato Ebbone fratre suo. Jacent istæ duæ sorores in Cœnobio B. Petri, in Oratorio S. Mariæ: ubi & ipse S. Ebbo consepultus, innumerabilibus post mortem claruit virtutibus. *Ebbonis sorores istic Sanctimonialium seu Devotarum vitam egisse, immo fortasse & Theodechildem, uti alia alibi passim, veri simile est.* CIRCA AN. DCC XLII. Auc. xxvi. S. Ebbonis sorores.

7. *Floruère eo in Cœnobio viri pii & illustres non pauci, in his S.* EBBO *postea Archiepiscopus & S.* PATERNUS *Monachus, cujus Vita suprà ad ann. 726, sub Aigileno & Chrodolino Abbatibus religiosissimis;* AQUILA *Abbas* eruditus omni Philosophia *sæculo IX, & in sequenti* ARIGAUDUS *ex Monacho Floriacensi Abbas post S.* ODONEM; *S.* THEODERICUS *ex-Episcopo Aurelianensi Monachus sæculo XI, eodémque* ODORANNUS *Chronici apud Chesnium editi scriptor; initio verò sæculi XII* CLARIUS *Floriacensis primùm, dein S. Petri Cœnobita, cujus Chronicon exstat in tomo 2 Spicilegii. quibus adjungendus* GAUFRIDUS de Collone, *qui* Chronica *scripsit* de nominibus, actibus, & sepulturis Senonensium Archiepiscoporum usque ad *annum* MCCXCVIII. *Præterea alios plures dignitate & origine illustres, quales fuère* HLUDOVICUS Alamannorum Comes, qui orationis causâ profectus ad S. Michaëlis periculum, rediens usque Senonas, infirmitate carnis præventus, in Monasterio S. Petri Monachus effectus migravit in astra locandus *sæculo* XI. INGO *Abbas, Regis* Rotberti consanguineus; ROBERTUS de Laval *Abbas, dein Cartusianus anno* MCCCC, *&c.* Cœnobii viri illustres.

1. SANCTUS igitur EBBO, ut traditum est à patribus, Tornodorensis *castri exstitit oriundus, non minùs virtutibus quàm parentum nobilitate clarus. Fuit namque pater ejus & pia genitrix ex majoribus jam dicti pagi: qui vitam ducentes in Dei omnipotentis servitio, constituti in laïcali proposito, divina dispensatione sanctitatis gratiam sunt consecuti merito. quorum non fuit aliud vivere, nisi Christum cum firmæ dilectionis obsecundatione timere, & cum timore amplecti. Cúmque jam his tenerentur radiis virtutum, responsum acceperunt ab Angelo sancto divinum, quòd in proximo haberent filium, qui pro obtinenda ecclesiasticæ pacis victoria multas & varias toleraret adversariorum atque incredulorum injurias & contumelias. Mox denique angelicæ promissionis florentia apparuerunt viscera, & magnificæ sanctitatis fructus dante Deo post paucos dies processit continuò ad ortum. Ebbo ab Angelo promissus; *Tonnerre in Burgundia.

2. Qui cùm à prædictis parentibus, ut erat egregiæ indolis, docilis cerneretur, eorum decreto liberalibus studiis Christo sacrandus mancipatur. Hic itaque cunctis ingenii præstantiâ sodalibus eminendo, atque litterarum fluenta vivacissimo mentis igne hauriendo, celebritatem è merito, non tantùm fama & rei veritate promeruit. litteris imbuitur.

3. Deinde relicto otio, & casu populo Principe destituto, ipsius regimen pagi adsumsit, quod jure hereditario sibi competens devitare nequivit. Sicque mundiali gloria sublimatus, atque deceptivis oblectamentis quodammodo insertus, amoris ignem superni non amisit; reminiscens timendo illius Scripturæ dicentis: *Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis, ut ei placeat cui se probavit.* Tornodorensem pagum regit. 2. Tim. 2. 4.

4. Hoc nimirum sæpe animo recolens, ne militiam amitteret, tempus deponendi sarcinam digerebat, quam non spontaneus, sed populi coactus acclamatione subierat. Reluctabatur siquidem menti popularis amor domesticorúmque desolatio, ne quos fovebat ut liberos, desereret erroneos. Tandem sacro affamine tactus, huic liti illud Dominicum attulit quod le- Monasterium S. Petri adit.

Circa An. DCC XLII. Aug. XXVI.

gitur: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Monasterium sancti Petri Sennensis [a] petiit, committens ibi divitiarum copiam suæ hereditatis, & sub Abbatis imperio legitimè militavit, posthabito mundo cum momentaneis oblectationibus. Florebat igitur in eodem Cœnobio venerabilis Aighilenus Abba, in sancta religione multipliciter fervens. Sicque mundum evasit nudus Christum diligens, qui numquam ab eo auferetur. Abnegato itaque seipso tulit crucem suam, & secutus est Dominum: ita ejus minister factus, ut ubi ille est, hic & esse mereretur. Et beatus Ebbo in Monasterio positus obedientiam Regulæ magistram cum humilitatis gradibus sibi familiariter adscivit, ne quid quem Deus vocaverat, pateretur abesse perfectionis. His igitur phaleris redimitus, cetera sancti Patris monita perscrutabatur, ut quod veste profitebatur, moribus actúque indifferenter exsequeretur. Dum verò adhuc novus videbatur, custodiæ (ut moris est) mancipatus, sacro pneumate inspiratus docebat à quibus doceri putabatur: & ut stella stellæ præstat in claritudine, multis supereminens operis exhibitione, quidquid aliis videbatur arduum, quia ex animo agebat omnia, opinabatur facillimum.

Abbas eligitur.

5. Aighilenus Abba vir Dei mortem obiit: exigentibus meritis regiminis arcem sanctus Ebbo licèt reclamando suscepit; cujus virtus longè latéque percrebuit, lucerna sub modio latere non potuit, quam Deus supra candelabrum statuere disposuit, ut luceret omnibus manentibus in domo Dei.

Tum Senonensis Archiepiscopus.

6. Temporibus illis siquidem Regni Francorum sceptrum detinebat Rex Childebertus pater Dagoberti junioris. Contigit autem ipso in tempore venerabilem Gericum avunculum beati Ebbonis, qui Sennensis Ecclesiæ regimen tunc videbatur tenere; cursu præsentis vitæ peracto è sæculo migrasse, populúmque in suo interitu in mærore reliquisse. Nec multo pòst plebs Senonum orbata parente, de Archiepiscopi successione deliberatura unum est coacta in locum. Sed nimiùm inter se differunt, dum privato quisque captus amore, postposito merito juxta suum elegit animum. Tandem cælitus inspirati, una voce Ebbonem Monasterii sancti Petri Abbatem Regi supradicto flagitantes requirunt, quem carnis passionibus mortuum jam spiritaliter vivere norunt. Quod ut ad aures ejus pervenit, omni mentis nisu renuit, seséque tanti arce culminis indignum proclamavit. Verùm illis in incœpto persistentibus, & se numquam eum relicturos obnixè testantibus, vi populi pietate desolati, precantiúmque lacrymis flexus, spopondit se eorum condescensurum supplicationibus. Qui statuto die est cum tripudio & plebis alacritate adsumtus, pontificalíque infula sublimatus, & gemmis virtutum decoratus: Deo dilectus, mundo enituit clarus. Erat enim beatus Ebbo mæstorum consolator, pauperum recreator, errantium revocator, & (ut ita dicam) omnibus omnia factus, urbanæ plebis vel rusticæ studiosissimus procurator. Pastor namque in Clero constitutus, non dominari quæsivit: sed forma factus gregi, fuit inter eos quasi unus ex illis. Et licèt miracula quæ multa per eum Dominus operatus est, stilo digna partim raritate inscitiáque scriptorum non scripta, partim paginis inserta, grassante paganorum [b] vesania flammis sint abolita; unum quod plurimorum relatione comperimus, ad insinuandam populis ejus virtutem in medium deducere censuimus.

Saracenorum obsidionem removet.

7. Eo itaque tempore gens Wandalorum suis confinibus egressa, Galliam profligatura prosiliit, quæ per orbem dispersa hostili immanitate strages

[a] Id est Senonensis. nam Auctores mediæ ætatis Senonas civitatem non rarò *Sennas* appellant.

[b] Nortmannorum scilicet. nam S. Ebbo supervixit cladibus inflictis per Saracenos, quos Vvandalorum nomine impropriè designat Auctor iste aliique.

non modicas dedit [a]. Urbes namque effregit, spolia diripuit, opida diruit, Monasteria subvertit, maximamque Galliæ partem in desolationem redegit. Denique multorum cæde peracta Senonas civitatem adiit, mœnia castris obstruxit, portas, ne facilis civibus meatus panderetur, vigilanti cura custodivit. Nec multo pòst machinas, balistas, tormenta, cunctaque hujus officii instrumenta composuit, atque cum omni infestatione muros appetiit. At contrà cives excidium suæ urbis timentes infirmiora muniunt, propugnacula conscendunt, missilia jaciunt, hostiúmque machinamenta ignivomis spiculis penetrata dejiciunt. Qua de re barbarica gens, ut est insania acriùs felle commota, se ita repulsam vehementer condoluit. Extemplo circumquaque mittit, & quidquid rogo potest comprehendi, sine cunctatione flammis exuri præcipit. Nec mirum si cives sua pessumdari videntes ægre tulerunt. tristes conveniunt Episcopum, ac ab eo salubre requirunt consilium, qui ilico in oratione Christum altis gemitibus precatur, ne plebs sibi commissa in direptionem daretur. Oratione autem atque sua gente auxilio Dei in sacra benedictione relevata docens non in copia tropæum divelli, sed Domini esse etiam liberare in paucis; seras patefieri jussit, ceteris in mærore manentibus, se cum paucis de victoria certus dubiæ sorti opposuit. Respiciente siquidem superna clementia, quæ numquam parca credentibus adimit præsidia; fugæ solamina hostium cunei capessunt, seséque mutuatim bacchantium more propriis jaculis confodiunt. Tandem Christiani à cæde regressi, spoliis ditati, & de victoria cælitus concessa exhilarati, laudem toto affectu rependunt Salvatori, qui sic per sui famuli merita dignatus est operari. CIRCA AN. DCC XLII. AUG. XXVI.

8. Qui postmodum dum multa pace degeret, atque nitidiori quàm antea virtutum luce resplenderet, proposuit animo solitudinem quærere & civium frequentiam devitare, quò liberiùs posset orationi vacare. Quod cùm nec in urbe quivisset adimplere, & gregem quem regendum susceperat noluisset deserere, quia Christi aliquando conspectibus cum luce ac talento cupiebat apparere; elegit locum tanti spatii ab urbe, quo & animo solitudinem cupienti valeret obedire, & filios si causa posceret revisere. Qui locus Arcea [b] ab antiquis cognominatus, sexdecim à sede distans millibus, magnis silvarum densitatibus accingitur. Ibi verò parva planities duabus illustratur Ecclesiis, in honore beatæ MARIÆ & sancti Michaëlis Archangeli consecratis: ubi ejus conversationem fuisse eremiticam & à pluribus cognovimus, & innumera indicia colonis ostensa protestantur. Quo in loco abstinentiæ & orationi sanctus Ebbo deditus, ita membra mirificavit, ac corpori cuncta mundi oblectamenta subtraxit, ut etiam ipsa ejus carnis afflictio in cælis fateretur convivere Christo. Et quamvis sic speculationi deserviret, tamen ne plebs sibi commissa famem verbi sentiret, semper dominicis diebus sedem revertebatur, ut & officium altari debitum celebraret, & populum cælesti dogmate illustraret, & sacris benedictionibus confirmaret. Solitudinē petiit.

9. Ceterùm cùm jam Dominus ejus labori finem decrevisset imponere, Mortuus in S. Petri Basilica sepelitur.

[a] Iisdem fere verbis eam cladem describunt Clarius & Ordericus Monachi, quos ante nonnulli alii ejusdem cladis meminerunt supra ad annum 732.

[b] Leothericus Archiepiscopus, qui fato cessit anno MXXXII, *dedit S. Petro villam qua Arcia dicitur cum duabus Ecclesiis, S. Michaëlis scilicet & S. Mariæ sanctique Ebbonis cum appendiciis suis*, &c. Odorannus auctor. Prope vicum istum, qui vernaculè *Arce* appellatur, estque de jure Archiepiscopi & Abbatis S. Petri, hactenus conspicitur in humili colle vestigium speluncæ, in qua S. Ebbo delituisse creditur. ad cujus radicem aquæ vena fluit, à febricitantibus celebrata. Ipsius vici Ecclesia parœcialis S. Michaëli dedicata est, ubi etiam cultus S. Ebbo, cujus effigies altari imposita cernitur. B. Mariæ Oratorium eversum jacet.


Circa An. dcc xlii. Aug. xxvi. fidelémque suum servum supra multa constituere, febre nimia correptus ad extrema cœpit anhelare. Fratribus denique in præsentia convocatis & cælestibus monitis roboratis præcepit ne de sua morte tristarentur, quoniam de calamitate ad gloriam transferebatur. At ipsis in mærore manentibus & pii Patris desolationem vix humanè ferentibus, sexto Kalendas Septembris solutus à corpore cælestem regiam, quam diu ardenti amore cupierat, accepit pro munere. Aderat Clerus & populus, qui in ejus veneratione coadunati, in beati Petri basilicam humandum detulerunt corpus cum hymnis & lacrymosis laudibus anno Domini septingentesimo quinquagesimo.[a]

[a] Immo ante annum dcc xliv. siquidem Zacharias Papa in epistola ad S. Bonifacium Episcopum electionem Artberti Ebbonis successoris probat x *Kalend. Iulias, Indict.* xii.

APPENDIX

De S. Ebbonis sepultura & Reliquiis.

Gaufridus *de Collone in libello ms.* de Reliquiis Ecclesiæ S. Petri Vivi *hæc habet de S. Ebbone.* vi Kalend. Septemb. migravit à sæculo, & in Monasterio S. Petri Vivi prope suas sorores in Oratorio B. Mariæ virginis est sepultus. Anno ab Incarnatione Domini mxxxiv corpus ipsius relevatum fuit de loco, in quo jacuerat per ducentos & xxvi annos, tempore Sevini Archiepiscopi & Rainardi Abbatis. Postea domnus Gaufridus Abbas prædictum sanctum corpus in capsam argenteam reposuit. Infula Sacerdotalis de serico, cum qua sepultus fuit S. Ebbo, quando corpus relevatum fuit, fere integra inventa est. quæ adhuc decenter servatur, & in festivitatibus ipsius Sancti Missa ad majus altare cum eadem infula celebratur. *Tempus levati è tumulo corporis non bene expressit Gaufridus. id factum circiter annum* dcccc lxx, *ut patet ex Clario.* In diebus illis, *nempe Sevvini Archiepiscopi & Rainardi Abbatis ejus nepotis,* quiescebat adhuc S. Ebbo in priori tumulo in Oratorio B. Mariæ juxta altare, ad dexteram, fulgens innumerabilibus signis. Quapropter communi consilio prædictus Archiepiscopus & Abbas levaverunt eum cum magno honore, convocato populo innumerabili. *Idem Archiepiscopus Milidunensi Monasterio S. Petri à se restituto concessit* brachium S. Leonis Papæ cum digitis S. Ebbonis, *quæ à Rainardo obtinuerat. S. Ebbonis Reliquiæ præter caput, quod possident Calestini Meduntenses, hactenus adservantur in Senonensi Monasterio S. Petri unà cum ipsius infula seu veste Sacerdotali, quam casulam vocant.*



DE S. VVITBURGA VIRGINE DERHAMENSI IN ANGLIA.

Circa An. dcc xliii. Martii xvii.

I. Sanctæ *Vvitburgæ obitum ad hunc annum revocant socii Bollandiani, ejúsque Vitæ compendium exhibent ex ms. Chronico Eliensi cum duplici historia translationis. Huc quosdam versus inde conferre sufficiat.*

Vitæ compendium. 2. Witburga, adolescentior filiarum Annæ Regis Estanglorum, sublimiter est nata, & ad regnum cæleste consequendum juxta mare cum sua nutrice in quodam vico paterni juris nutrienda tradebatur, Holchum vocitato: ubi processu temporis in memoriam ipsius Ecclesia est constructa,

quæ anglicè Withburghstowe dicitur. *Holchum, vulgo* Nolkhm, *vicus est pagi Grenehavvensis in Norfoldia insula, cujus caput Norvvicum, situs ad Oceani Germanici partem borealem.* Præfata Virgo audito patris sui interitu, *qui accidit anno* DC LIV, *uti dictum est in Actis S. Ethildritæ Sæculo 2 ad annum 679,* ad sanctimonialem confugit professionem, ubi in umbra alarum Dei sperans suaviter requievit. Sed inde ubi nutrita fuit recedens quasi viginti miliaribus, apud Derham in humilem locum paterni juris devenit, illum solitariè volens vivere elegit, ibi Monasterium condere satagebat. Cúmque Domino suo templum conderet, contigit ut nihil victualium præter siccum panem haberet, quod operariis ædificii apponeret. Ob quod ad Dei Genitricem confugit, eámque querulis precibus pro instanti urgere cœpit necessitate. *Nec petitio effectu caruit. nam cervas duas lactis ministras familiares exinde habuisse fertur.* Tandem plena operibus bonis de hoc sæculo migravit decimo-sexto Kalendas Aprilis, & in cœmiterio Ecclesiæ Derhamensis sepelitur. CIRCA AN. DCC XLIII. MAR. XVII.

3. Et post annos fere quinquaginta quinque sine corruptione corpus ejus inventum est, & in Ecclesiam quam ipsa ibidem condiderat, translatum anno Domini septingentesimo nonagesimo octavo, ubi usque ad tempora Regis Edgari servabatur usque ad annum Domini nongentesimum septuagesimum quartum: & ita requievit in prædicta Ecclesia centum septuaginta sex annis. Anno igitur Domini nongentesimo septuagesimo quarto Abbas BRITHNODUS consensu Regis EDGARI & Episcopi ETHELVOLDI sanctam Withburgam de Derham in *Ely* fecit transferri octavo die Julii, & juxta sorores suas, *Ethildritam scilicet & Sexburgam, de quibus uti & de Monasterio Eliensi diximus Sæculo 2,* sepeliri: ibique requievit centum triginta duobus annis, hoc est usque ad annum Domini millesimum centesimum sextum: in quo quidem anno Abbas RICHARDUS in novum Monasterium eam transtulit. De loco autem illo, in quo primùm sepulta fuit apud Derham, fons aquæ lucidissimus emanat. *De prima translatione, cujus historia fusior edita est apud Bollandum, sat hinc dictum. de alia quædam adjicienda.* Translationes.

4. Floruit sancta religio Eliensis sub Abbatum regimine centum triginta & novem annos. Fuerunt Abbates decem, BRITNODUS Martyr, ELSINUS, LEOFWINUS, LEOFRICUS, LEOFFINUS, WLFRICUS, TURSTANUS, TEODUINUS, SIMEON, RICHARDUS . . . Abbas Simeon anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo tertio, die S. Edmundi migravit ad Dominum, locúmque sui officii suâ & aliorum Abbatum per septem annos viduatum præsentiâ post obitum suum dereliquit. Deinde cùm anno Domini millesimo centesimo Nonis Augusti, die dominica, HENRICUS frater Willelmi Rufi ei in Regnum succedens esset in Regem consecratus, eodem die Abbatiam S. Edmundi dedit ROBERTO filio Hugonis Comitis Cestrensis, & Abbatiam de *Ely* RICHARDO filio Gilberti Comitis: cujus uterque parens de regia stirpe descendens, illustrem sobolem sub veste monachica in Beccensi Monasterio dedicarunt. Hic ergo Richardus Abbas Ecclesiam suam Eliensem à prædecessore suo inceptam ædificavit, in quam quidem Ecclesiam corpora sancta transtulit.

Annis verò quatuor ante translationem sanctarum Virginum, de loco suo dimoverant beatæ Withburgæ Virginis sepulturam, & alibi in Ecclesia collocaverant. Structura verò templi prodiens ulteriùs necessariò cogebat, nec citrà subsistere aliquatenus poterat: & cùm per descensus graduum distraheretur monumentum, imprudentésque ministri minùs ad hoc

Circa An. DCC XLIII. Mar. XVII. essent idonei; confractus est lapis inferior, quo quiescebat Virgo egregia . . . Interea cùm auferretur operculum hiantis fissurâ mausolei, majora omnes terruêre miracula. Virginea quippe gleba, quæ putabatur post tot sæcula jam olim consumta, quamvis eam ab antiqua experientia clara defenderet fama, tota & membris & vestibus apparuit integra, sicut primitus erat imposita. Lignea etiam theca ferreis clavis excisis, cum qua fuerat in *Ely* delata, servata est illæsa. Interea quidam putavêre, quòd quasi immotus pulvis exadusti corporis tantùm imaginem prætenderet integritatis. sed tactu patuit integritas durantis soliditatis. Nam quidam senior ex apostolico ovili Westmonasterii, Warnerus nomine, ut inter plures convenerat, virginea membra passim tangit, à vestigiis, manibus & brachiis flexibiles artus reverenter attollit, exclamánsque Dei mirabilia plures spectabilium personarum ad videndum attraxit . . . Venit vir doctissimus Herbertus Episcopus de Tetfordia, tremens inspexit, & gloriosum in Sanctis suis Dominum benedixit . . Imposito ergo operculo & clauso diligenter sarcophago, latissimo cum jubilo transfertur ea ad beatam sororem Etheldredam de vetere Monasterio in novum, & componunt gratissimè contra Orientem ad latus suum. Similiter etiam beatam germanam Sexburgam & sacratissimam filiam ipsius Ermenildam, dignas ad condignas amabiliter adsociant . . . Translatæ sunt autem hæ anno incarnati Verbi millesimo centesimo sexto, quo quondam beata Etheldreda translata est die . . .

6. Ab illo igitur die cœpit dominus Abbas sanctam Withburgam ob suam integritatem singulari devotione venerari: sed minimè post hæc diu vixit in corpore. Nam morbo præventus decidit in lectum, jámque vocandus ad reddendam sui talenti rationem, cœtum Fratrum ad se jussit convenire: vitæque Viaticum post purissimam confessionem accipiens, cernit carissimam Withburgam propè adsistere, atque post modicum ultimum emittens spiritum locum viduavit.



Circa An. DCC XLV. Octob. XII. Febr. VI.

VITA SS. HARLINDIS ET REINULÆ

ABBATISSARUM EIKENSIUM IN BELGIO,

Auctore anonymo qui post medium sæculum IX vixit, ex num. 23.

Ex Martio Bollandiano.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. QUAMQUAM ab exordio generis humani declaratum sit longè latéque per orbem, omnipotentem Deum vivum & verum, unicúmque Filium ejus Jesum-Christum Dominum nostrum, unà cum Spiritu sancto cooperante, omnium sibimet adhærentium triumphos atque boni operis certamina gratanter excipere, qui diversis ordinibus variisque ætatibus in utroque sexu contra machinamenta hostis antiqui ac proprii corporis blandimenta dimicare studuerunt;

tamen in his maximè ejus speciale munus ac spirituale lumen fulgere credendum est, qui caduca & transitoria mundi hujus spernere, & perpetuis bonis toto mentis nisu inhiare cernuntur: totúmque mundum cum actibus suis premere, & carnis desideria in se crucifigere demonstrantur, & veluti pennifero volatu, angelicis alis quotidie cælum penetrare videntur, *&c.*

CIRCA AN. DCC XLV. OCTOB. XII. FEBR. VI.

2. Ad horum collegium vel numerum haud dubium est pertinere beatissimas Virgines HARLINDEM atque sororem ejus RENULAM*, quæ ab ipso tirocinio ætatis suæ adeo divinis paruêre præceptis, ut cuncta mundialia corde contemserint, & ceu quisquilias sub pedibus calcârint, præter illa sola quibus humana fragilitas sustentatur, quæ in Sanctis non satiatur, sed refocillatur. Jam jámque in prædictis Virginibus in juvenili ætate intus fragrabat flos abditus, qui postmodum foras purum ac plenum protulit fructum. Hæ etenim advertentes & consperientes delubra falsorum deorum pullulâsse, & ritu paganorum culturam idolorum micare cernentes, ilico insigni nisu mentis in destruendis idolis, in ædificandis Ecclesiis, à nimia idolorum cultura deceptis ad viam veritatis revocandis & faucibus nequissimi dæmonis liberandis magnopere desudâsse noscuntur; velamen infidelitatis auferendo, lumen fidei ostendendo, tenebras repellendo, lucem inserendo, diabolum effugando, Christúmque Filium Dei introducendo, veterem hominem exuendo & novum hominem induendo, regnum diaboli minuendo & cunctipotentis Domini amplificando, & (quod omnium gaudiorum maximum constat) omnibus ad catholicam Fidem se convertentibus eámque conservantibus, veram veniam de pristinis peccatis promerituros & vitam sempiternam consecuturos pollicendo. Sed his prætermissis, quæ in suis locis evidenter ostendentur, ad gesta sanctarum Virginum, stilo breviter perstringenda, caritas compellit reverti.

* al. Reinula, Renildis.

INCIPIT VITA.

3. PATER verò illarum Virginum ADALHARDUS vocabatur, genitrix autem GRINUARA * vocabulum tenuit: quos acceptabiles Christo credendum est, qui divinæ majestati tam caras & dignas famulas carnaliter generare meruerunt, quas spiritualis gratia paterna pietate sibi consecrando, perpetuam regeneravit ad vitam. His itaque corporaliter editis ac secundùm sæculi dignitatem cum summa diligentia sub nutricibus educatis, cum crescentibus membris crevit in illis, quod majus est, etiam robur mentis & constantia firma fidésque vera. Hoc in ipsis intuentes piissimi parentes, uberiori gratia eas amare cœperunt, atque eminentiori cura fomitem corporalem adhiberi jusserunt. Cúmque piissimi genitores in sanctarum filiarum suarum pectoribus ignem divini amoris fervere conspicerent, (qui enim potest diu abscondi? secundùm id quod dicitur: *Non potest civitas abscondi super montem posita*, nec ignis in sinu, ut vestimenta non ardeant) cœperunt prædicti parentes subtiliter seorsum secum deliberare, quid de illis futurum foret; valdéque solliciti fuerunt, quid ex eis facturi essent, si ad intelligibilem ætatem pervenissent. Et cùm diutissimè beatissimarum Virginum genitores, Adalhardus videlicet atque Grinuara superiùs nominati, cordis meditationes singillatim intenta mente secum evolverent; contigit nutu divino, ut uno spiritu ambo attacti, latentia diu animi secreta alternatim sibi invicem palam ostentarent. Tandem verò crebrò prædictæ personæ, scilicet Adalhardus & Grinuara, san-

Hæ à parentibus religiosè eductæ,

* al. Gruniara

Matth. 5. 14.

CIRCA AN. DCCXLV. OCTOB. XII. FEBR. VI.

ctam conventionem inierunt: &, si omnipotens Deus illis spatium vitæ dedisset, quoadusque filiæ suæ ad intelligibile tempus perductæ fuissent, votis voverunt, absque ulla dilatione illas se tradituros divinis litteris imbuendas. Quam devotionem Domino favente postmodum plenis compleverunt actis.

in Valencinési Monasterio instituuntur.

4. Deinde interpositis & evolutis paucis annis, cùm jam sol in arce poli altiùs figeret cursum, id est cùm humani corporis intellectus jam capacior esset ad aliquid dignoscendum; contemplantes assiduè venerabilium feminarum prænominati genitores jam maturam segetem præparari ad messem, contemplantes etiam patentem portam ad accipiendam ingredientem sapientiam, commendârunt eas confestim pariter pater ac mater Abbatissæ cujusdam Monasterii, quod vulgò Valencina [a] vocatur, divinis dogmatibus sive humanis artibus religiosisque studiis & sacris litteris erudiendas: ut fragilior ætas validioribus invalesceret disciplinis; ubi nihil viderent nisi honesta, nihil audirent nisi sancta. Ilico in illo sancto Virginum cœtu dedit illis Dominus sagacissimum & acutum sensum ad intelligendum, atque contulit eis gratiæ suæ plurimam partem. Quæcumque enim legendo vel audiendo didicerant, memoriter retinebant, & quasi in membranis litteras, ita in corde perpetualiter scripta tenebant universa. Quales se in illo sanctissimo consortio Virginum inter quas morabantur exhiberent, nulli mortalium copia est paucis vel plurimis explicare verbis. Conabatur quippe altera alteram bonorum operum exhibitionibus prævenire, quæ earum in Dei opere possit esse promtior, in oratione assiduior, in lectione sollicitior, in castitate purior, in sobrietate paratior, in corpore honestior, in corde sincerior, in risu rarior, in compunctione cordis ferventior. Hæc equidem cuncta non livore invidiæ, sed caritatis fiebant amore.

Variis artibus exercentur.

5. In prædicto namque Monasterio, quo creditæ erant beatissimæ Virgines erudiendæ, largiente desuper spirituali misericordia, omni divino dogmate pleniter erant eruditæ diversis usibus divini Officii & ecclesiastici Ordinis, id est in legendo, modulatione cantûs, psallendo, necnon (quod nostris temporibus valde mirum est) etiam scribendo atque pingendo, quod hujus ævi robustissimis viris oppidò onerosum videtur. Simili etiam modo in universi operis arte, quod manibus feminarum diversis modis ac varia compositione fieri solet, honestissimè fuerant instructæ, videlicet nendo & texendo, creando ac suendo: in auro quoque ac margaritis in serico componendis, miris in modis exstiterant perfectæ opifices.

Parentes de condendo Parthenone solliciti,

6. Cùm jam jámque congruum tempus adveniret & convenienter congrueret, beatissimas Virgines Christi relinquere scholasticas alas, & visitare loca paterna, & minimè esset opportunum illas aliis subjici, sed ceteris præponi; audientes bonam famam illarum parentes, ad futuræ hereditatis metas cum ingenti honore remeare, & sacro velamine velatas secum habitare fecerunt. Deinde nullâ interpositâ morâ, protinus moderamine spirituali corda amborum parentum sanctarum Virginum tacta, immo instigata, inierunt inter se sanctum consilium, quatinus in propria hereditate Monasterium ædificarent, si illis gratia superna sospitatem mentis & corporis largita fuisset, donec maximum desiderium suum implere quivissent: in quo electæ filiæ ipsorum pro peccatis suis immortali

[a] Hic apponam Molani adnotationem ad 12 Octob. Valencina Monasterium in Teutonica historia Valenciaen dicitur, quod quidam putant fuisse in opido Valentianis sive Valencenis, *Valencenes* in Hannonia ad Scaldim.

Domi-

Domino funderent preces, & debitæ servitutis impenderent cultum, & illi soli in eodem loco inviolabiliter militarent. Quod prorsus dignissimum Deo votum post plurimos annos laudabili opere consummârunt. CIRCA AN. DCC XLV. OCTOB XII. FEBR. VI.

7. Per idem verò tempus dum hæc agerentur, & cùm dilectæ Dei Virgines cum propriis parentibus sæpe prædictis commorarentur, protegente illas desuper largiflua gratia Christi cui fuerant nuptæ & ab omni criminali contagione immunes, eodem prorsus tempore, eademque horâ beatæ memoriæ Adalhardus sive Grinuara plurimis diebus cunctam suam hereditatem undique circumeuntes ac peragrantes, subtilissima indagine explorabant, si alicubi tam aptus locus inveniri potuisset, qui sufficeret ad singulare desiderium cordis eorum perficiendum: videlicet in quo omnem utilitatem vel necessitatem Monasterii constituere valuissent: & nusquam repererunt. Inde insigni tristitia cordis affecti, culpantes semetipsos atque examinantes se fuisse indignos divinæ majestati condere aulas, plurimas noctes ducebant insomnes, mutuò conquirentes, qualis quantúsque esset locus illa vel illa potestatis suæ in parte. Si verò interdum contigit, ut juxta humanam naturam obdormivissent, semper tamen illud mente meditabantur. unde implebatur in illis, quod dictum est: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Ad ultimum cum jam pæne desperantes fuissent, Deus consolator omnium in se sperantium, misericorditer eos visitare dignatus est, juxta hoc quod ipse ait: *Tristitia vestra convertetur in gaudium.* Habebant utique parvulam ac inutilem silvam haud longè à flumine Mosæ ferè miliario distantem: quam memoratus Adalhardus, ut ferunt, ingreditur, reperiens illic quamdam planiciem, paludosam tamen atque infructuosis arboribus occupatam. His visis huc illúcque undique prospiciens atque progrediens, invenit inibi amœnum fontem, largissimâ atque clarissimâ aquâ sursum salientem, & inde in prolixam derivationem ubertim manantem. Quibus perspectis, prædictus vir nimio repletus gaudio, omnipotenti Deo gratias referebat in corde suo, credens sibi à Domino illum præparari locum ad implendum desiderium cordis sui. Illud verò postmodum verum fore probavit eventus, quando in eodem loco ad perfectionem operis perduxerat quidquid mente gestierat. Et impletum est, quod Spiritus-sanctus per Psalmistam locutus est: *Et voluntate labiorum ejus non fraudâsti eum.* Statim assiduè nominatus vir ovans nimiùm remeavit domum.

[Margin: variis locis perlustratis, — *Cant.* 1. 2. — *Ioh.* 16. 20. — *Psal.* 20. 3.]

8. Eodem verò tempore congregata multitudine virorum atque conjuncta caterva feminarum, celeriter prædictum locum omni spurcitia expiavit. Nec mora venerabilium Virginum venerandi genitores conglomerantes in unum omnis suæ potestatis mares ac feminas, connexis clientulis proximorum propè commorantium, sollerti sapientia fundamenta Monasterii condere cœperunt. Ad cujus operis fabricam citiùs finiendam atque complendam beatissimæ virgines Harlinda atque Renula singulis diebus cum certis ancillis mane exeuntes, & usque ad Mosam properantes, inde sabulum ac petras propriis ulnis usque ad Monasterium vehebant. His auditis studiosa vicinorum turba gaudens accurrit. His autem omnibus in unum redactis, sequens opus jam collatorum fundamentorum miro & inopinato atque inusitato modo celerrima velocitate & inæstimata consummatione, Domino opitulante, impleverunt perfectè. Peracto quippe Monasterio *Eike* [a] vocabulum indiderunt. Omnibus verò ministeriis in eo-

[Margin: Eikense Monasterium construunt:]

[a] Nunc vicus *Eika* sive *Alden-Eika* appellatus, prope Masacum, *Maes-eike*, egregium opidum ad Mosam, Trajectum inter & Ruremondam situm in Comitatu Lossensi, diœcesi Leodicensi. In istud opidum translatum est collegium Canonicorum Eikensium, qui Sanctimonialibus successerant.

CIRCA AN. DCCXLV OCTOB. XII. dem Cœnobio honestè & rite ordinatis atque rationabiliter Domino docente dispositis, venerandi genitores sanctarum Virginum usque ad tempora à Deo sibi disposita simul cum eis vixerunt, atque ad plenitudinem dierum perfectam pervenerunt, ac animas sibi desuper datas in propria hereditate Domino reddere meruerunt. Corpora quoque illorum in eodem Monasterio jacent humata: animæ verò procul dubio ab insolubili averni cruciatu ereptæ atque angelicis choris jure meritóque (ut credimus) sunt conjunctæ. Usque huc de communi sancta conversatione venerandorum parentum sive filiarum eorum: dehinc gesta saluberrimæ atque sanctissimæ conversationis beatarum Virginum, necnon quædam virtutum earum explicemus.

ubi & sepulti.

Filiæ istic piè vivunt.

9. Beatæ & gloriosæ Virgines, post parentum illorum ævi præsentis calcem, cultum quem Deo in prioribus ætatis suæ annis impendebant, nihil dignum hujuscemodi deputabant ad promerendam veniam facinorum ac obtinendam vitam æternam. Ideóque acrioris & acerbioris vitæ callem arripientes, & majoris ac frequentioris exercitationis agonem sumentes, atque studiosiùs in divinis laudibus commorantes, numquam otiositatem quæ inimica est animæ diligentes, sed cernua devotione attonitæ erant, orantes ut Psalmorum modulationi intentè vacantes: interdum verò scribentes, nonnumquam legentes, ceterásque Sorores docentes, aut aliquid utile in Monasterio manibus erant operantes, seséque mutuò invicem cohortantes, ut semper in melius proficerent, non in deterius ruerent: ne in illis solis relictis antiquus hostis humaníque generis prædo in aliquo fieret victor, qui quasi leo sursum volat atque deorsum quærens quem devoret, &c.

Abbatissæ instituuntur.

10. Porro in eodem Monasterio, quod relictione hereditaria & paterna traditione ambæ sanctæ Virgines possidebant, Domino desuper largiente, ambæ secundùm normam SANCTÆ REGULÆ & ecclesiastica instituta Abbatissæ ordinatæ atque consecratæ sunt à beatis Episcopis WILLIBRORDO atque BONIFACIO.

Sanctimoniales 12 primò, deinde alias plures regunt.

11. His gestis sanctæ Virgines in prædicto Monasterio duodecim alias virgines secum pariter commoraturas acceperant, eásque regularibus institutionibus, quibus erant catechizatæ, pleniter instruebant, ac postmodum regularia vota adimplere fecerant, & erant illis secundùm Regulam omnia communia. Inde factum est, ut multæ nobilium hominum filiæ vel servitio mancipatorum, per exemplum sanctarum Virginum blandos hymenæos nuptiarum despicientes, capita sua nigro velamine velarent, & unà cum beatis Virginibus Christi soli Domino deservirent: & quæ se solas in primis Christo militaturas obtulerant, postmodum cum multis Domino servire meruerunt; & quarum vitæ meritum in pueritia paucis intonuit, jam in perfecta ætate vitale exemplum plurimis exstitit. Et idcirco quia castitatis pudore refrenatæ carnales soboles habere contemserant, innumerabiles spirituales filias Christo gignere habitæ sunt dignæ. Erant enim venerabiles hæ Virgines elegantes corporis situ, fide recta instructæ, caritate repletæ, &c.

NOTA.

Pallia & libros conficiunt.

12. Sanctissimæ verò sempérque beatæ virgines Harlindis & Renildis, sicut superiùs dictum est, numquam otiositatem imitabantur, sed jugiter devitabant ut mortiferam pestem. Unde accidit, ut quædam palliola quæ propriis manibus contexuerant, & quæ multis modis variísque compositionibus diversæ artis innumerabilibus ornamentis, Deum Sanctósque ejus decentibus, ex auro ac margaritis ornata composuerant Sanctæ, illo in loco post se relinquerent. Quatuor Evangelistarum scripta, quæ sunt

Christi Jesu Domini nostri dicta & facta, honorifico opere conscripserunt. Nihilominus verò Psalmorum libellum, quem Psalterium appellamus, ipsæ stilo texuerunt: aliásque quamplures divinas Scripturas, quæ quidem universa hactenus in eodem loco tam recentia & vibrantia auro ac micantia margaritis fulgent, ut crederes ea hodie fuisse peracta. Nam quotiescumque contigit memoratas sempérque memoria dignas habendas Virgines in quibusdam operibus manuum occupari, propter regularia complenda præcepta vel varia ornamenta peragenda Monasterio profutura, semper Psalmorum modulatione [a] permixta, (propter quod canitur per Psalmistam: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*) minimè in his diutiùs perdurabant: sed aliquo tempore transacto mox mirum in modum, summa cum alacritate ad municipia orationum confugientes, sese ita agiliter in divinis laudibus exercebant, quasi nihil operis boni antea operatæ essent.

CIRCA AN. DCC XLV. OCTOB. XII. FEBR. VI.

Psal. 33. 2.

13. Prolixum itaque est de omnibus miraculis atque virtutibus tendere historiam, & quales quantásque virtutes per interventum & merita sanctarum Virginum ibidem divina clementia operari dignata est. Verumtamen propter negligentiam illius temporis habitatorum plura sunt oblivioni tradita, quàm memoriæ habita: sed tamen ex cognitis quædam silentio celabo, quædam verò stilo narrabo. Primum enim famosissimum miraculum non prætereundum arbitror, sed memoriæ tradendum, quod illis viventibus Domino operante enitescit. Solebant quidem beati Episcopi WILLIBRORDUS atque BONIFACIUS vicissim frequentare illas gratiâ utilitatis animarum suarum. Contigit planè nutu divino, ut in uno die ad præfatum Monasterium ambo Episcopi pariter convenirent. Unde æstuabant valde sanctæ Virgines, eoquòd non haberent tantam ubertatem poculi, quæ tantæ sufficeret multitudini populorum. Habebant quippe exiguum vini in uno vase, quod tunna vocatur, ad mensuram dimidii pedis. Sed per illarum orationem implevit eam Dominus; ita ut in summitate ejus vinum inundaret [b] foras. Læti potantur universi, revera vinum permansit infinitum. Hæc profectò post gesta aliáque crebra peracta miracula, duriora & asperiora atque difficiliora corpori sustinenda ac peragenda divinæ militiæ restantia certamina sibi exaggerant, quasi jam ultimum diem ipsarum in foribus & liminibus adstare vidissent. Et quo potiùs sibi approximâsse diem sanctæ suæ dormitionis senserant, eò ampliùs corporibus suis crudeliores exstiterant.

Vini augmentum obtinent divinitus.

14. Jam appropinquante & imminente venerabilis Virginis Harlindis tempore resolutionis, cùm jam immortalis remunerator sibi laborum suorum præmia retribuere vellet, eámque de vitæ præsentis ergastulo adsumere, atque Angelorum cœtibus copulare, ac corpori claritatis suæ configurari; (ad tempora enim constituta à datore corporis & animæ perdurâsse, seu ad plenitudinem dierum pervenisse dignoscitur, quod solis Sanctis in utroque sexu legimus attributum. nam de reprobis Scriptura refert, eos non dimidiare dies suos) convocatis ad se frequenter ceteris Virginibus secum pariter degentibus, illas studio exhortationis & admonitionis necnon deprecationis enixè instruebant, ne ullo modo post illarum è mundo recessum deturpatam ducerent vitam, neque aliis fierent in rui-

Herlindis morti proxima, verba facit ad Sorores.

Psal. 54. 24.

a Huc spectat præceptio S. Adelardi Abbatis Corbeiensis, Stat. lib. 2 cap. 4. monentis, ut Monachi inter operandum *cantent Psalmos sine intermissione*. Lege Cassianum de Instit. lib. 1 cap. 11. Udalricum de Consuetud. Cluniac. lib. 1 cap. 30, & S. Fructuosum, qui in primæ Regulæ cap. 6. *Tertiam* cum labore manuum persolvi permittit.

b Alcvvino potiùs accedo, qui id factum dicit à S. Vvillibrordo in gratiam Fratrum Monasterii sui, id est Esternacensis.

CIRCA AN. DCCXLV. OCTOB. XII. FEBR. VI.

nam; sed Matrum suarum, à quibus spirituali fomite erant educatæ, semper imitarentur exemplum, lumbis præcinctis ut incederent castitatem conservando, ac lucernas ardentes in manibus gestarent bona opera operando, & exempla ostendendo: quatenus hoc studiosè agendo & faustè finiendo, sanctorum Angelorum collegio adsistere, atque hoc letali calle immaculatè finito, secum pariter gaudia participare mererentur æterna. Hoc denique quotidie pariter admonebant, & ante omnia & super omnia semper exhortabantur, ut irrefrenatorum consortia devitarent, ne eorum turpitudine polluerentur, & à regno separarentur æterno.

Utraque facta dictis æquat. 1. Cor. 9. 27. Act. 1. 1.

15. Omnia verò quæ monuerant, vel imperando imperaverant, vel etiam obsecrando suadebant, ipsæ priùs profectò factis satagebant, attendentes sententiam egregii doctoris qui ait: *Ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* necnon illud Actuum Apostolorum quod Lucas de nostro Salvatore scribit: *Cœpit* JESUS *facere & docere.* Dominus noster JESUS-CHRISTUS nulla alia jusserat, nisi quæ gesserat. Illum autem imitantes istæ Virgines sanctæ, bona quæ animabus profutura facienda agnoverant, antè peregerant, ac de cetero alias eadem utilia retinenda docuerant. Etenim dum in prædicta sancta conversatione ævi præsentis spiramen gererent, oppidò sollicitæ fuerunt suam sanctam infantiam omnipotenti Domino consecrare, atque virginitatem inviolabiliter custodire, vitámque præsentem immaculato calle transire.

Harlindis moritur 4 Id. Octob.

16. Ad ultimum verò beata Virgo Harlindis leni febre correpta, cœpit paullisper tenerrimis languescere membris, & annuente Christo qui eam jam ad vitam vocaverat, corporis est destituta viribus, atque ad extrema humanæ conditionis perducta, IV Idus Octobris [a] felix ejus anima est carne soluta. Quam Abrahæ sinus recepit, Angelorúmque chorus ad præmia poli transvexit æterna, cum quibus, Domino favente, sine fine erit jucunda.

Corpus solo tectum linteamine non grave olet.

17. Sancta equidem Reinila de absentia suæ sanctæ sororis modicâ acediâ mæsta effecta, potiùs tamen gavisa, quia procul dubio erat confisa, illam beatiori vita post mortem beari; non poterat pati, ut sarcophagum suæ sanctæ sororis tegeret tellus, sed puro linteamine decenter contectum super humum mundam posuit illud. Ex quo profectò sarcophago, ut plurimi adserunt, numquam malus fœtor fragraverat, qui hominum naribus propè vel longè adstantium exsecrabilem odorem ingereret. Aliquoties enimvero valdéque creberrimè instar incensi vapor immanis suavitatis ibidem redolebat. Non enim opportunum nec decens exstiterat, ut ex ejus artubus detestabilis fœtor prorumperet, qui Deo caram margaritam, scilicet animam in se vivido rigore virentem atque rite viventem, expiatam è mundo miserat cælo.

Reinila dein contra dæmonem acriùs pugnat.

18. Primo igitur eodem tempore, quo inclyta Dei virgo Harlindis de sæculo præsenti, Domino jubente vocata migravit, mox præstantissima Reinila virgo in divini cultus calle tanto artiùs presserat pedem, quo se priùs Deo devoverat servituram. Etenim contra subdolum aspidem & basiliscum fortiter dimicare nova agonista constantérque aggreditur, quatenus ille adversus quem utræque sorores conflictum tenuerant, illi soli victrici victus succumberet. Denique præcavens illi claudere viam fraudulenter venienti ad se, qui arbitrabatur se illam faciliùs posse prosternere sororis solatio destitutam, ac solam juvenem relictam superstitem; numquam prorsus corpori suo quietem indulsit ex his, quibus vivente sancta

[a] Incertum quo anno. Si à SS. Vvillibrordo & Bonifacio velata est, aliquanto post S. Vvillibrordum tempore vixisse dicenda videtur.

ſorore renuntiaverat, ceteríſque agenda interdixerat atque vetuerat. Meminit quippe divinæ Scripturæ dicentis: Non coronabitur niſi qui legitimè certaverit. Studebat planè propter hujuſcemodi ſententiam adverſus dudum damnatum apoſtatam duplex inire certamen, quod ſcilicet Domino prœliante ad finem uſque feliciter perduxit, laudabilíſque exſtiterat victrix. Nuſquam enim illam prœliantes inimici fugam inire compulerant, ſed uſque ad finem certaminis invictam bellatricem jugiter patiebantur inviti, cui colla ſua ſuperati ſubdere ſolebant coacti.

CIRCA AN. DCC XLV. OCTOB. XII. FEBR. VI.

2. Tim. 2. 5.

19. Dum ergo glorioſa virgo Reinila cerneret mente, fatiſcentibus ſenilibus membris imminere diem receſſûs ſui; cœpit noviter cernua devotione ſtrictiùs divinis adſiſtere Sacramentis, ac jugiter nova ſuper vetera addere conamina, juxta illud quod in primo canitur Pſalmo: *Et in lege Domini meditabitur die ac nocte.* &, *Ibunt Sancti de virtute in virtutem,* ac per hoc merebuntur *videre Deum deorum in Sion.* Egit quippe veneranda Virgo ut beatus vir BENEDICTUS: ætatem quidem moribus tranſiens, nulli animum dedit voluptati. In hoc almo labore uſque ad ſenectam & ſenium, & ad decrepitam ætatem perdurans, VIII Idus Februarii, Domino vocante, ſpiritum emiſit vitalem feliciter, & ad gaudia migravit æterna, quæ poſſeſſura eſt ſine fine lætabunda, quia omnipotenti Deo reddidit animam. Diſtantibus equidem inter ſe plurimis annis & menſibus, horis atque momentis, feliciſſimum vitæ ſuæ curſum [perfecerunt] in præſcriptis Idibus, diſtinctim acceptis virginitatis ſuæ coronis, cum accenſis lampadibus. Angelorum chorus animas illarum gaudentes & omni inquinamento carentes Chriſti obtutibus præſentavit.

Pſal. 1. 2. *Pſal.* 83. 8.

Greg. in lib. 2. *Dial. cap.* 1.

Obit 8 Id. Febr.

20. Cùm de hoc ærumnoſo ac triſti ſæculo fuiſſent ablatæ, & Abrahæ ſinu receptæ, primum miraculum, quod divina pietas per illarum merita operari dignata eſt, non arbitror omittendum, ſed ad laudem Chriſti & merita earum divulganda ſtilo ſcribendum. Cæca quædam mulier nomine Hiltwiga, ad ſepulcrum ſanctarum Virginum devota adveniens, lacrymabili intentione inibi fudit precem, ut individua Divinitas per illarum interventum lumen perditum ſibi reddere dignaretur: ſtatímque oratio humiliter ad Dominum fuſa, effectum conſecuta eſt. Nam tenebris continuò fugatis, cæcitate ablata, lumen diu amiſſum oculis ejus eſt reſtitutum, atque integra corporis ſoſpitate gratulabunda remeavit ad propria.

Cæca lumen recipit.

21. Deinde audito rumore virtutum piarum Matrum, haud pauci ſed plurimi languidi & ægroti occurrerunt, & perfectam corporis incolumitatem acceperunt. Verumtamen, ſicut ſuperiùs effatus ſum, multo majora ſunt oblivioni data miracula, quàm memoriæ commendata: ſed perpauca quoque hæc quæ ævi præſentis humani auribus ſunt inſita, laudabili memoria litteris comprehendam. Tria quidem miracula quæ poſtea meritis illarum intervenientibus divinitus perpetrata ſunt, ſuperiori miraculo cogito adnectenda: videlicet quòd tres muti ibidem fuerant locuti, ſcilicet Ricolfus, & Hildigerus, atque Blitherius. Non in uno tempore vel in una die erant loquentes; ſed ſeparatim & ordinatim, prout ſanandi venerant, ſanabantur. Unus autem ex illis, ſcilicet Blitherius, non ſolùm linguæ privatus officio, verùm etiam omnium membrorum compagine contractus atque inutilis effectus eſt. Sed tandem ſuffragantibus felicium Virginum meritis, locutus eſt mutus, omníſque ægritudo debilitatis funditus ab illo receſſit.

Alia miracula.

22. Sed neque ſex miracula ad ſepulcra earum divinitus geſta puto celanda, ſed digna memoriâ fore narranda. Sex quippe ab immundis ſpiriti-

CIRCA AN. DCC XLV. OCT. XII. FEBR. VI.

bus arrepti, unusquisque illorum tempore suæ infirmitatis advenerat: tamen divina operante clementia, per sanctarum Virginum subsidia singuli absolutionem dæmonum & integram curationem promeruerunt, ac sana mente plures postmodum vixerunt annos. Unus namque aderat ferro ligatus, comprehensus flagitio: tandem absque alicujus absolutione, sponte per se exstiterat absolutus. Debiles & claudi octo curati. quorum ordo curationis quomodo qualitérve fuisset peractus, ignoratur: scitur tamen pleniter eos esse sanatos. Crebrò proculdubio & ad locum requietionum illarum nutu divino accenditur lumen. Multa quidem & inenarrabilia signa hujus ævi temporibus omnium bonorum justus redditor Deus in prædicto loco ostendere dignatus est; sed studioso lectori sufficere queunt hæc pauca conscripta miracula, quia tam in exiguis quàm etiam in præcipuis illas dignas Deo exsistere Deóque placuisse, colligere liquet.

Ecclesia vetere destructa,

23. Jam jámque brevitas rerum succincti libelli terminum exigit, & imbecillitas inculti sermonis, ac difficultas prolixioris narrationis calcem deposcit: sed illarum econtra inconvulsa caritas resistit, ac de restauratione primitivæ Ecclesiæ, & de Translatione sacratissimarum Virginum aliquantulùm vel breviter postulat fari, ne hoc solummodo linquatur intactum. Illa equidem Ecclesia quæ primatum prædicti Monasterii tenuit, à prædictis genitoribus castissimarum Virginum lignea fuerat fabricata, & diuturni temporis spatio stabat erecta. Post mulum verò temporis putrescere cœpit, ac magna pars illius jam erat dissoluta atque putredine contrita, & potiùs ruitura quàm stabilis fore conspiciebatur. Unde beatæ memoriæ

Ava Abbatissa aliam construit,

AVA Abbatissa illam ad terram funditus prostravit, atque eleganti opere ac formosa constructione eam lapidibus restauravit novam. In qua etiam Ecclesia venerabilium Virginum corpora de pristinæ pausationis loco à

& corpora Sanctarum transfert. a

FRANCONE [b] Episcopo translata, ac in orientali plaga ejusdem Ecclesiæ retro altare intemeratæ sempérque virginis MARIÆ honorificè condita adorantur.

24. Animæ quoque illarum absque ulla ambiguitate amœnitate paradisi fruuntur propter perseverantem boni certaminis laborem seu felicissimi cursûs consummationem fideíque inviolatam observationem, secundùm il-

2. Tim. 4. 7. lud quod egregius doctor gentium Paulus ait: *Bonum certamen certavi*, &c.

25. Dehinc quidem prolixum est per omnia tendere historiam, quantas diversas virtutes quantáque varia miracula per interventum earum ibidem Dominus operari dignatus est. Nam cæci & claudi, quidam etiam à dæmonio arrepti, adepti sunt sanitatem. Augentur ibidem dona plurima divina: præstantur Christo donante petentibus congrua vota. Nam si in omnibus gestis & miraculis istarum sanctarum Virginum volumus immorari, cunctáque ad liquidum denudare; fit prolixior sermo, & ingens libellus ordinatur. Quid plura persequar? in illis templorum oraculis, ubi illarum Virginum patrocinia venerantur, quidquid cum recta fide petitur, obtinetur: & quodcumque justo speratur studio, effectum consequitur. Ergo brevianda sunt verba, & quædam sanctarum Virginum gesta verbo celanda, ne fastidioso lectori ad alia legenda conanti fastidium ingeratur, *&c.*

a De hac Translatione ita scribit Ægidius Aureæ-vallis Monachus in addit. ad Anselmum: *Hic etiam* FRANCO *Episcopus rogatu venerabilis* AVÆ *Abbbatissa bona memoria Hekensis, in feretro argento & auro decenter ornato corpora SS. virginum Reinulæ & Harlindis transtulit è tellure x. Kalend. April.* Franco Leodicensis Episcopus post Hircarium sedem iniit anno DCCCLVI, eíque per annos XLVIII præfuisse dicitur.


APPENDIX

De SS. Reliquiarum Translatione & cultu.

CIRCA AN. DCC XLV. OCTOB. XII. FEBR. VI.

1. VASTATO à *Nortmannis Eikensi Monasterio anno* DCCC LXXXI, *post annos circa quinquaginta* Richarius *Leodicensis Episcopus* Eikensem Ecclesiam & duodecim alias à Nortmannis destructas in honore B. Mariæ reædificavit, & Clericos in præsenti & in aliis instituit sub Abbate sæculari, anno Domini nongentesimo trigesimo. Corpora SS. Virginum in summo altari, in capsa argento ornata reposita sunt. *Hæc ex vita abbreviata excepêre socii Bollandiani.*

2. *Instituta deinde fuit sollemnis & annua supplicatio Fidelium in Eikensem Ecclesiam, quatriduo Pentecostes, à Guidone Episcopo Prænestino apostolicæ Sedis Legato ex Abbate Cisterciensi, approbata* anno M CC II, *concessa* relaxatione quartæ partis injunctæ pænitentiæ & oblitorum peccatorum cum offensis patrum & matrum absque injectione manuum. *Accessere postea alia aliorum Indulgentiæ. Reliquiæ sacræ singulis septenniis ostendi solitæ, demum anno* M D LXXI *ob metum Calvinistarum Masacum in opidum migrant cum collegio Eikensium Canonicorum. Hæc fusiùs in Martio Bollandiano.*



TRANSLATIO RELIQUIARUM SANCTI ARSACII EPISCOPI IN MONASTERIUM ILMINENSE; ET SANCTI QUIRINI MARTYRIS IN TEGERSENSE IN BAJOARIA.

ANN. CHR. DCC XLVI. MAII XVIII.

1. ILMUS, *teste Hundio in Metropoli Saltzburgensi, vicus est satis amœnus, medio fere intervallo Monachium inter & Ingolstadium, primarias Bajoariæ urbes. Istic Monachorum Cœnobium Ordinis S. Benedicti à viris prædivitibus & claris* ALDEBERTO *&* OTKARIO *conditum, cui nomen ab Ilmo flumine vicino* Ilminense *. *nec longe ab lacu Tigurino exstructum aliud ab iisdem* Tegersense * *seu* Tegriense *dictum. Illuc translatæ S. Arsacii Reliquiæ; huc S. Quirini Martyris. Celebre etiam nunc est Monasterium Tegersense, sub Ordine Benedictino perseverans: Ilminense jam pridem ab Hunnis eversum, dein restitutum, Canonicis cessit; demùmque collegium Canonicorum Ilminensium anno* M CCCC XCIV *Monachium est translatum in ædem Deiparæ Virginis. Istius Monasterii, tametsi Ordini Benedictino prærepti, memoriam custodire juvat, ejúsque primordia, ab Hundio jam paucis tradita, ampliùs illustrare ex fragmento quodam relato apud Henricum Canisium tomo 4 antiquarum Lectionum in hunc modum.*

* *Ilmunster*
* *Tegernsee*

2. Anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo quadragesimo sexto, sedente in Roma Zacharia Pontifice, & legatione fungente in Alemannia S. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, administrante Romanum Imperium Pippino Rege Francorum serenissimo, sedentibus in suis Episcopatibus venerabilibus Patribus Burchardo Herbipolensi, Willibaldo Aichstetensi, Gaibaldo Ratisponensi, Johanne Saltzburgensi, Erinberto Frisingensi; exstiterunt duo fratres nobilissimi Principes Noricorum, ALBERTUS & OTKARIUS, alto sanguine progeniti, patre Burgundi & matre Bavari, divitiis præpollentes, Deum timentes, justitiam sectantes, omni virtutum & morum honestate præclari. Hi erant prædicto Regi Pippino, Caroli Magni patri, consanguinitatis affinitate proximi, ac consilio & fide præ ceteris propiores. quorum unus, videlicet Albertus, novem Comitatus regebat & possidebat in Bavaria: alter verò Ockarius habuit in aula Pippini Regis filium nomine ROCHO, quem tenerrimè diligebat.; prosperis in

ANN. CHR. DCC XLVI. MAII XVIII.

omni morum honestate affluentes successibus. Qui cum coævo jam dicti Regis filio assiduè luderet ludum staterum, & semper obtineret, exitialis iræ fomitem ministravit. Cùm verò quadam die huic ludo operam dedisset, & filius Regis multoties victus esset; irâ præruptus Rochum filium Ducis super tempora percussit. ictum mortiferum secuta est mors. Quâ causâ Rex celeriùs cognitâ, solito tristior efficitur, & eo jubente funus clam tegitur & occultatur, ne rumores mali parentum mentes conturbarent. Igitur per fideles Regis Ockarius ut amicus Regis advocatur. Sedens itaque Rex Pippinus in causis, requisivit à Duce Ockirio quid faciendum sit in causa, quæ nullo emendationis cultu emendari poterit. At ille nesciens hujus sententiæ spiculum in se retorqueri, respondet: Res quæ nulla ratione reformanda constat, æquanimiter ferenda est. Fiunt nota patri quæ fuerant gesta cum filio. trahuntur suspiria, luctus, lamentatio inconsolabilis: deinde flexus Regis & Principum dolore conticetur. tandem mores in concordiam ducitur. Cúmque destitutus esset herede, & mundi hujus opibus ubertim afflueret; de bonis suis duo Cœnobia construxerunt ad divini cultûs servitium idonea, scilicet Ilminense & Tegernsense, bona dotantes. Ilminensibus AUDONEM sive Utonem suum sororium in Præpositum præfecerunt, & S. Arsacium à Mediolano in Cœnobium Ilminense transtulerunt XV Kalend. Junii. Sit laus & gloria Christo, amen.

3. *Istius fragmenti Auctor, tametsi parum diligens & antiquus, ut qui Pippino* Romanum Imperium *tribuit, & Vuirtziburgum vocat* Herbipolim, *quod vocabulum recentiorum est temporum; non tamen fide omni destituitur: cùm ea quæ de Rochi morte memorat, Metelli, non spernendi sanè Auctoris, suffragio innitantur.* METELLUS *Tegersensis Cœnobii Monachus, qui circiter annum* MLX *vixit,* Quirinalia *edidit, id est carmina multigena in laudem S. Quirini Patroni sui, quæ apud Henricum Canisium exstant tomo I. In his Passio S. Quirini Martyris, Translatio in Tegersense Monasterium, & miracula plurima recitantur. Occasio factæ translationis repetitur ex cæde Rochi Otkarii filii: quæ historia quamquam subdubia quædam continere videatur, huc tamen Metelli versibus referenda est.*

Hujus * temporibus gemma potens exsul abit procul,
Cui gemmis vigor est & species clarior omnibus,
Summis digna viris, quam redimant divitiis suis,
Et cui se pariter résque suas digniùs offerant.
Quorum gesta priùs, sic opus est, commemorabimus.
Personas meritis *, officiis, stirpéque nobiles,
Ut tradunt * veteres notitiæ, carmine pandimus.
Diva progenie par geminum prodierat decus,
Fratrum bellipotens ac locuples divitiis honos,
PIPPINUM quibus & fama refert stemmate proximum,
Insignis Caroli, qui validus Regna tulit, patrem.
ADALBERTUS eis nomina sunt, OCCARIUS quoque,
Alter Bajarici jure Comes præcipuus soli:
Burgundis alius belligero robore Dux probus,
Quem gens illa canens prisca vocat nunc OSIGERIUM.
Primates Procerum consilii clavibus intimis
Aulam corde tenent: sed manibus prœlia digerunt.
Coram Rege Duci nempe tener filius extitit,
Urbanósque sales intra genus tum puer imbibit.
Huic ludo tabulæ Regis erat filius obvius:
Donec doctior hic obtinuit promtior aleam.
Rixam victus agit. Corde patris fortè potentius,
Et ROCHO jaculans mortiferè vulnus * adegerat.
Sublatum puerum consequitur mors properantior.
Clam funus tegitur, res studio multiplici latet.
Missis continuò pro Duce seu fratre suo viris,
Ac .·.·. retinent urbe super, rem tamen occulit.
Tractatus triduo protrahitur, nec datur his diu
Suspensis ratio consilii quid mora posceret.
Tandem tracta diu sic dubiis causa resolvitur.
Respondere Ducem jure suo Rex jubet ac Ducis,
Quid dent judicii jura rei, quæ refici nequit.
Dux dijudicat hoc, quidquid erit, prorsus om.·.·,

* Pippini Regis *scil.*

* *Canisio* Martyris

* *Can.* ut .·.·. veteres

* *Canisio deest* vulnus

Quæ

Quæ ſententia dum præcipuis Principibus placet, ANN. CHR. DCC XLVI. MAII XVIII.
Adſenſu celebri firma ſtetit, nec replicabilis.
Tunc baliſta velut tenſa foret damnifica manu,
Telum ſubjiciunt corde patris de nece filii.
Quod ſic judicii chorda recens pellat ad intima,
Ut prolis doleat morte, tamen nil ſuper hoc agat.
Rex caſum pueri notificat cum patruo patri.
Nullas inde moras attribuens, expetit ut ſibi
Sacramenta daret, quò nihil hac re grave præparet,
Et legis propriæ judicium legifer impleat.
Formidanda manus Regibus hæc tunc adeo fuit,
Tam robuſta Ducis, quàm Comitis lata potentia:
Ut non antè loco prodierint Rex, Proceres quoque,
Quàm Dux atque Comes rite fidem Principibus darent,
Ob cladem pueri nil odii vindicis exſeri;
Sed crimen veniæ contribui Regis honoribus,
Et Regni Procerum ne ſubeant bella nepotibus.
Solvunt concilium pace data militiæ globi.
Rebus diſpoſitis accelerant in ſua Principes.

4. *Deſcribit dein Metellus alio atque alio verſuum genere, ut duo illi Proceres Deo ſeſe ſuáque omnia offerre diſponentes profecti Romam ſint* ob patrocinia Sanctorum conquirenda: *útque ſuadente Zacharia Pontifice direptam* à Barbaris tranſmarinis urbem & patriam ulti, *hoſtibus devictis & ſpoliis ereptis. denique ut à Pontifice Romano Sanctorum, adeóque* S. Quirini Reliquias *tandem impetraverint. Suſpecta videtur ea Barbarorum in urbem Romam excurſio, vulgatò Anaſtaſio aliiſque ignota: tametſi Auctor eam approbare nititur his verſibus.*

Latiæ tunc pater urbis ZACHARIAS
Vice Petri regit orbem ſacer omnem.
Recitantur ſuper hac re ſua ſcripta,
Data quondam tibi, Præſul Bonifaci, pie Martyr.
Ea noſtram quoque firmant rationem,
Niſi nomen Procerum nil tacuerunt.
Breviter rem quoque totam manifeſtant,
Spoliatam regionem peregrinos reparâſſe.

Illud verò obſervatione dignum eſt, quòd Metellus Aquilas Romuleas *ſemel & iterum memorat, ſic:*

Sociis Teutonicis conglomeratis
Comitantur Proceres agmina primi.
Aquilas Romuleas Noricus enſis
Regit, ac ducit in omnes penetratorius hoſtes.

Et infra:

Victrices Aquilæ renovant decus urbis herile,

5. *Ad Tranſlationes Reliquiarum, quas Adelbertus & Ockarius à Zacharia obtinuere, reflectenda oratio eſt. Et primùm quidem ſanctorum Arſacii & Hippolyti, poſtea S. Quirini exuvias impetraverunt. De duobus primis ſic agit Metellus.*

Accelerant reditum
Munere ſanctarum felices divitiarum,
Pro quibus exierant.
Nam margaritas deportavere beatas
Egregias pretio:
Queis loca fundorum pòſt inſtituêre ſuorum
In ſacra jura Dei.
Norica fert horum provincia trina locorum,
Quæ priùs ediderat,
Nomine primorum Procerum ſub Apoſtolicorum
Laude, Quirine, tua.
Arſacium Cleri thermis ſtatuêre foveri
Pervigili ſtudio.
Hippolytumque choris illuſtravêre canoris,
Quos modò Clerus agit:

ANN. CHR. DCC XLVI. MAII XVIII.

Non ita fundatos, sed in hoc quondam renovatos:
Ut veteres memorant.
Hustia virgineæ me fugerat aula choreæ
Rhenicolis propior:
Qua bibitur scypho vivis signis anaglypho,
Unde medela patet.

Hinc dubium oritur, an ex urbe Mediolano, ut superius fragmentum præfert, an potiùs ex urbe Roma S. Arsacii corpus in Ilminense Monasterium advectum sit. Certè Arsacius in indice Mediolanensium Pontificum locum non habet apud Ughellum.

6. *Posthac Metellus Translationem Reliquiarum S. Quirini ejúsque miracula fusè describit, ex quo potiora dumtaxat excerpemus.*

Eunt ab urbe Principes pii domum,
Sacrata dona deferunt.
Salute patrias perenniter beant,
Sacris dicatas ossibus
Parant, relicta Romæ gemma nobilis
Et alteris micantior,
Ut adferatur ocius fideliter,
Quod hoc modo peregerant.
Erat sibi Clero nitens sororius,
Vocatus AUDON *. hunc cient,
Et ad Sacerdotem citatò dirigunt.
Celer nihil moratur is.
Mandata Principum precesque Præsuli
Refert Petri vicario.
Memor fit ille sponsionis arduæ
Viris potentibus datæ.
Paraverat ferenda membra vase jam,
Quod arte textili fuit,
Ubique palmeis connexum spatulis
Sagaci diligentia.
Subinde cautus advocatis nuntiis,
Viris honestioribus,
Præsentat imminente canticinio
In veste palmea latens
Corpus sacrum, suo super signaculo
Præmuniens sarcophagum.

* Udo

In summa monet Pontifex, ne qua curiositate sigillum Reliquiis appositum violent; quod cum illi secus fecissent, reverberantur ilico, divinitus cadunt ab igne vindici. *Internuntiis ad fratres directis mittuntur* viri inclyti *qui* alma dona deferant.

Noctu remiserant solo sarcophagum,
Tegrineique lacûs ripa quietem ceperant;
Ubi salubris vena fontis exiit
Sub loculo, scatebris fluens perennibus.
Ægris salus fit ista lympha crebriùs,
Quos etiam tumulo redisse contigit graves.
Fons hic petentibus diatim Martyrem
Conditus ædiculâ, levamen est fessis viâ.
Corpus beatum destinato jam loco
Ecclesiâ statuunt JESU dicata quæ manet.
In hac enim stetit Patronus inclytus,
Dum sibi construitur domus decore debito.
Eam subinde Principes ut explicant,
Innumerus populus Fidelium concurrere.
Provinciales tres Episcopi eò
Magnifico Proceres honore convocaverant.
Ab his priùs sacratur aula nobilis
Principibus geminis Apostolorum maximis;
Quorum beata gratiis sic prænitet;
(Credere si liceat, nec invidendum sit sacris)

Ut præter urbem, veriùs nusquam loci
Inveniantur, ubi promiserint se tantidem.
Peracta dedicatio refulserat,
Lætitia celebri perplurima cum gloria.
Cruces dehinc vexilla sublevaverant.
Thure vapor redolet, nitent lucernæ clariùs.
Sollemniter corpus tulêre Præsules,
Ecclesiæ modicæ signis procul sonantibus.
Triumphus altiùs levatur Martyris,
Plebisonis modulis sequente pompa Principum.
Parata nempe tumba de petra fuit,
Corporis ad requiem muro coacta firmiter.
Qua dum reponi debuit Martyr sacer,
Palmiciâ tunicâ tectum levant sarcophago.
Pedum levi de fine fert Episcopus,
Presbyter à scapulis & parte ponderis sequens,
Intra manus gemmam tulêre pendulam.
Depositis pedibus, tumbam super Præsul stetit.
Adhuc tamen pectus tenebat Presbyter,
Cui cadit in manibus pars una corporis sacri,
Per palmeæ sportæ foramen exiens,
Sanguine sic roseo repente purpuratior,
Velut die peremtus hac ipsâ foret.
Cantica clara sonant stupore plena gaudii.
Grates aguntur omnium patri Deo,
Quod dedit hos hilares sui redire muneris.
Dotale pignus hinc fit Ilminensibus,
Id tamen hoc merito quod AUDON his Pater foret,
Cujus labore flos adeptus hic erat,
Et locus ipse suis avunculis subjectior
Chirographis sacræ tumbæ cohæserit
Martyris eximii, Ducis * sub usque tempora,
Qui detrahens Cœnobiis fundos suos,
Funereis manibus dedit necem Ducatui.

NOTA.

* Arnaldi infrà

De tumba Martyris & crypta sub ea, & de possessionibus collatis loco à fundatoribus; & de Duce ARNALDO *qui Ecclesias spoliavit, ac de fine ejus.*

MARTYR Sanctorum medius circumpositorum
Conclusus est in saxeo denique mausoleo.
Margaritarum quasi centrum bis geminarum
Ardens tenet carbunculus quintus in arce micans.
Ambitur sacris in gyrum quatuor arcis,
Quidquid reconditum gerant, qui sciat ipse canat.
Hoc tamen hac de re vetus audet rumor habere,
Primariis viris, locus quos colit iste patres,
Dum Romanorum prædas retulêre sacrorum,
Et optio dabatur his sumere quæ cuperent,
Non sine majorum pretiosa parte sacrorum,
Victoriæ seu gloriæ præmia digna data.
Nec tanti minimum spolii tulerant sibi primum:
Divisor est enim sibi promtior ipse leo.
Crypta sub his tumbis sacra continet abdita; turbis
Rivi fluunt hinc gratiæ, Martyre propitio.
Et . . . deducta tyrannis ultio justa.
Vibrat diu plagam minans, sive ferit graviùs,
Perfert jure pari plerumque suos tribulari,
Quorum preces audit tamen, mox relevans humiles

Ann. Chr. DCCXLVI. Maii XVIII

At consummatis tumbis & consolidatis,
Ovant ibi perampla plebs ac Procerum numerus.
Tunc fundatores scriptas tribuêre loco res,
Centum minùs quæ tunc erant & quater undecimo
Infra millenos mansus seriò duode nos.
Nihil sui reliquerant Bajarica patria,
Quod non divino testi tribuêre Quirino,
Determinatum finibus indubiis penitus;
Centenos præter mansus, quibus & reverenter
Altensium novo loco subsidium dederant.
Sic gladios aræ Fratres simul imposuêre
Gemitibus nimis suis seque Deo tribuunt.
Hinc trabeas clamydemque libens deponit uterque,
Et ad Dei laudem capit monachicos habitus.
Quinquagenorum trina vice grex Monachorum
Manebat institutus hoc Cœnobio sub eis:
Qui præscriptorum nihil amisêre bonorum,
Sed plurimis annis prius detinuêre diu
Ultra centenos ac septena vice denos,
Nec senserant injuriam jura priora loci.
Cùm tandem magnus spoliavit templa tyrannus,
Regni monarchiam volens præripuisse sibi.
Prædia cunctorum tunc Norica Cœnobiorum
Decreverat primatibus tradere rapta locis:
Quò sibi favissent quæcumque geri placuisset,
Adversus aulæ Principes Ecclesiamque Dei.
Hujus ab hoc dimota loci possessio tota
Ditat per omne Noricum progeniem Procerum,
Per quæ fundatus locus omnibus est spoliatus,
Nihil remansit ex eis, conditus in quibus est,
Bis nisi septeni mansus deciesque deceni.
Honore continet tamen se nihil imminuens,
Dumtaxat floris divina laude prioris,
Parendo Regibus, dabat sumtibus obsequium.
Procinctum de jure negat rapto sibi rure,
Regalibus stipendiis. quod priùs obtinuit.
Fonte salinarum loca viginti patinarum,
Duobus additis, simul sustulit ille furor.
Conventum Fratrum post hanc prædam reparatum
Fidelium sequentium dona patenter alunt.
Dux tamen ARNALDUS sine laude diu memorandus,
Sensit citò plagam Dei, morte cadens celeri:
Dum Ratisponæ curtim parat ex regione
Primoribus lectis, ut hæc quæ studuit peragat:
Nuntius hunc Christi terrens affamine tristi,
ULRICUS Antistes necem præcinit indubiam,
Ni reparet gratis spoliata sacraria sanctis,
Et altera die refert nil dubitans obitum.
Commemorans itidem super hoc sibi cognita pridem
In visione, quæ duos prodiderat gladios:
Unus ubi capulatus & alter non capulatus,
Ducis tyrannidem feram denotat acephalam.
Princeps despexit monitus, nec cœpta reflexit;
Sed urbe cum Primatibus consilium tenuit.
Curia præstabat, Proceres jam mensa vocabat:
Sedes petunt satellites quisque suo domino.
Oppositum Dux ipse sibi fertur posuisse
Episcopum, prendensque jam fercula mittit ei,
Ut convivarum primo summóque suorum:
Et curialitate se vivere mandat adhuc.

Cui Præsul reddit, noctem quod adusque dies sit.
Refert ut ista nuntius, verba dolor sequitur.
Dux improvisi finis subita paralysi
Correptus effertur domum, nec mora vita fugit.
Mortuus occultatur, ut allodium capiatur,
Quod singulis promiserat Principibus tribui
Exspoliatarum de fundis Ecclesiarum:
Erectus in sponda tamen ponitur exanimis.
Palmas frigentes sibi composuêre clientes,
A mortua mortem manu suscipiunt Proceres.
Crimen viventis libant tactu morientis,
Quod cuique complacet, rapit de manibus rigidis.
Fert Emmerammi domus ipsius ossa tyranni,
Arcu notat pictum super distichon eximium:
VIVUS POLLEBAM FACIENS QUÆCUMQUE VOLEBAM.
INNIHILOR SUB HUMO, SIC ERIT OMNIS HOMO.

Hactenus ex veterum multis scriptis, tam cognitis quàm incognitis, *carminum suorum argumenta depromsit Metellus. postea miracula ejusdem Sancti versibus suis persequitur, in quibus nihil* nisi vel scriptum, vel teste superstite dictum *à se adfirmat. Præcipua hic referre sufficiat.*

De miraculo circa ARAN *Episcopum, qui cum Abbate* MEGILONE *Reliquias B. Quirini apud Ilminam tollere nitens, sensum visúmque perdidit.*

LAte frequens . . . fama Martyris
E Franciæ terris trahebat exteris
ARAN Episcopum, videret ut locum.
Abbas habebat cognitum priùs virum:
Ob hoc eum reviserat libentiùs.
Amicus alter alterum sciens ovat.
Antistes ossa Martyris dari rogat.
Abbas ait: Mausoleo reclusa sunt,
Nec de foris quidquam remansit uspiam.
Si partiendum quippiam resederit,
In Ilmina Cœnobio videbimus:
Ubi tenetur portio recondita,
Ex Martyris delapsa sola corpore,
Ne deforet pignus suis fidelibus.
Hæc dixerunt uterque: nec moras agunt:
Ad Ilminæ locum citi se transferunt.
Ævo graves requisiêre Clericos,
Ubi foret sacrum pignus reconditum,
Quod unicum Martyr reliquit integer.
Illi sibi sacram dedêre capsulam,
Cum qua secus tumbam sedent Arsacii,
Qui præminet Patronus ipsius loci.
Dum panderent capsam, brevémque tollerent
Ibi reconditæ salutis indicem:
Vix nomen illic Martyris relegerant,
Et mens eos luménque visuum fugit.
Tantum remansit virium sibi vel sensuum,
Ut abditam capsam citò reponerent.
Solo ruunt jacéntque supplices diu,
Fletu petentes gratiam reatibus.
Placant Deum diutinis precatibus.
Tandem prior redit vigor cum visibus.
Auferre venerant loco sacrum decus:
Gratum tenent quòd non sibi perit salus.

ARAN *hîc memoratus fuit Vuirtzíburgensis Episcopus, quem unà cum Sigahardo Abbate Fuldensi pro Carlomanno contra Sclavos arma tulisse perhibent Annales Fuldenses ad*

ANN. CHR. DCC XLVI. MAII XVIII.

annum DCCCLXXII. Sanctum Arnonem *vocat Bruschius in syllabo Episcoporum Herbipolensium, ejúsque pontificatum definit ab anno* DCCCLII *ad* XCII, *quo à Nortmannis cæsus fuisse dicitur. Hinc colligitur ætas* MEGILONIS, *qui Tergensis Abbas quartus, aliis quintus numeratur. Deinde refertur quoddam miraculum de muliere, quæ* brachio debili *fecit* circulum de pane offerendum *Sancto, postea* brachio circumdandum. *quo facto vigor brachio refusus sit. Item aliud de alia muliere, quæ cùm* lavacrum cuperet sibi vespere sabbati lapidum celerare calore, *silices manibus capiebat*, positura foco cumulato. Deus ferit illam, sua jura, *hoc est religionem Dominicæ* temerantem. *Siquidem* silices digitis coalescunt, cruciantque cremando tenentem. *Pluribus exin recensitis miraculis, Auctor agit* de puero languente, qui glebâ pensatus ad fontem B. Quirini, in triduo defunctus est. *Istius ritûs non ita obvii narratio hîc exhibenda.*

Fons patuit medicabilis omnibus,
Subsidium populis cupientibus
Corporeis super anxietatibus.
Martyr ut huc Latio venit exsulans,
Hæc voluit dare flumina gratiæ.
Jura tamen tenet hæc specialia,
Quòd puerilia corpora morbida,
Si fuerint ibi cum prece sedula,
Pensa solo, sequitur reparatio.
Non ita septima lux aderit sibi,
Quin miseros reparata salus levet,
Aut pia mors requiem placidam ferat, *&c.*

Sequitur aliud id genus miraculum de homine quodam, qui panibus & caseolis ibi se pensans, *ea postea* distribuebat egenis. *quique lotus Sanctum ita peroravit:* Si vivere debeo corpore semi, nolo diaria vivere septem. *utrobique non* novem, *ut nunc fit, sed* septem dierum *mentio.*

Atque ut finem faciamus, breviter memoranda sunt miracula duo, patrata in duos homines ob homicidium constrictos ferreis circulis. Primum sic se habet.

Quidam cæde reus stravit avunculum,
Spernens jura propinqui.
Inferratus ob hoc nexibus asperis,
Ibat per loca sancta,
Quærens & veniam criminis ipsius,
Et nexus quoque solvi.
Hic dum tenderet, ut Saxoniâ pium
Quæsisset GOTEHARDUM,
Abbas antè fuit qui Tegriensibus
Uno nec magis anno:
Apparens senior canitie mera
Affatur peregrinum:
Quæras Bojariæ, vir bone, finibus
Sancti templa Quirini,
Qui Martyr situs est corpore nobili
In claustro Tegriensi, *&c.*
His dictis, monitor visibus excidit.
Surgit præmonitus vir:
Promissisque bonis fisus, iter petit
In terras alienas, *&c.*
Ferri prosiliunt denique circuli
Viva carne sepulti, *&c.*

Alterum narratur hoc modo.

Alium parili vice strictum
Ferri torques onerabant.
Aderat venerabile festum
Renitens in fronte Novembris, *&c.*
Stetit orans æger ibidem
Pietatem Martyris almi,
Quatenus dignetur ei
Cruciamina solvere longa;

Subitò ferri resoluti
Nexus procul exsiliêre,
Cute qui mersi moribunda
In corpore delituêre, *&c.*

ANN. CHR. DCCXLVI. MAII XVIII.

Hæc de Metelli versibus relata sunto. Ceterum ne quis de Monasterii Tegriensis conditoribus Adalberto & Ockario addubitet, succurrit Privilegium Ottonis secundi datum IV. Id. Junii, anno dominicæ Inc. DCCCC LXXIX, *in quo* Cœnobium Tegarinsee duo germani fratres & illustres Comites ADALBERTUS & OTGARIUS temporibus Pippini Regis Francorum condidisse *memorantur*, & à sancto Papa Zacharia corpore B. Quirini Martyris impetrato venerabile reddidisse: ubi omni patrimonio suo contradito ipsi comâ capitis depositâ, monachico habitu suscepto, unus de duobus fratribus, Adalbertus nomine, in eodem loco centum quinquaginta Monachorum primordialis exstiterit Abbas. Hæc nempe principalis & regia exstitit Abbatia, *&c. quæ eadem in litteris subsequentium Regum & Pontificum Romanorum commemorantur apud Hundium.*

Denique corrigendus est Molanus in Additionibus ad Usuardum prid. Kal. Maii, ubi agit de S. Quirino: cujus Martyris passio, *inquit*, licèt tertio Kalend. April. facta sit, hîc tamen festivè recolitur, quando sacræ Reliquiæ corporis ejus ab urbe Roma ad civitatem Nussiensem (*legendum* Hussiensem) translatæ sunt. *Neque enim qui tertio Kalend. Aprilis colitur S. Quirinus, is est qui in Alamanniam translatus est, sed S. Quirinus seu Cirinus, qui octavo easdem Kalendas honoratur, ut patet ex Metello. neque hujus Quirini corpus Hussiam translatum est, sed in Monasterium Tegriense, ubi hactenus religiosè adservatur.*



VITA SANCTI VVIGBERTI

ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII.

ABBATIS FRITISLARIENSIS IN HASSIA,

Auctore SERVATO LUPO Abbate Ferrariensi, sæculo IX.

Ex editione Iohannis Busæi & Stephani Baluzii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

I. PLURES *advertimus* WIGBERTOS *eodem tempore iisdémque fere locis floruisse.* Primus *occurrit* WICBERCHTUS, *qui post S. Egbertum ex Hibernia in Fresiam prædicationis gratiâ trajecisse dicitur apud Bedam lib. 5 Hist. cap. 10.* Secundus WIBERTUS *seu* Winberchtus *Abbas Nutcellensis, S. Bonifacii Archiepiscopi Maguntini præceptor, in ipsius Actis celebratus.* Tertius S. WIGBERTUS *seu* Wigberchtus *Abbas Fritislariensis, de quo hîc agere instituimus.* Quartus WIGBERTUS *Monachus Fritislariensis, hujus discipulus & in regimine (ut quidem conjicio) successor.* Quintus WIGBERTUS, *secularis (ut vocant) Presbyter, S. Bonifacii comes ac discipulus, uti & duo posteriores. Hos manifestè distinguit S. Bonifacii epistola 17 in hunc modum:* Paterno amore dilectionem vestram obsecro, ut eo majore cura monasterialis normam vitæ custodire studeatis, quo Pater vester WIGBERTUS defunctus est, *nempe S. Vvigbertus quem præ manibus habemus. Subdit de alio:* WIGBERTUS Presbyter & Megingordus Diaconus Regulam vestram vobis insinuent. *Exstat inter Bonifacianas epistola 83* WIGBERTI Abbatis ad Lullum Episcopum, *quem Vvigbertum Abbatis Fritislariensis cognominis discipulum & successorem esse suspicari licet. Nam Vvigbertus Abbas primus Fritislariensis septem annis ante Lulli ordinationem in vivis esse desierat. Porro diversum esse* Wigbertum Fritislariensem Monachum & Presbyterum *à* Wigberto *itidem* Presbytero, *qui ex Germania in Britanniam reversus duas* Lullo Episcopo *scripsit epistolas, quæ sunt 102 & 110 inter Bonifacianas; constare videtur ex epistola 110, in qua*

Vvigberti plures.

ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII. *Lullo consulto de sua ipsius reversione in Germaniam, exponit propinquorum & amicorum obsistentium conatus.* Amici mei, *inquit*, & propinqui & terram & hereditatem suam mihi promittunt, & dare disponunt, si hîc cum eis permanere dispono. *Quæ sanè verba vix conveniant Monacho, cui nec parentum hereditatem adire, nec cum ipsis consuetudinem habere licet. Erat ergo quintus iste Vuigbertus Presbyter (ut puto) secularis, cui Ecclesia quædam à Lullo commissa fuerat. id quod probant ipsius verba in citata epistola:* Si bonum tibi videtur & tua voluntas sit, ut ad vos citiùs redeam; Ecclesiæ & ministerio cui antè deservivi, me dimittas, de uno rogo & obsecro. *Ad S. Vuigbertum accedamus.*

S. Vuigberti Vita scripta à Lupo. 2. *S.* WIGBERTI *Abbatis primi Fritislariensis Vitam à Johanne Busæo primùm editam, à V. C. Stephano Baluzio Notis illustratam, exaravit* SERVATUS LUPUS *anno* DCCC XXXVI, *quo studiorum causâ in Fuldensi Monasterio versabatur Diaconus. Id operis adgressus est hortante* BUNO *seu* BRUNO *primùm Fuldensi Monacho, tum Abbate Hersfeldensis Monasterii, in quod recens S. Vuigberti Reliquiæ metu Saxonum Buriburgo translatæ fuerant, ficuti Lupus infrà capp. 24 & 25 rem gestam commemorat. Edidit etiam Busæus Homilias duas de S. Vuigberto, in ms. cod. Dominicanorum Moguntiacensium Vitæ ipsius continenter subjectas: quas Lupi nomine ac censu destitutas recudere non visum est operæ pretium. Legerat etiam Busæus ipse in ms. cod. Maguntino Soc.* JESU *aliam S. Vuigberti Vitam metricam,* BRUNWARDO Herveldensi Abbati BRUNI *successori dedicatam ab Hersfeldensi Monacho, qui nomen suum his litteris* HAD. TAC. CUN. *expressit. At eam Busæus stili barbarie & tenebris offensus non vulgavit.*

Monastica professio. 3. *Monasticam Vuigberti professionem tacet Lupus, quam satis probat regimen Monachorum Fritislariensium, quibus præfuit haud dubiè Monachus ipse. Eductus fuisse videtur in Cœnobio Glestingaburgensi seu Glastoniensi, quod in Vuellensi Vuest-Saxoniæ agro situm erat; aut certè in Vuinburnensi: inde in Germaniam cum aliis à S. Bonifacio arcessitus est. Argumento est ipsius Vuigberti epistola 53 inter Bonifacianas,* Dominis sanctis & in Christo desiderandis Patribus ac Fratribus in Monasterio Glestingaburg constitutis *è Germania directa, quâ eos de prospero suo itinere certiores facit, additis in fine his verbis:* Salutate Fratres in gyro, primùm INGELDUM Abbatem & congregationem nostram: ac mandate Matri meæ Tettan atque congregationi ejus prosperum iter nostrum. *Fuerat ergo Vuigbertus Monachus* sub Ingeldo Abbate, *cujus congregationem* appellat nostram. *Cujus verò Monasterii Abbas fuerit Ingeldus, nobis latet. Certè in catalogo virorum illustrium Glastoniensium S. Vuigbertus locum non habet, nisi ipse designetur nomine* Wiberti Episcopi, *è Glastonia adsumti, qui annò* DCCC *obiisse fertur. Fortè Ingeldus præerat congregationi Monachorum in Vuinburnensi Monasterio, ubi Sanctimoniales regebat Tetta, quam suam ipsius* Matrem, *id est Abbatissam vocat Vuigbertus. Certè ex Vuinburnensi Monasterio arcessivit Bonifacius Liobam seu Leobgytham cum aliis, Tetta Abbatissa annuente, ut in Actis S. Liobæ anno 772 referendis videbimus.*

Abbas non Chorepiscopus. 4. *Non immeritò dissentit Stephanus Baluzius à Christophoro Bravvero, qui in Notis ad HRabani epigramma 118 censet Vuigbertum fuisse Chorepiscopum, quod Lupus infrà cap. 3 ipsum* Sacerdotem secundi Ordinis *appellet. Eo enim nomine Presbyterum non rarò significari probat illustrissimus Petrus de Marca in lib. 2 de concordia Sacerdotii cap. 14 §. 5. Quippe Sacerdotis nomen Episcopis & Presbyteris commune, primò quidem Episcopis, secundò Presbyteris convenit. Hunc locum egregiè illustrat liber de vita sancti Sequani Abbatis,* quo ad Presbyterii gratiam promoto, quidam Clericorum Magnimontensis opidi ætate primi, moribus tamen ultimi, videntes sibi præponi Sequanum secundi ordinis Sacerdotii honore, contrà mussitare cœperunt. *Non ergo Vuigbertus fuit Chorepiscopus, sed Presbyter & Abbas Monasterii Fritislariensis in Hassia* * *ad fluvium Adranam* * *conditi circiter annum* DCC XXIV, *quo de Monasterio plura inferiùs in Notis & in Vita S. Sturmii Abbatis Fuldensis istic educati. [Di]rutum est Cœnobium istud, ac prope locum hodie quoque opidum* Fritzlar *cernitur. [A]pud anonymum Vitæ S. Bonifacii scriptorem dicitur Bonifacius* Wigbertum in Monasterio quod nuncupatur Hernolasfelda, Fratrum constituisse Procuratorem, *id est Abbatem Herveldensis seu Hersfeldensis Monasterii, ut conjicio. Quod tamen prætermissum à Lupo est, qui Vuigbertum duobus tantùm Cœnobiis, Fritislariensi primùm, dein Ordorfensi præfuisse memorat. Anonymum fortasse decepit translatio corporis S. Vuigberti facta (uti Lupus refert) in Hersfeldense Monasterium: cujus Monasterii Vuigbertum fuisse Abbatem existimavit [ob] idque eo loci sepultum.*

* le païs de Hesse
* l'Eder

5. S.

5. *S. Vvigberti memoriam fastis sacris consignavit HRabanus Maurus* Idibus Augusti *in hæc verba:* In Germania provincia S. Wigberchti Presbyteri & Confessoris. *Vbi vides, Abbatis nomen (quanto magis Monachi?) non rarò premi silentio apud antiquos, quum ei qui Abbas erat, accedebat Presbyteri gradus. quod jam non semel observatum.* Ecclesia S. Mariæ ad Fuldam, in monte sita, in crypta orientali reliquias S. Wigbreti continebat, *teste HRabano in epigrammate 127.* ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII. S. Vvigberti memoria.

PRÆFATIO AUCTORIS.

REVERENDISSIMIS *Abbati Runo* [a], *cunctisque Fratribus ejus*, LUPUS *plurimam sospitatem*. Cunctanti mihi viribusque propriis diffidenti, ut vitam S. WIGBERCHTI stilo coner prosequi, vestra, dilecti Patres, extorsit instantia. Et æquum fuerat, ut in obstinatissima negatione persisterem, quando ad id quòd me imparem tantæ materiæ tenuitas deficit ingenii, accessit ut hoc opus à vobis eo potissimùm tempore quo essem occupatissimus peteretur: nî me caritas, remotis gravissimis necessitatibus meis, ut vestræ voluntati morem gererem, compulisset. Siquidem huic qui pareat suis neglectis, interdum fraternis prospicit commodis. Igitur succubui vestro imperio. Ceterum divinæ erit clementiæ & intercessionis beati viri, cujus gesta ex aliqua parte contingere statui, ut digna memoriâ digno sermone scribantur, & quæ clarissima sunt qualitate, suis sensibus incultis deformata non horreant. Nec verò cuiquam hæc ideo judicentur infirma, quòd octingentesimo trigesimo sexto anno dominicæ Incarnationis, Indictione autem quarta-decima, præsens opusculum cudens, ante nonaginta annos [b] acta repetere videat: cùm profectò si vel leviter est eruditus, non ignoret Salustium Crispum, Titúmque Livium non pauca quæ illorum ætatem longè præcesserant, partim auditu, partim lectione comperta narrâsse; &, ut ad nostros veniam, Hieronymum Pauli sui vitam, quæ certè remotissima fuerat, litteris illustrâsse; & Antistitem Ambrosium virginis Agnes [c] passionem, cui profectò contemporalis non fuerat, editam reliquisse. Neque nova hæc est, & quæ sola deprecationis egeat majorum negligentia, scilicet tanti viri facta non esse mandata memoriæ: cùm non ab his modò qui haud longè ante nos vixerunt, verùm ab eis etiam qui quamlongissimè præcesserunt, gravissima quædam suppressa cognoscamus. Proinde cur mihi fides derogetur non video, cùm si culpa fuit hactenus virtutes hujus eximii viri litterali non comprehensas officio; hac profectò me exuo; nihílque præterquam firmissimè vobis comperta, mihíque quodammodo adsignata, legere volentibus præbeo. Id autem à periti benevolentia lectoris obtinuerim, ut sicubi Latini sermonis lenitas hominum locorúmve nominibus Germanicæ linguæ vernaculis asperatur, modicè ferat, ac meminerit non carmen me scribere, ubi poëticâ licentiâ nonnumquam nomina mutilantur, atque ad sonoritatem [d] Romani diriguntur eloquii, vel penitus immutantur; sed historiam, quæ se obscurari colorum obliquitatibus renuit. Verùm jam propositum ordiamur.

Lupus à Buno invitatus scribit Vitam S. Vvigberti.

anno DCCC XXXVI.

fide tamen haud indignam.

[a] BRUN vocat Lambertus Monachus Hersfeldensis; at lapidis inscriptio de dedicatione Hirsaugiensis Ecclesiæ, à Nicolao Serario relata lib. 5 Hist. Mogunt. in Otgario, præfert BUNN, qui Liutberti Abbatis primi Hirsaugiensis suíque successoris frater fuisse dicitur, nobilis uterque Suevus, Fuldæ sub Bangolfo Abbate institutus.

[b] Rectè: tot enim anni ab anno DCC XLVII, quo S. Vvigbertum obiisse probabimus, ad annum DCCC XXXVI à Lupo signatum effluxerant.

[c] Antiqui Scriptores haud pauci S. Agnetis nomen ita flectebant, ut recto casu *Agnes*, patrio *Agna* dicerent, rariùs *Agne*, *Agnes*. Ado in sincero Martyrologio: XII *Kalend. Febr. Natalis S. Agna*, &c. & V *easdem Kalend. Natalis S. Agna secundò*. Sic in versibus Vvandalberti. At Prudentius in Peristephano flectit *Agnes* in secundo casu:
Agnes sepulcrum est Romulea in domo.

[d] Non aliud quæras mysterium, cur Biscopi in Benedictum, Vvillibrordi in Clementem, Vvinfridi in Bonifacium, Vvittæ in Albuinum sint mutata nomina: quæ secunda nomina à Scriptoribus mediæ ætatis dicebantur cognomina.

ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII.

CAPUT I. *Qualiter Saxones facti sint incolæ Britanniæ insulæ.*

INDIGENAS Britanniæ qui Angli-Saxones appellantur, ab eis qui Germaniæ septemtrionalem tractum incolunt Saxonibus originem ducere, documentis approbatur. Namque Britannorum quondam Rex WRTIGERNUS frequenti bellorum incendio suis pæne copiis interceptis, à Germania consensu popularium suorum contrahenda curavit auxilia: accersitique ab eo Saxonum exercitus [a], trajecto mari quod Galliæ Britanniæque prætenditur litoribus, consistendi loco in orientali parte insulæ à præfato Rege accepto, prœlium mox cum adversariis conseruerunt, & eos fugâ impune fuderunt. Quod ubi suis ac simul vbertatem insulæ nuntiârunt, validior manus armatorum illuc denuo missa est; ac sedes à Britannis ea conditione sortiti sunt, ut illi quidem tuendæ patriæ sollertiùs invigilarent, indigenæ autem stipendia militantibus penderent. Hac occasione magnam partem insulæ Saxonum vis brevi spatio temporis propriæ ditioni subegit.

II. *De ortu S.* WIGBERCHTI, *& quòd ob studium virtutum amatus fuerit ab omnibus in partibus illis.*

AB horum posteris, postquam se Christianæ Religioni submiserant, B. WIGBERCHTUS ab Anglis-Saxonibus [b] claram trahens originem, natalium sæcularem nobilitatem merito virtutum longè transscendit. Ab annis etenim puerilibus adeo probitate morum enituit, uti jam tum palam emineret fore, ut tanta indoles magnum quiddam supráque communem prorsus mensuram divinitus (ut contigit) sortiretur; atque studiosè sacris litteris institutus, ardentissimum amorem, nec minorem sanè venerationem longè latéque gravitate sibi peperit singulari.

III. *De fama & honore illius: & brevis commemoratio sanctitatis & martyrii S.* BONIFACII.

DUMQUE felix illius ubertim spargeretur opinio, ad clarissimi viri BONIFACII aures usque nutu divino pervenit. Hic Bonifacius tantæ sanctitatis exstitit, ut eum consensus omnium non in Germania modò, ubi in agro dominico incertum studiosiùs an feliciùs laboravit; verùm etiam in Gallia & in aliis partibus orbis, majorum per omnia gloriæ coæquandum & constantissimè credat, & liberrimè fateatur. Fuit enim Fidei Christianæ cùm propugnator acerrimus, tum propagator vigilantissimus: nesciens aucupari favorem Principum fœdissimis adulationibus, nec honorem seu rigorem ecclesiasticum mortiferis compendiis ac malè dulcoratis refrigeriis enervare. Ita postquam se totum Deo devoverat, desudantem novámque gentem Fresonum Ecclesiæ gremio consciscentem, invictissimum Christi militem gladio violare non verita rabies Barbarorum,

a Id *Domini nutu dispositum fuisse, ut veniret contra improbos malum*, ait Beda in lib. I historiæ cap. 14. qui capite sequenti, *anno ab Inc. Domini* CCCC XLIX aut circiter, Saxonum in Britanniam adventum locat. *Circiter*, inquam. nam Beda in fine libri 5 triennio citiùs eum reponit, dum Saxonum adventûs annum CC LXXXV illigat anno Inc. dominicæ DCC XXXI. Certè in priori loco non ita expressim annum CCCC XLIX definit. Verùm ista parum ad hunc locum.

b S. Vvigberti parentes, fortean sibi ignotos, prætermisit Lupus, ex claro Anglo-Saxonum genere originem ipsius deducens. Quod intelligendum est de occidentalibus Saxonibus, apud quos etiam Vvigbertus monasticam vitam professus est, ut in Observationibus præviis diximus.

martyrii coronam fecit referri de prœlio. Sed ut à quo paullulum deflexit, ad propositum revertatur oratio. ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII.

IV. *Quòd ab eodem Bonifacio in auxilium prædicationis sit vocatus.*

IDEM Bonifacius cùm induxisset in animum incredulis aperire viam salutis, quique aberrâssent in eam cooperante Deo reducere; non multo postquam in Germaniam venerat, B. Wigberchtum futurum in prædicatione solatio, diligenti arcessendum curavit industria. Atque ille Bonifacio, immo Deo parens vocanti, quo tempore Dux Francorum CAROLUS rerum potiebatur, iniit consortium sancti propositi. Quem B. Bonifacius, ut par fuit, & excepit gratissimè [a], & germana sibi caritate fœderatum summa veneratione suspexit, quod ut natu major, ille studiis flagrâsset antè divinis.

V. *Quòd Monachis in Frideslar Abbas sit constitutus.*

NEQUE multo pòst [b] ad amplissimum pontificalis gradum dignitatis Moguntiaci divinâ gratiâ provectus, Wigberchtum Sacerdotem* secundi ordinis Cœnobio suo, cui nomen est gentili Germanorum linguâ *Fritеslar*, Magistrum præfecit, uti monasticæ illic Religionis normam statúmque componeret. Ibi cum MEGINGO [c] suo, qui postea culmen episcopale subiit, diu conversatus est, & laxam antehac ac fluidam Fratrum conversationem ad normam suæ vitæ coercuit, qui proculdubio sanctarum Scripturarum regebatur auctoritate.

* *id est* Presbyterum, *suprà*

VI. *Quòd ad Ordorff jussu S. Bonifacii transierit.*

CUMQUE sacræ professionis illic studium longo imbibissent usu discipuli, curámque magisterii quamplures æmulando Magistrum concepissent; haudquaquam passus B. Bonifacius tanti viri lumen unius loci tenebras prævià Christi gratià dispulisse, monitu paterno ad alterum compulit migrare Monasterium, quod *Ortdorff* [d] nominatur. Atque ibi successu simili desudans, quæ perperam gerebantur correxit; ac ipse absque diverticulo carpens artam viam, quæ infatigabiles quosque ducit ad vitam, catervam post se Fratrum prosperè traxit. Instructus enim Salvatoris exemplo, docenda priùs implebat, quáque gradiendum moneret, præcedere consueverat.

a Idipsum attestatur epistola VVIETHBERTI *Presbyteri*, quæ est inter Bonifacianas 53, directa *Patribus ac Fratribus in Monasterio Gleslingaburg* seu Glastoniensi *constitutis*, cujus hæc verba: *Benedictus Deus, qui nostrum iter sua voluntate in has provincias, id est in confinio paganorum Hessonum ac Saxonum, prosperum ultra mare & per hujus mundi pericula, sine merito nostro licentiâ vestrâ & orationibus ac misericordiâ suâ direxit . . . Vos autem volo scire, carissimi, quòd Archiepiscopus noster* BONIFACIUS *cùm adventum nostrum audisset, per semetipsum dignatus est longâ viâ inobviàm nobis venire ac suscipere valde benignè*. Hinc colligitur, Vvigbertum post concessam Bonifacio archiepiscopalem dignitatem, hoc est post annum DCC XXXII in Germaniam accessisse, & tamen ante annum DCC XXXVIII ex notandis in sequens capitulum.

b Scilicet post annos minimùm septem. Siquidem Bonifacius anno DCC XLV, aut certè insequenti, Ecclesiæ Maguntinæ addictus est, ut in ipsius Actis postea videbimus. Porro Vvigbertus cum sociis ante annum DCC XXXVIII Germaniam petierat. id quod probatur ex Bonifaciana epistola Vvigberto aliisque Româ directa anno mox dicto, quo Bonifacius tertiò Romam profectus est. Eâ enim epistolâ significat Bonifacius, se à Romano Pontifice liberaliter exceptum, in mandatis accepisse, *ut iterum*, inquit, *ad vos revertamur, & in cœpto labore persistamus.*

c Megingus seu Megingozus, Megingaudus, & Magingaoz, primùm quidem Monachus & Diaconus Fritislariensis, uti etiam probat Bonifacii epistola 17, postea factus est Vvirtzburgensis seu Herbipolensis post Burchardum Antistes: eique hoc nomine Vvillibaldus Vitam S. Bonifacii dedicavit.

d De primordiis Ordorfensis Monasterii à S. Bonifacio conditi in Turingia ad Oraham fluvium prope Erfurt opidum, lege Vvillibaldum de Vita S. Bonifacii cap. 8, & Othlonum lib. 1 cap. 23.

ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII.

VII. *Quòd iterum ad Frideslar reversus, artiori se vitæ dederit.*

ITAQUE non frustra illic tritis aliquot annis, cùm præter id quòd senio gravabatur, ancipiti morbo subinde laboraret; nihil citra sancti Bonifacii gerere volens auctoritatem, enixissimis ab eo precibus, intima tamen humilitate conditis obtinuit, ut ad prius revertens Cœnobium, in eo quod superesset vitæ, jam quasi feriatus exigeret. Ubi gratulantium Fratrum receptus frequentiâ, veluti repuerascens atque juvenescens, rudimenta denuo sanctitatis & artissimi certamina propositi diligenter adgressus, non emeritam ætatem, non tot superatos labores metiri consensit. Verùm oblitus præteritorum secundùm Apostolum, gaudiis intendit æternæ beatitudinis, quorum adipiscendæ dignitati nihil par in hac vita valet expendi. Et quamvis corpus illius morbo, sicut diximus, urgeretur, non patiebatur animus huic lautioris indulgentiâ cibi abstinentiæ frena relaxare. Non quòd si qui remissiùs consulant sibi dum infirmantur, hos arbitraretur culpandos; sed quòd sponte à licitis temperando, ad promerendum Deum non parum quemlibet progredi suo Vas electionis confirmavit exemplo. Sícque observandissimus caritatis, Fratrum se contemperabat societati; ut verbis tamen inanibus obstinatissimè abstineret, ac sacræ legis meditationem numquam mente deponeret.

Philipp. 3.

VIII. *Quòd postulatus, non præstolando comites, visitârit ægrotos.*

HÆC verò semper Wigberchto illi sollemnis fuerat consuetudo, ut cùm à fideli aliquo rogatus Confessionem auditum pergeret, nec vitare congressus commeantium posset; non temere cum aliquo sermonem consereret, salutationibúsve vacaret; (quæ profectò, ut eleganter quidam sentit, nonnumquam ex occasione itineris, non studio funduntur obtinendæ cujusquam salutis) sed hinc speciale præceptum Domini retinens, seria salutis monita largiturus, morarum festinaret impatiens. Ac sicubi conventum hominum offenderat, qui salutaribus indigeret consiliis; continuò posthabitis temporalibus, quæ ad animæ perpetuam salutem conducerent, ad medium deducebat; & variis alliciens legis divinæ sensibus auditores, ut scientissimus omnino medicus, animæ passionibus medebatur occultis.

Luc. 10. 4.

IX. *De vite miræ magnitudinis ab eo ex uva plantata.*

ILLUD etiam haudquaquam prætererim silentio, unde constantissima fama Fidelium nec accita se suggerit. Namque dum quondam rem divinam de more faceret; incertum quo casu, vinum sine quo sanguis Domini non conficitur defuit. Hic ille festinus Ecclesiam egressus, & fortè pendentem in vite botrum conspicatus, vellit, atque in calicem continuò liquorem manibus puris expressit. Quibus demum explicitis, unum reperit granum attritu illæsum: quod mox ante Ecclesiam panxit, & evestigio ad conceptum officium peragendum concessit. Eo finito quidam sollicitior Frater, qui quod paullo antè gesserat observasset, ex eo humiliter facti rationem quæsivit. Tunc ille se deprehensum animadvertens: Si, inquit, opera mea Domino curæ sunt, intra novem annorum curriculum hîc nimirum declarare dignabitur. Nec finem hujusmodi qui credebatur eventus non est consecutus. Siquidem tot ex eo grano vitium propagines

emerserunt, ut brevi occupato immodico terræ spatio, nixæque adminiculis, suo lapsu sedentibus gratissimæ porticûs tecta præberent. ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII.

X. *Quali fine mundum reliquerit.*

PERSEVERAVIT autem B. Wigberchtus in præfato Monasterio divinis ministrans præceptis, obliquósque semper adversatus mores, quoad illum divina vocatio vinculis carnalibus liberaret. Sic graviori præcedente languore, ad præsentis vitæ metas perveniens, diem obiit [a], consórsque Sanctorum effectus est.

XI. *Quòd avis pulcherrima super corpusculum ejus apparuit.*

VERÙM horâ exitus illius, admirationis plena res obtigit. Circumstantibus Fratribus visa est avis quædam, specie pulcherrima, supra ejus corpusculum ter advolâsse, nusquámque post hac comparuisse: quam fecisse indicium vitæ illius mundissimæ, cunctis haud dubiè constitit.

XII. *De multiplicibus signis ad tumulum illius patratis.*

EST autem situm corpus illius ante Ecclesiam, in conditorio nullius ambitionis: ibíque per aliquot annos quievit. Ubi vix credibile fuerit, quot quantísque hunc virum divina pietas illustraverit signis: quæ licèt incuriâ litteris allegatâ non teneantur, passim tamen vulgata, necdum obsolevêre. Atque ideo brevitati studens, horum quædam narrabo. Meáque planè sic fert opinio, longè digniora miracula semper esse quæ Deus ad memoriam Sanctorum egentibus indulgere dignatur, quàm quæ illum per eos, quamquam sincerè viventes, adhuc tamen gravatos mole corporis, frequenter gessisse veraces nobis litteræ produnt. Adhuc tentari poterant, ac quantulumcumque reformidare lapsum: de his totius jam casus expertibus hoc feliciùs, quò solidiùs adseruntur. In illis favores non sine discrimine tolerantur humani; in his quum eduntur, titulus eorum sanctitatis ne suspicione quidem vanæ gloriæ obscurari potest.

XIII. *Quòd metu Saxonum Hassones corpus ejus effoderint.*

VERÙM ut quod polliciti sumus jam exsequamur, effera Saxonum gens proprium transgressa limitem, in finitimorum se agros effuderat, & indigenas non satis fidentes propriis viribus, in opidum cui *Buriburch* [b]

[a] Nimirum anno DCC XLVII, ut scribit Lambertus Scafnaburgensis, probatúrque ex præmissa Lupi præfatione, in qua hoc opus ait à se incœptum anno DCCC XXXVI, cùm ante annos XC Vvigbertus obiisset. Huc spectat S. Bonifacii epistola 17, qua mortuo Vvigberto Abbate, Fritislariensis Monasterii familiam ita disponit, *ut Vvigbertus Presbyter & Megingordus Diaconus Regulam* Monachis *insinuent & magistri sint infantium; Hiedde sit Præpositus & servos admoneat, & Hunfridus adjuvet illum; Stirme in coquina sit; Bernhardus operarius sit.* Sanè Liudgerus in Vita S. Gregorii Abbatis Trajectensis num. 10, Vvigbertum ante S. Bonifacium decessisse adfirmat.

[b] Christophorus Brovverus in Notis ad HRabani epigramma 118, Buriburgum opidum trans Ederam seu Adranam fluvium in hostico Saxonibus obversum fuisse dicit, excelso in monte situm, fluvio ac valle interjectis inter ipsum opidum & Frideslariam, quæ non eo loco erat, quo nunc cernitur utramque ripam Adranæ ponte jungens, sed ea regione cui nomen *Fravve-munster*, seu Monasterium B. Virginis versus Fuldam & Visurgim amnes. Observandum porro est, Buriburgum à Lupo appellari infrà *Friteslariense opidum*, eoquòd uterque locus sibi invicem ita vicinus erat, ut Fritislaria quasi Buriburgi suburbium, Buriburgum verò Fritislariæ præsidium dici posset. Sanè Fritislaria tunc temporis vicus fuisse videtur. Buriburgo opido exciso successit Paderbornensis Episcopatus.

ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII. nomen est, formidine suî compulerat. Qui conclusi, judicantes adhuc infirmum tenui murorum interstitio salutem tueri, ossa beati viri ad suî munimentum in opidum transferenda curârunt: præsertim quod vererentur, ne Saxonum insania violandi sepulcri sumeret copiam. Nec tamen ea translatio facilè volentibus constitit.

XIV. *De difficultate Translationis ejusdem.*

NAMQUE comitante immani multitudine, cùm in vallem non adeo depressam ventum esset quæ exadversùm est opido, ibíque sacros cineres paullulum quieturi deposuissent, ac mox quò cœperant, contendere præpararent; mirabile dictu! gravatæ sunt quas hactenus detulerant Reliquiæ, nec eas fuit loco movere facultas. Hinc consternati satiúsque sibi ducentes extrema illic experiri, quàm in ancipiti Patronum relinquere; tandem instantissimis precibus Domini sententiam flectentes obtinuerunt, ac feretro summa relevato facilitate, voto potiti sunt.

XV. *De candela in fluvium demersa.*

FUIT hoc etiam insigne miraculum, quòd dum flumen Adrahnam trajicerent, amplissimam reverentiam crucibus ac vexillis, necnon cereis ac laudibus congruis beati viri Reliquiis exhibentes, matronæ cuidam rei novitate attonitæ candela è manibus excidit, ac penitùs in fluvium mersa est. Certatim verò pluribus adnitentibus recepta, (quod secundùm contrariam elementorum naturam fidem videtur excedere) haud obscuriùs ac priùs flammarum reperta est globum effundere. Verùm enimverò nos qui juxta naturam fieri quidquid Dei fiat voluntate, indubitanter confitemur; sic non cessisse ignem aquæ videmus credibile, quemadmodum igni in illis tribus pueris humana non cessit natura.

XVI. *De eruptione opidanorum & strage hostium.*

PERLATIS autem in opidum beati viri pretiosis Reliquiis, infesto Saxones agmine subsecuti, cœperunt opidanos lacessere, eósque summa vi munitione detrudere. At illi facta eruptione, S. Wigberchti suffragantibus meritis prosperrimè congressi sunt; ac superiores inventi, plerosque adversariorum armis fuderunt profligaverúntque, multos plagis tardantes debilitârunt, omnes postremò salutem sibi coëgerunt fugæ præsidio quærere.

XVII. *Quòd cælestis visionis majestate Saxones perterriti, fugiendo vitæ consuluerunt.*

QUA repulsa Saxones irritatiores facti, & ignominiam suam fugæ repetito certamine sarcire cupientes, ac victos priùs victores ad unum delere; ipsa nocte cui tam crudelis negotii dies elucere sperabatur, incredibili repentè perculsi formidine, fusa cælitus clarissima luce ambiri conspicantur Ecclesiam, cujus memoria jam suprà facta est; & per illius culmen insignem quemdam lineamentis [a] quidem humani corporis cir-

[a] In appendice ad Vitam S. Bonifacii agemus de isto prodigio, quod anno DCC LXXIV contigit. Translatio verò corporis S. Vvigberti superiùs descripta anno præcedente facta esse videtur.

cumscriptum, at valentiam dignitatémque mortalium longè præstantem, albis etiam vestibus amictum, hac & illac deambulare. Divino itaque nutu & hujus visionis exterriti majestate, relictis impedimentis & omnibus aliis necessariis, vitæ tantùm consulere festinantes ad fugam se denuò contulere. ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII.

XVIII. *De divisione prædæ.*

MANE igitur opidum egressi, qui clausi hostium impetum morabantur objectu murorum; ut eos abiisse, immo velut nudos cunctis vulgo dimissis effugisse compererunt, divinæ munificentiæ gratulantes, adversariorum spolia viritim partiti sunt, inopinúmque gaudium revexerunt.

XIX. *De homine paralysi perenni multato.*

NEQUE ita multo pòst cùm iidem Saxones revertissent, instauraturi malè toties experta certamina; unus eorum capit ignem, fomenta subjicit, Ecclesiam conflagrare jamdictam molitur. Sed casso infectóque nisu, divina virtute per intercessionem S. Wigberchti [a] repulsus, conatibus verè sacrilegis digna retulit præmia, paralysi scilicet perenni multatus.

XX. *De raptore sensu & visu privato.*

EAMDEM etiam domum quidam ex illis exspoliare conatus, defractâ januâ irrupit, crucísque argenteam laminam affabrè inauratam rapuit, profanísque manibus nequaquam efferre cunctatus est. At confestim divina ultio insecuta, ita hunc reddidit impotem sui, ut brutum magis animal quàm hominem duceres. Sic cum lamina circa Ecclesiam repertus oberrans, quod sciens malè sublegerat, justè nesciens reddidit. Sanctorum quoque Reliquiæ quas iidem asportaverant, in villa Gesmari quæ non longè abest, repertæ sunt integræ.

XXI. *De ineffectiva potentia ignis.*

NEc illud transierim, quòd sæpedicti Saxones adhibito igni & multiplici fomite, amicâ sanè igni materiâ, frequenter inculcatam domum illius Ecclesiæ comburere conati sunt. Sed interventu beati Wigberchti delusa est illorum insania. Siquidem tantum abfuit effectus ab eorum molitione, ut præter in subjecta fomenta nil ignis ille valuerit, quem furens manus adhibuerat Barbarorum. Videres lignorum simplicem materiam nec prorsus alumine oblitam, velut amoliri à se ignis potentiam; & cui priùs esset obnoxia, Dei voluntate vim resistendi inditam sibi ostentare mirantibus.

b Id miraculi tribuitur S. Bonifacio in Annalibus Eginhardi, Reginonis, Fuldensibus, &c. ubi huic facto aliud suprà cap. 17 memoratum continenter subjicitur, quasi utrumque eodem tempore eadémque Saxonum impressione acciderit: tametsi Lupus Saxones non semel de incendenda Ecclesia cogitâsse adfirmat cap. 21.

ANN. CHR. DCC XLVII. AUG. XIII.

XXII. *Quòd Ecclesia ipsa nullis squaloribus maculari valuerit.*

SAXONUM post discessum, pars haud eximia Hassonum (Hassones quippe dicuntur qui incolunt ipsum pagum) mundatum Ecclesiam convenêre, sordere illam quamgravissimè ferentes, propterea quòd Saxones equorum in ea præsepia fecerant, nihilque Religioni detulerant. Verùm introgressi, nihil penitus quod esset verendum inveniunt. Ita sordium squalorem divina virtus detersterat, nulla usquam vestigia immunditiæ totius resederant.

CAPITULUM XXIII.

HÆc obtigerunt circa Ecclesiam, ante quam monumentum illius diu mansisse monstravimus. Ceterùm postquam in opidum ossa illius transposita sunt; ut unguentum pretiosissimum quando est agitatum, gratissimos latè spargit odores, ita viri hujus mortæ Reliquiæ ubertim miraculorum spiravere fragrantiam. Aperuit nimirum vetus Arbiter & intimus, labefacta jam humana conditione membrorum compage, cui quondam hæc regens B. Wigberchti paruerit spiritus, dignatus eum frequenter intra biduum triduúmve collatione novem signorum.

XXIV. *Quòd ex cælesti admonitione corpus ejus ad Monasterium Herolfesfelt sit perductum.*

a AT interjectis aliquot annis, ALBUINO [a] Præsuli Fritislarensis ejusdem opidi per quietem aliquis observatur, qui se divinitus missum

b diceret ad Monasterium, cui est vocabulum *Herolfesfeldt* [b], quò & ossa beati viri transferri præcepit. Id memoratus Episcopus LULLO Moguntiacensis Ecclesiæ Pontifici revelavit; isque rem ad Magnum CAROLUM detulit, ac ejus adsensum protinus impetravit. Ita Lullo jubente suffraganeus ejus Albuinus tribus Monachis præfati Cœnobii, ERNUSTO scili-

c cet, BATURICO [c], WOLFFO, noctu sacros B. Wigberti cineres tradidit,

a ALBUINUS, aliis VVITTA seu VVITTANUS, à S. Bonifacio creatus est Episcopus castri *Buraburch* seu *Buriburch*, cui vicinum erat opidum *Fritislar*. De Vvitta, licèt tacito nomine, exstant litteræ Bonifacii & Zachariæ in Actis S. Bonifacii auctore Othlono in lib. 2 capp. 1 & 2 infrà, quibus Bonifacius ratam fieri petit ipsius ordinationem; Zacharias verò confirmat, scripta etiam epistolâ Indict. XI, id est anno DCCXLIII, *dilectissimo* VVITTÆ *Ecclesiæ Birburgensis*, aliis *Barbarena* Episcopo, quæ tum in tomis Conc. tum inter Bonifacianas epistolas ordine 131 legitur. Interfuit VVITTANUS Episcopus Synodo Germanicæ, quam refert Othlonus lib. 1 cap. 34. *Vvitta* proprium viri nomen Latini reddiderunt ALBUINUS: nam *Vvit* Saxonicè seu Germanicè, Latinè *album* significat. Hinc *Candida casa*, antiqua Episcopi sedes in Britannia insula, hodiè *Vvit herne* appellatur. Buriburgum hoc loco *Fritislarensis opidi* nomine censetur, ut suprà notatum: aut certè Albuinus dicitur *Antistes Fritislarensis opidi*, eo modo quo Archiepiscopus Narbonensis dicebatur olim *Archiepiscopus Redensis*, Ausonensis verò *Episcopus Manresensis*; Helenensis item *Rossilionensis*, denominatione sumta à locis peculiaribus suæ diœceseos, ut rectè Stephanus Baluzius observavit.

b Herolfesfeldense seu Hersfeldense Monasterium *Hirsfeldt* in Hassia ad Fuldam amnem, nunc opido auctum, ædificari cœptum est anno DCCXXXVI, teste Lamberto Scafnaburgensi, ejusdem Cœnobii egregio Historiographo: cujus Monasterii initia SS. Bonifacio Archiepiscopo & Sturmio, incrementa Lullo Bonifacii successori, restituta disciplina S. Gotehardo, decus & ornamentum ipsi Gotehardo & S. Bardoni Moguntinis Archiepiscopis accepta referri debent. Auxit Monasterii famam translatio hæc S. Vvigberti Reliquiarum, quæ anno circà DCCLXXX facta est. Joachimus Maderus Helmestadii nuper edidit libellum à Monacho anonymo compositum ante annos quingentos de institutione Herveldensis Ecclesiæ, in qua B. Lullus Monachos centum quinquaginta constituisse dicitur. Lege Chronicon Lamberti Scafnaburgensis.

c Is Brovvero idem esse videtur cum Baturico Episcopo Ratisponensi, ad quem exstat laudatorium carmen HRabani in persona Isanberti Monachi.

clam

clam perferendos ad Monasterium. Siquidem id facere interdiu veritus est, ne tanti viri populus amore devinctus, Fratres memoratos cæca seditione convexaret, vel quibuslibet injuriis incesseret; viribúsque superior, sibi tam insignis thesauri privilegium vindicaret. Non quò venerabilis Præsul sancto Wigberchto diffideret, qui profectò suas ferentes Reliquias tueri poterat intercessione; sed quòd perquàm scitè perpenderit, quamquam manifestè Deus faveret, considerationem humani consilii, utpote justi, nullatenus posthabendam. Plenum est quippe Christianæ devotionis, quamdiu habet homo quod faciat, non tentare Dominum Deum suum. Quòd si cui hæc exauctorari posse videatur adsertio, illud ei obvertemus exponendum, cur cùm Israëliticum populum Pharao dimisisset, non duxerit eum Dominus per viam terræ Philistiim? videlicet ne fortè pæniteret populum, si videret adversùm se bella consurgere. Quem planè locum aliter transire sano nequaquam poterit intellectu, nisi in nostram concedens, immo majorum sententiam, ibi ostendi fateatur fieri debere omnia, quæ consilio recto fieri possunt, ad evitanda quæ adversa sunt, etiam cùm Deus apertissimè adjutor est.

ANN. CHR. DCC XLVI. AUG. XIII

ex Augustino q. 48 in Exod.

XXV. *De arca sepulcro ejus imposita.*

ERGO præfati Fratres munus amplissimum sibi ab Episcopo traditum Monasterio *Herolfesfeldt* celeres invexerunt, & à reliquis Dei servis illic exceptum, magnificè primo loco est in Ecclesia conditum. Atque Lullus annuente Magno Carolo, monumentum [a] illius, quo more per Gallias Germaniámque ceterorum Sanctorum visuntur, auro & argento, necnon reliquis congruentibus metallis exornandum curavit, & id opus ad Idus Augusti complevit. Ubi postea divina exuberante gratia, magna & admirabilia signa claruere. Ex quibus cùm sint pæne innumerabilia, hîc pauca quædam subjungam, quorum consideratione metiatur cetera quisquis volet.

XXVI. *De curatione Huntheri.*

QUIDAM ægrotus eousque, ut in carruca in morem lecticæ instructa perduceretur ad memoratum Cœnobium, ibi meritis B. Confessoris opitulantibus non utcumque revaluit, sed incolumitatem certissimam est adeptus: atque monastico hic habitu sumto, obeundis Cœnobii muneribus nequaquam se imparem gavisus est. huic nomen Huntheri fuit.

XXVII. *De Burgvvarto paralytico.*

ALIUS quoque, vocabulo Burckwart, viribus propemodum totius corporis destitutus, ante limina S. Wigberchti non parvo tempore

[a] Ciborium antiqui appellabant ædiculam super Sanctorum tumulum erectam, quam auri argentique laminis decorare solebant: qua de re plura in Præfatione Sæculi 2 § 4, & in Vita S. Sturmii num. 20. *Anno* DCCC XXXI, ut Lambertus Monachus auctor est, *Brun & Raban Abbates fundamentum Ecclesiæ S. Vvigberti foderunt* VI *Id. Iulii, feriâ secundâ.* HRabanus post mortem Bruni eam absolvit dedicavitque *anno* DCCCL, & quidem V *Kalend. Novemb.* Huc spectant HRabani versus de Ecclesia S. Vvigberti, cujus corpus *in abside orientali* quiescere dicitur. *Anno* MXL, teste Lamberto Scafnaburgensi, *dedicata est crypta Herveldensis, atque in eam translata sunt Reliquiæ SS. Confessorum Vvigberti & Lulli.* Perstat etiam nunc S. Vvigberti Ecclesia Hersfeldensis: at nostra ætate pinguis possessio Monasterii, inquit Gabriel Bucelinus in Topographia Germaniæ, Landgraviatui Hassiæ adjecta est.

Ann.Chr. DCC XLVII. Aug. XIII.

jacuit, & tandem succurrentibus ejus efficacissimis precibus, plena sospitate donatus est. Namque diu oblito gradiendi officio recepto, etiam Romam oratum perrexit.

XXVIII. *De Sigeberto dæmoniaco.*

SED ne gratiam quidem fugandorum nequam spirituum huic suo probatissimo famulo Dominus denegavit. Hac enim recenti memoria quidam correptus acerbissimo dæmone, Sigebraht vocabulo, ferreis manicis vinctus, miserabiliter attractus est, & interventu S. Wigberchti, inimici violentiâ liberatus.

XXIX. *De Bertgero dæmoniaco.*

SIc alter Beratgar dictus, & maligno spiritu in beluinam mutatus ex homine rabiem, apud Sancti hujus Memoriam eadem horribili passione curatus est.

XXX. *De trimoda sanatione Ramnulfi.*

ALIQUIS præterea oriundo Aquitanus, cui nomen erat Ramnulfo, ab ineunte mutus ætate surdúsque, & pæne ad faciem pecoris in alvum pronus; huc perductus, maximo rarissimóque miraculo affatum repentè obstructarúmque aurium sortitus apertionem, etiam secundùm prærogativam hominis, ad intuendum cælum erectus est. Ita triplici enim hac debilitate conflictatus, totidem se humani usûs compendia subitò meruisse miratus est.

HÆc inchoata, ut voluistis, quàm absoluta oratione ditexi: qua neque commenticium aliquid extrinsecùs addidi, & quæ vestra sollertia jussit inserenda, servato tramite veritatis expressi. Quæ beatus Confessor Christi Wigberchtus utinam pio prosequatur favore; ac vobis qui ministrastis materiam, unà mecum qui hanc in aliquam redegi formam, intercessionis vicem compensare dignetur.



Ann. Chr. DCC XLVIII. Oct. III.

DE VENERABILI VVIDRADO
ABBATE FLAVINIACENSI
IN BURGUNDIA.

* Vvaré

1. VIDERADUS* *seu* Widradus, CORBONIS viri inlustris *filius, nulla re gesta notior est, quàm Monasterii Flaviniacensis conditione. De ea hîc agendum & de duplici ejus Testamento: quæ sola nobis monumenta de eo restant.*

Flaviniacū duplex.

2. *Præter Flaviacum Belvacensis pagi Monasterium, modò S. Geremari dictum, quod Ferrarius idem cum Flaviniaco esse putavit; duplex fuit in Gallia Cænobium, cui utrique nomen Flaviniaco. Hugo Abbas Flaviniacensis in Chro-*

nico Virdunensi agit *de illo duplici loco, quorum unum reponit in territorio Tullensi his verbis:* Flaviniacum est villa ditioni Ecclesiæ S. Vitoni subdita, in territorio Tullensi sita. *quam in villam Rodulfus Abbas Cœnobii S. Vitoni se recepisse, ibique exspirasse memoratur.* Morabatur tunc, *inquit Hugo circa finem Chronici*, apud Flaviniacum villam, honestam & optimam Monasterii cellam. *Erat ergo tum locus iste Prioratus prædictæ Abbatiæ subjectus. De alio Flaviniaco* * *Monasterio celebri diœceseos Æduensis in Burgundia Hugo passim agit in Chronico suo: cujus posterior pars longè accuratior & præclarior est quàm prior, in qua fœdi ac varii lapsus occurrunt in calculo temporum. Exemplo est id quod scribit de tempore conditi à Vvidrado Cœnobii Flaviniacensis, & dedicatæ Ecclesiæ per Iohannem Papam VIII. nam Cœnobii primordia revocat ad annum* DC I, *dedicationem ad* DCCC LXXX. *utrumque mendosè. Hugonem fefellit Vvidradi conditoris testamentum, datum* anno primo Theoderici Regis. *Id enim explicavit (tametsi non bene, etiam in sententia sua) de Theoderico Sigiberti ac Brunechildis nepote, quod de Theoderico Kalensi interpretandum erat. Rem propiùs videamus.*

ANN. CHR. DCC XLVIII. OCTOB. III.

* Flavigny

3. *Vvidradus in priori testamento suo (eum enim duo confecisse postea videbimus) multa prædia concedit Monasterio, quod* in re propria constructum *à se dicit*, in loco nuncupato Flaviniaco, in agro Burnacense, in pago Alsense, ad honorem S. Præjecti. *Atqui S. Præjectus passus est necem ineunte anno* DC LXXIV, *ut probatum est Sæculo 2. Ex quo intelligitur, Cœnobii incunabula non posse referri ad principatum Theoderici Regis secundi, qui unà cum Theodeberto fratre regnare cœpit anno* DXCVII. *Hinc etiam excipiendus Theodericus tertius, Chlodovei junioris & Balthildis filius, qui eodem quo Præjectus cæsus est anno regnum iniit. Vix enim quis putet, Vvidrado in mentem venisse, ut eodem anno Basilicam posuerit S. Præjecto, immo ante ipsum annum. siquidem quum Vvidradus testamentum condebat, jam constructum erat Monasterium. Accedit quòd posterius testamentum scriptum est* anno IV Childerici Regis, (*sic enim legendum esse postea demonstrabimus*) *id est anno* DCC XLIV, *quo Vvidradus ampliùs non fuisset superstes, si anno primo Theoderici tertii Cœnobium ædificasset. Unum est quod hîc remoram injicit. nempe quòd privilegium* Gairoino Abbati Flaviniacensi *concedit* Pippinus Major-domus: *quo nomine Pippinus Caroli Principis, vulgo Martelli, pater designari solet: cùm alius* Pippinus Princeps, Dux, Rexve *cognominetur passim. Id verum quidem. at hic nonnumquam vocatur* Major-domus, *uti in Annalibus Francorum auctioribus, quos ex codice Tilliano Andreas Chesnius vulgavit in tomo 2 Hist. Franc. nam ad annum* DCC XLII *leguntur hæc verba:* Carlomannus & Pippinus Major-domus duxerunt exercitum contra Hunoldum. *Annales verò alii, quibus usus est Regino, ab eodem editi, rectiùs:* Carlomannus & Pippinus Majores-domus duxerunt exercitum contra Hunaldum. *Attamen Necrologium Flaviniacense istud privilegium tribuit Pippino Caroli Tuditis patri in hæc verba:* Kal. Novemb. obiit Pippinus Major-domus, pater Karoli Tuditis, qui Glennonem dedit. *Verùm Necrologium istud auctorem habet Hugonem Abbatem, ut quidem mihi videtur; aut certè alium qui ab ipso accepit. Iam primum Vvidradi testamentum referamus.*

Flaviniacensis Abbatiæ initia.

ANNO primo regnante THEODERICO Rege sub die XV Kalend. Februariarum. Ego WIDERADUS Abba filius viri inlustri * CORBONIS quondam, sana mente integróque consilio, metuens humanæ fragilitatis casus, Testamentum meum condidi, quem * ALDOFREDO Notario scribendo * commisi: ut quando dies legitimus post transitum meum advenerit, recognitis sigillis, inciso ligno, ut legis decrevit auctoritas,

Vvidradi primum testamentū.
* inlustris
* quod
* scribendum

ANN. CHR. DCCXLVIII. OCTOB. III.

perinlufter vir AMALSINDO, quem in hac pagina teftamenti noftri legatarium inftitui, geftis reipublicæ municipalibus titulis, ut ab ipfis ejus profecutione muniatur, & in charta bafilicæ S. Præjecti quem* ego ædificavi, confervandum decrevi. In reliquo verò qualefcumque à quocumque epiftolæ aut teftamenta vel confcriptione de nomine meo vel manu mea firmatæ oftenfæ fuerint ante hoc teftamentum prænotatæ, quas hîc non commemoravero, exceptis ingenuitatibus, quas pro animæ noftræ remedio fecimus, aut adhuc facere volumus, vacuæ permaneant. Et quod unicuique per hoc teftamentum dedero daréque juffero, id ut fiat, detur, præftetur, impleatur, te Omnipotens teftem committo. Quapropter dum non habetur incognitum, qualiter difpenfante Deo ad abendum loca Sanctorum, S. Andochii Sedelocenfe[a], & S. Reginæ Alfinfe[b], & S. Ferreoli, ubi ipfi pretiofi requiefcunt in corpore, in mea cura fufcepi. Infuper etiam & in loco nuncupante Flaviniaco, in agro Burnacinfe, in pago Alfinfe, in re mea propria meo opere conftruxi, atque MAGOALDO Abbati cum Monachis fuis delegavi regulariter in perpetuo ad poffidendum. Dono igitur ad bafilicam fuprà memoratam S. Andochii Martyris portiones meas atque loca denominata. Hæc funt. in pago Alfinfe & in Pauliacenfe Mefcriacum[c], Cecefiacum[d], Vallinfe[e]. in pago Avallinfe[f] Paffariniacum[g]. in pago Commavorum Stolingus & Macereas[h]. in pago Portinfe Criffonvilla[i] & Vagomundi-curtem. in pago Neverninfe Senferiacum[k] & Ariacum, præter illas vineas, quomodo ille rivulus currit, qui vineis Aldeberti ad pratum vadit, totum illum claufum quem nos juffimus plantare ad integrum cum exfo* & regreffo, unà cum manfo & colonica illa, quæ fuit Anfeberto, & modò tenet illam Sicbertus; & ipfum Sicbertum cum uxore fua vel infantes eorum, qui ipfam vineam debeant procurare, quam S. Præjecto dedimus.

In reliquo verò ficut à me tam de alodo parentum, quàm per quemlibet adtractum, tentum, dominatum atque poffeffum eft, omnia ex omnibus cum domibus, ædificiis, terris, campis cultis & incultis, mancipiis, accolabus, libertis, vineis, filvis, pratis, pafcuis, aquis, aquarúmque decurfibus, omne genus pecudum majore atque minore, mobilibus & immobilibus, omnem rem inexquifitam, quidquid in ipfa loca fuperiùs nominata habere videor, totum & ad integrum ad S. Andochii bafilicam proficiat in augmentum.

Similiter donamus ad bafilicam S. Reginæ, ubi ipfa pretiofa requiefcit in corpore, in pago Ternodrinfe[l] Vibelum, Cicunias[m], Anciacum[n], Rabarias[o]. in pago Leotincinfe Villam-Maurianæ[p], Altam-ripam[q], Baniolum[r]. in pago Duifmenfe[f] Stafiacum[t], Colubarium[u], Vilnovetum[x]. in pago Ammaviorum Cariniacum[y] & Cafellas[z]. in pago Portinfe Aviciacum & Pufcionem[a], in pago Athoariorum[b] Puffeffionem. Hæc omnia fuperiùs comprehenfa, ficut & alia loca ad S. Andochium dedimus, ita & ifta ad S. Reginæ poteftatem cum omnibus integritatibus earum delegavimus.

Similiter donamus & ad bafilicam S. Ferreoli, ubi ipfe Domnus requiefcit in corpore, & nos in regimine habemus; in pago Pauliacinfe Aciacum cum omnibus appendiciis fuis ad integrum, ficut & illa alia loca ad S. Andochium & ad S. Reginam; ita & ad bafilicam S. Ferreoli dedimus, in ea verò ratione, ut dum nos advivimus, fuprà memoratas Abbadias S. Andochii & S. Ferreoli vel S. Reginæ, & omnes res fibi debitas vel ad fe pertinentes, in integritate feu & jam dicta loca noftra, quæ nos ad ipfas delegavimus, tenere & poffidere quieto ordine faciamus. Poft

* quam

a de Saulieu
b de l'Auffois

c Miffery
d Ceferay
e la Vaux
f d'Avalon
g Paffy
h Maizieres
i Effour
k Sancerre
* id eft exitu & regreffu, ut in Teftamento Guillelmi Ducis pro Cluniaco & aliis.

l de Tonerre
m Chichée
n Ancy le franc
o Ravieres
p Villemaurin
q Hauterive
r Baignole
f de Duefme
t Stavoify
u Coulmiers
x Villeneufve
y Charny
z Chafelles
a Poiffeux
b de Beze

nostrum quoque discessum suprà memoratas Ecclesias & suprà dictas res unaquaque casa per rectores suos absque ullius contradictione in suam faciant revocare dominationem. in ea ratione, ut Monasteriolum nostrum Flaviniacum vel strumenta, quod * ad ipsum locum in honore S. Præjecti fecimus, in omnibus studeant conservare. Et si ipsa instrumenta inrumpere aut ipsum Cœnobiolum inquietare præsumpserint, aut res ejus minuare voluerint, nec hoc valeant vindicare : sed res nostras quas ad suprà memoratas Basilicas S. Andochii & S. Ferreoli vel S. Reginæ delegavimus, amittant, & per protectionem regiam casa S. Præjecti Flaviniacensis cum omni integritate ipsas recipiat perpetualiter ad possidendum. Quòd si Pontifex vel aliquis quislibet, dum advivimus, de ipsis Abbadiis vel de rebus earum nos exspoliare voluerit, aut aliquid minuare præsumpserit, aut ego ipsas Abbadias vivens dimisero; nos res nostras quas ibi delegavimus, licentiam habeamus ad nostrum dominium revocare : & quidquid exinde facere voluerimus, liberam in omnibus habeamus potestatem.

ANN. CHR. DCC XLVIII. OCTOB. III.

* quæ

Præterea donamus, donatúmque in perpetuo esse volumus ad jam dictum Monasterium S. Præjecti Flaviniacensis, quod in agro Burnacinse opere nostro ædificavimus, in pago Alsinse ipsum Bornadum cum ipso castro Flaviniaco cum omnibus adjacentiis vel appendiciis suis ad integrum; & locella seu colonecis in Cadonato, Darciaco [c], Ceresio [d], Aguniaco [e], Gessiaco [f], Luveriaco [g], Luviniaco [h], Pruviniaco [i], Auderato, Montecellis : & in pago Ternodrinse Blavaco & Marcomania [k]. in pago Avalinse & Neverninse sive Ammonias curtem qui vocatur Corbiniacus [l] & Antonum cum omnibus adjacentiis vel appendiciis earum in integrum; & colonicas in Lisconio, Dumsatio, Viriaco, Valentingos, Vallecrovaria, Juliaco [m], Pagatiaco [n], Cassaniola [o], Wldonaco [p], Careaco [q], Cappas, Degantiaco, Casseaco, Riosceila, Palatiola, Govilis, Sipiciaco [r], & Sapiliaco, seu & illa colonica in Ariaco, quæ fuit Anseberto cum ipso homine qui supra commanet, nomine Sigberto & uxore sua leda nostra, vel infantes eorum, in integritate quidquid ad ipsam colonicam aspicere videtur, cum omne superposito : & illum clausum in ipso Ariaco, quomodo ille rivus de vinea Aldoberti descendit ad pratum, totum illum clausum quem nos plantare jussimus, cum exso & regresso in integrum. & in pago Barrinse Falciolo & Ulmodo [s]. & in pago Pauliacinse Balma & Corniciaco. & in pago Athoariorum Hicio & Blandoniaco & colonica. in pago Amavorum Fraxino [t] & areas in Salinis [u], Crausone & Vigris. similiter & areas in Augustodunum civitate. Ista omnia quæ superiùs nominavimus, cum omnibus appendiciis vel adjacentiis earum, quantumcumque ibidem tenere & possidere videmur, per quemlibet adtractum ad nos pervenit, aut legibus pervenire debet, totum & ad integrum cum omne superposito à die præsente in honore JESU-CHRISTI Domini nostri & sancti Præjecti Martyris MAGOALDO Abbati Monachísque suis tradidimus ad possidendum cum domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis tam ibidem oriundis quàm aliunde translatis vel ibidem commanentibus, vineis, silvis, campis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, omne genus pecudum tam majore quàm minore, mobilibus & immobilibus, omnem rem inexquisitam, & quidquid dici aut nominari potest, totum & ad integrum ad jam dictum Monasterium sancti Præjecti Flaviniacum vel rectores ejus proficiat in augmentum.

c Darcey
d Cerisey
e Oigny
f Gissey
g Luiray
h Leugny
i Prugny
k Marmaigre
l Corbigny
m Iuilly
n Passy
o Chussignole
p Velongny
q Curre
r Sepoisse
s Lorme
t Fresne
u Salins

Similiter & illas cessiones quas ad libertos nostros Ghilberto & Gimberto Clericos, ad eorum ingenuitates confirmandas Daolonecas in Bornato & in Cercsio fecimus, quando eos pro animæ nostræ remedio inge-

ANN. CHR. DCCXLVIII. OCTOB. III.

nuos dimisimus: ut dum advivunt hoc teneant, & post ipsorum discessum cum omne superposito ad jam dictam casam sancti Præjecti, ubi eorum patrocinia & defensionem constituimus, revertere faciant. Volumus etiam ut ingenuos eos* fecimus aut inantea fecerimus, quanticumque in ipsa loca manent, quæ ad sanctum Andochium & ad sanctam Reginam & sanctum Ferreolum vel ad sanctum Præjectum delegavimus, inspectas eorum libertates super ipsas terras pro ingenuis commaneant, & aliubi commanendi nullam habeant potestatem: sed ad ipsa loca sancta debeant sperare, & nullus de ipsis lidemonium nostris heredibus reddant; & de hoc quod eis per cartas dedimus ad aliquos aliubi vendere, nec alienare habeant licentiam.

* l. quos

Præter ista omnia reservavimus infaucidia heredibus nostris Pagaciacum. in pago Neverninse curtem quam dicunt Montem-Porcionis. Similiter & in pago Athoariorum Vedis-vineas, Voguntias, Luco [x], Sagoneco [y], in pago Portinse Soluillare, Monricouilla, Ebrouvillare [z], Saegalarias, in ea ratione, ut facta mea in omnibus studeant conservare atque defendere. Quòd si hoc facere neglexerint, quidquid eis deputavimus perdant, & de omni corpore facultatis meæ reddantur extranei. Et si aliquid comparavero vel adtraxero, vel pro quolibet ingenuo ad nos pervenit, aut inantea pervenerit, quod in isto Testamento suprà non commemoravimus, post nostrum discessum casa sancti Præjecti per rectores suos recipiat perpetualiter ad possidendum.

x Lucé
y Sagonay
z Breuillart

Per præsentem itaque Testamentum basilicam sancti Præjecti, quam opere meo Flaviniaco construxi, heredem meam instituo; eique præsentem codicillum commendo: per quem ita constituo, ut nullus Episcopus ullius civitatis, aut Archidiaconus vel quilibet ex Clero, aut actores Ecclesiæ ullo modo de prædicto Monasterio sancti Præjecti nullum præsumant exercere dominatum, non ad mansionaticos aut repastus exigendo, non ad ministeria describendo, non ad Abbatem mittendo, nisi cùm necesse fuerit Chrisma petere, tabulas aut altaria consecrare, sacros Ordines benedicere, sicut Losodienses aut Lerinenses vel Agaunenses Monachi, à quemcumque de sanctis Episcopis sibi elegerint qui hoc agere debeat, licentia sit eis expetere, & illi hoc benedicere. Si autem karitate exigente Pontifex quilibet ab Abbate vel Monachis ibi fuerit invitatus, simpliciter quæ ei à Fratribus offeruntur accipiat, nulla exenia vel munuscula ampliùs quærat. Quòd si fecerit, à glorioso Domno quem tunc Deus Regnum Burgundiæ gubernare permiserit, hoc protinus emendetur. Cùm verò Abbas illius loci acceperit transitum, quemcumque de semetipsis Monachi ibidem habitantes elegerint secundùm Deum; aut si communi consilio aliunde eligere voluerint, hoc in eorum maneat potestate. Quod verò Deus avertat, ne ibidem sanctus Ordo tepescat, potestas maneat Monachis ibidem habitantibus ad unum de sanctis Monasteriis expedire, & per eorum salubre consilium eorum Regulam emendare.

Te igitur domna & sancta mater mea Ecclesia sancti Præjecti heredem instituo, quidquid unicuique deputavi, fidei tuæ committo. Te quoque heredem meam in Deum & Regis potestatem commendo, ut contra omnes inquietudines sua te post Deum fortitudo defendat: quia hoc quod tibi deputavi, malo te habere quàm me, te magis quàm ceteros heredes ac proheredes meos.

Precor igitur domnum gloriosum Regem, tam tempore moderno regnantem quàm futuro succedentem, & per Dei tremendum judicium adjurare præsumo, ut præsentem codicillum vel jam dictum Cœnobiolum

meum sua fortitudine jubeat defensare atque solidum in omnibus custodire, ut nullatenus ab infestatione malorum hominum possit inrumpi: sed delectet Monachis ibidem conversantibus, vel Sacerdotibus per loca sancta quæ præsens noster codicillus commemorat habitantibus, pro me & vita Regis & filiorum ejus Dominum supplicare. ANN. CHR. DCCXLVIII. OCTOB. III.

Si quis verò (quod futurum esse non credo) si aliquis heredum ac proheredum meorum, vel quælibet opposita persona præsens hoc Testamentum meum infrangere conaverit, vel tentare præsumpserit; in primis usquedum ad veram emendationem proinde corrigatur, Deum & Sanctos suos habeat contrarios, & à liminibus Ecclesiarum efficiatur extraneus: & insuper inferat cui quem pulsaverit, unà cum consocio fisco auri libras triginta argento pondera quingenta coactus exsolvat; & nihilominus præsens pagina firma permaneat stipulatione subnixa. Quam manu mea propria subter firmavi, & bonorum hominum signis vel alligationibus roborandam decrevi. Et, quod superiùs memorati debueramus, tam aurum quàm argentum, vel reliquas fabricaturas seu ministeria Ecclesiæ, vel strumenta cartarum, libros vel vestimenta Ecclesiæ vel omne præsidium, quod mihi legibus vivens possidere videor, & mihi redebetur; inspecto illo strumento quod antea ad sanctum Præjectum vel ad Abbatem Magoaldum & Monachos ejus fecimus; post nostrum discessum ad ipsum Monasterium sancti Præjecti. Flaviniacum revertantur. Et ipse Abbas Magoaldus cum Monachis suis pro animæ nostræ salute ea recipiat, & perpetualiter eis proficiat in augmentum: vel quidquid exinde facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem faciendi. WIDRADUS Abba. GEREFREDUS Defensor. AMALSINDUS, HALDOFREDUS. Actum Sinemuro * castro, die Kal. Febr. XV. & scriptum per manum Haldofredi Notarii, suadente & deprecante eodem venerabili Abbate Widrado, immo sigillante perinlustri viro AMALSINDONE sigillo regio. anno domni Theodorici Regis primo, adstante nobili & firmante vulgari populo unà cum Defensore Gerefredo clarissimo viro.

* Semur

4. *En primum Vvidradi Testamentum, exactum ad duo exemplaria manu descripta, unum ab annis fere octingentis. In eo multa essent adnotanda. verùm instituto nostro pauca sufficient.*

5. *Vvidradum è Burgundia ortum esse probant multiplicia prædia, quæ basilicis Sedelocensi, S. Reginæ, S. Ferreoli & S. Præjecti concessit. Basilica S. Reginæ etiamnunc visitur, & frequenti populorum concursu teritur eo in loco, ubi Sancta martyrium passa est, nempe in declivi colle, cui impositum Alexia * opidum, in libro 7 Commentariorum à Iulio Cæsare celebratum. Inde uno fere milliari distat Flaviniacum castrum seu opidum in arduo monte positum: ubi hactenus cernitur Monasterium S. Petri, quod nomen à dedicatione per Iohannem Papam VIII facta retinuisse videtur, omisso vocabulo S. Præjecti, quod antea usitatius erat. Certè in Chronico Benigniano ad ann. 1012 & alibi,* Abbatia S. Petri *appellatur. In ea S. Petri Ecclesia satis pro loco eleganti plures habentur Sanctorum Reliquiæ, in his S. Reginæ: de quarum Translatione quædam inferiùs adnotabimus. Porro ex prædicto testamento constat, Flaviniacum ante conditas Monasterii ædes jam* castrum, *id est opidum fuisse. Sic enim prisci illi homines opida muris circummunita vocabant.*

Vvidradi patria.

* Alize

Flaviniaci situs.

6. *Fueritne eo in Cœnobio Monachus Abbásve Vvidradus, meritò quæri potest. Sæculum deserendi habuisse animum videtur ex illis testamenti sui verbis:* Si ego ipsas Abbadias vivens dimisero, *&c. quod & ipsum præstitisse credere par est. Abbas quidem erat antè, quàm Flaviniacensibus suis adjungeretur: sed qualem ea tempora ferebant. Nempe qui Ecclesias sive Monachis, sive Clericis*

Vvidradi monastica professio.

Ann. Chr. DCCXLVIII. Octob. III.

attributas tunc in titulum habebant, ii Abbates dicebantur, etiam ævo Gregorii Turonici Episcopi, ut constat tum de Abbate basilicæ S. Remigii apud Remos, tum de aliis multis. Et basilicas Sedelocensem, S. Reginæ, & S. Ferreoli (si non fallor) Vvidradi tempore Clerici incolebant. Vvidradum Flaviniaco Abbatem præfuisse per XII annos, *ordinatúmque fuisse* XI Kalend. Maii, *auctor est Hugo in Chronico. Ut Abbas fuerit, facilè admiserim: maximè cùm ejus ordinationis diem notet Hugo, qui id sine dubio in vetustis Monasterii sui monumentis legerat. quamquam solúsne illud rexerit, an potiùs cum Magoaldo aut Gairono Abbate, meritò quis dubitare possit. Vix enim locum reperias collocando Vvidrado, si Abbatem sine socio eum fuisse contendas.* Magoaldus *quippe loco præfuit ab anno primo Theoderici Regis, Kalensis dicti, ad annum minimùm quartum* Childerici *Regis, ut constat ex secundo testamento. Magoaldo post Vvidradum (siquidem Vvidradus solitariè Abbas fuit) brevi pòst intervallo successit* Gairoïnus *seu* Gaguinus *Abbas. Exstat charta duplex ejus tempore facta. una* Pippini Majoris-domûs, *quâ* Gairoïno *Abbati* mittit tabulas eburneas ad honorem S. Petri & S. Præjecti, *concedítque* piscinam Glennonem ad opus Fratrum. *alia* Bajonis & Ciliniæ matronæ, *tradentium* basilicæ Flaviniacensi & Gaguino Abbati ac Monachis quæ habebant in villa Pruviniaco cum Ecclesia ibidem constructa S. Symphoriani. Actum Flaviniaco castro publico, & exaratum à Ghisberto Presbytero, die dominico ante medium mensem Maii, anno VII Childerici Regis. *Aliam calculi rationem iniit Hugo Abbas, qui quòd Monasterii sui primordia retulit ad principatum Theoderici secundi; Magoaldi prælaturam prorogavit per annos* L, *ad tempora scilicet Childerici Regis, Chlodovei & Balthildis filii. Magoaldo substituit Vvidradum per annos* XII, *Vvidrado Gaironum in annum* DCC LV, *hoc est per annos ampliùs nonaginta. qui sanè calculus stare omnino non potest. Sic ergo videtur ordinanda series Abbatum Flaviniacensium.* Magoaldus, *rectiùs* Magnoaldus, *locum rexit ab anno* DCC XX *ad* DCC XLVI, *quo circiter anno successit ei* Gaironus, *Gairono* Manasses *anno* DCC LV. *in quo calculus noster in concordiam venit cum Hugonis sententia, scribentis in hunc modum:* Anno DCC LV post Gaironum Episcopum, Flaviniacensis Ecclesiæ Abbatem, Manasses ordinatus est Abbas tempore Pippini quondam Majoris-domus, tunc autem Regis Francorum. *Quia verò Gaironus Episcopus sive potiùs Chorepiscopus erat, nec Monasterii & Ecclesiæ rebus sufficere solus poterat; arbitror ei socium regiminis datum* Widradum, *qui antea honorario nomine, postquam scilicet Monachus factus est,* Abbas *dicebatur. Sic enim legimus factum in Monasterio Benigniano tempore Bertilonis Abbatis & Chorepiscopi Ecclesiæ Lingonensis: qui cùm utrique simul officio impar esset, Saronem Abbatem socium accepit. Certè Vvidradus in testamento secundo dicitur à Notario* Pater: *quod vocabulum Abbati tantùm regulari tribui solet. Fuerit ergo in regimine socius tum Magnoaldi, tum Gaironi Abbatum. Tantum est. Iam posterius Vvidradi testamentum referamus.*

Abbatis regularis dignitas.

Abbatum Flaviniaci series.

Vvidradi posterius Testamentum.

Sacrosancti loci reverentiâ in honore Christi Flaviniaco castro in pago Alsinse constructum in Dei nomine Widradus Abba.

Antiqua legum auctoritas & Principum decreta sanxerunt, ut unusquisque dum manet in corpore, de propria quam possidet facultate voluntatem suam litteris inserat, ut perennis temporibus inviolata permaneat. Quapropter dum non habetur incognitum, qualiter ego Widradus in Dei nomine Abba, unà cum consensu vel voluntate Galliarum Pontificum, in re mea propria apud Flaviniacum castrum in agro Burniacense, qui ex successione parentum meorum mihi evenit, in amore Christi Salvatoris & in

in honore sancti Præjecti vel ceterorum Sanctorum meo opere construxi; donamus & donatum in perpetuum esse volumus ad jam nominatum Monasterium sancti Præjecti vel Abbati MAGOALDO, qui ibidem secundum Ordinem Deo auxiliante gubernare faciat, & suos Monachos ibi instituat, ut per ejus ordinationem ipse sanctus Ordo perpetualiter sit institutus & conservatus; Flaviniacum scilicet castrum, ubi ipsum Monasterium est constructum, cum ipso agro Borniacense cum omnibus adjacentiis vel omnibus appendiciis eorum ad integrum. Similiter donamus curtem quæ vocatur Cadoniacus, quæ fuit de dono quod domnus THEODORICUS Rex genitori meo concessit; & Gisciacum quam de Angoleno comparavi. Et donamus curtem quæ vocatur Darciacus, & alia loca; Anciacum & Agoniacum vel Pruiniacum & Luguniacum potestate * sancti Angolini Villare etiam. Similiter in pago Ternodrinse curtem, quæ vocatur Blaciacus & Marcomania. in pago Duismense Audrate, Montecellis. in pago Avalinse Cassaniola, Cappas vel Degantiacum & Cassiacum unà cum ipso Oratorio quod meo opere construxi, & Palatiolo seu Govilis & Prumanis vel Antonem. Dono etiam Aglias, Balderias. In pago Belnisse Sineaineas & Matronecum. in pago Athoariorum Flexo & Blandonero. in pago Amœorum Macerias & Fraxino seu Carimaco & Cassellas. Et in Grusone vel Salinas portionem nostram quidquid ibidem habemus, vel legibus nobis redebetur. Ista omnia quæ superiùs quamtumcumque ibidem per quemlibet adtractum tenemus, totum & ad integrum cum omne suprapositio in nostro videlicet & priori Testamento, à die præsente in honore sancti Præjecti, prô remedio animæ meæ vel æterna salute dedimus cum domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis aquarúmque decursibus, omne genus pecorum libros, strumenta cartarum, ministeria vel vestimenta Ecclesiæ, mobilibus & immobilibus, omnem rem inexquisitam, quidquid dici vel nominari potest inibidem, totum & ad integrum ad suprascriptum Flaviniacum Monasterium, vel jam dicto Abbati ejúsque Monachis perpetualiter protegente Domino tradimus ad possidendum. Et donamus areas infra Eduam civitatem, & quantumcumque inibidem nobis legibus redebetur. Et dum omnes Præsules & nobiles personæ agnoscunt & cum provincialibus nostris cognitum est, quòd ego Widradus in mea re propria jam denominato Monasterio & Cœnobiolo sancto ibidem propter Deum instituto, quidquid exinde facere volo, præsenti tempore in omnibus mihi libera manet potestas; & dum ego per alia strumenta ad Monasteria sancti Andochii vel sanctæ Reginæ Martyris vel per alias Ecclesias de rebus meis propriis delegavi: propterea per præsentem paginam cum consensu suprà memoratorum Pontificum constituo, ut nullus Episcopus ullius civitatis, aut Archidiaconus, vel quilibet ex Clero, aut actores Ecclesiæ, nullum ibidem exercere dominatum, non ad mansiaticos aut repasticos exigendo, non ad ministeria describendo, non ad Abbatem mittendo. Dum verò necesse fuerit chrisma petere, tabulas aut altaria consecrare, sacros Ordines benedicere; Abba vel Monachi ibi consistentes à quocumque de sanctis Episcopis sibi elegerint qui hoc facere debeat, licentia sit eis expetere, & illi hoc benedicere vel consecrare. Si verò caritate exigente Pontifex quilibet ab Abbate loci illius ibi fuerit invitatus, simpliciter quæ ei à Fratribus offeruntur accipiat, nulla xenia vel munuscula ampliùs eis quærat, neque de omnibus rebus ipsius Monasterii ullam habeat potestatem. Quòd si Pontifex vel aliquis quilibet ex ecclesiasticis ministris, vel aliqua emissa persona contra ipsum Abbatem vel ejus congregationem de suprà scriptis

ANN. CHR. DCCXLVIII. OCTOB. III.

* l. de potestate scilicet

ANN. CHR. DCCXLVIII. OCTOB. III.

ordinibus vel benedictionibus, seu de rebus propriis Monasterii, vel per qualecumque strumentum aut quocumque modo ad ipsam casam fuit vel inantea fuerit delegatum ac decommutatum vel concessum, vel quidquid ad ipsum Monasterium vel homines ipsorum Monachorum pertinet, aliquid calumniare aut inquietare, vel per quodlibet ingenium minuare tentaverit; nec hoc valeat vindicare. & insuper illas res quas ad Ecclesias vel ad Monasteria in eorum parochiis per alia strumenta vel testamenta delegavimus, ipsas res perdant: & Abba vel actores supradicti Monasterii sancti Præjecti ipsas res sine ullius contradictione aut consignatione ad suam faciant revocare dominationem. Cùm verò Abba illius loci acceperit transitum, quemcumque de semetipsis Monachi ibi habitantes secundùm Deum & Regulam sancti BENEDICTI meliorem invenerint, ipsum Abbatem ipsi instituant. Quòd si ibidem de seipsis talem non invenerint, communi consilio illi sanctiores Monachi aliunde regularem Abbatem, qui eos secundùm Regulam sancti BENEDICTI regat, eligendum in eorum maneat potestate. Quod vero Deus avertat, ne ibidem Ordo sanctus tepescat, & ipse Abba emendare hoc postponit aut negligit, vel ipsi Monachi hoc noluerint; tunc qui ex ipsis recto ordine secundùm Regulam ibi voluerint vivere, ubicumque in proximis Monasteriis rectiùs & sanctiùs secundùm Regulam sancti BENEDICTI invenerint, potestatem habeant expetere, & per eorum salubre consilium ipsum sanctum Ordinem regulariter emendare. Precor igitur gloriosum Domnum, cui temporibus modernis & futuris succedentibus Deus Regnum Burgundiæ gubernare permiserit, & per Dei tremendum judicium adjurare præsumo, ut præsentem paginam vel facta mea ex jam dicto Cœnobiolo meo sua fortitudo contra omnem adversitatem pro mercede sua vel Regni sui stabilitate post Deum jubeat defensare atque solidum in omnibus custodire, ut nullatenus ab infestatione malorum hominum possit inrumpi: sed delectet Abbati vel Sacerdotibus seu Monachis ibi conversantibus pro vita ipsius & filiorum ejus atque exercitu ejus & omni populo catholico quieto ordine Dominum supplicare. Si quis verò, (quod futurum esse non credo) si ego ipse aut aliquis heredum ac proheredum meorum, vel quislibet opposita persona præsentem paginam vel facta mea, quæ ego devoto animo & bona voluntate pro æterna retributione feci & firmare rogavi, per anteriorem vel posteriorem structionem, vel pro quolibet modo vel ingenio infrangere conaverit vel temptare præsumpserit, in primis usquedum ad veram emendationem proinde corrigatur, Deum & Sanctos suos habeat contrarios, & à liminibus Ecclesiarum efficiatur extraneus. Et si quid de rebus meis habet condonatum, amittat, & ad partem suprascripti Monasterii sancti Præjecti revertatur, & insuper inferat ei quem pulsaverit, unà consocio fisco auri libras XXX argenti pondus quingenta, sicut in priori testamento habetur, coactus exsolvat, & quod repetit non vindicet: & nihilominus præsens pagina omni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. quam manu mea subter firmavi & bonorum hominum signis vel alligationibus tradidi roborandam. Actum Augustoduno civitate publicè, anno quarto regni domni nostri CHILPERICI Regis, die Sabbato proximo ante Kalendas Junias, in Christi nomine WIDRADUS Abba hanc donationem à me factam cum bona voluntate relegi & subscripsi. In Dei nomine MODERANNUS Christi dono vocatus Episcopus consensi. In Christi nomine CHEBROALDUS quamvis peccator Episcopus subscripsi. Ridelenus in Dei nomine. DONATUS Episcopus subscripsi. in Christi nomine GAUDERANNUS acsi peccator Abba subscripsi. In Christi no-

mine Erimbertus Archidiaconus subscripsi. Nordebertus subscripsi. Giso subscripsi. Ego BOSELENUS Subdiaconus hanc epistolam à suprà scripto Patre rogatus stipulavi & subscripsi, & notavi die Sabbato à proximo ante Kal. Jun. in anno quarto domni CHILPERICI Regis.

ANN. CHR. DCCXLVIII. OCTOB. III.

7. *Ex his quæ superiùs de tempore scripti prioris testamenti diximus consectarium est, posterius hoc conditum esse principatu Childerici ultimi Regis è Merovingica stirpe, qui mortuo Theoderico prædicto post interregni annos quatuor suffectus est. Sanè annus quartus istius Childerici convenit in annum Christi* DCC XLIV, *quo dies proximus Kalendis Iunii, quæ posterioris testamenti chronologica nota est, in sabbatum incidebat. De subscriptionibus nihil occurrit dicendum: nisi quòd* MODERANNUS *Ecclesiæ Æduensis Episcopus fuisse videtur,* DONATUS *Nivernensis;* GAUDERAMNUS *Abbas Monasterii Æduensis, nempe S. Martini, aut S. Symphoriani.*

8. *Quamdiu post conditum hocce testamentum superstes fuerit Vvidradus, incompertum. Mortuus est* v Nonas Octobris, *sepultúsque in Flaviniacensi Ecclesia S. Petri: ubi hactenus ejus Reliquiæ (quas ego nuper istuc profectus vidi) in armario adservantur. Ejus nomen adscriptum est in Martyrologium loci die præcitato his verbis:* Flaviniaco Monasterio depositio B. GUIDRADI ipsius loci Abbatis atque Fundatoris. *item in Necrologio:* Depositio S. Widradi. *&* XII *Kalend. Novemb.* Obiit DECIA soror S. Widradi, quæ fecit, *id est restituit* Monasterium S. Andochii; & alia fecit Monasterium Flaviniaci. *Ex quibus intelligimus, Vvidradum jamdudum audisse ut* Beatum *ac* Sanctum. *tametsi anniversarius ejus dies quotannis solitis precationibus peragitur in Monasterio Flaviniacensi, excepto quòd non lugubri, sed festivo ritu campanæ pulsantur. Hinc Vvidradum* Venerabilem *hîc appellare præstat quàm* Beatum *ac* Sanctum: *maximè cùm singularia ejus facta, si Monasterii Flaviniacensis conditionem excipias, ignoremus. nec proinde certum de eo judicium ferre liceat. Quamquam Hugonis, qui Necrologii scriptor esse videtur, auctoritas non parvi facienda est,* Widradum Sanctum *appellantis.*

Vvidradi obitus & memoria.

9. *Dum Vvidradum præ manibus habemus, juvat hîc addere nonnulla, quæ ad Flaviniacense Monasterium spectant, cedúntque in laudem Vvidradi primarii loci institutoris. Istic vixit S.* EGILO *Abbas primùm, dein Senonensis Antistes, de quo ita Hugo Abbas in Chronico:* Anno DCCC LXIV translatum est corpus S. Reginæ virginis & martyris de Alesia civitate apud Flaviniacum castrum seu Cœnobium, præsidente loco eidem, cujus erat juris civitas præfata, Ægilo Abbate, postmodum Senonum Archiepiscopo, regnante Carolo Calvo. Hic est Ægil Abbas Flaviniacensis, qui Cellam Corbiniaci instituit, & duodecim ibi Monachos posuit, annis ex quo Flaviniacensis Ecclesia Corbiniacum obtinuit CC LVIII, *immo vix* C XL. *Vixit etiam ibi* SALOCO *Dolensis Episcopus, memoratus ab Hugone in hunc modum:* Anno translationis S. Reginæ primo obiit Saloco Dolensis Episcopus, Flaviniacensis Monachus, cujus corpus post ducentos annos incorruptum repertum est. *Is* Jonæ Æduensis Episcopi Coepiscopus *fuisse dicitur. Necrologium Flaviniacense de eo ita scribit:* IIII Non. Julii SALOCO Episcopus Dolensis, Monachus Flaviniacensis, obiit die Translationis S. Martini. *Lege Elogium S. Egilonis. His adnumerandi sunt Monachi ejusdem Cœnobii, à Nortmannis cæsi, testante eodem Auctore in hæc verba:* Anno DCCC LXXXVII Nortmanni pagani Flaviniacum castrum seu Cœnobium ingressi occiderunt Monachos cum famulis .·. numero: & manserunt dies .·. à tertio Idus Januarii usque VIII Kalend. Februarii. *De Egilone plura Sæculo insequenti: de Hugone verò Abbate aliisque viris illustribus Monasterii, aliàs.*

Flaviniacі viri pii & illustres.

ANN. CHR. DCCXLVIII. OCTOB. III. Reliquiæ.

10. *Præter corpus S. Reginæ ex opido Alexia eò translatum, habent etiam Flaviniacenses plures Reliquias S. Præjecti, uti in ejus Actis diximus Saeculo 2. De ista S. Præjecti translatione non semel agit Hugo, cujus expendenda sunt hæc verba:* Domnus Manasses corpus S. Præjecti Martyris à Volovico delatum Flaviniacensi intulit Ecclesiæ, quam in honore S. Petri & ejusdem Martyris fundaverat, *id est. restituerat.* Exceptio ejus VIII Idus Novembris celebratur. *Iam verò ante translationem istam Flaviniacensis Ecclesia S. Præjecto sacrata erat, ut patet ex utroque Vvidradi testamento. Pergit Hugo de Manasse.* Hic obtinuit apud Carolomannum, ut in Corbiniaco villa Cœnobiolum exstrueret. nec tamen fecit, *ut antea dixerat. id enim exsecutus est Egilo, ex dictis. Carolum Magnum hoc loco intellige, cujus charta ea de re Manassæ Abbati concessa legitur in tomo I Bibliothecæ novæ apud Labbeum, digna sanè quæ in gratiam exterorum, quibus res nostræ minùs obviæ sunt, huc transscribatur.*

Corbiniacū Monasterium,

KAROLUS Dei gratiâ Rex Francorum ac Patricius Romanorum Abbati Manassæ Flaviniacensis Cœnobii, salutem. Benedictum nomen Domini in sæculum, quòd juxta Monachorum tuorum laudabilem conversationem plurimùm glorificatur in gentibus, eoquòd laus ejus semper in ore vestro versatur. Petitionem itaque de constructione Cœnobii apud Corbiniacum, quam per THEODULFUM Episcopum Aurelianensem æque Abbatem Cœnobii Floriacensis libenter suscepimus, & clementer concedimus, & præcipimus, ut Monachi quos ibi mittetis, ne aliquando mandatorum Dei viam obliti, sæpius in Flaviniacum revertantur Cœnobium, ibique officia sua confirment; & meliorati jussu tuo & Monachorum tuorum revertantur. Censum verò quemcumque statueris eis, omni tempore solvant. ab alio verò censu tuo amore liberos reddo, uti reddidi Flaviniacum. Mitto autem vobis capsam argenteam sepulcri Salvatoris & S. Jacobi Apostoli fratris Domini Reliquias continentem, orans & supplicans, ut mei memores pro me & filiis nostris assiduè apud Dominum interveniatis. Saluto te & omnem congregationem vestram. Ego Rado scripsi, dictavi anno VIII Domini nostri prædicti Regis Karoli, regnante Domino N. J. C. in æternum.

NOTA.

11. *Annus is erat æræ Christianæ* DCC LXXVII. *De Corbiniaco Prioratu (ut vocant) conventuali, S. Leonardi appellato, vulgò* S. Leonard de Corbigny, *in Morvinensi * Burgundiæ pago, plura dicemus in Elogio S. Egilonis Sæculo proximo.*

* *Le Morvant*

& Colticense,

12. *Erat & aliud Monasterium vocabulo Colticense, Abbatiæ Flaviniacensi subjectum: cujus sæpius meminit Hugo Abbas.* WINCTARIUS Abbas Colticensis *chartæ Alberici Lingonensis Episcopi pro Monasterio Besuensi subscripsisse invenitur.* ROTMUNDUS *Rodulfo Rege Æduorum Episcopus*, Colticensem Abbatiam destruxisse, & Colticas castrum *eo in loco* ædificasse *fertur.* WALTERIUS *verò ejusdem sedis Antistes,* Cœnobiolum Colchas desertum, per laudationem Hugonis Cabilonensis Comitis, cujus erat beneficium, Abbati Flaviniacensi committere statuerat. Illo mortuo Helmoïnus Augustodunensis Episcopus successor, perpetuò subdidit & contulit Cœnobio Flaviniacensi, quod Æduæ adnexum est sedi, Monasterium Colchas, quod sancto Georgio dicatum est. Actum Augustiduno anno Regis Rotberti XXX, *uti legitur in Analectis monumentorum Flaviniacensium tomo I Bibliothecæ Labbeanæ: ubi etiam Vvalterius Flaviniaco nonnulla contulisse, & in restauranda istic monastica disciplina Heldrico Abbati adlaborasse memoratur. Colticensis Prioratus in opido cognomine, vulgò* Couches,

diœcesis Æduensis, à Monasterio Flaviniacensi avulsus cessit Patribus Societatis JESU. ANN. CHR. DCCXLVIII. OCTOB. II.

13. *Atque ut tandem his finem imponamus, Flaviniacense Monasterium, quod sodales Benedictini Congregationis S. Mauri modò tenent, duplici gaudet prærogativa, nimirum quòd Abbas loci primas olim teneret in electione Episcopi Æduensis: & quòd Ecclesia S. Petri à Iohanne Papa VIII fuerit dedicata. Utriusque auctorem habemus Hugonem Abbatem, qui de Norgaudi Episcopi electione agens in Chronici sui parte posteriori:* Pro qua electione, *inquit*, cùm multoties Eduam issem, quia vox nostra prima esse debebat in electione, tandem in Adscensione Domini invitatus, cùm essem in exteris partibus, accurrere nequivi. *De Ecclesiæ verò dedicatione in priori parte his verbis:* Wilfridus Ludovici Imperatoris sororius anno DCCCLXXX, Indictione XIII, anno Carlomanni Principis secundo, consecrationem Ecclesiæ Flaviniacensis à Johanne Papa & octodecim Episcopis facere obtinuit. *Quamquam Hugo errat in anno designando. nam dedicationis annus* DCCCLXXVII *statui debet, aut proximè sequens, is scilicet quo Iohannes Papa in Galliam ad celebrandum Trecense Concilium accessit. Huc spectat Iohannis Papæ epistola 97 apud Sirmondum, quâ excommunicat* Aduvardum Presbyterum, qui nobis, *inquit*, in Monasterio Flaviniaco ministravit, cujus homines scutellam argenteam S. Petri, nescio utrum consensu illius an non, furati sunt. *Ubi vides* Monasterium S. Petri *cognominari, uti & in litteris purgatoriis Gerfredi Monachi Flaviniacensis,* officio prælationis functi, *qui veneni Adalgario Æduorum Episcopo propinati falsò accusatus, in Synodo* apud Flaviniacum Cœnobium & castrum publicum in primore Ecclesia S. Petri *sumta Communione absolutus est anno* DCCCXCIV.

Flaviniaci prærogativa duplex.

14. *Quia verò Necrologii Flaviniacensis non semel facienda mentio est, observare juvat, Hugonem Abbatem, qui Chronici Virdunensis scriptor, eumdem etiam istius Necrologii auctorem videri. Necrologus parentes suos memorat variis in locis.* IIII Non. Decemb. CHROTILDIS Ottonis tertii filia, Conradi Imperatoris soror, avia mea obiit. *&*, V. Kal. Aug. obiit RAYNERUS pater meus. *denique* XVII Kal. Novemb. obiit DADA de monte Walcheri mater mea, filia Chrotildis. *Hæc alibi accuratiùs examinanda, quum de Hugone Abbate Flaviniacensi agemus in libro de viris illustribus Ordinis nostri.*

Necrologus Flaviniacensis.

SANCTI PETRONACIS

CIRCA AN. DCCL. MAII VI.

ABBATIS ET INSTAURATORIS SACRI MONASTERII CASINENSIS

ELOGIUM HISTORICUM.

I. SACRUM *Casinense seu Cassinense Monasterium, toto orbe celeberrimum, auctorem habuit sanctissimum P.* BENEDICTUM, *qui ejus vastationem à Langobardis factam prædixit, teste Gregorio Magno in lib. 2 Dial. cap. 17. Hanc anno circà* DLXXX *accidisse Sæculo primo demonstravimus. Instaurator Monasterii fuit post eversionis annos fere centum*

CIRCA AN. DCC L. MAII VI.

quadraginta S. PETRONAX, *cujus gesta hîc explicare aggredimur. Audiendus primò Paulus Vvarnefridi, Diaconus & Casinensis Monachus, de Petronace ita loquens in lib. 6 de gestis Langob. cap. 39.*

Petronax laudatur à Paulo Diac.

2. Defuncto Gisulfo Beneventanorum Duce, Samnitum populus Romoaldum ejus filium ad regendum se sublimavit. *Mortuus est Gisulfus secundus, Beneventanorum Dux, circiter annum* DC XCVII. Circa hæc tempora, *subdit Paulus cap. 40*, Petronax civis Brexianæ urbis, divino amore compunctus Romam venit: hortatúque tunc GREGORII apostolicæ Sedis Papæ, Casinum castrum petiit, atque ad sacrum corpus B. Patris BENEDICTI perveniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris jam antè residentibus habitare cœpit, qui eumdem venerabilem virum Petronacem sibi Seniorem (*id est Abbatem*) statuerunt. Hic non post multum tempus, cooperante divina misericordia & suffragantibus meritis B. Benedicti Patris, jámque evolutis fere centum & decem annis ex quo locus ille habitatione hominum destitutus erat; multorum ibi Monachorum, nobilium & mediocrium ad se concurrentium Pater effectus, sub SANCTÆ REGULÆ jugo & B. BENEDICTI institutione reparatis habitaculis vivere cœpit, atque hoc sanctum Cœnobium in statum quo nunc cernitur erexit. Huic venerabili viro Petronaci insequenti tempore Zacharias plura adjutoria contulit, libros scilicet sacræ Scripturæ, & alia quoque quæ ad utilitatem Monasterii pertinent; insuper & Regulam quam B. Pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit. *Hactenus Paulus, cujus verba commentariis illustranda.*

A Gregorio II mittitur Casinum.

3. *Petronax Brixiæ in Italia nobili loco natus, ibíque aut potiùs Romæ factus Monachus, Romam venit Gregorio secundo Pontifice, contrà quàm adfirmant nonnulli, qui ipsius adventum ad Gregorii tertii pontificatum, ut Lauretus; aut ad Zachariam rejiciunt, ut Petrus Diaconus Casinensis. Id ex Vita S. Vvillibaldi Eistetensis Episcopi primus adnotavit Camillus Peregrinius in Serie Abbatum Casinensium, & ex eo Iohannes Bollandus in Vitam S. Gregorii Papæ secundi ad diem 13 Febr. necnon Angelus de Nuce in Chronici Casinensis lib. 1 cap. 2. Quippe S. Vvillibaldus ex Britannia insula Romam, dein Hierosolyma profectus, decem annos in itinere illo insumsit, Casini totidem.* Cùm venerandus vir S. Willibaldus, *inquit Sanctimonialis consanguinea, Vitæ primariæ auctor*, & Diapertus qui cum eo pergebat per omnia, venissent ad S. Benedictum, non reperiebant ibi nisi paucos Monachos & Abbatem nomine Petronacem. *Iam ergo tum Casino præerat Petronax, ibíque duplex construxerat Monasterium, uti mox demonstrabimus. Atqui Vvillibaldus Casinum accessit anno* DCC XXVIII, *aut certè insequenti. siquidem post annos decem à Gregorio tertio missus est in Germaniam, ordinatus ibi Presbyter anno* DCC XL *à Bonifacio, & anno sequenti Episcopus, ut in ipsius Vita demonstrabimus ad annum 786. Deinde non Gregorii tertii, sed S. Gregorii secundi festus dies à Casinatibus cultus est jamdudum. Id probat non solùm Missale vetus ab Angelo de Nuce citatum, sed etiam Breviarium Casinense manu exaratum Abbate Oderisio primo, id est ante quingentos annos, apud Parisiacos Institutionis Oratorii Patres adservatum. Accedit quòd Petronax annis triginta duobus præfuit Casinensi Monasterio. At verò desierat ante annum* DCC LII, *quo Optatus ipsius successor à Stephano Papa II ad Aistulfum Langobardorum Regem pacis ergo directus est. Iam si calculum triginta duorum annorum reflectas ad annos superiores, Petronacis regimen ab anno minimùm* DCC XX *incœptum intelliges: quo tempore Gregorius secundus Romanam Ecclesiam administrabat, nempe ab anno* DCC XIV *ad* DCC XXXI, *quo ipsi successit Gregorius tertius, Pontifex per annos decem.*

Circa An. DCCL. Maii VI.

anno 718. adjutoribus Paldone, &c.

4. *Immo verò non anno* DCCXX, *sed* DCCXVIII *Petronax Casinum accessisse dicendus est. id quod facilè suadet tum initi ab Optato successore tempus regiminis, tum Leonis Marsicani testimonium ex Chronici Casinensis lib. 1 cap. 4 in hac verba:* Quem videlicet (Petronacem) tres quidam nobiles viri Beneventani, Paldo & Taso atque Tato germani fratres, qui ante quindecim circiter annos Monasterium sancti Martyris Christi Vincentii juxta ortum Vulturni fluminis de propriis sumtibus construere cœperant, cùm essent potentes ac divites, in ipso opere tam per semetipsos quàm per suos usque ad restaurationem loci hujus plurimùm adjuverunt. *Monasterii S. Vincentii fundamenta non anno* DCCVII, *sed anno* DCCIII *jacta fuisse, demonstratum in Vita S. Paldonis. Abhinc annis quindecim Casinense Monasterium instaurari cœpit, id est anno* DCCXVIII. *Certè S. Paldo è vivis excessit anno* DCCXX, *sicuti eo anno vidimus. Ut ergo aliquid contulisse ad Casinensem instaurationem dici possit, hæc annis minimùm duobus præcessisse debuit. Nec longè recedit Leo Marsicanus loco citato, dum ait Petronacem Casini* habitare cœpisse anno DCCXX, atque in Abbatem prælatum. *Non enim loquitur de Petronacis accessu, sed de habitatione loci, quæ post instructa quoquomodo ædificia fieri cœpit. Leonis verba hîc reddenda sunt.*

Monachos unde habuerit.

5. *Postquam Petronacem* Gregorius cælitus inspiratus admonuit, ut Casinum castrum peteret, atque Monasterium B. Benedicti, quod jam per tot annos destructum manserat, suo studio reconciliare satageret; eo annuente mox idem venerabilis Pontifex cum illo aliquantos de Lateranensi congregatione Fratres direxit, & alia quoque illi nonnulla adjutoria contulit. Is ergo huc ad sacrum B. Benedicti corpus perveniens, tam cum illis qui secum venerant, quámque etiam cum aliquot simplicibus viris, quos inibi jamdudum resedisse reperit, habitare cœpit anno Domini septingentesimo ac vigesimo: atque ab eisdem Fratribus in Abbatem prælatus, cooperante Deo & B. Benedicti suffragantibus meritis, constructis decenter habitaculis ac multorum ibi Fratrum congregatione statuta, sub Regulæ sanctæ doctrina vivere studuit. *Leo cum Paulo Vvarnefridi consentit, dum ait* quosdam simplices viros *ante Petronacis adventum Casini* resedisse, *nimirum Eremitarum more, montem sanctum incolentes. Quod verò addit,* aliquantos Fratres de Lateranensi congregatione cum Petronace fuisse directos, *etsi id Paulus reticeat, nihilo minùs tamen certum est.*

Ex Lateranensi Patriarchio.

6. *Et quoniam devenimus ad hunc locum, juvat paullisper considerare, an Monachi Benedictini, qui post cladem Casinensem Romam confugientes, Lateranensem Ecclesiam insederant; istic resederint adusque Gregorii secundi pontificatum. Obstare videtur Anastasius vulgatus, de Gregorio tertio ita scribens:* Simili etiam modo renovavit Monasterium SS. Johannis Evangelistæ, Johannis Baptistæ & S. Pancratii secus Ecclesiam Salvatoris antiquitus institutum, quod ab omni ordine monachico exstiterat nimiâ incuriâ destitutum. In quo prædia & dona contulit, & quæ invenerat de ipso Monasterio alienata, reddito pretio in eumdem locum restituit: ubi & congregationem Monachorum & Abbatem constituit ad persolvenda quotidie sacra officia laudis divinæ in Basilica Salvatoris Domini nostri Jesu-Christi, quæ Constantiniana nuncupatur juxta Lateranis, diurnis nocturnísque temporibus ordinata juxta instar officiorum Ecclesiæ B. Petri Apostoli. *Hoc argumento adductus Angelus de Nuce in præcitatum Leonis locum, admittit, Petronacem à Gregorio secundo missum, Monachos ex Lateranensi congregatione accepisse à Gregorio tertio, qui eam restituerat. Verùm Anastasius videtur aliter interpretandus. Nempe congregatio Lateranensis ad paucos redacta erat pontificatu Gregorii secundi ob* alienata prædia: *nec reliqui census justa congregationi alendæ*

Circa An. DCC L. Maii VI. *sarciendísque ædificiis sufficere poterant. Prædia restituit Gregorius tertius, & instauratis ædificiis congregationem augendo restituit. Immo tunc fere* omni Ordine monastico destitutum *erat Monasterium Lateranense, quòd plerique forsan Monachorum Casinum remigraverant.*

Monasteriũ duplex condit.

7. *Quum S. Vuillibaldus Casinum accessit anno* DCC XXVIII, *jam duplex ibi erat Monasterium. Sic enim scribit Sanctimonialis:* In primo anno illuc veniens, Cubicularius fuit Ecclesiæ; & in secundo, Decanus erat in Monasterio: & postea per octo annos fuit Portarius in duobus Monasteriis. Quatuor annos erat Portarius in illo Monasterio, quod stat suprà in monte valde excelso: & alios quatuor erat in alio Monasterio, quod infrà stat juxta amnem Raphito. *Utriusque meminit Leo in Chronici lib. 1 cap. 32 his verbis:* Tertiâ feriâ post Pascha, valde mane universi Fratres tum de Monasterio quod deorsum erat, quàm & de hoc quod sursum, vestibus sacris induti, *&c. Quamquam cap. 11 Theodemarus Abbas juxta Ecclesiam S. Benedicti à Petone decessore constructam dicitur* construxisse Templum B. Mariæ, Ecclesiam quoque S. Michaëlis Archangeli: ibíque juxta claustrum & habitacula nonnulla construxisse: *quæ* initia Monasterii inferioris *vocat Angelus de Nuce in hunc locum. At certa videtur Sanctimonialis auctoritas, cui anonymus Auctor Vitæ S. Vuillibaldi itidem suffragatur. Nunc Monasterium inferius ampliùs non exstat.*

Oratorium S. Martini amplificat.

8. *Pergit Leo dicere de Petronace in lib. 1 cap. 4.* Hic in Ecclesia B. Martini quam parvulam reperit, sedecim fere cubitos auxit; ibidémque absidam efficiens, in honore B. Mariæ semper Virginis & sanctorum Martyrum Faustini & Jovitæ in ea altarium statuit, in quo etiam & brachium unius illorum, quod secum de Brexia asportaverat, decenter recondidit. *Id argenteæ inclusum thecæ hucusque servant Casinates nostri, testante Angelo de Nuce. Addit Leo:*

A Zacharia afficitur variis donis.

9. In sequenti tempore sanctissimus Papa Zacharias qui Gregorio successerat, plurima huic adjutoria contulit, libros scilicet aliquot sanctæ Scripturæ, necnon & codicem sanctæ Regulæ, quam Pater BENEDICTUS manu propria scripserat; pondus etiam libræ panis & mensuram vini, quæ olim inde (sicut suprà diximus) sub Langobardorum invasione Monachi fugientes secum Romam detulerant. Diversa etiam ad ecclesiasticum ministerium ornamenta, nonnulla quoque ad diversas utilitates Monasterii pertinentia illi apostolica liberalitate largitus est. Ab hoc etiam sanctissimo Papa prædictus Abbas Privilegium primus accepit, ut hoc Monasterium cum omnibus Cellis sibi pertinentibus ubicumque terrarum constructis, ob honorem ac reverentiam sanctissimi P. Benedicti, ab omnium Episcoporum ditione sit liberum, ita ut nullius juri subjaceat, nisi solius Romani Pontificis. *Exemplar Regulæ S. P. Benedicti manu exaratum in conflagratione Teanensi periit, ut idem Leo auctor est cap. 48 ejusdem libri 1.*

Multos ad se trahit illustres viros,

10. *Petronax, teste Paulo Vuarnefridi,* multorum ibi Monachorum, nobilium & mediocrium ad se concurrentium Pater effectus est. *Hos inter eminuêre* CAROLOMANNUS *Dux Francorum, Pippini Regis frater, de quo ad annum 755, &* RATCHISUS *Rex Langobardorum, cujus Leo honorificè meminit lib. 1 cap. 8. Istuc etiam monasticæ disciplinæ perfectiùs addiscendæ gratiâ se receperunt SS.* WILLIBALDUS *suprà laudatus, &* STURMIUS *Fuldensis Abbas primus, S. Bonifacii jussu Casinum directus, ubi duobus annis mansit Petronace Abbate, prout in ipsius Vita ad annum 779 videbimus. Quin etiam*

etiam pias feminas.

feminæ piæ Petronacis disciplinæ sese subdere gloriabantur. Ratchisi uxor, nomine TASIA, & filia RATRUDA, concedente & adjuvante præfato Abbate, Monasterium puellarum non longè à Casino, in loco qui Plumbariola vocatur, propriis sumtibus exstruxerunt: multísque ditatum opibus, ibi sub magna

magna cautela & districtione regulari vitam agentes, ultimum diem clauserunt. *Hæc Leo Marsicanus in lib. 1 cap. 8, qui item cap. 6 mentionem facit* Gausanæ Abbatissæ, Pancritudæ & Garipergæ, quæ postpositis parentibus & universis opibus suis peregrinari pro Deo in partibus istis elegerant: *quibus Gisulfus Dux Beneventanus*, annuente præfato Abbate, *Monasterium puellarum ad honorem B. Mariæ exstructum concessit.* CIRCA AN. DCC L. MAII VI.

11. Fuit autem, *concludit Leo cap. 8*, prædictus Abbas, sextus à B. Benedicto, temporibus Imperatorum Leonis & Constantini, & Liutprandi Regis Langobardorum; Romanorum verò Pontificum Gregorii & Zachariæ, & Gregorii Beneventani Ducis, atque præfati Gisulfi junioris. Qui cùm præfuisset huic Monasterio annis triginta duobus, defunctus est II Nonas Maii, & sepultus in porticu juxta Ecclesiam S. Martini. *Fuit certè Petronax Casinensis Abbas sextus. nam* post B. Benedictum Constantinus, post hunc Simplicius, post quem Vitalis, ad extremum Bonitus congregationem ipsam rexit, sub quo Monasterii destructio facta est, *inquit Paulus Vvarnefridi in lib. 4 cap. 18, qui inter Gregorium & Gisulfum juniorem Duces Beneventanos rectè interponit Godescalcum in lib. 6 cap. 56, à Leone hîc prætermissum. Petronacem Casinensi Monasterio præfuisse annis* XXXII, *æquè probat Breviarium Casinense tempore Oderisii Abbatis hujus nominis primi descriptum, in quo Abbatum Casinensium index præmittitur. Et tamen obiit Petronax ante annum* DCC LII. *siquidem* Stephanus II Papa apostolicæ Sedis, *uti præfert historia nongentorum Monachorum Cœnobii S. Vincentii de Vulturno à Saracenis decollatorum*, adscitos venerabiles viros, videlicet Attonem Abbatem Monasterii B. Vincentii & OPTATUM Monasterii S. Benedicti in Casino positi, *Petronacis successorem*, ad Regem Aistulfum destinavit, obsecrando ut à cœpta persecutione cessaret. *Quod anno* DCC LII *factum, ex Anastasio Baronius probat. Erkempertus etiam meminit istius missionis, tametsi Optatum haud nominat. Hinc colligimus, Petronacis obitum contigisse anno* DCC L. *Id etiam facilè demonstrari potest, subducendo annos regiminis Abbatum Casinensium à S. Bertarii martyrio & altera Casini clade à Saracenis facta, quam anno* DCCC LXXXIV *reponit Erkempertus, illius temporis æqualis. Nam detractione facta patet, Gisulfum Abbatem decessisse anno* DCCC XVIII, *Theodemarum anno* DCC XCVII. *à quo si Potonis* annos septem & menses quinque; *Tomichisi* annos sex, & menses quinque; *Gratiani* annos quatuor, menses quinque; *Hermeris* annum unum, *& Optati* novem *aut (sicut habet ms. Breviarium)* decem *subtraxeris; Petronacem anno propè* DCC L *obiisse intelliges. In vetusto Oderisii Breviario inter Sanctos locum non habet Petronax, neque in aliis Martyrologiis præter Benedictinum.* Petronacis ætas; obitus.

12. *Mirum est quàm floruerit Casinense Monasterium ab ipsa sui instauratione. Numerus sanctorum virorum qui deinceps ibi vixerunt, iniri vix potest. Sunt qui quinquies mille quingentos numerant. Petrus Diaconus Casinensis librum singularem edidit* de ortu Justorum Casinensium, *quem necdum obtinere meruimus.* Illud absque trepidatione mendacii adseri jure potest *cum Baronio ad annum 716.*, nullum umquam toto Christiano orbe exstitisse aliquando Monasterium, ex quo tot viri sanctitate conspicui atque doctrina, tanta numerositate ad regimen sanctæ apostolicæ Sedis adsciti fuerint: ut planè dici possit fuisse idem aliquandò seminarium sacrorum Antistitum. *Viros illustres ejusdem Cœnobii uno itidem libro complexus est Petrus capitibus 46, quibus adjecta 31 capitulorum Appendix. Adeo pietas & doctrina in sacro illo monte fixerunt pedem, ubi S. Benedicti animus requievit.* Casini viri sancti & illustres.


13. *Nec loco hæserunt sanctitas, religio & doctrina. Quippe exinde sanctioris vitæ documenta Gallicani accepêre Monachi per Carolum Magnum, Hungari per* Ordinis restitutio exinde propagata.

Circa An. DCCL. Maii VI.

Stephanum Regem, per Baresonum Regem Sardiniæ, per Savinum virum nobilissimum Dalmatiæ: ut quemadmodum à S. P. Benedicto Europa fere omnis Regulam sanctam accepit; sic à Petronace ejúsque posteris ipsius Regulæ severiorem praxim incuriâ & pravis moribus violatam receperit. Quo magis sacri illius montis incolis invigilandum est, ut ne sanctimoniæ patrimonium testamento sibi à sancto Patre relictum, aut minui, aut à se distrahi alienarive patiantur. Pæne exciderat factum S. Bonifacii Maguntini Episcopi, qui disciplinam monasticam, qualis Casini servabatur, Fuldensi in Monasterio instituere cupiens, Sturmium discipulum suum misit Casinum, ac postea sacris eruditum institutis Fuldensibus Abbatem præfecit. Exstat inter Bonifacianas epistola 106, inscripta dilectissimo Consacerdoti OPTATO Abbati & universæ sanctæ congregationi sub cura illius regularis vitæ normam custodienti. *quo nomine Optatum Casinatem Abbatem Petronacis successorem designari existimo. De eo rursus in Elogio Carolomanni infrà.*

Monasterii præsens status.

14. *Ad præsentem Cœnobii Casinensis statum quod attinet, hactenus florentissimus est, sive bona spiritalia spectes, sive temporalia. Istic tamquam in capite viget disciplina Congregationis (ut vocant) Casinensis, à qua pendent Monasteria duo & sexaginta. Monasterii ædificia restituit nuper Simplicius Caffarellus Abbas Casinensis, tum Præsidens Congregationis; amplificavit Angelus de Nuce recens Abbas, modò Archiepiscopus, qui detrita priscæ sanctitatis monumenta ornamentis & titulis decoravit, vir ingenii sui monumentis clarissimus.*



Circa An. DCCLI. Febr. II.

VITA SANCTI BURCHARDI
EPISCOPI WIRTZIBURGENSIS PRIMI,
Auctore Anonymo, qui vixisse sæculo X videtur.

Ex tomo 4 antiquarum lectionum Henrici Canisii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Auctores duo.

I. *RES gestas S.* BURCHARDI, *quem alii* Burkardum, Burghardúmve *appellant, scripsit* Anonymus *quidam ignotus;* EGILWARDUS *verò Cœnobii S. Burkardi prope Vuirtziburgum Monachus tribus libris interpolavit. Vtriusque incerta ætas. Egilvvardus nonnullis scripsisse videtur paullo post Hugonem Episcopum, eo quòd Episcoporum Vuirtziburgensium seriem in ipso Hugone finit. Et quidem de Reliquiarum S. Burchardi Translatione acturus libro tertio, ait cap. 1 se ea relaturum* quæ suis gesta sunt temporibus: *tametsi satis innuit se aliquanto post Hugonem tempore vixisse. Possevinus & cum eo Vossius de Historicis Latinis, Egilvvardum ad annum* MCCC *removent, ex mera conjectura. Anonymus vixit, ut quidem suspicamur, ante Hugonem, id est ineunte sæculo* X, *ut qui Translationis S. Burchardi per Hugonem factæ non meminit. Vtraque scriptio edita est, Anonymi quidem ab Henrico Canisio, Egilvvardi verò ab Surio ex ms. codice vetusto & fere obliterato: unde conjecturam capimus, Egilvvardum sæculo* XI *vixisse. In Suriano apographo desideratur Egilvvardi nomen, quod Surius auctoritate Trithemii adductus supplevit. Auctor quippe initio libri tertii Cœnobium S. Burchardi appellat* Monasterium nostrum, *alloquens Patrem seu Abbatem suum, quo jubente id operis aggressus est. Et in fine libri 3* Burchardum Patronum nostrum *vocat. Porro Egilvvardus Cœnobii S. Burchardi prope Herbipolim Monachus Vitam S. Burchardi scripsisse dicitur apud Trithemium Nec dubium, quin is ipse sit auctor prolixioris Vitæ S. Kiliani ab Henrico Canisio editæ tomo 4. qui auctor pollicetur se in Vita S. Burchardi à se describenda dicturum,* qualiter Burchardus episcopalem sedem Wirziburg promeruc-

rit, & quomodo Martyrum corpora de loco ubi posita fuerant sustulerit. *quod utrumque Egilvvardus hîc fusè exsequitur. Is in Vita hujus lib. 2 cap. 10 meminit antiquioris scriptionis qua usus est.* Hæc licèt pauca, *inquit*, digesta sufficiant, quæ decerpta quidem ex nonnullis antiquorum relationibus satis simpliciter exaratis nostras in manus devenerant. CIRCA ANN. DCCLI. FEBR. II.

2. *Ex tribus libris ab Egilvvardo conditis omisimus primum, quòd Anonymi lucubrationem superfluis verbis amplificet, novásque mendas adjiciat. Nam Burchardo fratrem adsignat S. Svvithunum Episcopum, haud dubiè Vvintoniensem, qui uno post Burchardum sæculo floruit. Et (quod Anonymus jam peccaverat) Burchardum Romæ à Zacharia Pontifice ordinatum adfirmat anno* DCCLI, *ejúsque obitum prorogat ad annum* DCCXCI. *quæ omnino aliena sunt à vero. In aliis duobus Egilvvardi libris plurima sunt observatu haud indigna: quos proinde libros hîc exhibere visum est operæ pretium. Notanda tamen hæc verba libri 1.* Ex Anglia nati fratres Gutwin & Adelmar, alíique complures inde huc advenientes aiunt, B. Swithuni Vitam miraculis plenam in Ecclesiis illius terræ circumquaque scriptam reperiri, *&c. Hinc ætas Egilvvardi colligi posset, si istorum fratrum haberetur certa notitia. Addit Egilvvardus:* Tradunt etiam nonnulli, hos germanos fratres Burchardum & Swithunum, magni Bonifacii Episcopi non solùm conterraneos, sed etiam carne consanguineos fuisse. *Et Burchardum quidem Bonifacii conterraneum fuisse constat, non verò ejus consanguineum, nec Svvithuni fratrem germanum.* Omissus hic liber primus Egilvvardi.

3. Wirtziburgum *seu* Wirziburgum Wirceburgúmve, *recentioribus* Herbipolis, *vernaculè* Wirzburg, *Franciæ Orientalis seu Franconiæ civitas primaria ad Mœnum fluvium sub Metropoli Maguntiacensi; non S. Kilianum, qui regionarius dumtaxat Episcopus fuit & gentis Apostolus, sed Burchardum habuit primum Episcopum. Id probant mutuæ Bonifacii Maguntini Antistitis & Zachariæ Romani Pontificis epistolæ. Quippe Bonifacius accepta facultate erigendi in Germania sedes episcopales, unam instituit in castro Vvirtziburgo. id enim Zacharias significat epistola 132 his verbis:* Necesse quoque habemus indicare Paternitati vestræ, quia per Dei gratiam Germaniæ populis aliquantulum percursis vel correctis tres ordinavimus Episcopos, & provinciam in tres parochias discrevimus: & illa tria opida sive urbes in quibus constituti & ordinati sunt, scriptis auctoritatis vestræ confirmari & stabiliri precantes desideramus. Unam esse sedem Episcopatûs decrevimus in castello quod dicitur Wirziburg, *&c. quod confirmat Zacharias epistolâ suâ relatâ apud Othlonum lib. 2 cap. 2. Atqui tum Burchardus eidem Ecclesiæ per Bonifacium præfectus est. cujus rei testis est Zacharias in epistola sua, quæ inter Bonifacianas est 133, inscripta* Dilectissimo nobis Burchardo S. Ecclesiæ Wirziburgensis (*supple* electo) Zacharias Papa. *In summa,* confirmamus, *inquit*, atque solidas permanere sedes sancimus episcopales. *Hinc patet sedi Vvirtziburgensi primum præsedisse Episcopum Burchardum. Sanè Lambertus Scafnaburgensis, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, & Sigebertus, Burchardum vocant* primum Episcopum *Ecclesiæ Vvirtziburgensis.* Burchardus Vvirtziburgensis Episcopus primus.


4. *Quem verò ordinationis episcopalis ministrum habuit Burchardus? Auctor anonymus & Egilvvardus adfirmant, Burchardum Romæ à Zacharia Pontifice ordinatum fuisse, adsistente Bonifacio. At Burchardum non à Zacharia, sed à Bonifacio consecrationem suscepisse persuasum habeo: constátque Bonifacium toto Zachariæ Pontificatu Romam non adiisse. Et quidem Hermannus Contractus, Sigebertus, & alii nonnulli tradunt, Burchardum à Bonifacio fuisse ordinatum.* A quo ordinatus.

5. *Hujus ordinationis tempus, non anno* DCCXLVI, *ut Lamberto, Hermanno, & Sigeberto videtur; non* DCCL, *quod Mariano placet; aut* DCCLI, *quod Egilvvardo; sed anno* DCCXLI *collocandum esse, certissimum videtur: tum quia jam Episcopus Synodo Germanicæ interfuit* XI *Kalend. Maii anno* DCCXLII, *in cujus Synodi actis in libro 1 Vitæ Bonifacianæ cap. 34 ab Othlono relatis primus post Bonifacium nominatur Burchardus; tum quia confirmatoria Zachariæ epistola ad Bonifacium scripta, & alia ad ipsum Burchardum de sua ordinatione, datæ sunt Indict.* XI, *Kalend. April. id est ineunte anno* DCCXLIII. *tum denique quia Zacharias Papa encyclicas litteras initio sui pontificatûs Galliæ & Germaniæ Episcopis directas, etiam* Burchardo Wirtzenburgensi Episcopo *inscribit: quæ epistola inter Bonifacianas est ordine 136. Accedit quòd Bonifaciana epistola 19, quam* Ethelbaldo Anglorum Regi *direxerunt* Bonifacius, Wera, Burckart, & Warbert, & Abel & Willibald Coepiscopi, *scripta fuit ante Concilium Cloveshoviense anno* DCCXLVII *celebratum, cui occasionem epistola præbuit. Pæne oblitus eram, Burchardum jam Episcopum Bonifacio Vvillibaldum Episcopum Eistetensem* Quo anno.

CIRCA AN. DCC LI. FEBR. II.

ordinanti ministrum adfuisse, ut scribit Sanctimonialis illius temporis æqualis in Vita S. Vuillibaldi, ubi Burchardus Sanctus *dicitur.*

6. *Burchardi etiam sanctitatem commendat B. Liudgerus in Vita S. Gregorii Abbatis insequentibus relata, his verbis:* Duo autem ex illis *Bonifacii discipulis*, Wigbertus & Burghardus, ante magistrum migrarunt à sæculo. Sed non sunt illi absque palma electionis suæ, dum ad regna cælestia magistrum præcedere meruerunt, & in regionibus suis pro Sanctis Dei habentur & coluntur ab omnibus, qui vitam illorum & virtutem cum Deo nosse potuerunt. *Burchardi corpus circiter annum* DCCCCLXXXIV *ab Hugone Episcopo è tumulo levatum est permissu Benedicti Papæ VI, testante Egilvvardo in fine libri 3. Anonymum audiamus.*

PRÆFATIO. I. ERRENARUM motus curarum si divino adjutorio trahatur ad respectum miserationis divinæ, qualiter æternâ scientiâ Sanctos suos justificaverit, mens humana sollicitudinibus pressa inutilibus solvitur, ultroque remunerationis præmio non fraudatur. Oportet ergo ut ad B. BURCHARDI Pontificis laudes stili seriem vertamus, quatenus dum ejus merita recolimus, orationum emolumentis fulciamus. Neque enim metuendum, ut in laudibus beatorum virorum fideliter prolatis modum possit excedere veritatis piæ narratio devotionis. Quidquid itaque de omnibus rectè fatemur, & de unoquoque profari non dubitamus. quando sic Sanctorum fraternitas jungitur, ut omnia in omnibus Christus habeatur: eâque concordiâ membrorum connexio capiti copuletur, quo diversorum retributio meritorum una sit exsultatio omnium. Quapropter datur nobis licentia faminis, servato ductu catholicæ narrationis.

Burchardus Anglus Bonifacium adit.

2. Venerabilis Burchardus, Anglorum genere nobilis, nobilior factus prosecutione divinæ Religionis. Hic ab annis puerilibus Deo se vovens, quantum ætas permittebat puerilis, festinabat ad studium bonæ operationis Tandem relictâ Britanniâ, peregrinationis obtentu, in quamdam Galliæ partem transacto salo pervenit: ibique tamdiu sub habitu peregrini delituit, quo auditâ famâ egregii Præsulis BONIFACII, incenderetur ardore visendi [a] Pontificem, sanctitatis famâ vulgatum. Is etenim Moguntiorum tunc præerat urbi: vir sermone clarus, adspectu jucundus, moribus probus. Ad quem venerabilis Burchardus cùm venisset, ab eo gaudenter susceptus est.

Vvirtziburgensis Ecclesiæ Episcopus destinatus,

3. Ferunt autem sanctum Pontificem primo adspectu præfati viri, prophetico repletum spiritu adhærentibus sibi ministris tale protulisse vaticinium: Gaudete, Fratres, ecce misit nobis Dominus virum contubernialem, cui committi debeat ovile dominicum in Wirzburgensi urbe à B. Kiliano collectum. Quibus auditis venerabilis Burchardus primò oneris magnitudinem expavit, postremò memor divinæ visæ dispensationis, tale fertur dedisse responsum: Etsi tanto videor indignus officio, divina tamen dispensatione imponendo mihi oneri non obluctor. Qui enim misericorditer onus imponit, credo quia clementer levabit. Ex eo tempore sanctissimus Præsul Bonifacius sollerti indagine perquirebat, quibus efficere modis valeret, quod divinâ noverat sibi gratiâ revelatum. Tandem divino instigatus adminiculo, concessu PIPPINI illustris Regis, qui tunc Franciæ regimen dispensabat, Romam petiit [b] prædicto Burchardo comite. Præerat autem tunc Romanæ Ecclesiæ ZACHARIAS summus Pontifex

a Et tamen Othlonus in lib. 1 de Vita S. Bonifacii cap. 25 ait, è Britannia in Germaniam à Bonifacio arcessitos fuisse *religiosos viros*, quos inter primum nominat Burchardum.

b Neque Bonifacius Romam adiit Zacharia Pontifice; neque Burchardus ab ipso Zacharia, sed à Bonifacio Episcopus est ordinatus, ut suprà demonstratum.

dominico ovili aptissimus, summi Pontificatûs infulæ non incongruus. Hic amplo sinu caritatis viros ex Germaniæ partibus adventantes Romam colligere solitus erat, volens novellæ plantationis in Fide Christi gentes ducere ad expetitionem loci, ubi Pastor Ecclesiarum, Doctorque gentium humanis corporibus habebantur. Cui tamen cùm Maguntini Archipræsulis innotuisset adventus, præmeditari cœpit, si quid cum tanto viro dignum vero cooperari valeret. Audiverat enim jam dudum sanctitatis ejus famam longè latéque vulgatam. Verumtamen cùm ad hoc perventum esset, ut mutuis colloquiis post sibi datos amplexus fruerentur; cœpit Romanus Pontifex percontari, quo rudis adhuc Germanorum fides religionis munimine fulciretur, utrúmne gentibus novæ eruditionis splendeat inexstinguibilis lucerna divinæ respectus. Huic B. Antistes Bonifacius cùm de omnibus quibus interrogatus fuerat, veram reddiderat sententiam, in extremis fassus est, hoc sibi maximè fore veniendi negotium, ut Wirzpurgense opidum diœcesi suæ vicinum Episcopali munio sacraretur. Tunc Romanus Pontifex primò percontari cœpit, quæ huic officio legaretur persona, dicens, non rudibus congruere officium secundum Apostoli præceptum. dehinc si Episcopio prædia sufficerent, quibus pauperum necessitas Clericorúmque sustentari possit inopia; asserens Episcopum Dei familiæ dispensatorem. CIRCA AN. DCCLI. FEBR. II. Romã petit cum Bonifacio,

4. Beatus igitur Bonifacius munificentiâ caritatis præditus, prædiorum Episcopii sui partem Romano Pontifici complacitam Wirzpurgensi Episcopo delegavit, ut futurus ibidem Episcopus, sicut consors exsisteret divini laboris, ita etiam fieret particeps temporalis sustentationis, juxta illud Apostoli: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* His rite peractis, à Romano Pontifice iterum persona disquiritur, quæ huic officio idonea destinetur. Verumtamen venerabilis Præsul Bonifacius Burchardum in medium deducens, cœpit illum dignis laudibus prosequi, dicens, hunc juvenili ætate ab occiduis partibus advenisse, secúmque usque ad perfectam ætatem degentem, se nihil in eo reperisse, quod pontificali officio videatur contraire: ac per hoc se illum pontificali infulâ credere dignum. Ad hæc summus Præsul hilari vultu inquit: Agamus, Frater, Deo gratias, quia à solis ortu usque ad occasum laudatur nomen Domini. Ab occasu venisse dicis, per quem ortum veri solis rudibus in fide populis divina pietas ministrabit. Perficiamus quod divina credimus ordinatione dispositum. Sícque consecrato Burchardo Episcopo, acceptis à Romana sede privilegiis, uterque Præsulum proprias sedes repetere contendunt. quos Romanus Pastor talibus prosequitur votis: Vadite, inquiens, ô Fratres carissimi, cooperatores divini seminis; crescat fructus vestri laboris; nec valeat inimicus vobis torpentibus in agro dominico serere quod tempore messis debeat incendio tradi: prosequatúrque vos auxilium divinæ protectionis, quâ Janitor cælestis aulæ defensus est, ne à satana velut triticum cribraretur. à Zacharia cõsecratur, Gal. 6. 1.

5. His dictis arripuerunt iter, ad sedes proprias remeantes. Quo peracto, in divinis laudibus & spiritualibus canticis tandem uterque Præsul Wirzburgense opidum pervenit: quibus inibi habitantium & ex vicinis locis occurrens multitudo hominum copiosa, supplicibus clamabat vocibus dicens: Venite, Patres, venite, servi Dei excelsi, venite, liberatores animarum nostrarum; augmentate divini verbi semina, à beato Kiliano nobis olim monstrata, quò vomere sermonum vestrorum exculta tellus nostrarum mentium, dignos ferre queat fructus proventuum. Quibus auditis uterque Præsulum præ gaudio lacrymas fudisse memoratur. Tandem Vvirtziburgũ adit,

Circa An. DCCLI. Febr. II.

egregius Archipræsul Bonifacius inquit: Felix eris, Wirzpurch, & inter Germaniæ non ignobilis urbes, & quamvis his temporibus quarumdam civitatum postrema habearis, tamen exornata corporibus Martyrum inferior non haberis. In numero Trinitatis tribus fulciris Martyribus: ad supletionem Tetradis probitas Burchardi accessit Pontificis.

Bonifaciũ de munere suo cõsulit.

6. Dum hæc ita gererentur, ad locum orationis perventum est, fusisque precibus, & rite omnibus quæ ad præsens negotium pertinebant peractis, S. Bonifacius ad propria repedavit. At hunc venerabilis Antistes Burchardus sedula meditatione cœpit perquirere, qualiter commissas sibi oves bene regendo in extremo examine superni Judicis *Euge* dominicum possit promereri. Erat enim mitis eloquio, vultu clarus, vigiliis atque orationibus, eleemosynisque, quantum facultas suppetebat, deditus, ætate vergens in senium, ita ut in omnibus pontificali officio videretur idoneus. Sicque factum est, ut pæne ab omnibus amaretur. non enim poterat non amari, quem replebat gratia cælestis beneficii. Prærogativa autem fulciebat, ut dignè ab omnibus amaretur.

S. Kiliani corpus levat è tumulo.

7. Dehinc meditari cœpit, ut corpora B. Martyrum Kiliani & sociorum de loco, in quo ab infidelibus temere posita fuerant, levarentur. Pro certo namque noverat non diligenter fuisse reconditos, quos clam audiverat interfectos. Collecto denique Clero & populo indixit jejunium, ut digni possent reperiri, à quibus sancti Martyres permitterent sua corpora moveri. Constituta autem die elevationis Martyrum, maxima rusticorum multitudo confluxit Wirzpurch. alii religionis studio, alii convenerant illecti miraculorum indicio, alii recuperandæ sanitatis desiderio. Tunc venerabilis Pontifex Burchardus ad locum sepulturæ accessit, acceptoque sarculo primus fodere cœpit, subvenientibus sibi ministris quos ad hoc opus delegerat. Sed postquam tellus egesta est, non alta scrobe inventa sunt corpora Martyrum, ita fragrantia, ut omnium circumadstantium nares suavitate odoris tanti replerentur. Elevatis denique corporibus ingens factus est populorum concursus multitudinisque stipata congestio. Elaborabat nempe popularis ille conventus, si quis posset feretrum tangere, aut transitu succumbere, alii elevatis manibus, gratias Deo referre. eratque vox omnium una: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tanta verò miraculorum insignia operatus est Dominus per Sanctos suos, ut si qui forte aderant qui in fide titubarent, visis tot signis, solido robore credulitatis firmarentur. Miraculis igitur comitantibus, hymnis perventum est ad locum, ubi Sanctorum corpora condenda erant: quæ diligenter recondita, usque in præsentem diem hymnis & orationibus frequentantur.

Locũ orationibus frequentat.

8. Venerabilis tamen Sacerdos Burchardus in loco ubi sanctorum Martyrum corpora humo tegebantur, vigiliis, orationibus, ac Missarum frequentationibus indeficienti studio vacabat, metuens ne fraus antiqui furis à thesauris divino igne probatis, per desidiam se removere valeret; aut dum ipsi minùs diligenter custodiunt, inertem custodem & se non integrè diligentem contemnerent. Certus itaque sanctus vir de præmio æternæ remunerationis sollerti cautela semet undique muniebat, quatenus pulsanti Domino januam, qui eum familiæ suæ præfecerat, confestim aperiret, accensisque lampadibus nulla per ipsum mora foret, quin in æterno convivio cum prudentibus virginibus reciperetur. Hac denique exspectatione sollicitus, in divino opere, nec calliditate antiqui serpentis poterat devinci, nec senectutis gravitate tardari; in effecto * virilem animum gerebat.

* l. in effecto corpore

Tandem advenerat jam tempus, quo sancta anima mole corporis solvenda erat: comperiénsque sanctus vir per corporis ægritudinem vicinam instare sibi carnis dissolutionem, vocatis fidelibus qui in præsenti adesse poterant, divini verbi pabula in extremo quoque præsentis vitæ termino ministrare curavit, monens illos viam veritatis insistere; caritatemque, in qua summa virtutum consistit, inviolabiliter observare. Post hæc extremi muneris benedictione prolata; corporis ac sanguinis Christi Viatico munitus, amissa mole terreni corporis migravit [a] ad cælum: ubi accepta singulari stola felicitatis, exspectat ultimum resurrectionis diem, in quo duplici vestitus ornamento nil sibi deesse lætetur, per eum qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

CIRCA AN. DCCLI. FEBR. II. Senex obit

a De anno agemus ad Egilvvardi lib. 2 cap. 11. Jam omisso primo Egilvvardi libro ob rationes superius allatas ad secundum accedamus.

EGILWARDI MONACHI WIRTZIBURGENSIS
LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.



QUIA succurrentibus Deo placitis eximii Præsulis Burchardi meritis, deinde urgentibus caritatis fraternæ stimulis, prout sancti Spiritus gratia concessit, stilo currente digessimus, qualiter idem Pastor hujus Ecclesiæ primus, à primæva victitans ætate; postea pro vitæ meritis ac sapientiæ doctrina, perfecto jam hominis utriusque robore, ad curam pastoralitatis sive culmen regiminis pervenit; superest, & (quod negare non possumus) consequens videtur, per ordinem utcumque prosequi, quemadmodum ad hoc ritè perveniens vixerit: & bene vivens uti docuerit: & item docens qualiter infirmitatem propriam semper considerans, & in Dei sacrificio caudam perseverantiæ, boni initii capiti non subtrahens, se suáque cuncta in eo, qui verè dicitur Alpha & Omega, sicut cœperat, finierit.

CAPUT I. Burchardus munus rectè gerit.

IGITUR venerabilis Antistes Burchardus, qui toto ineuntis ætatis suæ tempore scuto fidei protectus, galea salutis & lorica justitiæ indutus, ac spiritus gladio, quod est verbum Dei, armatus, contra spirituales nequitias inexpugnabilis steterat: ubi se speculatorem domus Israël in quadam Ecclesiæ turri positum conspexit, sic super custodiam suam totis noctibus stare satagebat, sic vocem suam quasi tuba super montem excelsum contra gladium venientem exaltare curabat, uti ne civitates animarum sibi subjectarum se dormitante parcere nescius hostis irrumperet, nec caulas ovium dominicarum lupi rapaces, sive leo circumiens invaderent; & ob hoc sanguinem pereuntium de manu ejus summus Paterfamilias postea requireret. Sedula quoque cordis anxietate cœpit meditari; qualiter sibi commissas dominicas oves verbo Dei pasceret, & in omni fidelis prudentísque dispensatoris cura tam se quàm Christi familiam regeret; ita ut in extremo superni Judicis examine *Euge* dominicum posset promereri. Erat autem Dei famulus eloquio valde mitis, vultu venerandus & affabilis, in vigiliis sedulus, in lectione assiduus, in eleemosynis, quantum facultas suppetebat, satis benignus & benevolus; sollicitus de commissis, providus in consiliis, in universis moribus compositus, in bonis actibus indefessus, in contemplatione præ cunctis suspensus. De tanti viri humilitate scribere quippiam omnino

Circa An. DCC LI. Febr. II.

Pedo sambuceo usus.

superfluum fuerit, cùm needum nomen & officium episcopale valuisset pompaticum, nisi quòd ipsa quæ in loco sepulturæ ejus servatur virga sambucea, semper nobis ad memoriam reducit humilitatis ejus exempla. Unde constat, quanto pretiosior sit coram illo qui humilia respicit & alta à longè cognoscit, Pastor Burchardus cum sua pastorali virga modernis pastoribus, qui pascentes semetipsos, vix in ipsis baculis suis aliquâ carent pompâ. Fertur etiam, quòd non minùs exterioris hominis compositio divinitus sibi collato congrueret officio, videlicet cùm jam ætate matura vergere cœpit in senium, corpus gereret etiam ipsâ staturâ decorum. Quid plura? dum per omnia & in omnibus officio pontificali dignus & idoneus videretur non incongruè dici, quòd non sine causa, sed meritò ab omnibus amaretur. Quomodo enim posset non amari, quem tot charismata decorabant cælestis beneficii? Adeo denique habitus est ab omnibus honorabilis, ut etiam totius Regni consilio unà cum FOLRADO Abbate eodémque Archicapellano ad prædictum Zachariam Romanum Pontificem mitteretur. Hinc ut altius nonnihil repetamus, solebant Franci ex antiqua Regum stirpe Reges habere, qui è Meroveo Clodii secundi Regis eorum filio Merovingi dicebantur: quorum genealogia usque ad CHILDERICUM tunc temporis Regem permanebat, in quo etiam deficiebat. Sed licèt in illo finita posset videri, jamdudum tamen nullius vigoris erat, nec quidquam clarum in se præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia Regni penes palatii Præfectos, qui Majores-domus dicebantur & ad quos summa imperii pertinebat, tenebant: nec aliud quidquam permittebatur Regi, quàm uti regio tantùm nomine contentus, crine profuso, barba submissa in solio resideret, ac speciem dominantis effingeret; Legatos undecunque venientes audiret, eísque abeuntibus responsa, quæ doctus erat aut jussus, ex sua velut potestate redderet: cùm præter inutile Regis nomen & precarium vitæ stipendium, quod ei Præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat; nihil aliud possideret, quàm unam & eam parvi redditus villam, in qua domum & ex qua familiam, necessaria sibi ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis haberet. Quocumque eundum erat, carpento [a] ibat, quod junctis bubus, & bubulco, more rustico, agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum conventum, qui Kalendis Maii ob Regni utilitatet annuatim celebrabatur, ire solebat, & coram tota gente præsidens, omnésque salutans, & ab eis salutatus debitísque obsequiis honoratus, sic domum redibat, sicque secum usque ad alium Maium domi residebat: ac Regni administrationem & omnia quæ vel domi vel foris agenda erant ac disponenda, Præfectus aulæ procurabat. Quo officio tunc cùm prædicti Legati mittebantur, PIPPINUS Caroli filius, id est Caroli Magni pater, jam velut hereditario jure fungebatur. Zacharias Papa super hujusmodi negotio consultus, remandavit per Burchardum Pontificem & Folradum Abbatem [b], melius esse vocari illum Regem, apud quem summa potestatis consisteret: datâque auctoritate sua, Pippinum Regem constitui jussit. Qua legatione peracta Pippinus per auctoritatem apostolicam, quam tam probabiles viri in audientia primatum scriptis ac dictis deferebant, more Francorum electus ad Regnum, per manus S. Bonifacii Archiepiscopi

Romam legatus.

a Quæ hîc de Regibus Francorum referuntur, iisdem verbis habentur apud Eginhardum in Vita Caroli Magni, ex quo ea exscripserunt Adrevaldus in lib. de Mirac. S. P. Benedicti, Egilvvardus & alii.

b Nempe Cœnobii S. Dionysii prope Luteciam Parisiorum. Istius legationis mentionem faciunt Eginhardus, alisque Francicarum rerum Scriptores ad annum DCC XLIX, quo & facta est.

Mogun-

Moguntiacensis elevatus est in Regni solium in Suessionum civitate. Qui pòst per Stephanum Papam unctus in Regem & confirmatus, atque à juramento quod Childerico Regi cum ceteris primatibus fecerat absolutus, postea regnavit annis quindecim. Childericus verò qui falso Regis nomine fungebatur, tonso capite, in Monasterium missus est. Sed de his jam dixisse sufficiat, quorum nunc mentionem prorsus attingimus propter Burchardum nostrum, qui tantis negotiis strenuus omnino legatus & cooperator intererat.

CIRCA ANN. DCCLI. FEBR. II.

II. S. Kiliani corpus levat è tumulo.

Beatus igitur Burchardus, cùm de die in diem, de virtute in virtutem, de bonis ad meliora proficere non cessaret, indéque fama ac memoria ejus cunctorum longè latéque quasi meliora indulcoraret; anno secundo ordinationis suæ tractare cœpit cum comprovincialibus Episcopis, multísque viris religiosis, sed maximè cum glorioso Magistro suo Metropolitano Episcopo Bonifacio, uti eorum consilio & adminiculo corpora beatorum Martyrum Kiliani sociorúmque [a] ejus, è loco in quo ab infidelibus temere posita fuerant, levaret. Collecto denique Clero ac populo, indixit jejunium, ut digni possent reperiri, à quibus sancti Martyres permitterent sua corpora moveri. Constituta autem die elevationis Martyrum, confluxit undique multitudo maxima populorum: alii religionis studio, alii recuperandæ sanitatis desiderio, nonnulli etiam curiositate miraculorum; universi tamen convenerunt amore & veneratione Martyrum. Tunc venerabilis Pontifex Burchardus cum crucibus & thuribulis, omníque apparatu ecclesiasticæ religionis ad locum sepulturæ Martyrum processit, acceptóque sarculo primus fodere cœpit, subvenientibus sibi ministris ad hoc opus antea destinatis. Sed postquam tellus egesta est, non alta scrobe inventa sunt Martyrum corpora ita fragrantia, ut omnium circumstantium nares suavitate tanti odoris replerentur. Carnibus quippe Martyrum juxta carnis naturam in cinerem redactis, cetera quæ cum illis fuerant defossa, penitus incorrupta inventa sunt, adeo ut nec folium de libris [b], nec fimbria corrupta videretur de vestimentis. Ilico venerandæ Sanctorum Reliquiæ cum maximo Cleri plebísque tripudio de terræ pulvere levantur, ac sericis reverenter involutæ palliis, manibus sancti Præsulis feretro nuper ad hoc ipsum opus ornatissimè præparato membratim componuntur: fitque denuo populi ingens concursus, & inde constipatæ multitudinis tumultu, tam Episcopi quàm Cleri quodammodo præpeditur processus. Ambiebat nempe multimodis conatibus popularis ille conventus, si quis posset manu feretrum tangere, vel transeunti succumbere, sive manibus in altum elevatis Deo gratias referre, aut econtra flexis poplitibus seu cervicibus, quidquam devotionis Christi Martyribus suppliciter impendere. Vox una resonabat omnium, Gloria in excelsis Deo, &c. Tanta verò interim miraculorum insignia meritis Christi Martyrum coruscare videbantur, ut si qui fortè aderant, qui exemplo nimirum Thomæ Apostoli in fide titubarent, visis tot miraculis solido robore credulitatis firmarentur.

III. Sanctis donat prædia.

Gloriosus autem Antistes Burchardus Christi Martyribus dono dedit, immo sponsæ Ecclesiæ Wirceburgensi prædia in dotem contulit, quæ dudum cum S. Bonifacio commorans & cum ipso palatium regale frequentans vel parochias circumiens conquisierat, seu pretiis in suæ proprie-

a Nempe Kolomanni Presbyteri & Totnani Diaconi, de quibus actum Sæculo 2 ad ann. 689. Lege quæ de hac Translatione ibi adnotavimus.

b Suffragatur Notkerus in Martyrol. VIII Id. Julii his verbis: *Ad augmentum quoque sanctitatis Martyrum declarandum, cùm post annos plurimos transferendi gratiâ detegerentur; contra naturam regionis supra modum humida, libri eorum ac vestimenta omnia pariter cum eis subterrata, ita sunt illæsa reperta, quasi in scrinio super terram posito essent inclusa.*

CIRCA AN. DCCLI. FEBR. II.

tatis jus ab ingenuis viris comparaverat. Illustres quippe Francorum & Optimates eumdem virum in patria sua ex cunctis progenitoribus suis satis nobilitatum audientes, insuper mores illius omni religione & sapientia præcipuos considerantes, nonnulli de remedio animarum suarum cum tali servo Dei tractare cœperunt; indéque res suas, si quas domino vovebant, per manus illius tutissimè consecrari vel dispensari credebant. Itaque villam quæ dicitur *Michelnstat*, quam ei CARLOMANNUS Princeps quondam in proprium jus tradidit, ipse legitima investitura sanctis Martyribus confirmavit. Similiter *Hohenburg*, multáque alia allodia, quæ diversis in locis à nobilibus viris quocumque pacto susceperat, coram multis fidelibus testibus & omnium orientalium Francorum Principibus ad eorumdem Martyrum Reliquias investiebat. Insuper ad supplementum novi Pontificatus & amplificationem ecclesiastici cultus, alimoniam quoque Cleri tam futuri quàm præsentis, regiâ munificentiâ collatum est sancto Kiliano castellum quod *Karelburg* vocatur, cum fisco regali cunctísque illò pertinentibus redditibus: ac eamdem traditionem testamento regali, necnon privilegio apostolici Præsulis Metropolitanus Pontifex Bonifacius, unà cum Principibus & Comitibus Regis Pippini legatione fungentibus, S. Kiliano ritè confirmavit, ac B. Burchardo præsenti Episcopo dotes ac decimas suæque sedi contiguas Ecclesias in novam ejus parochiam conterminavit.

Karelburg à Rege côcessum,

IV. cum Immina Abbatissa commutat.

Eo tempore quædam virgo Deo devota, natu simul & moribus nobilissima, super montem qui nunc S. Mariæ-Mons, sive Wirceburg antiqua dicitur, continentissimam cum plerisque voti ejusdem feminis degebat vitam, nomine IMMINA. Hæc habuit patrem filium GOSBERTI Ducis, HETTANUM [a] nomine: quæ tam sapientissimo nihilominus consiliario cuncta cordis sui revelavit arcana. Inter quæ etiam hujusmodi subintulit labiis tremebundis elogia: Credo, inquit, & gaudeo, Pater post Christum & in Christo dilectissime, quòd per tuæ sanctitatis præsentiam Dominus noster JESUS-CHRISTUS neophytam hanc Ecclesiam sublimare modis omnibus ante mundi constitutionem in suæ majestatis & æternitatis præscientia proposuit, & idipsum nunc in oculis nostris manifestare cœpit. Quapropter de me, prout ipse humilitatem ancillæ suæ respicere dignatus fuerit, pro hoc ipso precum mearum instantia, quamdiu his artubus utar, nullatenus deerit. Nec clam te, Pater, esse patiar, quòd jam quadraginta & uno ampliùs anno eumdem animæ meæ sponsum, cum ancillis meis quæ se mecum in ejus præparant occursum, sub ancipite carnis ac spiritûs luctamine nimis anxiè præstolor: modò verò tuæ Paternitatis consolatione, quam tamdiu ardenter desiderabam, abundè consolata, vellem, si fieri posset, propter vitandum tumultum, quem amodò forsitan populi venientis ad fidem hoc in loco frequentia parabit, potiora quærere secreta. Opto etenim, ceu beatus & justus Simeon, quia viderunt oculi mei salutare Dei, lumen videlicet gentis Israël, jam fatiscentibus membris, in pace dimitti. Est autem castellum, quod *Karelburg* dicitur, Ecclesiæ vestræ nuper augmento per divinam gratiam collatum, sanctæ nimirum GERTRUDIS [b] quondam, dum pro Christi amore procul carnalem illecebram fugeret, latibulum, & ejus Dei famulæ & cetera-

[a] De Hettano secundo, ejúsque patre Gozberto Hettani alterius filio, ita Vita S. Kiliani à nobis edita Sæculo 2. GOZBERTUM *gladio suo sui occiderunt servi*, in ultionem scilicet necis S. Kiliano illatæ; HETANUM *verò filium ejus populus Orientalium Francorum de Regno ejecerunt.* Eadem fere verba habet Notkerus in Martyrol. VIII. Id. Julii.

[b] De hac S. Gertrude infrà in Appendice ad hanc Vitam agemus.

rum secum conversantium antiqua inhabitatione Sanctimonialibus non inconveniens habitaculum. Quod si tuo, Pater alme, consensui placuerit & industriæ, Monasteriolum in beneficium à te suscipiam: istam verò paternam hereditatem meam jure gentium sanctæ Wirceburgensi Ecclesiæ perpetua proprietate stabilem atque firmam perficiam. Quid plura? B. Burchardus nactus eam optionem, id quod rogabatur voluntariè concessit, multáque diligentiâ ratáque adstipulatione coram Regni Principibus & maximè Francis Orientalibus confirmavit ejdem, ut venerabilis Immina *Carelburg* cum omnibus illo pertinentibus prædiis, in beneficium usque ad vitæ suæ terminum possideret: mons verò Wirceburg cum suis appendiciis, id est prædiis, redditibus & terminis, omnimodísque utilitatibus, perpetua proprietate Wirceburgensi Episcopio subjaceret. CIRCA AN. DCCLI. FEBR. II.

Qua non tantùm precaria, verùm etiam traditione potestativa, legitimè testibus & scriptis delegata atque roborata, Virgo Christi cum suis omnibus *Carelburg* contulit se, ibíque deinceps cum multis consodalibus Sponsi cælestis occursui vigiliis, jejuniis & orationibus, cunctísque bonis actibus se, quamdiu superfuit halitus in ea, continuè præparare non desiit. Ad extremum verò post bonum certamen certatum, cursum consummatum, & fidem servatam, justitiæ coronam à justo sibi judice repositam receptura, carnis suæ, quam toties pro Christo crucifixerat, tangitur molestiis, nec multo pòst ad cælestem talamum se vocantis vocem dilecti sui, cujus amore languerat, auribus audivit interioris hominis: Veni de Libano, proxima mea, veni, coronaberis. Cui cùm lætissimo respondisset affectu: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus; sumto vivifici sacramenti Viatico, socias ad bella spiritualia, quantum valuit, viriliter ut ipsa eatenus virago fortis animavit. quibus & inter hujusmodi alloquia vale ultimum fecit: móxque sarcinulam lætabunda deposuit, & civibus juncta supernis, ad Agni Dei comitatum palmâ virginitatis & voluntariæ paupertatis martyrio pulchrè decorata migravit. Cujus venerandam corporis glebam vir Domini Burchardus in eodem Dei Genitricis templo quondam à beata Gertrude constructo officiosè curatam, juxta altare versus Aquilonem, condignis cum exsequiis, animam Christo commendans, ritè recondidit. Exunc usque in hodiernum diem, utrumque de prænominatis castellis ex integro S. Kiliani proprietati sancto Pontifice Burchardo providente cessit; hócque tam auspicato procurationis illius & conquisitionis initio novella plantatio Wirceburgensis Episcopi modis omnibus, ut est dies hæc, ditari atque dilatari cœpit.

V. ubi Parthenone constructo, *Cant.* 4. *Psal.* 41. Imminam sepelit.

Verumtamen, ut ad superiora parumper reflectamur, statim post ejusdem concambii, quod Præsul Burchardus cum generosa Christi sponsa Immina fecerat, eventum, convocatis certo die tam Clero quàm populo; Martyrum corpora nuper de terræ pulvere levata, cum veneratione maxima super montem sæpe dictum, comitantibus populorum turbis, transportari fecit: sicque ut verum cæli animal, antè & retrò oculatum, tam futura prospiciens quàm præterita custodiens seu præsentia communiens, investituram ejusdem possessionis Patrono suo Martyri Kiliano perpetuò stabilivit. Nam per continuum triennium ibi in Basilica sanctæ Dei Genitricis easdem sacratissimas Reliquias indeficienti totius religionis officio tam per se ipsum, quàm universum sibi adhærentem Clerum, reverenter excubans custodivit. Et quia locus idem sub antiquis olim Ducibus arx & caput fuerat totius orientalis Franciæ, nuper autem ibidem prima fundamenta sunt jacta nascentis Ecclesiæ; cunctis eum studiis amplificare,

VI. S. Kiliani Reliquias in S. Mariæ montem ab Immina traditum defert.

Circa An. DCC LI. Febr. II. prout valebat, fategit; proposuitque principale illic suæ sedis instituere Ecclesiam Cathedralem istic instituere cogitans, Monasterium, ubi gentis illius & provinciæ primitus initiabatur salutis exordium. Cùm die noctúque talia meditando sollicitudinis anxiæ saxum ingens volveret, præsertim cùm asperitas montis, & arduus adscensus, atque penuria aquæ iis quos illic Deo militaturos congregare disponebat, importunitatem omnimodam generarent; tandem ad solita precum solatia atque divini consilii refugium totam sui cordis intentionem transtulit: 2. Reg. 24. quatenus ipse qui David in Areuna locum suo tabernaculo designaverat prædestinatum, etiam nunc nascenti suæ Ecclesiæ ad generandum semper novam sibi sobolem, ceterisque suis cæremoniis aptum demonstrare dignetur locum.

VII. Porro idem Dux populi Dei solebat cum Moyse vel Aaron pro omnibus quibus affligebatur sollicitudinibus à tabernaculo divinæ clementiæ responsa requirere: nec hoc solùm, sed etiam cum Jacob post Liæ, id est activæ vitæ tædium, ad Rachelis, id est theoriæ amplexus recurrere. Hujusmodi studiis dum aliquando vigilantiùs insisteret, atque verè membrum illius, de quo dicitur, Esa. 21. *Custos, quid de nocte?* vigilias noctis super gregem sibi commissum custodiret, dicens in corde suo, non verbis, sed actibus: *Super custodiam meam sum stans totis noctibus:* dum, inquam, sic staret oculis ac manibus in cælum nimis intentus, subitò corporalibus oculis conspicit quasi tres candelas ardentes ab eadem Basilica, qua Martyrum Reliquiæ servabantur, per aërem quadam divina virtute deferri: cælesti indicio alibi ædificat, quæ trans flumen in loco sepulturæ martyrii demissæ, post horæ unius spatium super montem, unde venerant, visæ sunt reverti. Intellexit per Spiritum-sanctum vir Dei, visionem ipsam sanctarum fuisse præsentiam animarum, locum suæ passionis visitantium. Quod cùm Fratribus & plebibus retulisset, visum est omnibus, ut Monasterium quod in monte constituere disponebat, circa sepulturam Martyrum, ubi lumen cælitus descendisse conspexerat, potissimùm fabricaret: quod & primum de lignea materia initiatum, post hæc accuratiori lapidum structura per sanctum Dei Pontificem ad unguem est perductum [a], ubi & denuò Sanctorum corpora relata, & in operoso sarcophago gloriosè sunt recondita [a] eò illatis S. Kiliani Reliquiis. In quo loco tam illorum, quàm beati Burchardi meritis, novi novæ sedis Episcopi, numquam beneficia Salvatoris nostri desunt iis, quicumque credulo corde ea perquirere non desistunt. Denique Veritas quæ dilectoribus suis pollicetur, Matth. 28. *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* quod alibi tam factis quàm verbis implevit, hîc idem ad tumbas vel confessiones Martyrum tam corporaliter quàm spiritualiter operari non desinit. Cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, &c. Nam ut ubique scriptis Patrum edocemur, dum increduli scientiâ veritatis & fidei illuminantur, quid nisi cæcis visus panditur? dum divini verbi occulta nescientibus per expositorum dicta reserantur, quid nisi surdis auditus aperitur? Claudi ambulant, dum bonorum operum, viæque rectitudinis expertes, juxta præceptum semitas justitiæ rectósque gressus sub pedibus suis facere non dubitant. Mortui re-

[a] In ea Ecclesia, S. Kiliani nomine & episcopali sede etiamnunc insignita, primùm instituti sunt Monachi Benedictini ampliùs *quinquaginta*, quos Bernvvlfus post Megingosum Burchardi successor expulit, Canonicis substitutis, ut ex Relatione Monachi qui præsens interfuit, tradit Egilvvardus lib. 3 cap. 1. Sanè *per Monachos illo in tempore pane cuncta ecclesiastica administrari solita officia*, scribit Egilvvardus: quod in Præfatione huic Sæculo præfixa demonstratum. Ecclesia cathedralis etiamnunc NOVUM MONASTERIUM appellatur. Ex gremio istius Ecclesiæ educti sunt Hathumarus & Baduradus duo primi Episcopi Patherburnenses, quos nonnulli fuisse S. Burchardi discipulos aiunt. Lege Vitam S. Meinvverci Patherburnensis Episcopi.

Circa An. DCCLI. Febr. II.

surgunt, quoties obruti culpis mortalibus, ad vitam æternam capessendam afflati Spiritu sancto, per pœnitentiam expergefiunt. Hos & hujusmodi divini seminis fructus, in novali Wirceburgensi Ecclesiæ succrescentes, tam beati Burchardi, pervigilis nimirum coloni, sollicitudine non pigri, quàm beati Kiliani, primi plantatoris industriæ non inconvenienter adscribimus. Ideóque luce clarius constat operæ pretium esse; quandoquidem utriusque meritis; si veraciter & dignè membris utpote membrella congloriamur; ne terminos quos ipsi bonis exemplis suis posuerant, & nos laude dignos approbamus; quod absit, ut filii nequam transgrediamur: sed potiùs exemplis eorum innitendo, confidendóque precibus, fidem dictis nostris per opera faciamus.

VIII. *Solitudinis amore Monasterium construit in prædicto monte.*

Interea Sanctus Dei, quamvis, ut sæpe diximus; activæ vitæ sollicitudinibus plurimis cum Martha nonnumquam ob incultæ adhuc dominicæ vineæ curam turbaretur; tamen crebrò ad pedes Jesu refugium quærere, ibíque cum Maria sub alarum Christi velamento protectus, in lectionibus assiduis verbum Dei, cujus se debitorem ceteris noverat intensiùs, audire delectabatur, dicens intra se: ***Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*** (*Psal 84.*) Unde cùm Paulum sibi dicentem intenderet, ***Labora sicut bonus miles Christi Iesu***, (*2. Tim. 2.*) & cetera talia; numquam villicationi suæ concessit otii moram, quin, ut jam diximus, aut Marthæ ministeriis, aut Mariæ contemplationibus invigilaret. Quapropter ejusdem exercitii sibi providere curavit officinam, exemplo scilicet beati Martini, qui separatam ab Episcopii tumultibus eadem pro causa construxerat cellam; in arto proclivi montis sæpedicti & allapsu Mœni fluminis cœpit instituere Cœnobium: quod in honore Dei Genitricis sanctǽque Apostoli Andreæ constructum, tanta dotavit quantitate prædiorum, quæ duodecim Fratribus Canonicis [a] ibidem Deo militantibus sufficerent ad victum & vestitum. Inter quæ dotalia eidem concessit Monasterio prædictum montem Witciburg cum prædiis & redditibus, sicut adquisierat à præfati Ducis Hettani filia: stabilivítque donationem illam jure gentium coram cunctis provinciæ Primatibus, ordinatis ibidem in servitutem Domini duodecim sub canonica vita Fratribus. Ipse quoque Dei famulus quoad vixit, locum eumdem per seipsum, utpote à sæcularium turbine curarum ad hujusmodi portûs tranquillitatem confugiens, incoluit, & pro facultatum suarum quantitate necessariis impensis summâque diligentia excolere non cessavit: forsitan ob hoc maximè, quia Spiritu-sancto præmonstrante, corporis sui reliquias præscivit ibidem quandoque condendas fore, donec alterâ stolâ, scilicet immortalitatis, indutum mortale hoc, incorruptione potiatur æternæ vitæ. Recondidit etiam in eadem Basilica digna cum veneratione corpus cujusdam Martyris Magni [b] nomine.

IX. *Plures ad sui imitationem trahit,*

Lucebat inter hæc & post hæc sine intermissione lux tantæ lucernæ, ardentis fide & dilectione, lucentis verbo & actione: nec poterat abscondi supra candelabrum pontificalis honoris posita lampas; Salvatoris igne flammata. Unde quamplures undique confluebant ad tanti Doctoris audien-

[a] Monachos istic primùm à Burchardo institutos fuisse non dubito. cur enim non hîc, si in Ecclesia cathedrali? cur non potiùs Canonici in urbe, Monachi in secessu? At cùm ante Egilvvardi tempora Canonici Monachis successissent, nec facti historia ad posteros pervenisset; putavit Egilvvardus eo loci Canonicos, post Imminæ discessum, à Burchardo fuisse collocatos. His ab Hugone Episcopo substituti Monachi sæculo x, inferiùs in fine libri 3.

[b] S. Magni Martyris & Juliani Diaconorum Xisti Papæ Reliquias in Monasterium Holtzkiricha diœcesis Vvirtzburgensis Româ advectas curâ HRabani Mauri, tradit Rodulfus in ipsius HRabani Vita: easdémque ab Humberto Vvirtziburgensi Episcopo *in arca saxea ad Orientem altaris collocatas* versibus decoravit HRabanus. An fortè hujus S. Magni Reliquiæ Vvirtziburgum postea translatæ, ídque à Burchardo factum malè opinatus est Egilvvardus? Surius quædam omisit hoc loco.

Circa An. DCC LI. Febr. II. — in his Gumbertum illustrem, — beneficum in Ecclesiâ Vvirtziburgẽsem, — virum sanctum. — Lucæ 6.

tiam, diversi sexus, ætatis, atque conditionis, fontem vitæ quoque sitiens anima. E quibus vir illustrissimus, nomine GUMBERTUS, universa morum ac generis nobilitate præclarus, ejus est contubernio conjunctus: ut illius convictu atque colloquio, ceu quibusdam medicaminibus à sæcularis fastus tumore mollitus, quandoque summæ Philosophiæ, quæ est mundi contemtus, comprehendere posset adscensus. Verùm quia qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; sic econtrario amicus stulti, efficietur similis ei: non multo pòst prædia sua, quibus præ cunctis hac in regione degentibus abundabat, in sancti Kiliani proprietatem delegavit, móxque depositis armis sæculo renuntiavit: sicque nudus nudam crucem suam bajulans post Christum, cœpit B. Burchardum nullatenus deserere. Hæ sunt autem possessiones, quibus Episcopium Wirceburgense largè ditavit, *Eltimain, Ovelspach*, utrumque cum suis redditibus & appendiciis, quorum prius cùm olim castellum fuisset munitissimum, modò magnificentiam suam ipsis tantùm ruinis declarat: sequens verò, quæ nunc Præpositura Canonicorum est, olim Abbatiam non ignobilem fuisse, hucusque à majoribus per multas jam generationes hereditatum testimonium illius provinciæ non celat. Porro prædictus senior Gumbertus, extunc perfectissimè semper adhærens vestigiis Magistri, bonis initiis suæ conversationis adeo laudabiles adjunxit successus, ut semper ejus conversionem cunctorum ubique sonarent ora: Hæc mutatio dexteræ excelsi. Nempe multorum ad ipsius provocabantur imitationem corda in tantum, ut ex illo tempore plurimis donariis & oblationibus Fidelium Herbipolitana ditari non cessaret Ecclesia: donec jam ex minima & paupercula, facta est per Dei gratiam ampla & magna respublica: nondúmque crescere desistit copia rerum, crescente nimirum numero Fidelium. Cujus profectui videtur illud apostolicum non inconvenienter aptari: Kilianus plantavit, Burchardus rigavit, Christus autem incrementum dedit. Sed enim vir egregius Gumbertus, ut olim in sæcularium dignitatum fascibus se probaverat strenuum, ita post conversionem in spirituali conversatione nulli se passus est inter B. Burchardi sectatores haberi secundum, ejus formam semper indeclinabiliter intendens, illud evangelicum ruminabat frequenter: *Perfectus erit omnis, si sit sicut magister ejus.* Hic etiam post præsentis vitæ cursum, bene in Christi famulatu consummatum, juxta B. Burchardi promissionem, in eodem Monasterio, quod condonaverat Ecclesiæ Wirceburgensi, possidet sepulcrum. Ibi nonnumquam ipso intercellante concessa manifestant beneficia [a], quantum sibi profuerit B. Burchardi secutum fuisse monita.

X. Hæc itaque licèt pauca de multis B. Burchardi virtutibus, doctrinis & exemplis, juxta facultatem pauperis ingenioli nostri digesta sufficiant, quæ decerpta quidem ex nonnullis antiquorum relationibus satis simpliciter exaratis nostras in manus devenerant. Ceterùm si quis cuncta meritorum illius insignia scriptis condignis adnotare tentaverit, proculdubio temporis aut ingenii defectum materiei superabundans copia parabit. Quapropter uti post prolongati incolatus sui peregrinationem jam emeritus miles velut cervus umbram desiderans, de morte corporis hujus liberatus, in gaudium Domini sui pro bene aucto talento sit introductus, lassabundum nihilominus stilum ad id jam convertamus. Igitur gloriosus Antistes Domini Burchardus, postquam in vinea Domini pondus diei &

a Colitur S. Gumbertus seu Guntpertus in Ecclesia Vvirtziburgensi die 15 Julii: in Fastis verò Benedictinis memoratur die 11 Martii.

æstus longanimi patientia, fide firma, spe certa, caritate ferventissima, à mane puerilis ætatis usque ad vesperam pæne decrepitæ senectutis portavit, ut de B. Martino dicitur, carnis fatiscens artubus, nec minùs vigore valens, quo propinquiùs dissolutionem sui corporis imminere prævidebat, eo magis sibi commissis ovibus luporum incursiones formidabat, frequenter illud Apostoli proloquens ad discipulos suos: Cupio dissolvi, & esse cum Christo, multo enim melius est: in carne autem manere, necessarium propter vos. Tandem cum senioribus atque magnatibus Ecclesiæ suæ iniit consilium, quatenus per se, dum adhuc viveret, si fieri posset, successorem sibi provideret, Christi plebi satis idoneum. Mox mæror & luctus, de vicina, quasi jam præsenti patris orbitate, corda simul & ora cunctorum, ut facilè creditur, implevit. Ipse verò licèt illos à fletu compesceret, nihilominus tamen compassio mutuæ dilectionis hoc habet proprium, ut in hujusmodi negotio faciat utrumque suum. Consilio tamen & consultu illorum, misit quemdam LUITFRIDUM a Comitem ad Imperatorem CAROLUM b, rursúmque alios de Clero suo ad LULLUM Metropolitanum, tam verbis quàm litteris id agentes, quò MEGINGAUDUS per omnia vir laudabilis, ægrotanti jamjámque deficienti Præsuli Burchardo, in cathedra Wirceburgensi subrogaretur, ne fortè decedente Pastore, novellus Christi grex ex improviso rugientis leonis incursione acriùs disturbaretur. Legatione peracta Missi redeunt, utrique consensum referentes tam Regum & Principum, quàm Archiepiscopi ceterorúmque Episcoporum. In quorum præsentia, convocato ad urbem *Vvirceburg* universo Clero & populo, B. Burchardus in medio positus, prout corporis imbecillitas permisit, hujusmodi circumstantes affatur alloquio: Carissimi Fratres & Filii, audite nunc & intelligite novissimum Patris vestri sermonem, intellectúmque tenaci cordium vestrorum commendate decrepiti Patris vestri clamorem. Scriptum est: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit.* Et rursum: *A progenie in progenies fecit misericordiam Dominus.* Voluit Dominus per gratiam, & fecit per potentiam, ut ab idolorum cultura, qua patres vestri fuerant irretiti, liberaremini; & in libertatem filiorum Dei per fidem Christi, sicut inpræsentiarum cernere est, connumeremini. Fecit verò hoc à progenie in progenies, primò per B. KILIANUM, à Scotia huc in Franciam; dehinc per Magistrum nostrum BONIFACIUM ab Anglia nihilominus ad vos & ad omnem Germaniam. Postremum tamquam abortivum ad vestram me destinavit audientiam, nequaquam dedignatus per tantillum servum suum vobis intimare voluntatem suam. Extunc usque nunc, ut nostis, non subterfugi, quominus adnunciarem vobis omnem voluntatem Dei. Nunc ergo, filioli mei, quos cum Apostolo Paulo iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, tales vos fide & opere semper exhibete, ne sine causa laboraverim in vobis. Ad hæc si quis vestrûm aliquam contra me habuerit querelam, hanc in medium istâ horâ proferre non differat, omnem sine contradictione recepturus justitiam. En ego in hac peregrinatione, quam pro Christo susceperam, longo confectus senio, vobis, mea viscera, præesse ulterius non valeo. verùm post modicum ingrediar viam universæ carnis, mercedem sperans à bono Patrefamilias qualiscumque meæ servitutis. Quapropter ut Pater fidus fidelibus filiis fidelissimum & utile consilium do, idipsum quoque ut recipiatis, admonendo rogo,

CIRCA AN. DCCLI. FEBR. II.

Philipp. 1. 23.

tractat de substituendo successore Megingaudo.

Psal. 130.

Luc. 1.

a Luitfridus seu Liutfridus Præfectus anno DCCXLVII subscripsit chartulæ S. Bonifacii de finibus Monasterii Fuldensis in lib. 1 Antiquitatum Fuldensium cap. 4.

b Immo ad Pippinum, ut ex dicendis infrà manifestum erit.

CIRC. AN. DCCLI. IBBR. II. » rogánsque fideliter admoneo, ut unum è Fratribus & commilitonibus no» stris per Spiritum-sanctum concordi caritatis affectu vobis electum, meæ » prælationis & magisterii faciatis obtinere locum; ne fortè me repentè » subtracto, ipsa sedis ab hujus læsionem proteletur vacatio, sive (quod » periculosius est) per extraneum & minùs idoneum fiat ejus occupatio. Ad hæc dicta cunctorum unanimiter acclamat vox populorum, numquam ab illo fuisse lacessitum, vel injuriâ affectum: quin potiùs omnem animam tristem, ipsius consolatione semper ab angore fuisse relevatam, sicut & errantem ad viam veritatis reductam. De subrogatione tamen alterius Episcopi quam præmonuerat, sola magnatum & qui sanioris erant consilii, responsio talis erat: Quandoquidem, inquiunt, Pater amantissime, lex jam carnis exigit nos tuo jucundissimo destitui regimine, nequaquam nostræ electionis, quin potiùs tuæ provisionis esse perpendimus, immo per inhabitantem in te Spiritum Dei, disponi summopere flagitamus, quemadmodum populo Dei, quem tot annis ad promissæ æternæ hereditatis patriam deduxisti, ductor nunc alius substituatur idoneus. Mox Pastor egregius piis ovium Christi desideriis delectatus, nec minùs in fletum cunctis prorumpentibus ipse collacrymans, tandem virum per omnia probabilem Megingaudum produxit in medium, suóque, totius etiam Cleri circumstantis testimonio comprobavit eum Episcopatu dignissimum: (aderant Legati supradicti cum litteris Regis & Principum, necnon & Moguntini Metropolitani Lulli, confirmantes in omnibus electionem Megingaudi) atque sub testificatione Christi & Ecclesiæ ritè commendavit, chartásque regalium traditionum sive privilegiorum Sedis apostolicæ, cum cuncta Episcopi rerum investitura coram omnibus ipsi præsentavit: sicque illum ecclesiastico more cum maxima devotione, necnon universi qui convenerant Cleri populique favore venerabiliter inthronizavit. Et ne quis hoc factum quasi minùs canonicum fortè reprehendat, meminerit Apostolorum principem suæ Cathedræ propriis manibus Clementem imposuisse; Lullum quoque, qui tunc temporis Moguntinam tenuit sedem, viventi adhuc Archiepiscopo & Magistro suo Bonifacio subrogatum fuisse.

eúmque cúnctis probántibus ordinat.

XI. His itaque transactis, beatus Burchardus omnem catervam Monachorum, per quos illo in tempore pæne cuncta ecclesiastica administrabantur irreprehensibiliter officia; Clericorum quoque ac laïcorum diversæ conditionis, sexus & ætatis turbam paterna corroboravit admonitione, divináque consignavit benedictione. Posthæc adsumtis sex tantùm ex omni multitudine discipulorum suorum Monachis, navim conscendit: codices etiam, quos vel ipse conscripserat, vel undecumque conquisierat, secum deportari fecit: atque inde per decursum fluminis ad castellum, quod *Hohemburg* dicitur, navigio proficiscitur, ibíque quamdiu supervixit, in contemplatione divina, vigiliis scilicet, jejuniis & orationibus insistens, unà cum prædictis Fratribus continuè morabatur. Est autem viculus quidam *Michelnstat* nominatus, quem eidem Dei Sacerdoti quondam in proprietatem tradiderat pro remedio animæ suæ frater Pippini Carlomannus. Illuc se transferre, atque monachicam illic congregationem instituere, ibíque præsentis vitæ terminum præstolari Pater sanctissimus proposuerat: sed disponente prædestinatione divina, prævenit humanæ deliberationis vota communis hereditariæ mortalitatis occasus. Nam non multo pòst quàm in prædicto castello unà cum iis, qui secum erant, jam post multos activæ vitæ sudores optimam partem elegerat, solito gravius illum corporis incommodum invadebat: sicque de die in diem

Cú sex Monachis petit secessum.

Morbo correptus,

diem exteriori deficiente homine, cœpit interior ad id quod diu suspirabat bravium percipiendum renovari, donec (ut sibi longè antè Spiritus-sanctus revelaverat) deinceps cum Christo mansurus, mereretur feliciter dissolvi. Qua utique positus in agonia, per totum tempus ipsius ægritudinis, tardantem & (ut sibi videbatur) migrare recusantem animam, Psalmographi consolabatur & hortabatur canticis: Quare tristis es, inquit, anima mea, &c. Cúmque sic oranti, psallenti, gratiásque in infirmitatibus agenti, sæpe etiam Fratres & comperegrinos discipulos suos confortanti languor per singulas horas ingravescere non cessaret, vicinum suæ transmigrationis iter tam Viatico dominicorum sacramentorum, quàm universis quæ Religio deposcit vel præstat Christiana, fidei, spei & caritatis sollertiâ providâ præmunivit. Atque per hæc, & inter hæc, ac post hæc omnia commendatum in manus Domini spiritum, maxima alacritate, utpote cælestibus ultrà fruiturus conviviis, exhalavit. Quadraginta quippe per annos [a] in vinea Domini Sabaoth pondus diei & æstus fidelis servus & laborator indefessus portaverat: ideo sempiternæ remunerationis semper intendens bravio, non immeritò è carnis gratulabundus educitur ergastulo: & quia semper super pauca fuerat fidelis, jam supra multa constituendus, in gaudium Domini sui comitibus educitur angelicis quarto Nonas Februarii, recipiens nimirum à bono Patrefamilias mercedem laboris sui, eo videlicet die lucidissimam ingressus mansionem, quo beata Dei Genitrix in templo Domini cum nostræ carnis substantia lucis præsentavit auctorem. Obiit autem anno Incarnationis Domini septingentesimo nonagesimo primo [b]: post acceptum verò Episcopatum anno, ut diximus, quadragesimo.

[Margin: CIRCA AN. DCC LI. FEBR. ii. — *Psal.* 41. — Sacramentis munitus obit.]

XII. Igitur Megingaudus Episcopus pretiosum dilectissimi Magistri corpus omni qua valuit veneratione curavit, atque confluentibus undique Fidelium turmis, qui prorsus integro filiorum affectu lamentabantur sanctissimi & unicè dilecti decessum Patris, maximo cum comitatu & veneratione digna in civitatem sedis suæ *Vvirceburg* deportavit. Hîc pæne totius provinciæ populus occurrit; hîc tota nobilitas cum plebe Pastorem suum, non ut olim lætitiæ cantu, sed amaro nimis ejulatu suscipiunt: sicque venerabilibus veneranter exsequiis intersunt, donec honore competenti sanctum corpus juxta Martyrum Kiliani sociorúmque ejus Reliquias sepultum conspiciunt. Hoc denique loco Dominus sæpenumero plena fide se quærentibus per sanitatum declarat miracula, quantum eorumdem Electorum suorum apud se valeant merita, dum illos nec hîc quidem glorificare desinit, quos in æterna jam secum gloria collocavit. Glorificemus & nos atque laudemus Deum gloriosum in Sanctis suis: illos

[Margin: Corpus Vvirtziburgi sepelitur à Megingaudo.]

[a] Marianus Scotus & post eum Trithemius novem dumtaxat annos regiminis Burchardo tribuunt. Confer sequentem adnotationem.


[b] Id falsum esse pluribus argumentis constat. Primò siquidem B. Liudgerus in Vita S. Gregorii Abbatis Trajectensis adfirmat, Burchardum è vita decessisse ante S. Bonifacii martyrium. Verba retulimus in Observationibus prævиis ad hanc Vitam. Deinde S. Vvunebaldus Abbas Heidenheimensis tertio anno ante obitum suum (obiit autem anno DCC LXXI, ut suo loco videbimus) *venit ad urbem Vvirzburch, & ibi alloquebatur Episcopum* MEGINGOZUM, Burchardi successorem. Ad hæc S. Vvillibaldus Eistetensis Episcopus ante annum DCC LXXXVI librum de Vita S. Bonifacii à se scriptum, Lullo & Megingozo Episcopis nuncupavit. Præterea ex tribus Megingozi ad Lullum epistolis infrà citatis patet, Burchardum non supervixisse Lullo, anno DCC LXXXVI vitâ functo. Denique ex Vvandalberto Prumiensi Diacono in lib. 2 de S. Goare discimus, Megingozum Vvirtziburgensem Episcopum interfuisse Translationi S. Goaris cum Lullo & Basino Episcopis Maguntino & Nemetensi: quæ translatio longè ante annum DCC XCI peracta est. Hæc momenta faciunt, ut S. Liudgeri auctoritati adhærentes, Burchardi obitum anno ante S. Bonifacii necem tertio, Christi DCC LI consignemus. Qui annus etiam colligitur ex initio pontificatûs Burchardi superiùs stabilito in anno circà DCC XLII, & ex novem annis regiminis, quos ei tribuit Marianus.

Circa An. DCCLI. Febr. II.

autem in ipsius donis & beneficiis, qui reddit eis gratiam pro gratia; pro meritis quæ concesserat, promissa præmia. Insuper ingentes Salvatori nostro gratias agamus, sine intermissione semper recolentes, quantum illi pro gratuita redemtione nostra debeamus; qui præter innumera miserationum suarum beneficia, etiam de terra longinqua illum de quo textum præsentem contexuimus, virum voluntatis suæ, ob dispensandum nostræ salutis effectum vocavit, ac per ejus ministerium nos qui aliquando nec populus, nec gens ejus eramus, in filios sibi adoptavit: postremò tam fidelem, tam prudentem eumdem suum servum ad superos, id est in gaudium Domini sui translatum, deinceps sibi præsentem, nobis constituit patronum: quatenus hujus Ecclesiæ filii tam præsentes quàm posteri, meritis ipsius & precibus in perpetua Christi Fide roborentur & actione probabili, cujus doctrinis & exemplis ad eamdem sumus Fidem informati Jesu-Christi Domini nostri: cujus Divinitatis æternitas cum coæterno Deo Patre, sanctóque amborum coæterno Spiritu, manet ineffabilis & unica, ante omnia & per omnia tempora: regit etiam & gubernat in infinita sæculorum sæcula, Amen.

LIBER TERTIUS.

Præfatio.



Dspirando præveniente, cooperando concomitante, perficiendoque nos subsequente gratia Dei, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, jam beati protohierarchæ nostri Burchardi præconia pro possibilitate nostra digessimus, ea tantùm quæ cunctis hæc legere non dedignantibus, tam ad instrumentum credulitatis perfectæque renuntiationis, quàm ad exemplum bonæ actionis summæque contemplationis ac veræ prædicationis, cum integritate geminæ dilectionis, generaliter sufficere non ambigimus. Nunc verò, quandoquidem id tuæ, Pater, placet almitati, duobus his libellis qui jam dicta continentes negotia præcedunt, addamus & tertium: cujus nimirum sit intentio simul & utilitas, tam illius Translationem, quàm nostri Monasterii, quod ab ipso primo fundatum, postea verò per sacri corporis ejus præsentiam sufficienter est nobilitatum, præteritum simul ac præsentem posteris nostris notificare statum.

Caput I. Miraculis antiquitus editis omissis,

Igitur post sepulturam ejusdem sanctissimi Patris, quæ, sicuti scriptum est, sanctorum Martyrum Reliquiis contigua fuit, multis miraculis Dominus tam B. Burchardi quàm eorumdem Martyrum merita magnificè declaravit. Et ideo fit ibidem populi confluentia, nunc sanitatis obtentu, nunc pro diversis necessitatibus quærentium suffragia: quæ tum quamvis ob incuriam, vel negligentiam majorum descripta non reperiamus, veracibus tamen tradita relationibus nequaquam difficilè credimus. Quapropter his intactis, ne fortè (sicut ejusmodi in re fieri solet) sponte detractoribus nostris ora recludamus, ad ea potissimè quæ nostris gesta sunt vel gerenda temporibus, ad Reliquias sanctissimi patroni nostri Burchardi, stilum competenti narrationis ordine convertamus. Itaque post beati Burchardi decessum Megingaudus, vir (ut præmissum est) per omnia laudabilis, Episcopatum Wirceburgensem, catholicis & orthodoxis semper intendens institutis, rexit quindecim annis. Hic igitur beatorum Bonifacii, Burchardi, Lulli, ceterorúmque, quos huc de Anglia

moderna describit Auctor.

Megingaudus præest annis XV.

Circa An. DCCLI. Febr. II.

divinus amor adduxit, comperegrinus & compatriota, necnon professione Monachus sicut & illi [a], nullatenus mutans vel inficiens rigorem propositi, semper irreprehensibilis verbis & exemplis mirificè pollens, gubernacula tenebat pontificalis officii, unde tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis, cunctísque qui ipsum noverant personis, amori simul fuit & honori. Tandem senio jam imbecillior effectus, insuper etiam fortasse ad incrementum meritorum ægrotare se vehementiùs sensit: móxque reminiscens exemplum prædecessoris & magistri sui, missis Legatis tam ad Principes regni, quàm ad Sacerdotes Ecclesiarum, consensu atque consilio cunctorum, quemdam de suis Clericis, nomine BERNWELFUM, sibi in Præsulatu subrogavit, cooperantibus sibi in eadem ordinatione LULLO Metropolitano, & WILLIBALDO [b] Eistetensi Episcopo, coram universo ipsius Ecclesiæ Clero populóque. Sícque rebus & possessionibus, mobilibus scilicet & immobilibus, quæ ad Episcopium pertinebant, eidem successori suo relictis, ipse cum paucis ad locum à quodam HATTONE sibi donatum commigravit. Remanserunt autem apud Monasterium S. Kiliani plusquam quinquaginta (ut alibi diximus) Fratres, quos tamen non multo pòst Bernwelfus cum injuriis expulsos, ad magistrum suum Megingaudum navigare coëgit. Ad hæc beatum virum idem Bernwelfus multis inclamationibus vexavit pro diversis supellectilibus, quæ Christi Confessor Burchardus in vestitu sacerdotali, sive codicibus, nonnullísque rebus familiaribus reliquerat: cujus tamen disceptationis modum & finem, si quis scire voluerit, à quodam Monacho qui tum intererat, conscriptam reperire [c] poterit. Tantam denique támque diutinam inquietudinem Patri quondam & magistro suo subrogatus Episcopus inflixit, ut tædio affectus, sese suósque discipulos, ipsum quoque locum qui tunc *Rorinlatha*, postea verò *Neuvvestat* [d] dictus est, CAROLI Regis patrocinio committeret, & ejus adjutorio Monasterium ibidem à se suísque Monachis inhabitandum institueret. Ubi dum aliquamdiu laudabiliter ac religiosè sub sacratissimi Imperatoris alis ab omni sæculari molestia conversarentur illæsi, utpote tam Deo placentes quàm hominibus, ingressus est viam universæ carnis Megingaudus Episcopus, bonis operibus plenus, æternæ remunerationis bravium recepturus. Cujus discipuli WALTRICUM de suis mox Abbatem elegerunt, ipsiúsque jussu piissimi Caroli ad palatium deferentes, ejus auctoritate, juxta quod Megingaudo promiserat, confirmarunt.

Bernvvlfū sibi sufficit.

Secedit.

Bernvvlfus Monachos pellit ab Ecclesia cathedrali.

Megingaudus Neustadiense Monasterium condit Carolo adjutore.

Obit.

II. Germaniam per Monachos ad Fidem adductam,

Inter hæc redit ad memoriam quod silentio præterire nullatenus possumus, ob vitandum tamen proximorum scandalum, tuæ dilectioni quod dico sit in aurem dictum. Ex tota præsentis opusculi serie colligi valet, immo ipsa quam litteris utcumque tradidimus, historia luce clariori veritate subnixa, constanter edocet, sanctorum Prædicatorum Kiliani, Bur-

[a] Hinc patet mentem Auctoris fuisse, Burchardum etiam Monachum fuisse, tametsi id in libro 1 reticuit. Sanè Megingozum fuisse Monachum in Cœnobio Fritislariensi, docet epistola 17 S. Bonifacii, in qua mortuo Vvigberto Abbate præcipit, *ut Vvigbertus Presbyter & Megingordus Diaconus Regulam insinuent* aliis. Et Lupus Abbas Ferrariensis in Actis S. Vvigberti Abbatis cap. 15 tradit Megingozum S. Bonifacio fuisse perquam familiarem. Tres leguntur ipsius Megingozi epistolæ ad Lullum inter Bonifacianas, nimirum 80, 87, & 94, quibus Lullum de nonnullis dubiis consulit, ubi *Magingaoz* seu *Magingooz* subscribit.

[b] Hæc cohærere non possunt cum Egilvvardi calculo de anno mortis S. Burchardi. siquidem Vvillibaldus anno DCCLXXXI, Lullus anno DCCLXXXVI ad superos abierunt, ut suo loco dicturi sumus. Si Megingozus annis quindecim Ecclesiam suam rexit, Bernvvlfi subrogatio referenda est ad annum circà DCCLXXVIII.

[c] Utinam nancisci liceret hanc Monachi Relationem, quam à sodalibus nostris Germanis exspectamus & expetimus.

[d] De Monasterio Neustadiensi agendum infrà in Appendice ad hanc vitam, ubi de S. Gertrude.

CIRCA AN DCCLI. FEBR. II.

chardi, sociorúmque eorum instantiâ, Franciam orientalem Christo conquisitam; Germaniam pæne universam magni Bonifacii doctrinâ in viam veritatis & salutis directam; Alemanniam Galli, Burgundiam Columbani, Bavariam Corbiniani, nec non Ruperti vel Emmerammi fructificatas seminariis: quos universos, paucissimis exceptis, universali Ecclesiæ monasticæ professionis atque schematis commendavit sanctitas: & quo per mundi contemtum in cælesti theoria facti sunt sublimiores, eo sacerdotali officio digniores, in prædicationis ministerio apud homines habebantur aptiores. Cùm hæc ita sint, immo quia ita esse nemo ambigat, miror, qua fronte quidam Monachis Sacerdotibus quælibet ecclesiastica officia interdicere præsumant, si tamen eo ordine, quo prædiximus, per officia regenerationis, ab iisdem Prædicatoribus initiata, semetipsos Ecclesiæ filios esse non abnegant. Hi tamen, ne nos partis nostræ quasi temerarios defensores acriùs impugnent, magni Gregorii decretum contra idem schisma promulgatum; nec non Bonifacii, qui quartus ab illo Sedem apostolicam gubernavit, ad idipsum consentientem sententiam relegant. Ait enim B. Gregorius [a] inter cetera: „Videtur nobis, quia qui sua pro „Deo relinquunt, & à passione & à morte ejus sumunt exordia mutatæ „conversationis, digniùs liceat baptizare, communionem dare, pænitentiam imponere, peccata solvere. Et post pauca: Censemus ergo „Monachos prædicare, baptizare, communicare, pænitentes solvere, „juxta constituta trecentorum decem & octo Patrum. Item prædictus „Bonifacius de eadem re: Sunt, inquit, nonnulli stulti, dogmatizantes, magis zelo amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, adserentes „Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo vivunt, sacerdotali officio indignos, neque pænitentiam aut Christianitatem, seu absolutionem „largiri posse per sacerdotalis officii injunctam gratiam. Sed omnino falluntur, &c. usque ad id: Decertantes igitur contrà, Monachos in hac „re, sacerdotali officio penitus non carere præcipimus, ut ab hujusmodi „nefandis ausibus reprimantur in posterum: quia quanto quis celsior, tanto potentior. Nobis igitur, pauculis insertis contra eos dumtaxat, qui coram oculis nostris vestigia Patrum delere, vel laqueos pedibus nostris abscondere moliuntur; licèt multo plures Patrum abundent sententiæ quæ hujusmodi repugnent invidiæ, libet stilum ad omissa reflectere.

Monachis proinde non interdicenda munia ecclesiastica.

III. Post successorem beati BURCHARDI MEGINGAUDUM, BERNWELFUS cathedram Wirceburgensem tenuit annos septem, homo (ut aiunt) præ ceteris, Monachis religiosis infestus multùm: quod & colligi potest à superioribus. Post hunc LUITRIGUS annis tribus, mensibus quinque. Post hunc EGILWARDUS annis sex, mense uno, diebus viginti tribus. Post hunc WOLFGERUS annis viginti duobus, mensibus sex. Post hunc HUMBERTUS [b] annis decem, mensibus tribus, diebus octo. Post hunc GOTEBALDUS [c] Abbas inferioris Altachii, pervetusti Cœnobii apud Bavaros, annis undecim. Post hunc ARNO annis triginta sex, mensibus sex, diebus duodecim. Post hunc RUDOLFUS annis decem & septem, diebus tribus. Post hunc DIEDO, vel Thiedo, annis viginti quatuor, mensibus duobus, diebus quatuordecim. Post hunc BUR-

Episcoporum Vvirtziburgensium series.

a Hoc Gregorii decretum sancitum est in Concilio Romano ad ann. 592, quo anno refertur à Baronio; Bonifacii verò ad annum 610.

b In lib. 2 Traditionum Fuldensium exstat inter Vvolfgerum Episcopum Vvirtziburgensem & Ratgarium Fuldensem Abbatem de quibusdam controversiis Concordia facta *anno* 11 *domini Ludovici gloriosissimi Imperatoris.*

c Humbertus rogatu HRabani Mauri Reliquias sanctorum Martyrum Januarii & Magni collocavit in Ecclesia Parthenonis Holtzkiricha suæ diœceseos, ex notatis suprà.

d Surius monet, Gotebaldi nomen, librarii oscitantiâ, an Auctoris, in ms. codice desiderari.

CHARDUS annis novem, mensibus tribus, diebus viginti quatuor. Post hunc BOPPO, annis viginti, mensibus decem, diebus quatuordecim. Post hunc BOPPO alius annis viginti tribus, mensibus quatuor, diebus viginti & uno. Post hunc HUGO annis sex [a], mensibus septem, diebus viginti & uno. Hic cùm esset acceptus, & ad pontificalem infulam per omnia dignissimus, de reddenda villicationis suæ ratione momentis omnibus erat sollicitus. Unde inter cetera perspiciens Monasteriolum, quod in honore B. Andreæ Apostoli sanctique Magni Martyris à B. Burchardo consecratum in superiori libello descripsimus, ab omni religionis profectu defecisse scilicet tam Prælatorum negligentiâ, quàm subditorum insolentiâ, indeque (quod justo Dei judicio consequens videatur) victûs atque vestitûs necessaria ipsis paucis qui remanserant deesse; divinâ instinctus providentiâ, monasticæ institutionis illic Fratres congregavit, atque locum eumdem, & cuncta illuc pertinentia, honori non solùm, ut priùs, Andreæ Apostoli, sed & eximii Confessoris Christi Burchardi, primi sui fundatoris delegare proposuit. Electo denique ad hujusmodi negotium competenti tempore anni, convocatis undique tam Principibus vicinis quàm ipsis Ecclesiæ suæ capitaneis, cuncto quoque Clero atque populo, præmeditationis suæ coram omnibus intentionem exposuit. & quia hoc ipsum, quod proposuerat, per summum Sedis apostolicæ Pontificem, qui tunc temporis BENEDICTUS vocabatur, sibi consensum, neque Romani Imperatoris ad hoc consensus deesset enarravit. Consentientibus cunctis, & intentionem ejus devotam laude digna prosequentibus, triduanum statim jejunium indixit: ipsoque peracto, cum ingenti Fidelium multitudine, ad tumulum B. Confessoris Christi Burchardi, devotis laudibus personante, processit. Deinde levatum digna reverentia corpus sanctissimum ad supra memoratum reverenter transtulit Monasterium. Reconditis ibidem, ut decuit, venerabiliter reverendis Reliquiis, præfatus Pontifex Hugo locum eumdem decimis ac terminis *, quantumcumque valuit, dilatavit, prædiis, redditibus, libris atque utensilibus copiosè ditavit. Monasterium autem ipsum ex illa die tam B. Burchardi Christi Confessoris, quàm B. Andreæ Apostoli patrociniis regendum, tuendum, atque cognominandum instituit. Deinde cum consilio & consensu Cleri sui decrevit, atque banno [b] pontificalis auctoritatis confirmavit, ut deinceps quintâ feriâ celebretur sollemnitas ejusdem Translationis [c]; Synodus etiam ab Episcopo cum omni Clero habeatur: sicque finito Concilio, à singulis parochianis cera duorum nummorum pretii ad easdem Reliquias offeratur. Corpus verò S. Martyris Andreæ, sive Magni, cujus mentionem suprà fecimus, venerabilis Episcopus Hugo ab eodem Monasterio, quo illud sanctus Burchardus olim condiderat, in civitatem transtulit: & consocians Sanctorum Martyrum Kiliani sociorúmque ejus Reliquiis, festivúm illi famulatum annuatim exhibere constituit. Ex hoc tempore Monasterium [d] S. Burchardi corporis præsentia beatifi-

CIRCA AN. DCC LI. FEBR. II.

a

Hugo in Monasterio S. Andreæ instituit Monachos,

Ecclesiam dedicat in honorem SS. Andreæ & Burchardi.

S. Burchardi corpus eò transfert.

* an terris?

b

c

Reliquiis SS. Andreæ & Magni aliò illatis.

d

a Hugo, Ottonis II Imperatoris Cancellarius, decessisse fertur anno DCCCC LXXXIX, postquam à Benedicto Papa VI obtinuit, ut S. Burchardi corpus è tumulo levaretur. qui ritus canonizationis eo tempore vigebat.

b Hoc loco bannum, non proscriptionem, ut sæpe aliàs, sed decretum ac præceptum auctoritatis episcopalis significat. nam *Ban* Saxonicè sonat *statutum*, *edictum*, teste Spelmanno.

c Sollemnis est in hunc diem S. Burchardi dies Translationis 14 Octob. in Ecclesia Vvirtzburg.

d Istud Monasterium Canonicis mutavit anno MCCCC LXIV, teste Trithemio in Chronico Sponheimensi, qui mutationis auctores mala morte periisse adfirmat. Exstat in suburbio Vvirtziburgensi Monasterium S. Jacobi Ordinis S. Benedicti ab Embrichone ejusdem urbis Episcopo constructum anno MCXL in gratiam Scottorum Monachorum, quibus S. Macarius Abbas primus est præpositus: deinde verò unitum Congregationi Bursfeldensi, quo tempore post Kilianum Johannes Trithemius Abbas secundus ex eadem congregatione præfuit: ac demum Scottis Benedictinis restitutum.

CIRCA AN. DCC LI. FEBR. II.

Monasterium augescit.

catum, ipsiúsque vocabulo specialiùs agnominatum, prædiis, ædificiis atque donariis cœpit amplificari, & tam ab urbanis quàm à provincialibus amari simul & honorari: adeo ut nonnulli sæculo renuntiantes, seipsos cum rebus suis ibidem Deo offerrent; nonnulli etiam filios suos cum oblatione Domino offerentes, sub regulari disciplina Christo deservituros illuc manciparent.

Hæc sunt, quæ de vita & conversatione ac obitu, sive translatione sancti Patroni nostri Burchardi, per veridicam præcedentium patrum relationem, sive per exemplaria diversa, investigare atque colligere pro modulo ingenioli nostri sategimus.

APPENDIX

De GERTRUDE virgine Carleburgensi.

1. OCCASIONE *eorum quæ narrat Egilvvardus in lib. 2 capp. 4 & 5 de Gertrude & loco Carelburgo seu Carleburgo; juvat hoc loco quædam adnotare de* GERTRUDE *virgine Carleburgensi, quæ in Franconia, præcipuè in Monasterio Neustadio colitur, de qua multi multa fabulantur.*

Variæ de hac Gertrude opiniones.

2. *Hanc Gertrudem alii confundunt cum S. Gertrude Pippini Majoris-domus filia, Abbatissa Nivialensi; alii Pippini Regis filiam, Caroli Magni sororem fuisse opinantur. Socii Bollandiani nullum non moverunt lapidem, ut historiæ maximè dubiæ & obscuræ aliquam lucem adferrent, sicuti fidem facit eorum* Dissertatio de S. Gertrude, quæ in Franconia colitur, *Vitæ S. Gertrudis Nivialensis Abbatissæ subjecta ad diem 17 Martii. At licèt varia documenta acceperint ex Franconia, nondum sibi factum satis esse fatentur. Præcipua eorum momenta perstringere otiosum non fuerit.*

3. *Auctor prolixioris Vitæ S. Gertrudis Nivialensis, quem omisimus uti & Bollandiani socii, fabulatur, Gertrudem Pippini Landinensis filiam, matrimonii jugum detrectantem,* matris suæ auxilio fugisse in partes orientalis Franciæ, in locum qui nunc denomine Caroli Carleburg nuncupatur. Ibi, *inquit Auctor,* ob votum tuendæ castitatis insignem Basilicam ædificavit in honorem beatæ Dei genitricis MARIÆ: ubi etiam ad celebranda divina mysteria constituit venerabilem virum Atelongum Presbyterum & Bernardum Diaconum, quos fugæ suæ comites secum adduxerat. Cui Atelongo post aliquot annos corpora SS. Martyrum Kiliani sociorúmque ejus revelata sunt, primò per immissam à Domino cæcitatem, postea eorum intercedentibus meritis per visûs reparationem. *Mortuo proco qui Gertrudis nuptias expetebat, dicitur* ipsa ad propria remeasse, *& condito Parthenone Nivialensi præfuisse. Verùm Gertrudem hanc numquam in Franconiam perfugisse constat ex sincera ipsius Vita: nec si perfugisset, Atelongus ipsius comes pertigisse potuit ad annum circiter* DCC L, *quo S. Kiliani Reliquiæ inventæ, per S. Burchardum è tumulo levatæ sunt.*

4. *Paullo aliter hanc fabulam texit Vitæ S. Kiliani Interpolator à nobis itidem omissus, qui Gertrudem Carleburgensem à Nivialensi distinguere videtur. Hæc ipsius sunt verba:* Venerabilis Virgo Gertrudis, Pippini Regis Francorum filia, cùm virum accipere nollet cui eam pater sociare volebat, venit in partes orientalis Franciæ, in locum qui nunc corruptè *Carleburg* vocitatur, ibíque de facultatibus suis in honorem beatissimæ Virginis Mariæ Monasterium construxit, ubi Atalongum Presbyterum & Bernardum Diaconum quos secum adduxerat ordinavit. Ipsa dehinc ad propriam terram rediit, quia procum sui conjugii obiisse cognovit. quæ usque ad vitæ terminum in virginitate permanens, virginitatis simul & morum probitate Deo complacuit.


An Neustadensis Monasterii côditrix.

5. *Carloburgum tertio miliari distat à Vvirtziburgo, ad Mœnum fluvium situm, vulgò* Carlostat *appellatum, non longè à Neustadio Monasterio Ordinis S. Benedicti, quem locum antiquitus* Rorbach *dictum Gertrudis frequentasse dicitur, ibique vacasse orationi in colle Monasterio adjacente. Proferunt Neustadienses diploma duplex Caroli Magni, unum datum* anno DCC XCIV *de origine* Monasterii, quod vocatur Borlecha sive Newenstadt, exstructi in silva Speshart circa fluvium Moyna: cui Mengaudium Abbatem prætulerit *Carolus. Altero diplomate dato anno* DCCC XIII *testatur Carolus,* qualiter Ecclesia per nos constructa, Newenstadt scilicet sive Rorenlacha dicta, nostro

rogatu à sorore nostra Gertrude optimis villis & plurimâ familiâ sit dotata. Nam eadem soror nostra cælestem sponsum sitiens, omnémque mundi pompam mente & corpore relinquens, de omnibus quæ hereditario jure possidebat in Theutonicis partibus, Ecclesias vicinas fecit esse heredes. *Quæ sanè diplomata dubiæ sunt fidei, tum quia anni Incarnationis tempore Caroli Magni nondum in regiis litteris habebant locum, ut patet ex tribus libris donationum Fuldensium à Johanne Pistorio editis, ex Formulis à Goldasto editis de Monasterio sancti Galli, aliisque legitimis instrumentis passim obviis; tum quia necdum* Teutonicum *nomen audiri cœperat; tum denique quia inter Caroli Magni sorores nulla Gertrudis reperitur apud probos auctores. Nec tamen negatum imus, Gertrudem aliquam (ne quid de Carolo Magno dicamus) munificam fuisse in Monasterium Neustadiense, in quo ipsius pallium adservatur, ipsáque à multis sæculis colitur. Sed quænam tandem fuerit illa, quæstionis est.* CIRCA AN. DCCLI. FEBR. II.

6. *Et quidem aliquam S. Gertrudem in locis Carleburgo vicinis sæculo* IX *fuisse notam, colligimus ex Vita HRabani Episcopi à Rodolfo ipsius discipulo scripta; ubi agens Auctor de sanctorum Januarii & Magni Reliquiis* in Monasterium Holtzkiricha *per HRabanum translatis refert, quemadmodum* puella quædam cùm staret ad textrinum opus, subitaneo impetu spiritûs maligni arrepta, per continuos tres dies ac tres noctes æstuans & vociferans, multa ignota quasi cognita loqueretur, S. GERDRUDAM appellabat, aliorúmque Sanctorum nomina proclamabat. *Atqui* Holtzkiricha *à Carleburgo non longè distat, ut veri sit simile, Gertrudem Carleburgensem hîc invocatam. In lib. 2. Tradit. Fuld. invenio Traditionem Monasterio Fuldensi factam à* GERTRUDE *quadam* XII Kalend. Martii Indict. III, sub die XVIII Febr. anno VI regnante domino nostro HLudovico gloriosissimo Imp. *in hæc verba:* Ego GERTRUD cogitans pro remedio animæ meæ dono atque trado in eleemosynam meam ad Monasterium S. Salvatoris quod dicitur Fulda .., ubi vir venerabilis Eigil Abbas multitudini Monachorum præesse videtur, quidquid proprietatis visa sum habere in villa Rosdorf quæ sita est in pago Grapfeld, absque una dimidia areola legali, terris, domibus, ædificiis, silvis, campis, pratis, pascuis, *&c.* Et in Thuringia in villa Teitilebu dimidiam terræ partem & totum ædificium meum & illas areolas, quæ ad illa ædificia & ad illam curtem pertinent, & duas mansas vestitas cum omnibus suis substantiis. Hæc omnia trado atque transfundo de jure meo in jus Domini atque S. Bonifacii Martyris Christi, traditáque in perpetuum esse volo, ea dumtaxat ratione, ut illis Sanctis-monialibus feminis ibidem habitare ac Deo servire liceat; & ut ego quamdiu in hoc sæculo vivam, usufructuario habeam per vestrum beneficium. Post obitum quoque si aliqua digna fuerit hoc honore, hoc fiat: sin autem, ille Abbas Monasterii Fuldæ prævideat, & sicut illi videatur sic faciat, *&c. An id possit aptari Gertrudi Virgini Carleburgensi, aliis judicandum relinquo.*

7. *Non otiosa res fuerit hîc adjicere id quod legi recentiori manu adscriptum in ms. Chronico Saxonico ab Andrea Cirkembach, Vuirtziburgensis Ecclesiæ (si bene capio) Vicedomino.* Nota, ubicumque in ista & aliis Chronicis & litteris antiquis WIRTZBURGENSIS Episcopus scribitur. Hoc autem nomen, HERBIPOLENSIS, JOHANNES Gallicus Scholasticus Herbipolensis in Chronica sua Kumlubg. Herbipoli in Sequentia adoranda * & historia, quam de S. Kiliano fecit, istud nomen composuit: quia corruptum Theutonicum scivit & loquebatur. Inde Wize & Waze idem sibi videbantur. Unde potiùs eam nominâsset Praxispolis: quia Praxis dicitur vinum dulce non digestum. inde Praxispolis potiùs diceretur: quia Hassones, Saxones, Thuringi fortè hoc nomen sibi dederunt, cùm vinum Franconicum & Wirzburgense ad ipsos in praxi dulce & indigestum sæpius deducatur, & in veritate Herbipoli sint dulcia vina, &c.





Circa An. DCCLIII. Maii XXX.

DE S. HUCBERTO MONACHO BRITTANIACENSI IN GALLIA.

Brittaniaci status.

* Bretigny

* l'Oise

1\. BRITTANIACUM seu Brittennacum, *recentioribus* Bretiniacum *, *Monasterium quondam agri Noviomagensis ad Oesiam * fluvium, altero miliari supra Noviomagum Galliæ Belgicæ urbem, in diœcesi tamen Suessionica situm, ignotæ est originis. Locus iste nunc redactus in vicum & Prioratum ordinis Cluniacensis à Libonio dependentem, duabus maximè rebus illustratus olim est, nempe habitatione S.* HUCBERTI *Monachi, &* STEPHANI *Papæ secundi Responsis ad Monachos ejusdem loci. Nunc verò præter S. Hucberti Reliquias nihil servat ornamenti. Ecclesia semiruta jacet; Monachorum ibi cœtus nullus; unus istic Thesaurarius Monachus cum Priore sæculari, qui quidquid ibi annui reditûs est percipit, cedítque Thesaurario partem oblationum, quas Fideles voti causâ illuc confluentes conferunt. Eo loci visuntur adhuc vestigia ædium monasticarum, exstátque hactenus sacellum (ut vocant) bilancium *, in quo sepultus primò S. Hucbertus, ubi etiam superest ara neglecta, sacrata S.* GAMONI *, *cujus effigies aræ superimposita cernitur cum insignibus Abbatis. De eo nihil præter nomen rescire potui. In eo sacello bilancium, quod est ad partem septemtrionalem majoris altaris B. Petro nuncupati, ponderatos quondam existimo eos, qui maximè ob vitandam rabiem ex morsu canum rabiosorum istuc remedii causâ se conferebant, séque conferunt in dies. Id enim superstitione quadam observatum in aliis etiam locis, ut cùm homines quovis incommodo laborantes vota continuarent ratis diebus in frequentioribus Sanctorum quorumdam sedibus; quotidie pensitarentur seu ponderarentur in libra ad hoc suspensa; experimentum facturi ex ponderis decremento, an morbus seu ægritudo hominis affecti decresceret.. Duo hac de re exempla superiùs retulimus ad annum 746 in historia translationis SS. Arsacii & Quirini, ubi id privilegii S. Quirini Reliquiis tribuitur,*

* la Chapelle des balances

* S. Gam

Quòd puerilia corpora morbida,
Si fuerint ibi cum prece sedula
Pensa solo; sequitur reparatio, &c.

Additur & aliud exemplum hominis cujusdam, qui panibus & caseolis ibi se pensans, ea distribuebat egenis. *Hæc de Monasterio Brittaniaco.*

S. Hucberti res gestæ.

2\. *Vixit in eo Cœnobio S. Hucbertus, cujus ætas non minùs obscura quàm facta. Ut tamen de eo ad hunc annum agamus, suasit occasio Responsorum, quæ Stephanus Papa eo tempore Monachis Brittaniacensibus reddidit, ut postea notabimus. Legi quæ de S. Hucberto quotannis recitantur in ecclesiastico ipsius officio; legi & epistolam quamdam sat prolixam de ejusdem Sancti gestis,* Mederico Seposio Equiti & Britanniæ Admirali *à Fratre Benedicto Pisone Theologo inscriptam anno* MDXXXIX, *è Calmensi Monasterio diœcesis Senonensis. In utraque narratione nihil fere certum aut memoriâ dignum. Hucbertum Brittaniaci regnante Childeberto natum Petrus & Iohanna parentes, ejus loci domini, impetrâsse dicuntur precibus Præpositi seu Prioris Monachorum Brittaniacensium, viri eximiâ sanctimoniâ prædITI, qui nescio an fuerit iste S. Gamo superiùs memoratus. Dein puer duodennis adjungitur cœtui Monachorum, à quibus eruditus Sacerdotio tandem initiatur. Iejunium tenuit per omnem vitam ternis cujus-*

cujusque hebdomadæ feriis, secunda scilicet, quarta & sexta. Annis triginta in Monasterio exactis obiisse perhibetur Dagoberti Regis principatu, tertio Kalendas Junias. *Paucis post ejus obitum diebus quidam vir præpotens ac nobilis, cui brachium dextrum jamdudum riguerat, è Belgio ad ejus tumulum accessit, ibique sanitatem promeruit. Dæmoniaci decem ex vico Suessionensis pagi, cui vocabulum* Turris-Comitis, *ad ejus sepulcrum liberati. Oesiæ fluvii exundans alveus anno* M XXXIV, *feminæ voti reddendi anxiæ naviculam sponte ministrasse dicitur. Corrigendum Martyrologium Benedictinum, in quo S. Hucberti dies natalis reponitur* pridie Kal. Junii. *Cura non deesset, (ut cum Livio loquar) si qua ad verum via inquirentem ferret. Nunc famæ rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem.*

3. *Anno* DCC LIII *Stephanus Papa in Galliam cùm accessisset, Pippinum Regem adiit, in villa Carisiaco ad Seram amnem (qui in Oesiam supra Calniacum oppidum influit) eo tempore commorantem. Istic Pontificem convenerunt Monachi Brittaniacenses, de quibusdam ecclesiasticis rebus interrogaturi: quibus ipse responsa dedit, edita in tomo 2 Conciliorum Galliæ, præmisso hocce titulo:* Stephani secundi Papæ Responsa, quæ cùm in Francia esset in Carisiaco villa, Brittaniaco Monasterio dedit ad varia consulta, de quibus fuerat interrogatus, anno Christi DCC LIV. *Subsequuntur Responsa* XIX *ad totidem interrogata. Sirmondus in notis ad hæc Responsa situm Brittaniaci Monasterii colligit ex libello de examine Vvilleberti Catalaunensis ordinandi Episcopi, quem libellum in eodem tomo edidit inter Formulas antiquas, numero* XI. *In eo Vvillebertus post examinationem sui factam Carisiaci anno* DCCC LXVIII, *ordinatus fuisse in Brittennaco Monasterio memoratur his aliisque verbis:* Et sic denuntiatus est dies & hora ac locus ordinationis ejus, id est Nonis Decembris, in Monasterio quod Brittennacus dicitur, in diœcesi Remensi & parrochia Noviomagensi, *&c. Nunc verò Brittaniacum, tametsi in agro Noviomagensi situm trans Oesiam; Suessionensi tamen Episcopo adscriptum est. Certè in Actis Synodi Noviomagensis anno* DCCC XIV *celebratæ, in qua definitur, quæ* loca trans fluvium Isaram, in pago Noviomensi pertinere deberent ad parrochiam Ecclesiæ Noviomensis, *non numeratur Brittaniacum. quod proinde accenseri debet* ceteris iis locis trans supradictum fluvium in prædicto pago, *quæ* omnia pertinere deberent ad parrochiam Ecclesiæ Suessionicæ, *apud Frodoardum in lib. 2 historiæ cap. 18.*

Stephani Papæ responsa ad Brittaniacenses.

Vvilleberti Episcopi ordinatio inibi facta.



ADDITIONES ET CORRECTIONES ad Partem I Sæculi tertii Benedictini.

IN Præfationis pag. XIX lin. 14 post pontificatum, adde, nisi forsan paucæ, ut Tullensis basilica S. Stephani, quam aliquando Monachis paruisse colligitur ex Actis S. Bellendis virginis hic editis. De Ecclesia Toletana aliisque Hispanicis, uti & de Gallicanis, quas Monachi nostri quondam insedisse dicuntur, alias differemus.

Pag. LVII lin. 35 post quinque, adde, & in basilica S. Mariæ in valle Josaphat altaria quatuor.

Pag. LXVIII lin. 11 l. libro

In Actis pag. 8 num. 2 lin. penultima, tertio miliari, lege tertia leuga, aut certè nono miliari. quo sensu etiam hoc miliaris vocabulum interpretare, ubicumque hoc in Sæculo in Notis occurrerit. Et si enim Geographi recentiores passim miliare Gallicum pro leuga usurpant, qua in re eos sequutus sum; aliter tamen usurpavere Scriptores veteres, qui teste Iordane in libro de rebus Geticis leugam nostram Gallicam mille & quingentis passibus metiebantur. Quod sanè verum est de leuga Gallorum antiquorum: cùm ad leugam recentiorem constituendam tria fere miliaria requirantur. In subsequentibus Sæculis leugæ seu leucæ nomine utar ad tollendam æquivocationem. Hæc semel monuisse sufficiat.

Pag. 20 in Nota c post ultimum verbum colitur. adde, Reliquiæ S. Bellendis quæ quondam in Tinensi Ecclesia servabantur, modò servantur in Ecclesia Monasterii Mozomensis, cui Tinensis Prioratus subjectus est.

Pag. 36 in Nota a lege in fine, id etiam in alia Vita expressum.

Pag. 66 lin. 4 post dicemus, adde, Theodoro familiaris & carus fuit Hedda. Argumento est id quod legitur in Pænitentiali ms. Collegii Corporis Christi in Academia Cantabrigiensi, in quo post responsa Gregorii Magni ad interrogata Augustini hæc subduntur:

TE NUNC SANCTE SPECULATOR,
HEDDI, PIE PRÆSUL, PRECOR,
PONTIFICUM DITUM DECOR
PROME TUO PEREGRINO,
PRECES FUNDE THEODORO.

Ex quibus verbis colligo, Theodori librum Pænitentialem Heddæ nostro fuisse nuncupatum.

Pag. 67 num. 4 lin. 3. l. Hunc secutus est Ægidius.

Pag. 68 lin. antepenult. l. Trajectum superius.

Pag. 94 ad num. 18 pone in margine, Hæresis Novatiana, & in sequenti num. l. confutata sine accentu.

Pag. 96 num. 23 lin. 4 transfer virgulam post sacrum

Pag. 102 lin. 19 inclusa parenthesi sic lege (quibusdam particulis & sudario exceptis)

Pag. 149 in Nota lin. penult. pone virgulam post Quadragesima, & dele illam post verbum sequens sancta.

Pag. 169 in titulo post Benedictino Monacho, adde Anglo. ibid. num. 1 lin. ult. l. intimis.

Pag. 177 in Nota lin. ult. l. nostro primo

Pag. 225* num. 10 lin. 5 l. cognovit

Pag. 239 num. 2 lin. 3 l. Trajecti inferioris. itidemque pag. 241 num. 5 lin. 21.

Pag. 241 num 10 lin. 1, Sex, l. Sed

Pag. 247 lin. 2 adde, Istud Herigeri poëmatium è Bibliotheca Verodunensis Monasterii S. Vitoni accepi, in fine Partis posterioris hujus Sæculi (si ita videbitur) exhibendum.

Pag. 302 num. 2 lin. 8 l. animam

Pag. 345 num. 14 lin. 2 l. DCCLXVII

Pag. 347 num. 6 lin. 15 dele ei

Pag. 335 in Nota a lin. 2 l. qui obiit octavo Idus Maii anno DCCIX

Pag. 422 in Nota a lin. 1 l. apud Herimbertum

Pag. 429 in Nota lin. penult. l. tomo 2

Pag. 439 num. 2 lin. 6 l. intartam cum asterisco, & pone in margine, id est rebellem

Pag. 443 num. 1 lin. 4 l. in Ina Rege.

Pag. 451 in fine num. 3 adde, In hoc posteriori loco fit etiam mentio beatæ Angliæ, forsan Anglæ, cujus corpus unà cum reliquiis S. Silvini Besuensibus concessum fuisse dicitur. Certè Silvinus & Berta ejusque soror Angla contemporanei fuerunt, eodemque in pago vixerunt. & Angla Bertæ soror devota ac religiosa fuisse dicitur.

Pag. 463 lin. 8 dele accentum in vocabulo Aixé. ibid. lin. 13 post filio, adde, litteras. & in fine num. 2 adde, In eodem Monasterio sub finem octavi sæculi piè devixit DESIDERIUS Rex Langobardorum, eò relegatus à Carolo Magno, uti in elogio Tassilonis Ducis dicetur.

Pag. 476 num. 3 lin. 16 l. saint Chaffre, & in margine l. ANN. CHR. DCCXXVIII

Pag. 477 lin. 2 l. Adjungitur etiam à nonnullis Guido Godescalci successor, auctor Monasterii S. Petri apud Anicium. at certè errore nominis, cùm non Calmeliacensis, sed Cormaricensis Monachus fuerit, uti aliàs videbimus. Et quoniam, &c.

Ibid. lin. 33 l. Vita

Pag. 491 versu penult. l. famosus

Pag. 492 num. 6 lin. 4 l. deferret

Pag. 493 num. 8 lin. penult. l. apud Henricum

Pag. 496 in Nota d l. Oximensis

Pag. 518 lin. 11 l. nullo

Pag. 524 lin. 3 loco ius l. ipsius

Pag. 534 ante num. 1 pone in titulo, OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Pag. 545 lin. 7 l. adlata

Pag. 546 lin. 8 transfer virgulam post sceleribus

Pag. 561 in Observat. num 2 lin. 4 l. Romæ verò Oratorium ad hunc usque diem.

Pag. 569 num. 3 lin. 21 l. Treberos

Pag. 594 num. 4 lin. antepenult. l. Friderunæ

Pag. 601 numero 2 lin. 7 l. cap. 24.

Ibid. num. 2 lin. 9 l. die septima.

Ibid. & in paginis seqq. ad marginem l. NOVEMB. VI.

Pag. 672 num. 4 lin. 11 l. DCCXXXIV

Pag. 687 lin. 11 l. unà cum socio

Pag. 688 lin. 26 l. amplius septuaginta

Pag. 699 num. 25 lin 8 l. encyclicas

Pag. 716 cap. 3 lin. 6 post VVOLFGERUS, insere litteram indicem b pro Notula, & muta litteras in sequentibus Notis.

INDEX HISTORICUS
PARTIS PRIMÆ.
SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

Littera (a) *initium paginæ usque ad medium* ; (m) *medium usque ad finem* ; (n) *Notulas marginis inferioris designat.*

* *Monasteriorum nomina & series habentur sub voce* Monasterium.

* *Topographica vocabula Italicis typis distinguuntur.*

* *Cifri post num.* 231 *repetuntur a num.* 209 *ad* 232 *cum asterisco in secundo loco.*

Botulfi

K

L

M

MONASTERIA.

N

O

P

Q

R

S

T

V

Ulricus

INDEX MORALIS
PARTIS PRIMÆ
SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

INDEX ONOMASTICUS
VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM
PARTIS PRIMÆ
SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

Flasculæ

OBSERVATIO PHILOLOGICA.

QUOD *scribendi rationem plerisque recentioribus paullo minùs usitatam sequor, id non facit affectata singularitatis, sed rei antiquariæ studium. Cùm enim in eruendis veteribus monumentis occupatus sim, nemini litterato ingratum esse debet, si antiquorum vestigia premere conor. Quoniam verò primaria Auctorum exemplaria nusquam fere consequi licuit, dedi operam, ut in tota editione nostra quadam servaretur æqualitas, ad veteres leges, quantum in me fuit, exacta.. qua in re plurimum tribuo Cassiodori libro dè Orthographia. Si qua tamen autographa reperio, integra fide litteras numeratas reddo. Et quidem potissimùm in exprimendis personarum ac locorum propriis nominibus accedere studeo ad morem antiquorum, quibus notior vocabulorum erat vis & institutio. Hinc* Atrabates, Bracbantum, *at* Brabantia, Brittones, Camaracum, Filibertus, Leodicum, Mettensis civitas, Namucum, Pippinus *scriptum passim reperies eum ad modum, quo ista vocabula antiqui scriptores extulère. Sanè Virgilius & alii corripiunt primam syllabam in voce* Britannia *&* Britannus; *Juvenalis primam producit in* Brittones, *ob geminatam videlicet consonantem, hoc versu:*

Qua nec-terribiles Cymbri, nec Brittones umquam.

Unde veteres aliquando Brittania *scribunt, sæpius* Britannia. *Et Theodulfus Aurelianensis Episcopus scripsit* Scottus, *ùt patet ex lib. 3 Carmine 1, versu 168 & sequentibus, & in Carmine 3 ejusdem libri, versu 69.*

Hic Scottus, Sottus, cottus trinomen habebit.

SUMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV Privilegio VII Kalend. Martii, anni MDCLX concesso, & ejusdem mensis ejusdem anni V Non. in Typographiæ Parisiensis Codicem relato, cautum est, ut Congregationis S. Mauri R. P. SUPERIOR GENERALIS Libros ab ejusdem Congregationis Monachis compositos, per quem maluerit Typographum, néve alius citra ejus consensum, edat, uti uberiùs Diploma ipsum explicat.

Idem R. P. Superior Generalis facultatem dedit Ludovico Billaine Typographo ac Bibliopolæ Parisiensi imprimendi Sæculum tertium Actor. Ordinis S. Benedicti, *die* 1 *Julii* 1670.


F E A P
P L